BIBLIOTHÈQUE DE LA REVUE D'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE
FASC. 14 A

Statuta Capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis

AB ANNO 1116 AD ANNUM 1786


Quae ex libris praesertim manu scriptis collegit, recognovit, annotatione critica enodationibusque instruxit et

EDIDIT

D. Josephus-M^ia^ CANIVEZ
ORD. CIST. REF.

TOMUS VII

AB ANNO 1546 AD ANNUM 1786



LOUVAIN
BUREAUX DE LA REVUE :
40, RUE DE NAMUR, 40
1939

INTRODUCTIO

Capitulis generalibus Ordinis Cisterciensis Cistercii, in Alma Matre, quotannis ex primaevo instituto [1] celebratis, in ultima tamen periodo (s. XVII et XVIII), cuius documenta in hoc nostro septimo volumine congeruntur, lucide apparet quantum ab antiqua lege nostri abbates aberraverint. Etenim, post Capitulum anni 1584, non conveniunt nisi annis 1601, 1605, 1609, 1613, 1618, 1623, 1628, deinde annis 1651, 1667, 1683, 1686, 1699, 1738, 1756 ; et hoc est symbolum fractae unitatis, antiquitus ex omnibus Europae monasteriis cisterciensibus unum efficientis corpus, unam familiam, quae hodie in multiplices Congregationes dispertitur [2].

Attamen, salutaris reformatio cleri et populi christiani in Tridentina Synodo feliciter ordinata, antiquos etiam Ordines monasticos movit ut ad bonam frugem se reciperent. Cistercii ecce magni nominis duces assurgunt : Hieronymus Souchier (1567-1571) cardinalis creatus a sancto Pio V, Nicolaus I Boucherat (1571-1585), Edmundus a Cruce (1585-1604), Nicolaus II Boucherat (1604-1625), Claudius Vaussin (1643-1670), moxque novae Constitutiones, decretis tridentinis valide innixae, toti Ordini praescribuntur [3].

---

[1] *Charta charitatis*, § XV, t. I, pg. XXVIII.

[2] Congreg. Arragoniae 1613 : 67, 68, 132 ; 1628 : 42, 48 ; 1662 : *Indict.* ; 1667 : 60 ; 1672 : 180, 207, 208, 216, 217 ; 1683 : 109 ; 1686 : 64, 65, 66, 173 ; 1699 : 42, 167 ; 1738 : 77, 83, 220, 234, 236, 275 ; 1765 : 5, 37, 49, 55, 70 ; 1768 : 49, 51 ; Congreg. Calabriae et Lucaniae 1662 : *Indict.* 1667 : 61 ; 1683 : 141, 168, 220 ; 1686 : 143, 156 ; 1699 : 31, 114 ; 1738 : 27 ; Congreg. Castellae, Legionis, Astur. 1662 : *Indict.* 1667 : 59 ; 1672 : 195 ; 1683 : 167 ; 1686 : 154 ; 1699 : 116 ; 1768 : 134 ; Congreg. Fuliensis 1605 : 42 ; 1628 : 44 ; Congreg. Italiae 1613 : 26 ; 1672 : 179 ; Congreg. Lusitaniae 1667 : 58 ; 1683 : 167 ; Congreg. Super. Germaniae 1628 : 41, 42 ; 1662 : *Indict.* ; 1672 : 165, 198 ; 1699 : 42 ; 1738 : 112, 204 ; 1765 : 49 ; Congreg. Tusciae et Lombardiae 1565 : 40 ; 1605 : 26, 85 ; 1662 : *Indict.* ; 1667 : 63 ; 1683 : 145 ; 1686 : 144 ; 1699 : 42, 115 ; 1738 : 276.

[3] 1601 : I, 1-XXXV, 14 ; 1623 : 9 sq.

Ad ampliorem scientiae ecclesiasticae dispensationem, nova conduntur collegia cisterciensia ; apud Studium generale Lovaniense in Belgio, abbatiae Villariensis [4] et Alnensis [5] instituunt sibi domos ; item florent collegia Ordinis etiam apud Avinionem [6] et Dolanum [7]. In theologica facultate Sancti Bernardi Parisiensis, multi abbates et monachi laurea doctorali insigniuntur, qui certis privilegiis in Ordine decorantur [8] ; et ideo effectum consequi possunt ullum propositiones et petitiones cardinalis Ludovici d'Este, Ordinis Protectoris, de erigendo « in Alma Urbe Roma publico et generali totius Ordinis seminario », cuius instituendi ipse Gregorius XIII sumptuum partem in antecessum solvere non dubitaverat [9].

Quaedam novitates in nostras leges cistercienses se intrudunt ; sic, verbi gratia, creantur novitiatus communes [10], creantur etiam provinciae seu vicariatus, quibus praesunt vicarii generales seu visitatores, a syndicis adiuti, manente tamen patrum abbatum iurisdictione in filias suas [11].

Maiores adhuc mutationes patitur liturgia cisterciensis. Ritui romano celebrationis missae cedit antiquus ritus monasticus [12], dum Kalendarium multis novis festis oneratur [13]. Breviarium aliquatenus ad formam romanam, servato tamen *cursu* benedictino, accommodatur [14].

Quod ad disciplinam attinet, imprimis citanda venit celebris illa Constitutio Alexandri VII *In suprema* anno 1666 promulga-

---

[4] 1651 : A. [5] 1628 : 51 ; 1667 : 71. [6] 1601 : A ; 1613 : 147 ; 1628 : 119 ; 1683 : 4, 235 ; 1686 : 2, 89, 170. [7] 1613 : 22 ; 1623 : 42, 43 ; 1628 : 52, 53 ; 1672 : 79, 211 ; 1683 : 4, 98, 111, 235 ; 1686 : 50 ; 1738 : 82. [8] 1557 : 17 ; 1560 : 18, 19 ; 1562 : 15 ; 1573 : 18 ; 1578 : 18, 30 ; 1628 : 51 ; 1699 : 138 ; 1738 : 317. [9] 1584 : 41 ; 1609 : 24 ; 1618 : 8. [10] 1666 : *bulla*, cap. XXIX, 21 ; 1605 : 50 ; 1618 : 13 ; 1623 : 19 ; 1628 : 13 ; 1651 : 11, sq. 72, 102-131 ; 1667 : 54, 55 ; 686 : 138, 39, 40 ; 1738 : 318 ; 1768 : 118, 119.

[11] 1601 : XXIX, 21 ; 1605 : 32, 35, 36, 44, 51, 59 ; 1613 : 140-167 ; 1618 : 35, 56-80 ; 1623 : 22, 23, 24, 55-86 ; 1628 : 16, 37, 38, 113-145 ; 1656 : 7 ; 1663 : *Indict.* ; 1666 : *bulla*, 30, 31 ; 1667 : 75, 76 ; 1672 : 139, 211 ; 1683 : 235 ; 1686 : 170, 171 ; 1699 : 182 ; 1738 : 296 ; 1768 : 123, 124. [12] 1605 : 10 ; 1618 : 14 ; 1628 : 27 ; 1667 : 24.

[13] 1601 : VI, 18 ; 1605 : 16 ; 1613 : 13, 70 ; 1618 : 50 ; 1623 : 45 ; 1628 : 26 ; 1651 : 41 ; 1667 : 35, 36 ; 1672 : 63, 64 ; 1683 : 27, 87 ; 1686 : 102 ; 1699 : 16, 83, 97, 131, 143, 144, 169, 170, 172 ; 1738 : 43, 45, 76, 113, 131, 132, 133, 134, 145, 146, 147, 148, 150, 189, 193, 194, 196, 197, 223, 245, 251, 253, 271, 272, 273, 277, 280, 287, 289, 330, *nota* ; 1765 : 40, 41, 56, 65, 69 ; 1768 : 30, 31, 32, 34, 38, 45, 65, 66, 107, 140. [14] 1605 : 12, 13, 18 ; 1618 : 15 ; 1623 : 44 ; 1651 : 22 ; 1654 : 7 ; 1656 : 4 ; 1667 : 24 ; 1672 : 106 ; 1699 : 23.

ta [15], quae, sicut antiquiores bullae Clementis IV *Parvus fons* (1265) [16] et Benedicti XII *Fulgens* (1335), [17] pro reformatione Ordinis data est ; quae maiores utique fructus honoris et honestatis produxisset, nisi damnabiles simultates inter duas Observantias, communem nempe et strictam, seu, ut aiebant, inter Mitigatos et Abstinentes [18], itemque obstinata discordia, imo hostilitas inter primos Patres [19], obstitissent.

---

[15] Cf. Textus ann. 1666. [16] cf. t. III, p. 21-30. [17] cf, t. III, p. 410-436. [18] 1635 : 8, 18, 32, 35 ; 1651 : 28 ; 1656 : 3 ; 1666 : *bulla*, 41, 42, sq. ; 1667 ; 11, sq. ; 30, sq. ; 1672 : 8, sq. ; 22, sq. ; 1683 : 15, 202 ; 1686 : 95, 96.

[19] 1667 : 78 ; 1672 : 55, sq. ; 1683 : *Capitulum nuncupatum Protestantium propter oppositionem primorum patrum ;* 1699 : 54 ; 1738 : 142 ; 1765 : 12, 13, 16, 17, 18, 20, 79, 80 ; 1768 ; 18, 136 ; 1771 : C ; 1783 : III ; 1786 : F.

SERIES FONTIUM MSS CUM SUIS SIGLIS

CODEX AQUAEBELLAE.

In archivo abbatiae cist. Aquaebellae asservatur codex authen. statutorum ann. 1786 ; editus fuit a Séjalon in *Nomasticon cist.* Solesmis, 1892, pg. 614-647. **Aq**

CODICES ABBATISVILLAE.

Ms 29 (XVIII s.) statuta refert ann. 1601, 1605, 1609, 1613, 1618. **A²**

Ms. 30 (XVIII s.) statuta refert ann. 1623, 1628, 1651, 1667, 1668, 1672, 1683, 1686, 1687, 1697, 1699, 1704. **A³**

Ms. 31 (XVIII s.) statuta refert ann. 1546, 1548, 1550, 1557, 1601, 1605, 1609, 1618. **A⁴**

CODEX BRUXELLENSIS.

In archivo generali regni apud Bruxell s, serie Archiv. eccles. nº 9166 asservatur codex ex abb. Nizellae, statuta ann. 1738 continens. **B²**

CODEX BOLLANDIANUS.

In bibliotheca Bollandiana apud Bruxellas, ms 320 (XVII s.) statuta ann. 1672, 1699 praebens. **Bol**

CODICES CALVOMONTANI.

In archivo regionis dictae Haute-Marne, quidam parvi codices, ex abb. cist. de Crista continent documenta pro ann. 1605, 1609, 1651, 1765. **Ch¹**

In bibliotheca Calvimontis, ms 95 (XVII et XVIII s.) redactum a Bened. Besançon, colligit documenta pro ann. 1605, 1623, 1651, 1661, 1667, 1668, 1670, 1672, 1683, 1686, 1697, 1699, 1704. **Ch²**

CODICES MONACENSES.

Clm² Clm. 1319 documenta continet pro ann. 1618, 1623.
Clm³ Clm. 1432 syatuta refert ann. 1686, 1699.

CODEX ALDERSPACENSIS.

Co In bibliotheca publica urbis Colmariae, ms 296 ex abb. Alderspacensi documenta servat ann. 1584.

CODICES DIVIONENSES.

D¹ In bibliotheca huius urbis, ms 615 selecta statuta continet ann. 1605, 1618, 1667, 1738.
D² Eiusdem bibliothecae ms. 603 statuta ann. 1738 refert.
D⁵ Eiusdem urbis, in archivo regionali, series H, nº 406 conservat documenta pro ann. 1686, 1699, 1734, 1738.

CODEX DUNENSIS.

Du³ Ms. 142 (XVII s.) Biblioth. Seminarii Brugensis, id est ant. abb. Dunensis, praebet quaedam statuta ann. 1618, 1628.

CODICES INSULENSES.

J² In archivo publico civitatis Insulensis, sub signo 27 H, nº 71, habentur statuta ann. 1605, 1618, 1623.
J³ Item, sub signo 28 H, nº 16, habentur statuta ann. 1768.
J⁴ Item, sub signo 27 H, nº 70 habentur Acta cap. intermedii ann. 1784.

CODICES LUCERNENSES.

L⁷ Ex octo codicibus (XVIII s.) qui hodie in archivo Status Lucernae asservantur sub nº 544, tomus VI praebet statuta ann. 1546, 1548, 1550, 1557, 1560, 1562, 1565, 1567, 1573, 1578, 1584, 1613, 1635.
L⁸ Item, tomus VII praebet statuta ann. 1560, 1562, 1565, 1567, 1573, 1578, 1584, 1605, 1609, 1613, 1618, 1623, 1628, 1651, 1667, 1668, 1672, 1683, 1686, 1687, 1697, 1699, 1704, 1738.

CODEX MAIORIS AUGIAE.

Mh Haec abbatia cist. codicem habet, transcriptum XIX s., ann. 1765 statuta continentem.

Codices Montis sanctae Mariae.

In archivo publico regionis dictae Doubs, sub signo 64 H, nº 34, quidam codices ex antiq. abb. Montis S. Mariae referunt statuta ann. 1605, 1609. **Mo**

Codex Namurcensis.

In archivo publico civitatis Namurcensis, codex ex abb. de Molinis statuta ann. 1699 praebet. **Na**

Codex Gandavensis.

Apud Gandavum, in archivo publico, sub nº 3 abb. de Oost-Eecloo, servatur codex ann. 1686 statuta referens, transcriptus « *Pro praenobilissima ac reverendissima Domina Domina Isabella Eugenia Clara de Longastre, abbatissa*... **Oost**

Codices Parisini.

Ms. 782 bibliothecae dictae de l'Arsenal continet quaedam statuta ann. 1546, 1548, 1550, 1557. **P²**

Ms. 783 eiusdem bibliothecae continet statuta ann. 1601, 1605, 1609, 1613, 1618, 1623, 1628, 1651. **P³**

In archivo nationali, sub signo L, 747 asservantur documenta pro annis 1768 et 1771 ; sub signo F⁷, nº 4344 habetur « *Codex statutorum et Constitutionum O. Cist.* etc. qui anno 1775 impressus fuit apud M. Lambert (cf. infra Collect. editae). **P¹³**

Codices Abbatiae de Precibus.

In archivo publico regionis dictae Morbihan, servantur codices ex abb. cist. de Precibus, qui statuta ann. 1699 et 1787 praebent. **Pr**

Codex Portus Salutis.

In bibliotheca abb. cist. de Portu salutis, reg. Mayenne, habetur codex in folio (XVII et XVIII s.) continens acta cap. ann. 1605, 1667, 1668, 1672, 1683, 1699, 1738. **Sa**

Codices Trecenses.

In bibliotheca publica huius civitatis, ms. 1285 refert statuta ann. 1578, 1601, 1605, 1609, 1615, 1618, 1625, 1628, 1651. **T³**

T5 Eiusdem bibliothecae ms. 1796 continet statuta et alia documenta ann. 1573, 1578, 1601, 1605, 1609, 1613, 1618, 1623, 1628, 1651, 1661, 1662, 1667, 1668, 1670, 1672, 1683, 1686, 1687, 1697.

T6 In archivo publico eiusdem civitatis sub signo 3 H, nº 145, quedam folia servant statuta ann. 1546, 1584, 1601.

T7 Ibidem, sub signo 3 H, nº 146, asservantur documenta pro annis 1651, 1654, 1656, 1661, 1667, 1672, 1738.

CODEX STAMEDIENSIS.

Ta In abbatia cist. Stamedii habetur codex authenticus statutorum Cap. gen. ann. 1738.

CODEX LEODIENSIS.

Va In archivo civitatis Leodiensis, inter multa documenta ex abbatia cist. Vallis S. Lamberti, habetur codex nº 2282 referens statuta ann. 1584, 1623, 1651, 1738.

FRAGMENTUM WESTMALLENSE.

We In abb. cist. Westmallensi in Belgio, asservatur unum folium referens quaedam statuta ann. 1699, hoc ipso ann. scriptum.

COLLECTIONES EDITAE

M *Thesaurus Anecdotorum* a D. Edm. Martène, t. IV. Parisiis, 1715, continet unum stat. ann. 1546 et unum ann. 1557.

No *Nomasticon Cisterciense*... a Juliano Paris... Paris, 1664 et 1670. Iterum edidit D. Séjalon, Solesmis, 1892, qui addidit documenta pro anno 1783 et *Acta Cap. gen. ann.* 1786.

P13 *Décrets délibérés du Chapitre général de l'Ordre de Cîteaux de* 1771 ; *et réponse aux observations des quatre premiers Pères.* A Paris, de l'Imprimerie de Michel Lambert, Imprimeur de l'Ordre de Cîteaux, rue de la Harpe. M. D. C. C. LXXV. (in-4º, 440 pg.)

Rarissimum hunc librum invenire non potuimus nisi unicum exemplar quod nunc extat in Bibliotheca Universitatis Pictaviensis. Investigationes nostrae infructuosae remanserant usque

dum humanissime nobis praestitit auxilium Ill. D. Edm. Pascal, Praefectus regionis Ardennae, apud Macerias.

Huius voluminis argumentum in duas partes dividitur : *De Disciplina particulari* (pg. 1-246) ; *De Disciplina generali* (pg. 249-440) ; et publici iuris facit *Constitutionum* textum exaratum pro Cap. gen. 1771, animadversionibus patrum subiciendum qui legitur ms. in foliis sub signo F[7], 4344, in Archivo nationali Parisiis.

Studien und Mitteilungen... Benediktiner... München, t. XVIII (1897) pg. 87-101 edidit quaedam statuta ann. 1548, 1550. **S**

Ex innumeris libellis, typis editis, praesertim saec. XVII et XVIII, quaedam religata sunt in volumina quae habentur in bibliotheca publica Trecensi, speciatim sub nº 4057, 4058, 4060 in serie « Jurisprudence » ibi leguntur statuta deprompta ex annis 1628, 1651, 1667, 1683, 1686, 1699, 1738. **T[8]**

eorum Regibus ac successoribus eorundem et generaliter
pro omnibus Regibus et Reginis, Ducibus et Ducissis, Comi-
tibus et Comitissis, Baronibus et militibus et alijs nos-
tris, nec non pro omnibus Religiosis et fratribus alijs, fami-
liaribus, parentibus et benefactoribus ordinis nri de-
functis dicantur tres missae defunctorum in singulis
Monasterijs ordinis universi.

Generales ordinis praefati Cistercien.

Nos frater Nicolaus Boucherat Cistercij Abbas
ac in Theologia professor caeteriq. definitores Capti
Gnalis notum facimus universis, quod anno dni 1584
die vero ultima mensis Aprilis in eodem gnali Capto

Codex Alderspacensis.

1546

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1546.

DIFFINITORES : Rmus Dominus **Cistercii**, s. th. pr., de Monte Sanctae Mariae, de Buxeria, monasteriorum abbates ; loco D. de **Firmitate,** de Bello prato, s. th. pr., de Loco crescenti, de Bithania, monasteriorum abbates ; loco D. de **Pontigniaco,** de Frigidomonte, de Bellavalle, monasteriorum abbates ; de **Claravalle,** de Bullencuria, de Bullione, monasteriorum abbates ; loco D. de **Morimundo,** de Miratorio, de Marcilliaco, de Sancto Sulpitio, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Pontigniaco [prior], s. th. pr., de Fonteneto, Prior et Subprior Cistercii.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Bello prato, s. th. pr., de Frigidomonte, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Claravalle, de Bello prato, monasteriorum abbates ; Prior et Subprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : de Pontigniaco [prior], s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Monte petroso, s. th. pr.

NOTARII ABBATES : de Bellavalle, de Sancto Sulpitio, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Quinciaco et quos voluerit deputare Rmus.

NOTARII AD PEDES : fratres Hugo de Trevorchio, Petrus de Auxona, Cistercii professi.

B) Ex parte dominorum Diffinitorum praesentis Capituli generalis, praecipitur sub poena excommunicationis ac Ordinis censuris, omnibus dicti Ordinis personis, quae pecunias aliquas detulerint pro solvendis contributionibus aut redditibus ad praesens generale Capitulum, easdem ante crastinum prandium tradant auditoribus computationum ab eodem Capitulo deputatis. Datum Cistercii sub affixione contrasigilli dicti Capituli, die vigesima quarta mensis maii, anno Domini 1546.

1546. *Fontes* : A^4 : 41, 52 *(abbrev.)*, 61 ; L^7 : A, B, C, 1-61 ; *M* : 7 ; P^2 : 1, 7, 52 *(abbrev.)* ; T^6 : 9.

C) Nomina abbatum Capituli generalis huius anni 1546. — Reverendissimus noster de Cistercio, s. th. pr., de Claravalle, de Bello prato s. th. pr., de Frigidomonte, de Miratorio, de Monte Sanctae Mariae, de Buxeria, de Sancto Sulpitio, de Bellavalle, de Loco crescenti, de Bithania, de Bullione, de Marciliaco, de Quinciaco, de Bullencuria. Praedicti abbates sunt numero quindecim.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, die vigesima quarta mensis maii in Capitulo generali, apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Primo [b], pro Sanctissimo... etc.
2. Praeterea pro serenissimo... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii ... *etc.* et est talis. Cum ex ordinationibus Sanctae Sedis Apostolicae et antiquis statutis et diffinitionibus nostri Capituli generalis, sit cautum, etiam sub gravissimis poenis et censuris, et poena perditionis iuris praetensi, si aliqua persona Ordinis, spreto iudicio Capituli quotidiani, patrum abbatum, superiorum et Capituli generalis, ad iudicium saeculare recurrat, vel potentes personas adeat pro quacumque correctione et ordinatione; nihilominus plures tam monachi quam moniales Ordinis etiam pro levioribus causis passim ad iudicia saecularia recurrant seu appellent, et principes et potentes adeant, ac ab eisdem litteras, preces et minas obtineant ad impediendum processus visitatorum, correctionum vel ordinationum superiorum in grave animarum dispendium et observantiae regularis contemptum, praesens generale Capitulum, renovando praedicta statuta, et in quantum opus est, de novo statuendo, districtissime inhibet omnibus et singulis personis Ordinis, ne de cetero ad iudicium saeculare, contempto primitus iudicio Ordinis, recurrant aut appellent, principes et potentes personas nullo modo adeant, aut ab eisdem litteras, preces et minas, per se, consanguineos suos, aut

---

[a] *Titulus apud* A^4L^7 [b] Sub Paulo 3°, ... etc. : P^2.

quovis alio modo, directe vel indirecte obtineant, quibus impediatur libertas praedictorum superiorum Ordinis in correctionibus et ordinationibus. Contrafacientes ipso facto declarat incurrisse sententiam excommunicationis, a qua non nisi per generale Capitulum absolvi possint; et nihilominus personae convictae huiusce diffinitionis infractae perpetuo a suis propriis monasteriis eliminentur absque spe reversionis, in plenaria Ordinis potestate.

7. Cum ex ratione status et fragilitatis sexus sacro monialium instituto fortis ac firma clausura annexa sit, approbatis superiorum annorum Capituli generalis ac patrum visitatorum diffinitionibus et sanctionibus, praesens generale Capitulum omnibus nostri Ordinis abbatissis, priorissis [c] et monialibus, quemcumque a monasteriis suis egressum a superiore non concessum, in earumdemque monasteria saecularium ingressum interdicit. Hiisque [d] idem generale Capitulum sub poena excommunicationis latae sententiae prohibet, inconsulto et non consentiente superiore, procuratorem habere saecularem, et sub eadem poena pro quacumque causa contra suorum superiorum consilium et praeceptum a quibuscumque saecularibus, aut etiam regularibus [e], ullum efflagitare auxilium, neque ullo modo a simplicitate habitus, coloris ac sancta vilitate recedere, aut veluti de quibus nobis a fide dignis relatum est, feminas saeculares et uxoratas imitari, quae capitis ac pectoris superfluo et mundano ornamento et gemmatis, aliisque magni pretii et pluribus annulis ad suum nostrique Ordinis dedecus utuntur, sed studiosius et attentius patrum visitatorum ordinationes tam abbatissae quam moniales frequenter legant et in omnibus perficiant, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES AD INQUIRENDUM ET CONFIRMANDUM

8. Abbati de Pratea, et ab eo deputando, committitur potestas inquirendi de commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem commendatarium et conventum monasterii de Fontmorigni ex una, et Petrum ac Stephanum Pictoureaul ex altera partibus, cui praesentes annectuntur, et secundum quod aequitatis ratio suadebit, ipsum contractum confirmandum vel infirmandum, ipsi abbati de Pratea soli relinquitur, in plenaria Ordinis potestate.

9. Abbatibus de Frigidomonte et de Bullencuria, et cuilibet eorum committitur potestas inquirendi de commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum monasterii Claraevallis ex una, et Leonardum Saulgé scutiferum ex altera partibus, cui prae-

---

[c] prioribus : L^7P^2. [d] Iisdem : *M* [e] *deest* : *M*.

sentes annectuntur, et secundum quod aequitatis ratio suadebit, ipsum contractum confirmandi vel infirmandi, in plenaria Ordinis potestate.

10. Abbati de Landavalle committitur potestas inquirendi et informandi de quodam contractu inito inter abbatem et conventum monasterii de Begario ex una, et nobilem virum Ludovicum Loz ex alia partibus, cui praesentes ... *etc. ut supra.*

11. Abbatibus de Ursicampo et de Septem fontibus, et cuilibet eorum in solidum, committitur potestas inquirendi et informandi de commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum de Frigidomonte ex una, et honorabilem virum Anthonium Naquet agricolam, cui praesentes ... *etc. ut supra.*

12. Abbati de Frigidomonte committitur potestas inquirendi et informandi de commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo ex una, et honorabiles viros Matheum Escurey et Iohannem Billam ex altera partibus, cui praesentes ... *etc. ut supra.*

13. Abbatibus de Frigidomonte et Bullencuria, et cuilibet eorum, committitur potestas inquirendi super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum monasterii de Claravalle et fratrem Renatum Damoncourt, priorem de Burgo Sanctae Mariae, partibus ex altera, cui praesentes ... *etc. ut supra.*

14. Abbatibus de Claravalle, de Frigidomonte et de Bullencuria, et cuilibet eorum, committitur potestas inquirendi super commodo vel incommodo cuiusdam contractus seu appunctuamenti initi inter nobilem virum dominum Iohannem Damoncourt commendatarium monasterii de Longovado, eiusdemque loci conventum ex una, et Philippam Bourcier viduam relictam Desiderii Jacquenet de Beraulles et alios in praedicto contractu contentos ex altera parte, cui praesentes *etc. ut supra.*

COMMISSIONES AD CORRIGENDUM

15. Abbatibus de Valcellis, de Villari et de Loco Sancti Bernardi, praesens generale Capitulum committit potestatem adeundi monasterium de Alna et inquirendi ibidem de excessibus perpetratis a quibusdam eiusdem monasterii religiosis in coadiutorem dicti monasterii, et secundum quod aequitatis ratio suadebit, omnia ibidem corrigendi et componendi, in plenaria Ordinis potestate.

16. Cum iuris et rationis unicuique iustitiam praebere, quamvis diligat misericordiam et iudicium Dominus, iustitiae eius tamen sit plena terra, cumque nimia facilitas veniae incentivum praebeat delinquendi, praesens generale Capitulum visis informationibus factis de vita et gestis fratris Stephani Peuvereux, religiosi de Nigrolacu,

alias de Domo Dei, Bituricensis dioecesis, declarat et diffinit illum depositum ab omni officio praefati monasterii et non restituendum usque ad aliam generalis Capituli dispositionem, puniendumque, processu suo viso et peracto per R. P. D. abbatem de Pratea, secundum quod suorum exiget iustitia delictorum, et dicto abbati visum fuerit, prout ratio postulabit et suadebit, in plenaria Ordinis potestate.

17. Visis informationibus factis per R. P. abbatem monasterii Ursicampi contra religiosos monasterii Belliprati, in Belvacensi dioecesi, a dicto monasterio Ursicampi immediate dependentis, praesens generale Capitulum eidem R. Patri dat potestatem et auctoritatem puniendi et corrigendi omnes religiosos dicti monasterii de Belloprato, secundum statuta et sanctiones Ordinis Cisterciensis non viventes, et eosdem si opus fuerit, ad alia dicti Ordinis monasteria transferendi, ibidemque eorum loco alios religiosos deputandi ad divinum officium faciendum, expensis tamen dicti monasterii de Belloprato, et hoc secundum statuta et diffinitiones Ordinis toties quoties opus erit, ac donec et quousque aliter per dictum Capitulum generale ordinatum fuerit, in plenaria Ordinis potestate.

18. Abbati de Quinciaco, priori de Pontigniaco, s. th. pr., et priori de Eschallariis, et cuilibet eorum in solidum, committitur potestas, audita prius prioris, ceterorumque officiariorum regularium eiusdem monasterii, in Senonensi dioecesi, querimonia nobisque et Capitulo generali supplicatione ab eisdem praesentata, emendandi, puniendi et corrigendi omnes defectus, quos in religiosis supradicti monasterii invenerint, et eos cogendi ad omnes observantias et constitutiones eiusdem ordinationis observandas luemque proprietatis maxime exterminandi, et sub poenis et censuris iuris et eiusdem Ordinis, rebelles quoque supradictis et contradictores excommunicandi, incarcerandi, et si opus sit, transferendi, in plenaria Ordinis potestate.

CONFIRMATIONES

19. Contractum, cui praesentes annectuntur, initum et transactum inter Rmum D. N. Cisterciensem et conventum eiusdem ex una, et nobilem virum dominum Henricum Colin, Parlamenti Dolani consiliarium, ex altera partibus, super quadam domo et viridario et appendentibus, sitis in oppido Dolano, ad relationem abbatis de Monte Sanctae Mariae ad id specialiter commisso, super utilitate seu damno huiusmodi contractus, praesens generale Capitulum confirmat in plenaria Ordinis potestate.

20. Contractum initum inter abbatem et conventum monasterii de Claravalle ex una parte, et honorabilem virum Lupinum Le Barbier, civem et mercatorem Trecensem, ex altera parte, cui praesentes

annectuntur, ad relationem domini abbatis de Bullencuria ad informandum de commodo vel incommodo eiusdem specialiter deputati, *etc. ut supra.*

21. Visa et audita relatione ex informatione facta per priorem de Pontigniaco, s. th. pr., specialiter deputatum ad informandum de commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum monasterii de Quinciaco, et honorabilem virum Franciscum de Baulrey, cui praesentes annectuntur, *etc. ut supra.*

22. Audita relatione domini abbatis de Claravalle super inquisitione commodi vel incommodi cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum monasterii de Camberone, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum ipsum contractum approbat, confirmat et ratificat in plenaria Ordinis potestate.

23. Cum nobis certo constet fratrem Marcum abbatem B. M. V. Bellaevallis, in Bisuntina dioecesi, fuisse, fore et esse ad causam suae dictae abbatiae immediatum patrem abbatem abbatiae Lucellensis, praedicti nostri Ordinis in partibus Germaniae et dioecesi Basileensi, ipsamque abbatiam Lucellensem a quodam fratre Nicolao Rosberg in eadem intruso minime debite ac praeter ius, prout nobis per dictum patrem abbatem expositum extitit, detineri, nec pateat dicto patri abbati facilis sive tutus ad dictam abbatiam accessus, ipsumque intrusum esse difficilis conventionis, Capitulum generale permittit et impertitur eidem abbati Bellaevallis immediato patri abbati praedicto omnimodam potestatem, facultatem et licentiam dictum Rosberg intrusum in ius super sui ipsius patris abbatis iuribus, omnibus melioribus modo, via, iure, formaque et causa, quibus melius et efficacius poterit coram quibuscumque iudicibus, et in quibuscumque iudiciis spiritualibus et temporalibus, quacumque auctoritate fungentibus et functuris, pro cuius patris abbatis voto eligendis, vocandi et conveniendi ac ius suum in hac parte consummate et ad diffinitivam usque inclusive prosequendi et exsequendi, in plenaria Ordinis potestate.

24. Audita relatione abbatis de Quinciaco super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum monasterii Cistercii ex una, et honorabilem virum magistrum Odonem Colard, procuratorem in curia Divionensi, ex alia partibus, cui praesentes annectuntur, qui quidem abbas de Quinciaco ad hoc specialiter fuerat deputatus, praesens generale Capitulum approbat, *etc.*

25. Audita relatione abbatis de Quinciaco super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatem et conventum monasterii Cistercii ex una, et honorabilem virum Sebastianum Trouaille, loci de Divione, ex altera partibus, cui praesentes, *etc.*

CONFIRMATIO ELECTIONIS

26. Viso per nos et diligenter examinato electionis decreto, cui nostrae praesentes annectuntur, quo constat fratrem Iohannem Roset, abbatem de Iardineto, fuisse electum in abbatem et pastorem monasterii de Valcellis, in Cameracensi dioecesi, ab omnibus dicti monasterii de Valcellis religiosis unanimiter Spiritus Sancti via, dictam electionem cum omnibus inde secutis ratam et gratam habendo per praesentes confirmanus, ratificamus et approbamus, eidem confirmationis robur adiicientes, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES AD REFERENDUM

27. Abbatibus de Quinciaco et de Leziniis, et cuilibet eorum in solidum, committitur potestas ad informandum et inquirendum de commodo super transactione facta de silva Sancti Petri, alias Les usages de Vensy, per Rmum D. cardinalem Bellayum, abbatem commendatarium monasterii Pontigniaci, in Antissiodorensi dioecesi, et conventum eiusdem monasterii, cum nobilibus viris dominis de Vensy, necnon et referendum de his quod invenerint, secundum quod iuris erit et aequitatis, in plenaria Ordinis potestate.

28. Praesens generale Capitulum committit et deputat reverendos patres abbates monasteriorum de Frigidomonte in dioecesi Belvacensi, et de Valcellis in dioecesi Cameracensi, et eorum quemlibet in solidum, super utilitate vel incommoditate cessionis ad certum censum annuum domus scilicet Iuliani Le Pauvre vulgariter nuncupatae, per abbatem et conventum monasterii Ursicampi in Noviomensi dioecesi, Dionisio Bault et Margaretae Bouquet, eius uxori, factae, eisdemque iniungit informationes reportare ad proximum Capitulum generale ad ordinandum inde quod iuri et rationi consonum videbitur, in plenaria Ordinis potestate.

29. Auctoritate Capituli generalis committuntur R. P. abbates monasteriorum de Frigidomonte et de Valcellis, et eorum quilibet in solidum, cum potestate substituendi, ad se informandum super commoditate vel incommoditate traditionis ad censum annuum domus et molendini loci de Bonnet per abbatem et conventum monasterii Ursicampi, Laurentio Villequey factae, et huiusmodi informationes reportandum ad proximum Capitulum generale, ad ordinandum quod iuris et rationis erit, in plenaria Ordinis potestate.

30. Praesens Capitulum generale cum potestate substituendi R. P. abbates monasteriorum de Frigidomonte et de Valcellis, et eorum quemlibet in solidum, committit ad informationes faciendum super commodo vel incommodo cuiusdam escambii faciendi inter Rmum D.

cardinalem de Lenoncourt tamquam abbatem commendatarium monasterii de Belloprato ac conventum eiusdem monasterii ex una, et abbatem et conventum monasterii Ursicampi partibus ex altera, et ad huiusmodi informationes reportandum ad proximum generale Capitulum, ad postmodum ordinandum quod de iure faciendum videbitur, in plenaria Ordinis potestate.

31. Abbatibus de Valcellis, de Signiaco et de Valle clara, et cuilibet eorum committitur potestas inquirendi et informandi super commodo vel incommodo quorumdam conctratuum factorum et faciendorum per abbatem commendatarium monasteriorum de Fusniaco et de Boheriis ac conventus eorumdem de quibusdam terris, domibus, praediis et aliis huiusmodi, in terminis Picardiae, praesertim versus Hanoniam situatis ad praedicta monasteria pertinentibus, ex quibus quaedam ad multos annos data sunt ad firmam, sicut apud eos consuetum est, et si praedicti voluerint secum assumere ad hoc negotium convenientius peragendum aliquos viros saeculares permittitur, quod si praedicti aut eorum aliqui sive aliquis invenerint seu invenerit dictos contractus aut aliquem eorum in praedictorum monasteriorum aut eorum alterius utilitatem fore, ad proximum generale Capitulum referatur, in plenaria Ordinis, potestate.

COMMISSIONES AD VISITANDUM

32. Abbatibus de Morimundo et de Crista et eorum cuilibet praesens generale Capitulum committit potestatem se conferendi ad monasterium de Escureyo, in dioecesi Tullensi, ibidemque visitandi, reformandi, corrigendi, puniendi, emendandi, instituendi et destituendi, in spiritualibus et temporalibus, ac ibidem faciendi omnia et singula, quae ad visitationis officium fuerint necessaria, seu quomodolibet opportuna, praecipiendo omnibus dicti monasterii personis, quatinus illis in omnibus pareant et devote obediant, in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbatibus de Loco crescenti et de Monte Sanctae Mariae, et cuilibet eorum, praesens generale Capitulum committit potestatem se conferendi ad monasterium de Caroloco, in dioecesi Bisuntinensi, ibidemque visitandi, *etc. ut supra.*

REHABILITATIO

34. Quia per plures annos frater Ioannes Chardonet, monasterii Pontigniaci expresse professus, per saeculum absque superiorum suorum licentia evagatus est, et innodatus censura excommunicationis celebravit, praesens generale Capitulum ad supplicationem prioris Pon-

tigniaci eiusdem fratris poenitentiam cognoscens, ab omnibus eum excessibus et irregularitatibus absolvit, ita ut praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis gradus, actus, voces, officia et dignitates admitti possit et valeat, omnibus nostri Ordinis regularibus personis sub poena talionis inhibendo ne illi praemissorum occasione quicquam obiicere seu improperare praesumant, in plenaria Ordinis potestate.

CONTRACTUS RESCISSIO

35. Praesens Capitulum generale abbati et conventui monasterii Ursicampi dicti Ordinis, in Noviomensi dioecesi, dat et concedit tam in iudicio quam extra, et ubi opus erit, licentiam seu facultatem petendi, prosequendi et obtinendi quemdam contractum per eos initum seu factum cum Eligio de la Vaquerie et Maria Blatier eius uxore, et Anneta de la Vaquerie eorum filia, super domo vulgariter dicta de la Malemaison, rescindi et eorum monasterium ob huius contractum laesum in integrum restitui, non obstante iuramento per eos forsan desuper praestito, super quo idem Capitulum dispensat cum eisdem abbate et conventu, et eos absolvit in quantum opus erit ab eodem, in plenaria Ordinis potestate.

PRO COLLEGIO PARISIENSI

36. Generali Capitulo visum est, ob multa contracta debita pro collegii Sancti Bernardi Parisiis aedificiorum instauratione et reparatione, quinquaginta solum libras quibuscumque annis usque ad persolutionem debitorum eiusdem collegii pro stipendiis magistri regentis, sententiarii et biblici, videlicet pro magistro regente viginti quinque, pro sententiario quindecim et pro biblico decem, si praedicti suum in eodem collegio manentes exercuerunt officium, a procuratore collegii distribuendas et primum his, qui praesenti anno huiusmodi functi sunt officio, aliis quoque postmodum ac ceteris debitis eiusdem collegii persolutis, quibus olim ob pecuniarum inopiam non satisfactum est, idem generale Capitulum, ut antea moris fuit, ex integro satisfaciendum instituit, in plenaria Ordinis potestate.

37. Quam utilis recta educatio, aut perniciosa mala sit, quotque multorum et grandium malorum causa sit a suis legibus recessisse, norunt omnes, qui et sacras et profanes litteras et historias legerunt, quod et recte idipsum experimento cognoscimus nostris maxime temporibus, tum alibi tum in nostro collegio Sancti Bernardi Parisiis contigisse. Quamobrem praesens generale Capitulum ad reformandos eiusdem collegii abusus hanc fecit diffinitionem, videlicet, quod provisori supradicti collegii ceterisque ibidem scolasticis morantibus, atque

in posterum moraturis, praesens generale Capitulum districtissime praecipit ad integrum eiusdem collegii statuta servari, vitiosos emendare et corrigere, et rebelles ac contumaces supradictorumque contradictores sine spe reversionis a praedicto collegio expellere, maioribus eiusdem collegii imperando eidem provisori in omnibus adesse, et illi favorem praestare, idque collegium reformandi ab eodem generali Capitulo abbati de Belloprato, s. th. pr., in Tullensi dioecesi, et abbati de Frigidomonte in Belvacensi dioecesi, et cuilibet eorum in solidum potestas committitur, in plenaria Ordinis potestate.

ABSOLUTIONES

38. Visis exhibitis per abbatem de Clarofonte super quodam negotio inter R. P. D. abbatem de Morimundo ex una, ratione cuiusdam citationis ab eo emissae, et dictum abbatem de Clarofonte citatum ex altera partibus, commissioneque super huiusmodi negotio a Rmo nostro Cisterciensi concessa, praesens generale Capitulum non putat praefatum abbatem Clarifontis aliquam incurrisse ratione praetensae contumaciae, excommunicationis sententiam, et in quantum aliqua foret, quod non arbitratur, ipsum ab eadem absolvit et absolutum declarat, in plenaria Ordinis potestate.

39. Visa supplicatione religiosorum conventus monasterii de Fonteneto, qua nobis exposuerunt, se quandoque consensisse alienationi plurium haereditatum, utpote praediorum dictorum de Ringes, de Fontainnes, les Senches et de Plancy, quam quidem alienationem cognoscunt et asserunt cedere in grave damnum et praeiudicium dicti monasterii ; propterea volentes consulere utilitati ipsius monasterii unumquemque religiosum dicti monasterii absolvimus a praestito iuramento super contractibus, hac de causa factis, volentes et dantes eis potestatem procurandi per omnes iuris et iustitiae vias rescissionem omnium et singulorum contractuum super hoc confectorum et ipsius alienationis, in plenaria Ordinis, potestate.

COMMISSIONES

40. Abbati de Sancto Sulpitio, aut ab eo substituendo committitur potestas compellendi per Ordinis nostri censuras et poenas, ac per omnes iuris et iustitiae vias, omnes personas monasterii de Chassenia, et omnes alias ad quas pertinebit, ad constituendum et ponendum in dicto monasterio tot religiosos quot sufficiens et expediens est pro debita divini servitii persolutione, conformiter ad intentionem sanctae matris nostrae Ecclesiae et fundatorum, in plenaria Ordinis potestate.

41. Praesens generale Capitulum ordinat et instituit fratrem Bap-

tistam de Caqueranis, religiosum Sanctae Mariae de Stafarda, in dioecesi Saluciarum, Reverendissimi vicarium in omni Sabaudia et Italia, generalem procuratorem totius ipsius nostri Cisterciensis Ordinis, tam in romana Curia quam alibi, dantes illi tenore praesentium auctoritatem et potestatem procurandi, in absentia tamen abbatis Sancti Sebastiani ad Catacumbas, nostri generalis procuratoris, et omnia agendi et faciendi tam pro ipso Ordine, quam personis eiusdem utriusque sexus, quae procuratores facere possunt et debent, et quae personae pro quibus procurabit facerent et facere possent si praesentes essent, necnon et quaecumque praedicti nostri Ordinis generalis procurator abbas Sancti Sebastiani facere potest, non minus quam si omnia ad procuratoris officium debite exercendum requisita essent in praesentibus specialiter et nominatim expressa, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

42. Praesens generale Capitulum visa supplicatione magistri Iohannis Le Roy, domini de la Cortine, in decretis baccalarii, committit auctoritatem domino de Morimundo cognoscendi et decidendi de lite forsan movenda inter eumdem et abbatem de Theoloco, ratione cuiusdam pecuniarum summae, quam idem magister Iohannes Le Roy asserit sibi a praedicto abbate de Theoloco deberi, et veritate sufficienter cognita cogendi praedictum abbatem de Theoloco per omnes iuris et iustitiae vias ad faciendum quod iuris et rationis, in plenaria Ordinis potestate.

43. Abbatibus de Barbereyo et de Thorigniaco committitur potestas inquirendi de controversia mota inter fratrem Christoforum Fremin et priorem Savigniaci, necnon ad decidendum de eadem controversia, in plenaria Ordinis potestate.

RESPONSIO

44. Quia nunc propter temporum discrimina paucae admodum levantur contributiones, quibus minime satisfieri potest oneribus Ordinis Cistercii debitis et aliis huiusmodi, praesens generale Capitulum ordinat quod cum commodior temporis opportunitas advenerit, de pecuniis contributionum satisfiet, illaeque debentur domino abbati et conventui de Firmitate, in plenaria Ordinis potestate.

SUFFRAGIA

45. Frater Iohannes, etc. Diffinitores, etc. Illustri ac magnifico domino Nicolao Perenot, domino de Grandivilla, necnon et genero-

sissimae dominae Nicoletae Bonvalot, eius uxori, eorumdem quoque liberis, salutem in Domino Iesu, et piorum suffragiorum meritis et precibus gratiam et vitam promereri sempiternam. Etsi mater omnium virtutum, charitas, nos pro omnibus astringat orare, hocque beneficio reddat devinctos, munera tamen et magna benefactorum obsequia maiori nos vinculo illis devinciunt, qui Ordini nostro, locis et personis eiusdem particulari quadam humanitate et benevolentia affici dignoscuntur. Itaque exigente vestrae charitatis obsequio, quo studium vestrum et labores ad sacrum Ordinem nostrum universum in dies defertis, sicut ipsa rerum experientia cognovimus, ideo quia dominationi vestrae aequivalentes reddere debitasque gratiarum actiones persolvere non valeat totus Ordo, nos tamen id quod possumus permixta devotione exsolventes de Omnipotentis Dei infinita confisi misericordia, vobis omnium bonorum spiritualium, utpote missarum, *etc. ut in forma consueta.*

46. Ad idem, fiat pro insigni ac spectabili viro magistro ac domino ... Soudran, in curia Parlamentea ducatus Burgundiae aequissimo ac sapientissimo praeside, suaque conthorali castissima, omnibusque eorum liberis, etc.

47. Ad idem, fiat pro christianissimo, insigni ac spectabili viro, magistro ac domino ... Patharum in curia Parlamentea ducatus Burgundiae aequissimo ac sapientissimo primo praeside, suaque conthorali castissima, eorumque liberis, etc.

48. Ad idem, fiat pro nobili ac spectatissimo tum et scientifico viro magistro ... Bryer in curia suprema seu Parlamenti Burgundiae consiliario aequissimo, eiusque conthorali castissima et eorum liberis, etc.

49. Ad idem, fiat pro nobili et sapientissimo, tum et scientifico viro, magistro Iohanni Terrand, in curia suprema Parlamentea Burgundiae consiliario aequissimo, eiusque conthorali castissima, et eorum liberis, etc.

50. Ad idem, fiat pro nobili et spectatissimo, tum et scientifico viro, magistro Stephano Berbisey in curia suprema seu Parlamentea Burgundiae consiliario aequissimo, eiusque castissima conthorali, et eorum liberis, etc.

51. Frater Iohannes, etc. totusque conventus abbatum Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, etc. Rerevendissimo in Christo patri et domino, domino Anthonio Perenot, episcopo Atrebatensi, etc. Salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Quamvis divinae charitatis lege ad intercedendum pro omnibus generaliter teneamur, pro illis tamen multo singularius astringimur, qui Ordinis nostri fautores et amatores sese probant. Eapropter exigente piae devotionis affectu, vobis tenore praesentium concedimus et impertimur communicationem plenissimam et omnimodam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, *etc. ut in forma consueta.*

* * *

52. Nos frater Iohannes, abbas, etc. et est talis : Cum ad conservationem cuiusque reipublicae, concordia sit potior pars et magis necessaria, per quam etiam res parvae crescunt ; nihil autem tam perniciosum quam discordia, per quam etiam res maximae dilabuntur. Unde et antiquissimo Ordinis statuto, quod *Charta charitatis* vocari voluerunt priores patres, qui eumdem Ordinem fundavere, sanxerunt, ut supra charitatem, quae Deus est, et vera petra firma fundatus diutius perseveraret, et impulsum, quorumcumque sive inundationum, sive agitationum firmius repelleret. Inimicus tamen homo, qui nunquam ab impugnatione fidelium quiescit, in sacram domum Cistercii zizaniam discordiarum superseminare attentavit, nec tamen oblitus est Dominus Ecclesiae suae et Ordinis nostri ; sed qui inspirator est pacis et concordiae Deus, cordibus tam Reverendissimi nostri Cisterciensis, quam suorum filiorum religiosorum Cistercii infudit, ut conventus Cistercii die vicesima quinta huius mensis supplicationem nobis porrexit cuius tenor sequitur et est talis. Reverendissimo in Christo patri et domino, domino nostro abbati Cistercii, s. th. pr., ceterisque reverendis patribus huiusce Capituli generalis supplicat humiliter conventus Cistercii dolens et aegre ferens controversiam, quae inter eumdem Reverendissimum ac praefatos supplicantes suborta est occasione cuiusdam processus, eo quod in animarum maximum dispendium huius sacrae domus Cistercii iacturam totiusque Ordinis, et ecclesiis scandalum maxime cedat, quatinus placeat vobis reverendis patribus eumdem Reverendissimum dominum nostrum precari et quibus poteritis precibus flectere, ut nobis de victu et vestitu, ac ceteris necessariis secundum laudabilem consuetudinem et antiquum ritum huius sacrae domus hactenus observatum ab eius praedecessoribus, tam in faciendis correctionibus quam aliis nonnullis rebus, quae si vobis libeat, reverendi patres, paucis articulis concludemus, ut per vestram intercessionem lis eadem non contentiose sed amicabiliter terminetur, promittens idem conventus promptam eidem Reverendissimo obedientiam, qualem pio patri et filiorum saluti novit impendere ; et si quid ab aliquo nostrum qui sumus eius filii humillimi commissum est, unde fuerit offensus, precamur quamobnixe possumus ut dignetur condonare et nobis esse in patrem, qui semper sumus parati illi esse in filios, et ubi, quod absit, aliqua partium nollet parere dictis vel decretis dominorum commissariorum deputandorum, liceat parti acquiescenti libere, impune et absque incursu censurarum recurrere ad iudicium saeculare. Sic signatum : de Normanville et de Divione.

Qua visa, idem Capitulum generale suppliciter et obnixe rogavit praefatum Reverendissimum dominum, ut lis et controversia omnis inter eos exorta amicabiliter terminaretur et non contentiose ; et si quid a quoquam eiusdem conventus, qui se suos humiles filios fatentur, fuerit commissum, quod suam reverendissimam Paternitatem offenderit, dignaretur condonare et se filiis patrem exhibere, qui eum ut patrem reverentur et revereri decernunt. Cui quidem petitioni benigne annuens idem Rmus dominus se et omnem condonare offensam et filios suos paterno sinu obviis manibus suscepturum spopondit, eisque quoad vixerit et affectum patris indulturum,

et quae eis in spiritualibus et temporalibus erunt necessaria pro viribus et facultate ecclesiae Cisterciensis exhibiturum. Et quia pro victu, vestitu et ceteris necessitatibus tam spiritualibus quam temporalibus dicebat idem conventus se nonnullos exhibere velle articulos, tres ex Diffinitoribus deputavimus,qui ab eodem scistitarentur,si quid haberet ultra praedictam supplicationem proponendum. Cui quidem inquisitioni satisfacientes, alteram supplicationem die sequenti vicesima sexta eiusdem mensis in hunc obtulerunt modum : Reverendis in Christo patribus, dominis abbatibus et Diffinitoribus Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, vestri humiles filii religiosi conventus Cistercii, ut veri obedientiae filii in omnibus vobis parere et obtemperare cupientes,necnon se filios perhumiles suo Rmo in Christo domino abbati Cistercii exhibere et praestare exoptantes a vobis hoc unum suarum animarum saluti pernecessarium observant, dignemini pacem componere inter ipsum et Rmum et nos filios eius, qui in cunctis eidem Rmo obedire sumus paratissimi, sperantes quod sua benignitate et clementia, vestraque omnium prudentia, ut proprios natos et filios tractabit, quemadmodum ipse suo tempore educatus est et vidit nostros seniores nutriri in copiosissimo religiosorum numero, qui se invicem supportantes optimo animo et alacri servitium divinum persolvebant,qui excitabantur ad virtutem et honestatem decenti et necessario habitu, tum victu sufficienti aeri huius domus et prolixitati servitii. Qui denique dum delinquerent in hac domo et non alibi corripiebantur. Item, placeat vestris reverendis paternitatibus et suadere ipsi Rmo domino nostro tradere in manibus aliquorum ex vobis informationes et processus factos contra quoscumque religiosos huius vestri monasterii Cistercii, qui secundum delictorum exigentiam poterunt eos punire, easdemque informationes igni tradere, tandemque eidem Rmo nostro lubeat persolvere pecuniam expositam in prosecutione processus contra dominum consulem et commissarium, magistrum Claudium Bourgeois. Quae si dignabitur vestra paternitas exsequi, Deum pro vestra omnium incolumitate exorabimus. Sic signatum : de Normanville, et de Divione. Post cuius lectionem iussi sunt omnes religiosi eiusdem domus professi ad diffinitorium nostrum accedere, qui comparentes et interrogati, an omnes illic praesentes adessent, et se omnes illic esse qui pro tempore in monasterio degerent declarantes, dempto fratre Francisco de Normanville, qui easdem supplicationes proprio manuali signo munierat, febre tamen detentus tunc temporis interesse non poterat. Rursum coram eisdem lecta praefata supplicatione interrogati, an iussu eorum fuisset haec et prior porrecta, et an easdem et in eis contenta rata haberent ; unanimiter annuerunt humiliter deprecantes omnia et singula in eisdem supplicationibus contenta fieri. Super quibus audito Rmo domino nostro, qui se nedum ea quae die praedicto dixerat et superius inserta sunt, verum et quae in posteriori quoque supplicatione continentur adimpleturum promisit, ad cuius effectum inter manus abbatis de Belloprato, s. th. pr., informationes et processus factos contra aliquos ex religiosis eiusdem conventus posuit remittens eis, quod ad se attineret omnia commissa, et rogans a nobis omnia quoque eisdem misericorditer condonari et remitti omnem poenam et culpam, et eosdem

suos religiosos extentis brachiis paterno affectu suscipiens, eisdem pollicitus est omnimodum pium patris affectum, curam ac sollicitudinem, etiam usque ad propriae vitae expositionem, quoad vixerit largiturum. Ipsi quoque religiosi humiliter et debite omnem filialem obedientiam et reverentiam quoad vixerint, se eidem Rmo domino praestituros libere professi sunt. Cui quidem paci et concordiae congaudens praesens... (Nota quod folium sequens n° 19 et cetera continens ac referens desit).

LITTERAE AD IMPERATOREM

53. Sire, nous serions très grandement repris d'ingratitude, mère de tous vices, si les bienfaits que de votre bénignité et clemence très sacrée Majesté a toujours impartis à votre ordre de Cisteaux, suivant la trace de très heureuse mémoire nos bons seigneurs vos prédécesseurs, fondateurs, augmentateurs et conservateurs dicelles ne nous estoient en perpetuelle commemoration d'histoires, vous Sire, le demonstrez, par vraye expérience signamment et recemment au fait de l'abbaye de Vaucelles, qui nous est tant plus obligation accroissante aux aultres tres grandes, que donne la cognoissance de la haute bonté, clemence et justice, dont précellez tous autres princes, et reluisez entre eux comme le soleil entre les estoilles; de quoi, Sire, vos subjets se doivent réputer heureux d'être en ce tems et sous majesté né, et nous reputans de nombre diceux très humblement requerons la divine clémence vous a cest effect longuement conserver.

Sire, avec ce que déjà avez par sincère affection ledit monastère de Vaucelles pour recommandé et l'abbé dicelle nommé frère Jean Roset religieux de son jeune âge en votre dit ordre de Cisteaux, canoniquement pourveu de ladit abbaye et par election, qu'est la vraye entrée et porte aux benefices, de quoy, Sire, encores vous supplions avec toute l'humilité à nous possible requerons à votre dite Majesté avoir votre dit ordre tant au chef qu'aux membres en très favorable recommandation. Et vous trouverez, Sire, qu'en notre vie se conformans à vertus comme le désirez, ne cesserons de supplier le Créateur de toutes choses pour la prospérité de votre noble Majesté et des vôtres, lequel très humblement requerons en icelle vous longuement conserver. De votre Définitoire du Chapitre general tenu à Cisteaulx ce penultième de may 1546. Soubscriptum : vos tres humbles et tres obéissants subjets et orateurs les Chapitre et Définiteurs de l'ordre de Cisteaux. Superscriptum : A l'Empereur.

[ALIAE LITTERAE]

54. Sanctissimi, illustrissimi, reverendissimi et potentissimi principes ac domini.

— Cum noster Ordo Cisterciensis in vinea Domini floruerit tum devotione tum religione et charitate id efficit congruentes idoneos religiosos, et praefatae religionis zelatores in eadem vinea Domini pastores rite, canonice ac sancte praeficiendo electionis potestate eidem concessa et libertate sibi semper conservata, quibus caput a membris secernitur et idem

corpus naturae rerum instar, quae ordine quodam miro, et pulcherrima varietate distincta per medios quosdam gradus resurget; sic militantis Ecclesiae, ad illius exemplar, religioque praefata carebit ordine, nisi ea ad capita deligenda membris potestas inconcussa relicta sit; per eam docti, et sancti patres multiplicati sic christiana respublica ad devotionis augmentum invitata pie, iuste ac sincere in fide nostra perseveravit catholica. Verum ubi mercenarii religionis nostrae inexperti monasteriis nostri Ordinis praefecti sunt, accidit quod Dominus in evangelio Iohannis decimo vaticinatus est inquiens, quod mercenarius et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, ubi lupum cernit venientem, oves dimittit, fugit, et lupus rapit et dispergit oves, quoniam ad eum non pertinet de ovibus; inde sequuntur scandala, indevotiones, irregularitates, haereses, apostasiae et alia infinita in totius christianitatis et religionis nostrae perniciem et iacturam. Id, sanctissimi, illustrissimi, reverendissimi, protentissimi principes ac domini, ne sic ibi ... tum propter alia tum propter Valcellense monasterium Ordinis nostri in Cameracensi dioecesi, in quo ad oves illius monasterii regendas praefectus fuit in pastorem frater Iohannes a Rosa, nostrae religionis alumnus, canonica electione ac secundum sanctiones, statuta et Ordinis nostri privilegia. Quam electionem, cum in ea nullum vitium sive in materia sive in forma, primum pater abbas dicti monasterii immediatus, ut moris est, tandem nos, Diffinitores humillimi vestri oratores, inveniremus, confirmavimus, atque prius per sanctiones imperiales manutentus in possessione et multis decretis fultus a Caesare ne molestaretur et inquietaretur, ac lis pendeat in eodem consilio imperii indecisa inter Rmum dominum Cameracensem et dictum Iohannem a Rosa. Nihilominus R. P. D. Petrus Vorsatius, episcopus Aquensis, auditor Rotae, monasterium ipsum Valcellense, nunquam commendatum, et cui rite, ut dictum est, provisum impetravit eo colore quod Pontifex reservet omnia beneficia excedentia valorem ducentorum florenorum, dicatque ipsum vacare per obitum et die quarta mensis ianuarii facta sit impetratio, electio autem et confirmatio dicti Iohannis a Rosa die duodecima mensis decembris praeteriti. Eapropter rogamus, et ea humilitate qua decet supplicamus S. M. R. P. Dominationibus vestris, ut admoneant, hortenturque praefatum D. D. Petrum Aquensem, ut suam citationem, revocare et dictum abbatem Valcellensem nec inquietare nec molestare, sed si quid iuris in praedicto monasterio praetendat in dicto imperii consilio, ubi causa iam mota est, prosequatur. Supplicamus itidem omnes S. I. R. D. D. velint defendere immunitates, privilegia et libertates Ordinis ac tueri, in hoc Deo quod gratissimum est, et nos fundemus pro dignitatibus vestris preces assiduas ad Dominum, qui illas in perpetuum conservare dignetur. Ex diffinitorio nostro Cistercii, vicesima quarta maii 1546.

55. Sanctissimo ac Beatissimo domino nostro, domino Paulo Pontifici maximo. — Ut ea B. P. corporeis cernimus oculis beneficia quae quotidie per superiorum corporum influxum, in inferioribus fieri sentimus, quo cessante cessabit et utilitas, quam inde consequimur, ita spiritualibus oculis videmus ea quae quondam S. R. Pontifices suo Cisterciensi Ordini contulerunt privilegia, quamdiu fuere observata, tamdiu sacrum Ordinem

Ex Archivo Trecensi 3 H, 145; ann. 1601.

in robore continuasse, ob vero non observata labefactari, quae privilegia quamvis confirmaverit Sanctitas Tua, impietas tamen hominum ea abolere nititur, ni provideas. Periclitanti igitur ac pessum prope labescenti succurrere tuo Cisterciensi Ordini, quod commode faciet Tua Sancta Beatitudo si prohibeat officiariis suis, ne quid in illorum praeiudicium fiat quo maioris militis tranquillitate uberiores in domo Domini fructus afferat, ac pro salute Sanctitatis Tuae clementissimum Deum orare valeat, ut semper facit et pro statu sacrosanctae Ecclesiae romanae. Ex diffinitorio, etc.

56. Rmo in Christo patri et domino cardinali Trivultiis, Cisterciensis Ordinis protectori. — Quemadmodum officiosi animi est plura velle debere de se benemerito, ita et nos, Reverendissime in Christo pater et domine, in pluribus tibi devincti maiora in dies a te sperantes tamquam ad asylum confugimus, cui sciamus pro magnitudine dignitatis, auctoritatis et officiosae benevolentiae ius et iniurias omnes Ordinis curae esse, quare freti oramus, ut ad nos pro tua singulari benignitate tuos pientissimos oculos convertas, nobis subvenias et ad iuvandum nos respicias quanto in periculo per imminentes haeresum procellas et artificiosam quorumdam avaritiam, qui ius phasque confundunt, versemur sicut ad nos perlatum est, duobus monasteriis in partibus Hispaniae existentibus Ordinis nostri quae a nobis secesserunt, S. P. auctoritate interveniente, quod est contra privilegia per S. S. praedecessores concessa ac per S. S. Cisterciensi Ordini confirmata, quod cum ad aures nostras pervenit doluimus supra modum, et de electionibus abbatum, quae quotidie impediuntur ut illa abbatis Valcellensis, voluimusque tuae Reverendissimae paternitati indicare cum umbra alarum tuarum hactenus delituerimus. Nunc ob hoc ad te prodeuntes, quod privilegia, libertates et immunitates Cisterciensis Ordinis protegas, tuearis et defendas, curesque ut S. D. N. prohibeat officiariis suis, ne quid in illorum praeiudicium admittant. Scimus quidem, id non esse otiosi hominis munus, quod si nos adiuveris, si eadem privilegia pristino nitori restituere curaveris, non ligabimus os bovi trituranti fruges in area, sed de eisdem, quas Dominus Deus daturus erit nobis, pro viribus pensabimus laborem. Dominus autem erit merces tua magna nimis. Bene vale, Reverendissime in Christo pater et domine. Ex diffinitorio, etc.

57. R. D. abbati Sancti Sebastiani procuratori et confratri nostro, Romae. — Boni pastoris officium esse non perdere quicquam ex sibi commisso grege, nullus ambigit, cum Christus in evangelio palam expresserit. Quare cum perlatum ad nos fuisset monasteria fuisse nobis substracta in Hispania, quotidieque impediri electiones abbatum, ut Valcellensis, doluimus vehementer multis nominibus. Primum quod factum fuerit interveniente S. P. auctoritate; secundum quod contra Ordinis privilegia, tertium quod nobis non vocatis, quartum quod te non opposueris ; satis siquidem persuademus, si te opposuisses, si item privilegia Rmo domino protectori nostro indicasses, S. P. non permisisset nostra membra distrahi nec transfugere a nobis, quin potius sub suis ducibus militare coegisset. Intelleximus tandem tunc temporis te in Italia non fuisse. Id quod leniit dolorem, quem inde conceperamus, lenies tamen magis, si

Rmo protectori nostro persuaseris, ut id indicet S. P. et mala quae inde possunt provenire explicet. Olim per Turcam in diversis regnis perierunt multa monasteria, haereses nunc perdiderunt multa, non pauciora commendae, quod si subtrahantur quae restant, iam non erit Ordo, sed sedebit sola civitas plena populo, erit quasi vidua domina gentium et princeps provinciarum sub tributo, quandoquidem contemnuntur privilegia per S. P. concessa, e quibus pendet tota vis unionis Ordinis, quare iam actum erit de illa unione, ni S. D. N. inhibeat officiariis suis, ne quid in praeiudicium illorum attentent. Ex diffinitorio, etc.

58. Magnifico domino, domino primo Parisiensi Praesidi. — Cum de ratione iustitiae sit, aequissime Praeses, ea reformare quae adversus Dei honorem, ecclesiasticas constitutiones et sanctae religionis instituta pugnant, Cisterciense generale Capitulum humiliter vestrae dignitati supplicat, quatinus vestra auctoritate provisor nostri collegii Sancti Bernardi Parisiis adiutus, dissolutos quosque nostri Ordinis monachos, et sine regulari habitu per urbem Parisinam ceteraque loca divagantes emendare et corrigere possit. Vobis igitur, supreme Praeses, huiusmodi et cetera nostri Ordinis negotia commendamus ; Deum interim omnibus votis comprecantes, vestris in omnibus conatibus faveat. Datum, etc.

59. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii, etc. et est talis : Cum totus Ordo noster ... etc. item in summa debita secundum rationem in nostro generali Capitulo anni Domini 1541 redditam, etiam in summa expensarum in hoc praesenti nostro Capitulo habito secundum computationes Divione faciendas, deductis etiam super praedictis deducendis, et pro tempore praeterito, et oporteat Ordinem ipsum ... etc. ut in anno 1533.

EXCUSATIONES

60. Sequuntur nomina abbatum qui fuerunt hoc anno excusati a Capitulo generali. De Morimundo, de Gratia Dei, s. th. pr., de Caroloco, s. th. pr., de Stamedio, de Clarofonte, de Igniaco, de Iardineto, de Camberone, de Alna, de Loco Sancti Bernardi, de Villari, de Populeto, de Verola, de Ursicampo.

* * *

61. Quoniam propter agendorum multiplicitatem [f], *etc. ut in anno* 1517, *n*° 72.

---

[f] Sign. fr. Petrus abbas S. Sulpitii, fr. Marcus abbas Bellaevallis : *A*

1548

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1548.

DIFFINITORES [a] : Reverendissimus dominus de **Cistercio**, s. th. pr., de Loco Dei, s. th. pr., de Miratorio, de Monte Sanctae Mariae, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate** de Ursicampo, de Rota, de Putheo, de Bitania, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco** de Valcellis, de Maceriis, de Clarofonte, de Gratia Dei, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Frigidomonte, de Caladia, de Loco crescenti, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Theoloco, de Sancto Sulpitio, de Sanctis Martyribus, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Caladia monasterii abbas, Prior et subprior Cistercii.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Claravalle monasterii abbas, Prior et subprior Cistercii.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Frigidomonte, de Monte Sanctae Mariae, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : de Pontigniaco [prior], s. th. pr.

NOTARII ABBATES : de Loco Dei, s. th. pr., de Sancto Sulpitio, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Valcellis monasterii abbas, cellerarius et bursarius religiosi Cistercii.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Monte petroso, s. th. pr. [monachus]

NOTARII AD PEDES : frater Nicolaus de Parisiis, frater Petrus de Auxona, Cistercii professi.

B) Ex parte dominorum Diffinitorum ... *etc. ut in anno praecedenti.*

C) Nomina abbatum Capituli generalis huius anni 1548. — De Cistercio, s. th. pr., de Claravalle, de Morimundo, de Loco Dei, s. th. pr., de Miratorio, de Monte Sanctae Mariae, de Ursicampo, de Rota, de Frigidomonte, de Caladia, de Sancto Sulpitio, de Loco crescenti, de Valcellis, de Maceriis, de Clarofonte, de Gratia Dei, de Bitania, de Theoloco, de Sanctis Martyribus, de Putheo.

1548. *Fontes* : A^4 : 6 ; L^7 : A, B, C, 1-71 ; P^2 : I, 6 *(abbrev.)*, II, 45 abbrev.), *S* : 6-11.

[a] Hic, sicut et in aliquibus aliis Capitulis, defectu abbatum sunt tantum viginti Diffinitores, unoquoque abbatum primorum tres solum habente : P^2.

* * *

Anno [b] Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, et die ultima aprilis, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

GENERALES ORATIONES

1. Primo pro sanctissimo ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii... etc. et est talis : Liquido constat ex sacris litteris et canonibus Ecclesiae ac sanctorum patrum regulis, monachos olim cuiuscumque status in simplici habitu coram Deo et hominibus fuisse conversatos. Quapropter minus praeseferunt religionis indicia, qui fastidioso ac nimis pretioso cultu induuntur, quod inhibere volens praesens generale Capitulum die ultima aprilis anni Domini 1548 in Cistercio congregatum ad monasticae religionis honorem et contemptum vitae saecularis statuit, quod omnes et singuli Ordinis nostri monachi cuiuscumque status ac dignitatis fuerint, decenter et honeste secundum antiqua Ordinis instituta et exemplum beatissimi patris nostri Bernardi induantur et vestitantur in cucullis, tunicis et aliis indumentis non nimium longis aut brevibus cum caputiis incedendo, ac sub illis pileis non adeo quadratis ; alioquin praesens generale Capitulum dat auctoritatem et praecipit omnibus patribus visitatoribus et commissariis, ut tales sic in re flexibili et indecenti monachos gloriantes [c] severissime arguantur et corrigantur ; respective iniungens ulterius generale praefatum Capitulum provisori collegii Sancti Bernardi Parisiis, ut hoc diligentissime observari faciat a scolasticis ipsius collegii, ac etiam per alias quascumque nostrae religionis personas, ita quod si aliquos per urbem vagantes monachos indecenter vestitos repererit, aut repertos audiverit, per ipsum provisorem moneantur, vocentur et citentur, atque regulariter per eum corrigantur, invocato etiam si opus fuerit, ad hoc brachii saecularis auxilio, consilio et favore.

7. Quoniam hac tempestate, quod dolentes referimus, plures mo-



[b] *Titulus apus L*[7]. [c] errantes : *S*.

nachi a sua concupiscentia abstracti et illecti, imo et suadente maligno spiritu, ad saeculum, ut canis ad vomitum, redire et a suis votis resilire cupientes, Sedem Apostolicam adeunt, et simulatis quibusdam allegationibus dispensationes fallaciter consequuntur et obtinent, in animarum suarum perniciem et praelatorum religionis contemptum. Capitulum generale in Cistercio die ultima aprilis anni Domini 1548 legitime congregatum sanxit super hoc scribendum esse Beatitudini Summi Pontificis, et per Ordinis procuratorem vel alium tunc Romae existentem vivae vocis oraculo tales subreptitias et damnabiles dispensationes pro viribus impediri. Item etiam, Capitulum anno et die praedictis celebratum decernit insinuandum fore Beatissimo Domino nostro Papae infinita calamitates, scandala et alia mala quae in dies pullulant etinstar hydrae serpentis succrescunt vehementius a commendatariis et reliquis saecularibus monasteria Ordinis tenentibus, quatinus in posterum eis via praecludatur omnino ad caulas ovium Christi; et qui nunc ipsa possident monasteria per censuras ecclesiasticas compellantur non excedere contenta in suis diplomatibus, quae exhibere patri superiori monasterii commendati, et aliis quorum intererit teneantur providere necessaria victus et vestimentorum unicuique pro sua qualitate, manutenere aedificia domorum sibi commendatarum, eadem non succidere nemora ultra quod in *Benedictina* continetur, hospitalitatem et eleemosinas pro consuetudine laudabili facere, solvere contributiones subsidii et cetera Ordinis onera, nullomodo se immiscere correctioni religiosorum, quibus plena sit auctoritas penes Ordinis patres, praeficiendi vicarios, priores, subpriores, et alios quoscumque officiarios, potissimum in spiritualibus. Qui quidem vicarii seu officiarii per ipsos commendatarios deponi non possint, et generaliter ad omnia cogantur, etiam per censuras ecclesiasticas, quae iuris sunt et rationis, plenaria Summi Pontificis potestate [d].

8. Non ignorans praesentis Capituli generalis patrum congregatio hoc anno Domini 1548 celebrati multa incommoda provenisse monasteriis monialium Ordinis a procuratoribus laicis et saecularibus ; ob id inhibet omnibus et singulis ipsius Ordinis abbatissis, ne admittant ad procuratoris seu receptoris domus suae officium aliquem laicum vel saecularem, sed de Ordine et de consensu superioris auctoritatis vel abbatis fideiussione sufficienti prius accepta ; alioquin gravissime punientur, in plenaria Ordinis potestate.

9. Frequens generalis Capituli celebratio praecipua status nostri materia est, quae excessus corrigit, deformata reformat et religionem nostram ad uberrimae felicitatis culturam reducit. Quapropter praesens synodus aegre ferens quorumdam abbatum negligentiam, ordinat

---

[d] et gratia : *S.*

et diffinit contra absentes qui non comparuerunt in novissimo generali Capitulo et in aliis multis praecedentibus, quod in plenaria Ordinis potestate cogentur ad solvendum triplices contributiones antea suis monasteriis impositas, exceptis tantum senibus et aegrotis abbatibus, cum protestatione quod si non comparuerint proximo generali Capitulo secundum antiqua statuta cogentur solvere in duplum expensarum, quas fecerant eundo et redeundo ad ipsum Capitulum, et ad praemissa facere compellentur sub poenis et censuris.

10. Clarissime videntes et animadvertentes incommoda quae Ordini nostro undique proveniunt, et quasi hostes armati passim contra ipsum irruunt, etiam ab his, qui religionis zelo et auctoritate privilegia et libertates antea non sine magna Ecclesiae Dei utilitate monasteriis concessas defendere deberent et tueri in Dei honorem et monasticae religionis observationem et augmentum. Hinc est, quod nos, nostraque pro iure et aequitate conservare et defendere volentes, et his qui vineam Domini extirpare volunt resistere cupientes, statuimus et qua valemus auctoritate ordinamus quod omnes et singuli Ordinis abbates, provisor collegii Sancti Bernardi Parisiis ac theologiae doctores, ibidem commorantes vel alibi, habeant procurationem [e], qua se Ordinis nostri nomine opponant, et tamquam sufficienti procuratorio fundati in omni curia tam ecclesiatica quam saeculari contradicere possint et valeant, quibuscumque personis contravenientibus sive [f] contradicentibus, aut quovismodo [g] volentibus Ordinis nostri privilegia, iura, libertates et statuta infringere, aut aliquomodo minuere, in plenaria Ordinis potestate.

11. Alia diffinito generalis est talis : Non teneant abbates in monasteriis vel suis domibus urbium mulieres, nisi tales sint, quod de illis nulla possit iusta suboriri suspicio. Datum in diffinitorio nostro apud Cistercium, ultima aprilis anno Domini 1548.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

12. Sacrum evangelium praecipit, ut post unam et alteram correctionem dicamus Ecclesiae delictum correcti, si se non emendaverit. Hinc est quod Rmi D. N. Cistercii abbatis audientes querimonias super abbatissa de Loco Dei in Burgundia, quae infamia laborat publica, impudice vivit, statuta Ordinis omnino contemnit, religiosas suas non alit ; nos Diffinitores in Capitulo congregati remedium salubre apponere cupientes in praedictae abbatissae correctionem et aliarum abbatissarum et monialium exemplum ordinamus, quod ipse

---

[h] procuratorium : *S.* [f] sine contradictione : *S.* [g] quovis nomine : *S.*

Rmus dominus sua ordinaria et praesentis Capituli auctoritate contra eam ulterius procedet usque ad depositionem inclusive, si opus sit, approbantes omnia et singula quae ante per ipsum Rmum patrem facta et ordinata, in plenaria Ordinis potestate.

13. Abbatissam de Oriente, in Leodiensi dioecesi, obedientiam, victima meliorem, contemnentem, sacrae professionis oblitam, impudice viventem, Rmi D. N. correctionem non ferentem, nec eum, ut Ordinis caput, agnoscere volentem et induratam, Rmi D. N. et praesentis Capituli generalis auctoritas committit abbati de Alna, ut eam visitet, corrigat, et si aequum sibi videatur, deponat in plenaria Ordinis potestate.

14. Cum oculi Domini sint super iustos, vultus vero illius super facientes mala, qui si non iusti, tamen ne mala fieri permittamus, concludit Capitulum generale, quod dominus abbas Frigidimontis visitabit monasterium de Hispania prope Abbatisvillam, reformabit et corriget, quae corrigenda viderit, tam in abbatissa quam patre confessore, monialibus et aliis dicti monasterii personis, prout iuris erit, cum potestate substituendi, in plenaria Ordinis potestate.

15. Beatos facientes iudicium et iustitiam in omni tempore Psalmista dicit, quod utique imitans Capitulum generale, auditis his quae ad ipsum perlata sunt de monasterio Panthemontis, committit domino Frigidimontis, quatinus visitat illud monasteruim, reformet et corrigat iuridice, quae corrigenda viderit tam in capite quam in membris, cum potestate substituendi, in plenaria Ordinis potestate.

CONTRACTUUM INQUIRENDORUM COMMISSIONES

16. Committitur ven. dominus abbas de Valcellis cum potestate substituendi ad informandum et referendum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus facti et passati inter abbatem et conventum B. M. de Ursicampo ex una parte, et Iacobum Du Puys ex altera, de quadam domo seu hospitio appellato L'Escu de France, sito in valle Noviomensi, sicut amplius continetur in ipso contractu die 11 aprilis anni 1539 facto et passato, et cui annectitur praesens diffinitio, in plenaria Ordinis potestate.

17. Nos frater Iohannes, etc. ad informandum, etc. cuiusdam, etc. inter religiosos ex una parte et Gobertum Tiersonne et Iohannetam Clenet eius uxore, de quadam domo, grangia, stabulo et adiacentibus eorumdem, dictis Le Fief de Flavi, sitis in pago de Champieu, cum centum viginti novem iornalibus et paulo amplius terrae arabilis, sicut amplius continetur in ipso contractu sie 22ª augusti 1544 facto, etc. ut prius.

18. Ex una parte, et magistrum Iacobum Canet apud Sanctum

Julianum Le Pauvre, commorantem de certa portione domus et firmae dictae Sancti Iuliani participando cum Dionisio Canet et Margarita Boucquet eius uxore, sub data 26ª diei, aprilis 1545.

19. Et Anthoinetam Clenet Parisiis commorantem de quadam portione domus et adiacentiatis eiusdem ibidem consistentibus et dependentiis domus gallice de Lones, in vico Sancti Anthonii consistentis, prout amplius continetur, etc.

20. Et Iohannem Berthoul, civem Parisiensem, de certa portione domus de Lones et adiacentiarum eiusdem, sitarum Parisiis in vico Sancti Anthonii, prout amplius, etc.

21. Et Iohannem Chullir ac Margaritam Boucquet eius uxorem apud Puyseux commorantem, de domo seu grangia des Loges du Puyseux, omniumque terrarum ad eamdem pertinentium et novem falcatarum prati, prout amplius, etc. die quarta februarii 1546.

22. Et Philippum Berruyes militem, de firma seu grangia loco et pertinentiis de Gouny les Roys, terris, pratis et nemoribus inde dependentibus, die 19ª octobris 1545.

23. Et Laurentium de Sauntgueulx manoperarium, ac Iohannam Taussin eius uxorem, de domibus, hortis et molendinis de Crimait, necnon terris arabilibus, pratis et appendentiis eorumdem, prout, etc. die 8ª aprilis 1548.

24. Et Petrum du Goron ac Barbaram de la Fontaine eius uxorem de una domo, firma seu grangia, terris, pratis et pertinentiis eorumdem sitis in pago de Plisec prope Noviomum, die 21ª novembr. 1544.

25. Informationes factas super commodo vel incommodo cuiusdam contractus facti et initi inter religiosos viros abbatem et conventum de Ursicampo ex una parte, et quemdam nomine Dionisium Canet, atque Margaritam Boucquet suam uxorem ex altera parte, de quadam firma vulgariter Sancti Iuliani Pauperis nuncupatae, die 15ª aprilis anni 1535, et cui annectitur praesens diffinitio, approbamus et ratificamus ipsum contractum secundum sui tenorem et contextum, in plenaria Ordinis potestate.

26. Auctoritate Capituli generalis, in Capitulo Cistercii celebrati committitur dominus abbas de Ursicampo, cum potestate substituendi, ad informandum super utilitate vel incommoditate cuiusdam contractus, initi inter religiosos abbatem et conventum B. M. Frigidomonte, nostri Ordinis in Belvacensi dioecesi, et Iohannem Villiers et Petrum Lejeune, agricolas manentes in villagio Desanodiviller, ex altera, de domo et firma praedictorum religiosorum vulgariter appellata Malaise, et factas informationes referet ad proximum Capitulum generale ad ordinandum quod iuri et rationi consonum fuerit, in plenaria Ordinis potestate.

27. Auctoritate Capituli generalis in Cistercio celebrati committitur

abbati de Ursicampo, cum potestate substituendi, ad informandum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus, initi anno 1545, inter religiosos abbatem et conventum B. M. Frigidimontis in Belvacensi dioecesi ex una, et Anthonium Naquet agricolam ex altera, de quadem domo sita in terragio de Bailliaco, nominata La Maison rouge, terris et aliis singillatim in contractu ipso explicatis, cum potestate confirmandi vel infirmandi dictum contractum, prout iuris erit et rationis, in plenaria, etc.

28. Eadem auctoritate Capituli Cistercii generalis confirmatur et approbatur tractatus et contractus initus et passatus inter venerabiles dominos abbatem, religiosos et conventum dicti Frigidimontis, et Hutinum Descoulleurs, alias servitorem et coquum eiusdem Frigidimontis, anno millesimo quingentesimo...

29. Etiam quoad quamdam particulam in dorso illius appendentem, de quodam loco et terris ad longum in ipso contractu declaratis, et quae sita sunt in territorio seu loco de Maguerie vulgariter nuncupato, in plenaria, etc.

30. Praesens generale Capitulum audita et visa confirmatione et relatione venerabilis abbatis de Morimundo super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi anno 1543 inter abbatem et conventum de Theoloco ex una, et Iohannem Pauler Le Vieuxl ex altera, approbat, etc.

31. Praesens generale Capitulum legitime congregatum committit abbatem de Landavalle, qui informet super commodo vel incommodo contractuum factorum vel faciendorum de terris existentibus in parochia de Lannebec, in parochia de Pedernes et de Bargaet et in parochia de Plonier Plogars, et generaliter omnibus, quos religiosi abbas et conventus de Begario asserunt suo monasterio pro nunc esse incultas et inutiles, et factis informationibus, remittat ad sequens Capitu-um generale discutiendas super confirmatione vel infirmatione, in plenaria, etc.

32. Infirmant siquidem, cassant et annullant Diffinitores praesentis Capituli etiam et reprobant contractum initum inter religiosos abbatem et conventum de Sacro portu, alias de Barbello ex una parte, et Petrum de Landa scutiferum, dominum de la Belle maison, super quadam materia et tribus peciis terrae divisis, multa arpenta continentibus et ceteris amplissime in ipso contractu expositis, propterea quod contra iuris aequitatem factus sit.

33. Satis constat ex Capitulo *Quum ad monasterium* rubrica *De statu monachorum,* etiam Supremum Pontificem indulgere non posse contra votum paupertatis, cui ordinationi in multis locis consonat alia Papae Benedicti XII constitutio. Quapropter generale Capitulum, sive Diffinitores in eo congregati, reprobant et cassant omnino contractum

inter quemdam procuratorem Rmi domini cardinalis de Meudon, commendatarii abbatis de Vallibus Cernay et conventum eius ex una parte, et fratrem Petrum de Frenille procuratorem dicti conventus ex altera parte, initum de firma seu villa Sancti Roberti, et passatum anno Domini 1546, die vero 26[a] septembris, eo quod contra praedictas Summorum Pontificum sanctiones factus sit praedictus contractus.

34. Post informationes factas super commodo vel incommodo ecclesiae Sacriportus alias de Barbello, cuiusdam contractus transacti et initi inter religiosos dicti monasterii abbatem et conventum ex una, et nobilem virum Allodium de Lhospital, dominum temporalem de Seast, capitaneum Fontisclaudi, ex altera partibus, de quadam masura, horto et dependentiis eorumdem, sicut amplius continetur in ipso contractu capitulariter passati, die nona novembr. anni 1545, confirmamus et approbamus ipsum contractum.

35. Dedimus insuper auctoritatem abbati de Landavalle ad informandum super utilitate vel incommodo alterius contractus, quem iniverunt abbas et conventus de Begario ex una parte, et Artus de Romar scutifer et dominus temporalis de Rivangoff ex altera, super commutatione quarumdam terrarum amplissime in ipso contractu expressarum et expositarum, et qui contractus factus est et passatus in capitulo ipsorum religiosorum die 12[a] aprilis anni ... et factas informationes referat Capitulo generali, in plenaria, etc.

36. Audivimus supplicationem venerabilis in Christo patris et abbatis de Loco Dei, qua humiliter postulabat ut sibi suoque conventui permittere dignaremur prosequi cassationem et annullationem omnium contractuum antea initorum et passatorum in praeiudicium dicti monasterii de Loco Dei, cum absolutione a iuramento eorum religiosorum, qui talibus contractibus suum praebuere consensum, cui dictae postulationi libenter annuimus, in plenaria, etc.

37. Ad idem, fit pro venerabili domino abbate de Valcellis.

38. Visis informationibus nobis Capitulo generali praesentatis sumptis per dominum abbatem B. M. de Quinciaco super commodo vel incommodo cuiusdam contractus facti et passati inter Rmum D. cardinalem de Bellayo, Pontigniaci abbatem commendatarium et conventum eiusdem monasterii ex una parte, et honorabilem virum Iohannem Barruet, coquum, anno 1546, et cui annectitur praesens constitutio ipsas informationes declaramus cassas et invalidas, et ad procedendum et informandum ulterius committimus venerabilem abbatem de Loco Dei in Pontino, Ambianensis dioecesis, qui denuo informabit super utilitate et inutilitate dicti contractus, ut per eum relatis informationibus fiat quod iuris et rationis, in plenaria, etc.

39. Ad supplicationem abbatis de Begario, in Trecorensi dioecesi, et eius conventus, praesens generale Capitulum rescindit, revocat ac

irritos decernit omnes contractus initos tam inter eosdem abbatem et conventum et eorum praedecessores a quadraginta annis citra, tam permutationes quam alios non confirmatos per Capitulum Cisterciense aut Rmum D. N. Cistercii, aut suos praedecessores, absolvendo ipsos abbatem religiosos et conventum a iuramento per eos forsitan praestito, in plenaria, etc.

40. Abbati ipsi de Begario ad humilem supplicationem abbatis et conventus monasterii de Landavalle, praesens generale Capitulum committit, et ipsum commissarium deputat ad se informandum de et super damno et commodo omnium et singulorum contractuum initorum a 40 annis citra per defunctum fratrem Petrum Heligon, dudum monasterii ipsius de Landavalle abbatem, praedecessorem ipsius moderni abbatis, et maxime super contractu per modum escambii et permutationis superioribus annis confecto, inter dictum eumdem Heligon abbatem, et magistrum Ulmerum de Lanvaux, dominum de Belloloco, sub data die penultima aprilis anni 1515, signato per L. de Leymio, G. Rompel, Lisy, de Trengat, dommodo ipsi contractus respective non fuerint confirmati et approbati antea per Capitulum generale ; deinde si videat et cognoscat, quod fuerint passati in detrimentum et damnum ipsius monasterii Landavallis, ipsos infirmet, casset et annullet, et in nihilum reducat, prout iuris erit, dictam commissionem ad haec committentes et dantes in plenaria, etc.

SUFFRAGIA

41. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii, etc. Cognoscentes eo plus crescere et apud Deum plus valere charitatem, quo erga plures exercetur et in plures suas mittit scintillas. Quare ad postulationem charitativam venerabilis domini abbatis de Morimundo inclinati, Franciscam d'Amboyse, comitissam de Suntgavia, cum nobilibus suis liberis, omnium suffragiorum et orationum universi nostri Ordinis consortes et participes volumus et declaramus, et praedictam dominam comitissam cum dictis suis liberis, in plenaria Ordinis potestate nobiscum associamus.

42. Ad idem, pro domina de Maligny, ad requestam domini de Quinciaco.

43. Ad idem, pro magistro Hugone Jarrinet, secretario Rmi D. N. Cisterciensis.

44. Idem pro habitatoribus Marcilliae.

SUPPLICATIONES

45. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi,

ceterique Diffinitores, etc. Quod inter prima iuris naturalis praecepta unum sit praecipuum, unicuique quod suum est reddere. Hinc est quod nos mature attendentes et secundum iustitiam reiicere non valentes supplicationem a fratre Nicolao Guérin, presbytero monasterii nostri de Pontigniaco religioso expresse professo, ac Parisiensi doctore theologo, nobis oblatam, qua cum decenti humilitate requirebat et rogabat, ut tamquam ordinarii iudices sibi assignare vellemus annonam sive portionem sufficientem, et ultra quam antea illi fuisset assignata ad victum et vestitum, quales decet hominem in suo statu et gradu constitutum, animadvertentesque et perpendentes, quantum necessarius sit ordo doctorum, prout diffuse habetur capitulo *Inter sollicitudines*, et praesertim hoc tempore contra schismaticos, haereticos et morum Ecclesiae subversores, plenaria nostri Ordinis potestate ordinamus et supra hoc matura deliberatione praehabita diffinimus, ut ipse supplicans summam centum librarum turonensium annuae pensionis quamdiu vixerit super quoscumque fructus, redditus aut proventus eiusdem monasterii Pontigniacensis deinceps habeat et percipiat, et ne postponatur, quod oportet praeferri et primum fieri, in cuiuslibet sequentis anni principio de cetero habeat et percipiat dictam summam absque praeiudicio suorum arreragiorum, supplicantes nihilominus cum omni reverentia ac humilitate Rmo cardinali de Bellayo, supradicti monasterii commendatario abbati, ut super praemissa alia, prout melius eius Rma novit Dominatio, considerans praefatam summam centum librarum turonensium eidem fratri Nicolao Guérin de cetero quotannis, ut dictum est, dari et persolvi faciat cum effectu. Eidem fratri Nicolao Guérin pauperi et valetudinario per idem medium succurrere volentes permittimus solutionem dictae summae et pensionis annuae sibi pernecessariae et debitae prosequi, in quacumque curia maluerit, adversus quoscumque dicti monasterii Pontigniaci receptores seu firmarios et admodiatores, ibidem seu ubicumque alibi commorantes, in plenaria Ordinis potestate. Datum in diffinitorio nostro Cistercii sub appensione sigilli Diffinitorum, anno, mense et die praedictis.

46. Nos frater Iohannes, etc. Ut ea potissimum tum ut unicuique praesupponentes ... quod suum est concederemus, hinc est quod condolentes iniustitiae et oppressioni quam audimus ab anno vel circiter cuidam fratri Guillelmo Sorel, Pontigniaci professo, per quemdam religiosum ipsius Pontigniaci vocatum Symonem Coussard, in occupatione camerae et suppellectilis suae, seu mobilium direptione, devastatione et deordinatione, disperditione, auctoritate praefati Capituli mandantes sub poena... praefato Symoni, quatinus intra triduum a die notificationis praesentium sibi factae, dictam cameram indefectibiliter egrediatur, et eam ac mobilia superius nominati Sorel inter

manus fratris Nicolai de Franzans deponat aut aequivalentiam infra mensem a dicta notificatione incipientem priori Pontigniaci fratri Iohanni de Greys vel alteri pro tunc fungenti prioris eiusdem loci officio. Hanc praesentem diffinitionem in capitulo coram omnibus die altera, postquam praesentes receperit, legat aut eas legi faciat et exsecutioni demandet, sub poena, etc. Datum, etc.

47. Super supplicatione fratris Jourdan de Romire, religiosi professi de Bochault, incarcerati Divione, ordinamus ipsum per latorem praesentium requirendum et remittendum, rogantes in Christi visceribus omnes dominos iudices tam in suprema curia Parlamenti quam alios ipsum remittere domino abbati de Claravalle suo ordinario iudici aut eius vicario. Datum, etc.

48. Audita supplicatione fratrum Iohannis de Mornay, baccalarii theologi, Gabrielis Macon et Symonis du Val, religiosorum expresse professorum de Sacro portu, alias de Barbello, incarceratorum, provisorem collegii Sancti Bernardi Parisiis, necnon alios quoscumque nostri Ordinis viros in hoc negotio speciales procuratores ordinamus et instituimus, in plenaria, etc.

49. Visa supplicatione prioris monasterii nostri de Mortuomari, per quam nos supplicat et rogat, quatinus rehabilitare dignaremur fratres Stephanum Le Houppero, Nicolaum Valeau et Iohannem Chevallier, religiosos expresse professos eiusdem monasterii, quod quidem absolvendi officium plenarie contulimus et commissimus venerabili patri abbati de Ursicampo, ut informationibus factis et discussis, etiam punitione sufficienti et regulari ipsis inflicta, eos si dignos duxerit, ab omni irregularitate et inhabilitate, ceterisque casibus et censuris Ordinis absolvat, cum potestate substituendi, in plenaria Ordinis potestate.

50. Audita supplicatione fratris Guillelmi Sorel, presbyteri religiosi de Pontigniaco expresse professi, qua humiliter supplicabat, ut cum a dicto monasterio demissus ad Cistercium migraverat ibidem futuris temporibus moraturus, provideremus ei de sufficienti et rationabili pensione victus et vestitus, nos, secundum iura et regularia instituta procedentes assignavimus ipsi quadraginta libras super fructibus dicti monasterii Pontigniaci, cuius filius est verus et professus, quotannis percipiendas, quamdiu extra dictum monasterium extiterit, cum licentia et facultate dictam quadraginta librarum summam omnibus viis et modis petendi, prosequendi et consequendi in omni foro et contra quascumque personas dicti monasterii conventus percipiendi, Datum, etc.

REHABILITATIONES

51. Frater Iohannes, etc. Audita supplicatione fratris Nicolai Gué-

rin de Pontigniaco religiosi expresse professi, in theologia doctoris, qua humiliter postulabat et rogabat, quatinus a quibuscumque poenis et sententiis et censuris et irregularitatibus, si quas forsan in antea incurrerit, eum absolveremus, et ad omnia ipsius Ordinis officia et beneficia capacem, habilem et ydoneum declaremus. Quam quidem supplicationem benigne recipientes, atque ex profunda reverentia et humilitate procedentem attendentes, eumdem supplicantem plenarie et omnimode absolvimus et absolutum declaramus, et Capituli auctoritate capacem omnium officiorum et beneficiorum ipsum dicimus et declaramus, in plenaria, etc. Datum, etc.

52. Professionis suae oblitus frater Iohannes Savetier, professus Quinciaci, illicentiatus dictum monasterium abiit et ad saeculum rediit, in quo multis scandalo fuit, ac censuris innodatus primitias suas Domino obtulit, qui tandem divino Spiritu afflatus poenitens rediit ad monasterium Quinciaci, in quo per totam hyemen carceribus mancipatus manibus et compedibus subtentatis, petit se absolvi et rehabilitari, cui iniungit generale Capitulum ut confiteatur uni confessori capitulari, deinde remittit illum domino Quinciaci absolvendum et rehabilitandum, in plenaria, etc.

53. Ad supplicationem fratris Christofori Cercoleau, religiosi de Begario, factam et porrectam Capitulo, per quam narravit plurimas causas, et inter cetera quomodo pro tuitione sui corporis percussit fratrem Iohannem de Bours, apostatam religiosum ipsius monasterii profugum et vagantem, qui ex ictu mortuus est, requirendo se habilitari et ab irregularitate et censuris ecclesiasticis absolvi. Committitur abbati de Landavalle, quod sumat informationes super dicto homidicio, et si videatur per ipsas informationes esse absolvendus, absolvat et rehabilitet, ut in forma, in plenaria, etc.

54. Committiur insuper praedicto abbati, quod super supplicationibus et innocentia homicidii supradictis fratrum Guillelmi de Tresallio et Oliverii Delot, religiosorum de Begario, se informet, et si sibi constet de eorum innocentia, ab omni irregularitate, et omnibus sententiis, censuris et poenis absolvat, eosque rehabilitet, ut in forma, etc. in plenaria, etc.

55. Abbati de Monte Sanctae Mariae committitur ut fratres Thomam Laureti et Guidonem Mocher, religiosos monasterii de Caroloco, ab omni irregularitate et poenis ac censuris incursis absolvat eosque rehabilitet in forma, facta tamen prius discussione sufficienti morum et emendationis ipsorum religiosorum.

56. Frater Henricus Plertius, monachus Camberonensis, propter suam malam vitam fuit, et supplicavit, missus ad monasterium Dunense, in quo correxit, requirens se ad dictum monasterium Cambero-

nense restitui, committitur patri immediato, scilicet domino Claraevallis, ut sibi provideat, prout aequum erit, in plenaria, etc.

57. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii etc. ceterique Diffinitores in Capitulo nostro generali hoc anno Domini, etc. apud Cistercium congregati, notum facimus universis ad quos praesentes litterae pervenerint, religiosos priorem et conventum B. M. de Ripatorio prope Trecas in praefato Capitulo, qua poterant humilitate supplicasse et orasse, quatinus permittere et consentire vellemus quemdam contratum inter inclytissimum et nobilissimum virum dominum Iohannem de Luxembourg, abbatem commendatarium praedicti monasterii de Ripatorio et ipsos religiosos anno Domini 1543, die 26ª aprilis initum super provisione per dictum dominum commendatarium praedictis religiosis facta, sicut amplius continetur in ipso contractu. Nos igitur immemores eiusdem diffinitionis anno Domini 1540 in Capitulo generali factae, cuius tenor sequitur et est talis. Et quia, pro dolor ! multa monasteria ... (*cf. ann.* 1540, *n*º 12). Committimus vices nostras et auctoritatem R. in Christo patri abbati Claraevallis inquirendi, discutiendi et informandi de toto ipso contractu et singulis partibus in eo contentis, et ipsum approbandi vel reprobandi quoad totum, vel aliquas eius partes, si ita esse invenerit, sicuti supplicantes exposuerunt in hoc Capitulo generali, nec sit aliud quod repugnet sanctorum patrum aut Ordinis nostri canonibus et statutis, concedendo plenariam nostram potestatem et auctoritatem ut ipsi religiosi B. M. de Ripatorio sequi possint et valeant dictum contractum, et superius insertam diffinitionem, si ita iuri et rationi consonum esse duxerit praedictus abbas de Claravalle, supplendo quos possumus et valemus defectus, in dicta plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

58. Fuit insuper data Rmo domino nostro Cisterciensi commissio ad visitandum monasteria et alia membra Ordinis nostri existentia in partibus Hispaniae et Portugalliae, ac toto orbe terrarum, bene amplissima, in plenaria Ordinis potestate.

59. Item, fui tfacta confirmatio sententiae eiusdem Rmi D. N. pro abbate de Rota.

EPISTOLAE DIVERSAE

60. Ad Patres in Concilio Tridentino congregatos. — Cum universalis militans Ecclesia, Reverendissimi Patres, complectatur eos qui habent communionem professionis fidei, doctrinae et sacramentorum, secundum catholicam et apostolicam in eaque omnes inchoare debeamus quaecumque peracturi sunt in futura triumphanti. Cumque Cisterciensis Ordo in antiquis Conciliis utilitati, decori et ornamento aliqualiter fuerit, non degenerare volens eiusdem Ordinis caput Cisterciensis abbas, praeteriere tres anni, audito quod evocatum apud urbem Tridentinam generale oecume-

nicum Concilium esset, humilem devotumque filium Sanctitatis Summi Pontificis, universalisque militantis Ecclesiae ad id peragendum convocatae sese praebens, Tridentum anno 1545 adiit, ut si quid eidem iniungeretur pro viribus perageret. Verum cum pauci admodum adessent, nec et tunc temporis apertum esset Concilium, ad Gallias pro visitationibus eiusdem provinciae peragendis remeavit, quibus peractis, idem sacrum generale Concilium oecumenicum revise revolens fuit a sacra caesarea Maiestate ad monasteriorum visitationes Hispaniae faciendas evocatus, et ob id a praesenti itinere distractus ; quibus consideratis cum tempore tum ceteri Ordinis patres hoc anno Domini 1548 ad generale Capitulum convocati, ne officio nostro defuisse videremur, hanc provinciam suscipiendam venerabili in Christo abbati nostro de Valcellis commisimus, qui iussu nostro vobis exponet eam calamitatem, quam noster Ordo patitur defectu pastorum, qui certe non pastores, sed mercenarii videntur, quaerentes quae sua sunt, non quae Iesu Christi, quae videre est in Dei servitio nedum neglecto sed abiecto, in moribus totaliter perditis malo exemplo eorum qui praeesse deberent, in aedificiis collapsis, eleemosinis et omni humanitate prorsus ablegata, et ceteris quae longum esset recensere per singula. Quapropter egregias, sinceras et aequissimas Vestras Dignitates Venerabiles rogamus illum audire et exaudire de rebus tam sanctis et necessariis loquentem et supplicantem, ac de nostri Ordinis antiqua exemptione, quae sacrosanctorum Ecclesiae Pontificum auctoritate nullum, Deo gratias, hactenus scandalum peperit. Exinde pro ea ratione rogant patres huius generalis Capituli Dignitates Vestras attendere ad huius temporis calamitates christianismum conculcatum et religionem desolatam, velle eorum privilegia, antiqua statuta, consuetudines et indulta approbare, confirmare et ratificare, quae magnam spem illis ingerent futurarum rerum in melius agendarum.

Sicque agent Deo perpetuas gratiarum actiones, quod bene vivendi et quietis ansam et anchoram praebueritis, quatinus Optimas Maximas Dignitates Vestras ad longissima sua obsequia diu servet. — Et in subscriptione ponitur : Vestrarum Reverendissimarum Paternitatum humillimi filii et oratores abbas Cistercii et Capitulum generale eiusdem Ordinis.

61. Alia epistola fuit directa Summo Pontifici.

62. Ad Cancellarium Franciae. — Cum ex officio nobis commisso obligemur, Clarissime Praetoriae Praefecte, ut circa statum personarum monasteriorum Ordinis nostri in melius reducendum propensius cogitemus, ut qui in eis a sanctorum patrum decretis et ordinatione deviare perpendimus, ad debitam reformationis normam dirigendis eis opes et opera adhibeamus efficaces. Cumque episcopus ille optimus, magnus gubernator et rector omnium coelestium et terrenorum, aequo tramite auctoritatem disponens voluerit et in terris tum spiritualium tum et saecularium negotiorum legum huiusmodi esse seriem, qua in humanis degentes ducti nativa insolentia, quae perpetuo ad malum flexa est postposita a vitiis deterreretur alter ab altero diligeretur adamareturque, ita ut iustitia vindice et duce, omnia iustis ducerentur tramite pacato, et in tuto omnia consisterent, cohibereturque appetitus et libido laedendi proximum, quo-

rum confusione moti, cumque nedum Ordinem nostrum verum etiam universalem romanam Ecclesiam gravissimis tumultuum ac haeresum fluctibus et procellis misere vexatam et afflictam, ita ut omnia susque deque versa sacraque profanis mixta esse videamus, ad honorem Dei omnipotentis pro communi Ordinis nostri utilitate reformationeque quadam, proque sordibus, si quae in eodem Ordine irrepserunt, expurgandis, diffinitiones quasdam omnino aequum et iustum spirantes, religionis decorem honestatemque servantes, et ad Dei cultum, proximique dilectionem deservientes, inter nos observandas edidimus. Verum ne hic labor studiumque nostrum opinione a nobis concepta frustraretur, auctoritatem Celsitudinis tuae nostro nomine implorandam, venerabili in Christo coabbati nostro de Valcellis commisimus, ut iura et privilegia nostra, quasi labentia, tuis ope et favore pristinum robur firmitatemque, quasi nomine quodam adiuvante, obtinere possint, ne qui in pretio fuit Ordo per hanc haeresum potestatem contemptum fiat negotium electi Chassaniae litium ambagibus iamdudum involutum, eidem tuae Celsitudini etiam obnixe commendamus, ut quamcitius fieri poterit expediatur, ne tamdiu pastore careat idem monasterium, aequumque non sit laicos, uxoratosque clero praefici, et ita rem tua Celsitudine dignam feceris nosque obstrictiores reddes ad rogandum Altissimum pro incolumitate eiusdem tuae Celsitudinis, quam nobis longaevam idem Omnipotens conservet. Ex diffinitorio, etc.

63. Serenissimo invictissimoque Portugalliae Regi. — Cum vota promissa Deo, ipsi reddenda ut sua Caesarisque mandata observanda sint, ut quae sunt Dei Deo, Caesari; Caesari persolvamus. Idcirco cum sacra caesarea Maiestas litteras ad Rmum D. N. Cistercii abbatem pro visitandis Hispaniarum monasteriis direxerit, earumque tenori Rex christianissimus annuerit, nosque ex diversis nationibus patres ad generale Capitulum de more celebrandum convocati, eumdem rogaverimus, ut illam, quamvis difficilem provinciam susceperat ad corrigendum, tollendum et eradicandum quidquid mali exempli, aut improbae consuetudinis apud monasteria nostri Ordinis in Hispaniis sita irrepsisse viderit, idque secundum Ordinis nostri regulam, statuta et privilegia ad pietatem et sanctimoniam dirigeret, ut si quid forte gentibus Hispanicis scandalo fuerit, id per Dei gratiam in salutis vergat exemplum, pro quo tam arduum munus suscipiente commendatitias ad tuam Serenissimam Maiestatem dirigendas duximus, ut eo favore, quo Portugalliae reges christianae religionis ordines prosequi soliti sunt, eumdem Rmum patrem nostrum, Ordinisque dignissimum caput, eadem tua serenissima Maiestas prosequi dignetur. Datum, etc.

64. Alia epistola fuit directa ad principem Hispaniarum.

65. Alia ad episcopum Leodiensem.

66. Alia ad abbatem Sancti Sebastiani, procuratorem Ordinis.

67. Alia ad Parlamentum Dolae.

PROCURATORIUM

68. Nos frater Iohannes, etc., notum facimus universis quod nos con-

fidentes de sufficientia, religione, zelo et discreta in rebus gerendis prudentia charissimi fratris Baptistae de Caqueranis, religiosi professi de Stafarda, et abbatis Sanctae Mariae de Putheolis, eumdem, citra tamen nostrorum aliorum procuratorum hactenus per nos constitutorum revocationes, fecimus, creavimus, constituimus et ordinavimus procuratorem nostrum specialem et generalem, specialitas non derogans generalitati, nec econtra ad vices, si videat et cognoverit venerabilem dominum fratrem nostrum abbatem Sancti Sebastiani ad Catacumbas, procuratorem nostrum generalem negligentiorem, aut contemnentem procurare negotia Ordinis in Curia romana, et alias ubilibet necesse fuerit, ac etiam exigere et recuperare contributiones annuales nobis debitas, ipsa negotia prosequendum coram S. D. Papa, et alias ubicumque necesse fuerit pro nobis et aliis quibuscumque personis nostri Ordinis utriusque sexus, ac etiam coram quibusvis aliis personis cuiuscumque status, gradus et praeeminentiae existant et fuerint, ipsas quoque contributiones exigendum et recuperandum, deque ipsis quittantias faciendum, et generaliter omnia et singula quae ad profectum, utilitatem et augmentum totius Ordinis et Capituli generalis concernunt faciendum et exercendum, quae ipse procurator noster generalis, etiam et personae, pro quibus procurabis, facerent et facere possent, si praesentes essent. Qui quidem Caqueranis pro stipendiis suis occasione iurium, oneris et procurationum dedimus et constituimus centum libras turonenses sibi accipiendas super suis computis exactarum contributionum, de quibus et aliis negotia Ordinis concernentibus rationem reddere tenebitur in generalibus nostris Capitulis, in quibus comparere tenebitur. Datum, etc.

CONFIRMATIO ELECTIONIS

69. Nos frater Iohannes, etc. ceterique Diffinitores, etc. notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod viso per nos et diligenter examinato decreto electionis die 22ª mensis semptembris, anno Domini 1546 factae, de persona venerabilis et devoti religiosi fratris Dominici Dadonville, monasterii de Belloprato in Lotharingia et Tullensi dioecesi expresse professi, in abbatem ipsius monasterii, quod novissime vacabat per obitum piae memoriae fratris Petri Ramaille doctoris theologi ; viso insuper decreto praecharissimi et venerabilis patris abbatis de Morimundo, eiusdem monasterii de Belloprato superioris et patris immediati, dictam electionem secundum canonicas sanctiones, Ordinis nostri statuta, diffinitiones et laudabiles consuetudines tamquam canonice et a Spiritu Sancto gratiam largiente, seu rite factam, una cum praedicto patris immediati decreto, nostra praedicti generalis Capituli auctoritate approbamus, ratificamus et confirmamus, eiusdemque Capituli confirmationis robur adiicimus, supplendo eadem Capituli auctoritate et potestate omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui forsan in praemissis intervenerint, et quos de iure supplere debemus et possumus. Omnibus igitur, etc. Datum, etc.

EXCUSATI A PRAESENTI CAPITULO GENERALI

70. Abbates de Quinciaco, de Stamedio, de Loco Sancti Bernardi, de Alna, de Landavalle, de Bellavalle.

* * *

71. Quoniam [h] propter agendorum ... *etc. in anno* 1517, *n*° 72.

1550

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni 1550.

DIFFINITORES : Rmus dominus **Cistercii,** s. th. pr., de Charitate, de Buxeria, monasteriorum abbates ; de **Firmitate,** de Maceriis, de Insula, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco,** de Frigidomonte, de Bithania, monasteriorum abbates ; de **Claravalle,** de Bullione, monasteriorum abbates ; loco domini de **Morimundo,** de Miratorio, de Alna [a], monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Charitate, de Montepetroso, s. th. professores.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Caroliloco, de Rupibus, s. th. professores.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Claravalle, de Frigidomonte, monasteriorum abbates, Prior et subprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : de Pontigniaco [prior], s. th. pr.

NOTARII ABBATES : de Bellavalle, de Sancto Sulpitio, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : Cellerarius Cistercii ; gubernator prioratus B. M. de Gratia.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Prulliaco, s. th. pr.

NOTARII AD PEDES : frater Hugo de Trevorchio, frater Nicolaus de Parisiis, Cistercii professi.

B) Ex parte dominorum Diffinitorum... *etc. in anno praecedenti.*

C) Nomina abbatum Capituli generalis huius anni 1550. — Rmus D. N. de Cistercio, s. th. pr., de Firmitate, de Claravalle, de Charitate,

---

[h] *P*[2] *addit in fine* : Sign. Franciscus Le Roy, abb. Loci Dei, Petrus Morinyeu, abb. S. Sulpitii.

1550. *Fontes* : *A*[4] : 6, 9, 10, 40 ; *L*[7] : A, B, C, 1-40 ; *P*[2] : 1, 6, 7, 8, 9; *S* : 6, 8, 9, 10, *ac diffin.* Cum ex ratione, *quae in aliis fontibus datur sub n.* 7 *anni* 1546.

[a] *Leg.* Elnis ? *infra, n*° 39 *abbas de Alna citatur ut absens.*

de Frigidomonte, de Miratorio, de Buxeria, de Maceriis, de Insula, de Sancto Sulpitio, de Bullione, de Alna, de Bellavalle, de Bithania.

* * *

Anno [b] Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo et die quinta mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

GENERALES ORATIONES

1. Primo, pro sanctissimo ac beatissimo Julio tertio, divina providentia Papa, necnon reverendissimis in Christo dominis S. R. E. cardinalibus, et maxime pro domino Hieronymo, miseratione divina tituli Sancti Georgii ad vellus (*sic*) aureum, S. R. E. cardinali, nostrique sacri Ordinis protectore benivolo, ac etiam pro reverendis, etc. ut 1533.

2. Praeterea pro serenissimo ... etc.

3. Insuper pro burgensibus ... etc.

4. Ceterum pro pace ... etc.

2. Demum pro felicis ... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Nos frater Iohannes, etc. et est talis : Ut iustorum memoria, quae in veneratione est, vitalem fructum reddat omni tempore, praesens generale Capitulum omnes et singulas generalium Capitulorum a sacratissimi huius Ordinis institutione factas diffinitiones, quae ab eodem non fuerint revocatae, observari iubet. Vult etiam commissiones a nuperrimo generali Capitulo factas, propter bella, aut alias iustas causas non executas, in suo robore permanere, in plenaria Ordinis potestate.

7. Inhibetur abbatibus, ne tempore generalis Capituli permittant famulis suis deferre per monasterium Cistercii enses, pugiones aut alios gladios, in plenaria, etc.

8. Nullus abbas monachum vel conversum a professione absolvat aut totaliter dimittat, nisi de aliquo abbate, qui velit eius professionem suscipere ei penitus constet.

9. Non liceat abbatissis sine licentia patris abbatis egredi monasterium, monialibus vero omnino monasterii egressum interdicit prae-

[b] *Titulus apud L*[7]. [c] Sub Iulio 3, card. Hieronimo S. Georgii ad vellus protectore, Carolo imper., Henrico rege, Johanne Cist. abbate : *P*[2].

sens generale Capitulum sub censuris, et renovat diffinitionem factam anno 1546.

10. Singulis annis commissarii contributionum faciant librum rationum suarum, in quo scribant arreragia, eumdemque librum reddent dominis auditoribus computationum, quo possint exigi arreragia ac ex eis Ordinis onera facilius supportari.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

11. Cum iustus Dominus iustitias diligat, praesens generale Capitulum, auditis iis quae ad illud delata de abbatissa Loci Dei iam pluries monita, ordinat quod Rmus dominus sua ordinaria auctoritate contra eam, eiusque moniales et familiam ulterius procedat, etiam ad depositionem, translationem aut alias prout iuris et ordinis fuerit.

12. Cum per bella inter reges Angliae et Scotiae exorta invasum fuisset monasterium de Newbottl, in Sancti Andreae dioecesi et Scotiae regno, fuerit combustum, frater Iohannes Surue una cum quinque aliis religiosis captivi ducti in Anglia post diuturniores carceres ab amicis redempti, rediit in suum monasterium, et paulo post reditum, quemdam virum malum abbati minantem et certis monachis, famulum officii sui aggredientem in defensionem praedicti sui famuli proprio pugione percussit, ex quo ictu mortuus est, qui agnoscens reatum suum cum omni humilitate et sui ipsius abiectione petit absolvi et rehabilitari ; praesens generale Capitulum de eius singulari contritione et devota in Domino perseverantia confidens eum absolvit, rehabilitatque ad omnes gradus, in plenaria, etc.

13. Cupiens generale Capitulum reformationem omnium et singulorum utriusque sexus monasteriorum Ordinis quantum potest, committit abbatibus de Strata et de Thorigniaco aut cuilibet in solidum reformationem monasterii B. M. de Alneto, adiecto tamen aliquo priore proximioris monasterii nostri Ordinis, ad ibidem visitandum et reformandum, instituendum et destituendum, quae secundum Deum, etc. in plenaria, etc.

14. Ad supplicationem fratris Desiderii Griguellet, praesens Capitulum committit domino abbati Claraevallis, ut ei provideat iuxta formam diffinitionis generalis hodie factae incipientis *Nullus abbas monachum*, etc. mandans, etc.

15. Ad supplicationem domini commendatarii monasterii Sancti Andreae, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Strata et de Thorigniaco vel cuilibet eorum in solidum, visitationem et reformationem praedicti monasterii Sancti Andreae, tam in capite quam in membris, in temporalibus et spiritualibus, expensis tamen et sump-

tibus domini commendatarii praedicti loci, praecipientes omnibus, etc., ut illis pareant, etc.

16. Nemini poenitenti gremium claudere volens praesens generale Capitulum, supplicationem atque causam fratrum Nicolai Valeau, in sacro presbyteratus ordine constituti, necnon et Iohannis Thenailles subdiaconi, monasterii B. M. de Mortuomari religiosorum expresse professorum, R. P. abbati de Frigidomonte remittit recognoscendam et decidendam, prout aequitatis ratio suadebit, in plenaria, etc.

17. Dolenter ferens praesens generale Capitulum oves Christi sic passim a gregibus propriis eiici, et per huius mundi deserta in animarum periculum vagare, talibus mature obviare cupiens, fratrem Petrum du Troz, qui nobis praesentavit ad fines subscriptos humilem supplicationem, cum litteris quibus praesentes annectuntur, ad suae professionis locum in monasterio B. M. de Chassania remittendum, statim ordinat et diffinit approbans, ratificans atque confirmans quaecumque per abbates de Sancto Sulpitio huius praedicti monasterii patrem immediatum gesta et facta fuere, dans idem Capitulum eidem de Sancto Sulpitio, cui vel eius substituendo committit auctoritatem, potestatem et mandatum speciale invocandi brachii saecularis auxilium, consilium et favorem, ad omnia eius gesta et acta executioni demandandum, in plenaria, etc.

18. Unicuique ius suum tribuere volens praesens generale Capitulum et in integrum patrum abbatum iurisdictionem servare, institutionem prioris in monasterio de Chassania per Rmum D. N. Cisterciensem factam, videlicet de persona fratris Humberti Orset, religiosi professi eiusdem Chassaniae, approbavit, ratificavit et confirmavit tenoreque praesentium approbatam, etc. in plenaria, etc.

19. Cum ex relatione venerabilium abbatum de Monte Sanctae Mariae et Bellaevallis nobis expositum extiterit sororem Iohannam du Vergier religiosam, ac monasterii de Baptanto prope civitatem Bisuntinam expresse professam, ab aliquibus annis elapsis multoties vitiosam, irregularem et scandalosam exstitisse. Eapropter, si non provideretur, timendum ne cum maiori sui corporis et animi periculo et totius nostri Ordinis scandalo deinceps diversari pergat, mandat generale Capitulum dictis abbatibus et eorum cuilibet, quatinus ubi illam apprehendere poterint per se vel per alios carceribus mancipent, et reponant in aliquo nostri Ordinis monialium monasterio, mandantes abbatissis et religiosis, vobis et cuilibet vestrum, in his quae mancipationem carceris et vitae dictae sororis concernunt, obedientiam exhibere, dantes etiam potestatem vobis et vestrum cuilibet visitandi, emendandi et corrigendi dicta monialium monasteria, invocato etiam pro correctione delictorum, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, in plenaria, etc.

20. Reverendi domini abbatis monasterii B. M. de Aureavalle precibus favorabiliter inclinati, oves errabundas ad Christi ovile reducere cupiens, fratres Pontinianum a Tectis et Henricum a Marvilla, dicti monasterii de Aureavalle professos in sacro presbyteratus ordine constitutos, dictum praesens generale Capitulum rehabilitationis munere donat, praesentiumque tenore rehabilitatos declarat, instituens eos ad omnes Ordinis gradus, officia, actus et dignitates, dignitate etiam abbatiali inclusa et comprehensa, in plenaria, etc.

21. Vere poenitentibus et emendationem vitae promittentibus viscera misericordiae praesens Capitulum generale aperire cupiens, fratres Carolum de La Roche, monasterii de Reliquiis expresse professum, ad patrem abbatem de Begario rehabilitandum atque puniendum remittit, si eius supplicatio praesenti Capitulo oblata veritati innitatur, in plenaria, etc.

22. Abbati Sancti Sulpitii, aut eius substituendo committitur, quod sub censuris cogat dominum abbatem de Putheolo compariturum Cistercii hinc ad festum Assumptionis divae Virginis, redditurum rationem exactarum contributionum, in plenaria, etc.

COMMISSIONES CONTRACTUUM INQUIRENDORUM

23. Abbati de Stamedio aut magistro Nicolao Guérin, s. th. pr., religioso Pontigniaci, et cuilibet in solidum committitur ut se informent et inquirant de et super commodo et incommodo cuiusdam contractus albergamenti initi et passati inter vener. dominum abbatem et religiosos Sancti Sulpitii ex una et Iacobum Suodi de Tigney et Iohannem Pelliod de Challey, in Sabaudia, dioecesis Bellicensis, et referant Capitulo futuro discutiendum super confirmatione aut infirmatione eiusdem actus, etc.

24. Committitur etiam dicto magistro Nicolao Guérin ut informet et inquirat de et super contractu passato et inito inter fratrem Gerardum de Garacourt, abbatem de Miratorio et religiosos eiusdem abbatiae ex una, et Petrum Bordet dictum Parrachoz, Ginoctum Bordet, Nicolaum Fourre de Chivilli et alios suos consortes ex alia partibus ad causam clisae cuiusdam perpetuae terrae sitae iuxta sylvam Miratorii prope campum Perrey, quas informationes referent proximo Capitulo aut Rmo D. N. discutiendas super confirmatione aut infirmatione, etc., in plenaria, etc.

25. Consequenter generale Capitulum committit dicto magistro Nicolao, ut se informet et referat Capitulo generali aut Rmo D. N. de et super commodo aut incommodo cuiusdam contractus initi inter eumdem abbatem de Miratorio, et religiosos suos ex una, et Claudium Feaulx seniorem, Iacobum eius filium et Iohannem Freau de Gisia, ad causam du Maix de la Merenes, in plenaria, etc.

26. Abbati Frigidimontis cum potestate substituendi committitur ad informandum et referendum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi et passati inter dominum abbatem et religiosos Claraevallis ex una, et Petrum Malliet Lesnet, et Iohannem de Strieux, mercatorem de Troyes, et eorum uxores ex alia partibus, ad causam cuiusdam domus, ut in eodem continetur contractu, in plenaria, etc.

27. Capitulum generale Cistercii, visa supplicatione Petri Montois, notarii regii Dissouldin, commisit et committit vener. abbati Septem fontium cum potestate substituendi ad inquirendum et informandum super commodo vel incommodo instrumentorum ac actorum initorum inter eumdem Montois ex una, et dominum commendatarium, priorem et religiosos de la Prée ex altera partibus, quas informationes referat Capitulo generali proximo futuro discutiendas super confirmatione aut infirmatione, etc. in plenaria, etc.

28. Committitur abbati de Frigidomonte cum potestate substituendi ad inquirendum et informandum super commodo aut incommodo contractus transacti inter vener. dominum commendatarium monasterii de Prulliaco ac conventum eiusdem loci ex una, et honestum virum Richardum Flocher ex altera partibus, et si noverit esse commodum dicti monasterii, ipsum confirmandum, si aequum illi videatur, in plenaria, etc.

CONFIRMATIONES CONTRACTUUM

29. Ad supplicationem vener. domini abbatis de Miratorio, institutionem per eum factam de persona fratris Iohannis Boudon, alias de Tyro, portarii praedicti monasterii de Miratorio, approbat, ratificat et confirmat praesens generale Capitulum, approbatamque, etc. in plenaria, etc.

30. Praesens generale Capitulum, visa relatione et inquisitione facta super contractu inito inter vener. dominum abbatem monasterii de Albaripa et conventum eiusdem ex una, et nobilem virum Iohannem Bernard de Dorgellet ex altera partibus, cognoscens dictum contractum esse et fore ad utilitatem praefati monasterii ipsum approbat ratificat et confirmat, approbatumque, etc.

31. Praesens generale Capitulum, visa relatione et inquisitionibus ac informationibus sumptis ad supplicationem Guillelmi Gilbert, Michaelis Nyot, et Iacquelinae viduae Guillelmi Baillet apud Trecas habitantium, super commodo et incommodo contractus cui praesentes annectuntur, initi inter vener. dominum Claraevallis abbatem ex una, et magistrum Condi, Anthonium Guyard advocatum regium in ballivatu Trecensi, cognoscens esse in commodum et utilitatem monasterii Claraevallis, ipsum approbat, etc.

32. Visis informationibus per deputatos a novissimo generali Capitulo factis, et ad eorum relationem, praesens generale Capitulum sequentes contractus ab abbate et conventu monasterii de Ursicampo in Noviomensi dioecesi, factos et initos, agnoscens ipsos fuisse factos in commodum et utilitatem ipsius abbatiae Ursicampi ratificat, etc. Et primo, contractum initum cum Goberto Thiersonnes, eiusque uxore Iohanna Clenet a Champreux residentibus. — Item, contractum initum cum Iohanne Berthaud et Franscica Cutin eius uxore. — Item, contractum initum cum magistro Berruyer. — Idem fit de uno alio instrumento inito cum Laurentio de Saurtquelx. — Item, contractum initum cum Iohanne Berthaud.

33. Visis inquisitionibus et informationibus factis per abbatem de Landavalle super contractu permutationis inito die 11ª aprilis 1538, inter abbatem de Begario et eius religiosos ex una, et scutiferum de Jomar dominum Runargoff ex altera partibus, eumdem contractum agnoscens fore, etc. ut supra.

34. Visis informationibus sumptis per rev. abbatem Frigidimontis, Rmi D. N. commissarium specialem ad informandum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi et passati inter illustr. D. D. Anne de Montemorentio, baronem et Franciae conestabilem ex una, et dominam abbatissam Sancti Anthonii de Campis extra muros Parisienses et eius conventum ex alia partibus, ad causam reacheti et redemptionis proventuum et reddituum annualium usque ad summam triginta novem librarum turon. et duorum sextariorum castanearum, quae ipsa domina abbatissa et eius conventus percipiebant in et super domo et baronia de Montemorentio annuatim, cui contractui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum considerato melioramento eisdem abbatissae et eius conventui dictorum proventuum annualium facto, prout in eodem contractu continetur, ipsum contractum et omnia in eodem contenta, salvis tamen conditionibus in eodem descriptis, laudat, approbat, etc.

35. Viso et considerato tenore instrumenti et contractus initi et passati inter vener. dominum abbatem Frigidimontis et eius conventum ex una, et Ludovicum Le Febure coquum eiusdem domini Frigidimontis ex alia partibus, occasione clisae perpetuae et annui redditus peciae terrae continentis triginta duarum minarum sitae in territorio Frigidimontis in loco de Houssieir, praesens generale Capitulum ipsum contractum, cui praesentes annectuntur, laudat, approbat, etc.

36. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores, etc. Praesens generale Capitulem renovat, approbat et confirmat diffinitionem singulis annis renovatam quae incipit : Cum totus Ordo noster

Cisterciensis, mentionem faciens tam de antiquo quam de novo debito, in plenaria, etc.

LITTERAE MISSIVAE

37. Salutem in Christo Iesu. Reverendissime Domine. — Quantum ipsi de vobis conceperimus, cum declaratae nobis fuere vestrae litterae, Reverendissime in Christo Pater et Domine, missae Rmo D. N. Cisterciensi, quibus omni officio suum Cisterciensem Ordinem protegere pollicebamini, quantum porro de vestra singulari virtute, benignitate et patrocinio V. D. Rmae sibi speret ac spondeat idem Cisterciensis Ordo facilius cogitare possumus quam dicere, vestrae tamen Celsitudini et laudamus et suspicimus atque indicamus, quibus summopere indigemus. Felicis enim recordationis S. D. N. Paulus confirmarat nobis concessa a suis praedecessoribus indulta, immunitates, privilegiaque, quae V. D. Rmae interventu nunc confirmando veniunt a S. D. N. Iulio Pontifice Summo, qui si D. V. Rmae interventu confirmare dignetur ac ab eodem obtinere litteras monitorias usque ad interdictum inclusive in non solventes contributiones, quae pro oneribus Ordinis supportandis indictae sunt, eaedem si exigantur, annua pensio indubitanter una cum arreragiis vestrae Celsitudini persolvetur, id quod commode fieri poterit, vestrae Celsitudinis interveniente patrocinio, quos supplices nobis usque ad omnium confirmationem adesse precamur, parum non est aliquid adipisci potuisse, nisi quod est adeptum conservetur. Ne igitur Vestra Rma D. a tam sancto et pio opere cesset,sed curet ut nostris sumptibus praedicta indulta, immunitates et privilegia per S. D. N. Iulium ut concedantur et confirmentur ; neque id D. V. Rmae indignum putetis cum omnis functio, quae pertinet ad statum religionis meliorandum aut cohonestandum non potest esse non honesta, non splendida, non magnifica, necnon tali tantoque viro digna. Bene valeat V. Rma D. — E diffinitorio Cisterciensi quinta maii M. D. L. — V. Rmae D. humiles filii et oratores abbas Cistercii, ceterique generalis Capituli Diffinitores. — Rmo in Christo patri et domino, Domino cardinali S. Georgii ad vellus aureum, Cisterciencis Ordinis clementissimo protectori.

38. Rmo in Christo patri et domino, domino cardinali du Bellay. — D. O. M. misericordiarum patris et Dei totius consolationis imitatorem te esse non dubitamus, Rme in Christo pater et domine ; quamobrem visceribus et ardore charitatis permoti, et de tua in omnes summa benignitate confidentes quantum possumus tuos in Christo filios, fratres Nicolaum Guérin, Florentinum Le Clerc et Guillelmum Sorel commendamus eos enim sic ad cor reversos, ac de suis in tuam Rmam Paternitatem offensis dolentes cognoscimus, ut E. V. Rme pater, perpetue diligentissime obsequuturos speremus.

Horum N. primi incertis aedibus iam fere toto quadriennio pererrarunt, nec ullus inventus est illis patronus, qui gratis eos aut nutrire aut vestire voluerit. Propterea et improbo labore fatigati et omnium ferme rerum penuria affecti sunt, ut iam illis vim respirare liceat. Hos igitur

omnes ad pedes tuos provolutos humaniter R. P. suscipito et in tua domo Pontigniaci suae professionis loco benigne recipi permittito, isthic perseveraturos in omnibus tuis mandatis ac aequissimis iussis executioni demandandis. Ceterum si quid est, quod nostra quantulacumque respublica pro tua Rma D. poterit eam semper paratissimam invenire. — Bene valeat T. Rma D. — E diffinitorio nostro Cistercii, quinta maii D. M. L. — E. V. Rmae P. et D. humillimi filii et oratores abbas Cistercii, ceterique Diffinitores generalis Capituli.

EXCUSATI A PRAESENTI CAPITULO

39. Abbates de Morimundo, de Aureavalle, de Quinciaco, de Valcellis, de Alna, de Bullencuria, de Ursicampo, de Camberone, de Boneffia, de Sancto Remigio, de Molendino, de Loco Dei, de Caladia, de Valle Sancti Lamberti, de Carocampo, de Dunis, de Capella Thosan, de Bodello, de Loco Sancti Bernardi, de Claromarisco, de Villari, de Sancto Salvatore, de Iranciu, de Mulbruna.

* * *

40. Quoniam [d] propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1517, *n*o 72.

1557

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1557.

DIFFINITORES : Reverendissimus dominus abbas **Cistercii**, s. th. pr., de Tribus regibus, de Stamedio, de Monte Sanctae Mariae, monasterium abbates ; de **Firmitate**, de Maceriis, de Bithania, de Clarofonte, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco**, de Insula, de Sancto Sulpitio, de Marcilliaco, de Lezinis, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, s. th. pr., de Valle clara, de Septem fontibus, de Thoriniaco, monasteriorum abbates ; loco domini **Morimundi**, de Charitate, de Gratia Dei, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Caroliloco, de Insula, s. th. pr.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Maceriis, de Stamedio, monasteriorum abbates.

---

[d] P^2 *addit in fine* : Sign. Marcus abb. Bellaevallis, Petrus Morinyeu abb. S. Sulpitii.

1557. *Fontes* : A^4 : 48 ; L^7 : A, 1-48 ; *M* : 14 (*sub ann.* 1547) ; P^2 : 1, 7, 10, 11, 14, 15, 16, 18, 40 *(abbrev.)*, 41, 43, *et in fine add.* : Sic sign. De Sommeryse, abb. Septem font., Petrus de Morinyeu, abb. S. Sulpitii.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Valle clara, prior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : de Pontigniaco [prior], s. th. pr.

NOTARII ABBATES : de Septem fontibus, de Sancto Sulpitio, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Cistercio, s. th. pr., frater Iohannes de Avalone.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Fonteneto, s. th. pr.

NOTARII AD PEDES : frater Franciscus de Normanville, frater Nicolaus de Parisiis, religiosi Cistercii.

* * *

Anno [b] Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, die decima septima mensis maii in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

GENERALES ORATIONES

1. Primo, pro sanctissimo, etc.
2. Praeterea pro serenissimo, etc.
3. Insuper pro burgensibus, etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Nos frater Iohannes ... etc. et est talis : Cum totus Ordo noster... *etc.* necnon in summa 7854 librarum, 16 solidor. 6 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli ... etc.

7. Tantis difficultatibus communis nostra contributionum solutio procuratur, ut maiore impensa quam utilitate a plerisque recipiatur ; cui damno praesens generale Capitulum volens debitum et quod potest, praebere remedium, ordinat, iniungit et praecipit, ut deinceps in illis Ordinis monasteriis, quae ad firmam, seu quod dicunt ad modiationem abbatibus aut quibuscumque monasteriorum regimini praesidentibus locabuntur, etiam in his, quibus firmarii, seu qui vocantur admodiatores, victum et cetera statui [b] conventuum obnoxia ipsis conventibus ex pacto reddere tenebuntur, eadem conditione dicti firmarii vel admodiatores monasteriorum sibi locatorum, conventibus eorum, quo facilius et promptius a receptoribus Ordinis haberi possint dare et persolvere obligentur.

---

[a] *Titulus apud L*[7]. [b] factarum conventionum : *L*[7].

8. Abbates non excusati ad duplum contributionum tenentur et per censuras proximo generali Capitulo futuro comparere cogantur.

9. Etsi a nascentis Ordinis nostri Cisterciensis initio, tam canonicis sanctionibus, apostolicis statutis, quam plurimis patrum nostrorum diffinitionibus iam cautum satis superque sit provisum, ne vel abbates vel quivis alii monasteriorum regimini praesidentes contractus ullos in rerum temporalium dispensatione absque praeviae inquisitionis regula tentare aut confirmare praesumerent, praevalente tamen moderni temporis miseria, id a multis sua quaerentibus secus fieri compertum est. Quocirca praesens generale Capitulum volens huic desolationi remedii opportuni afferre subsidium, et imminentem doti ecclesiasticae praecavere ruinam, omnibus et singulis dicti Ordinis personis, quacumque auctoritate praecellentibus, ceterisque monasteriorum administrationi quovis modo in utroque homine praesidentibus, iuxta praedictorum statutorum, sanctionum et diffinitionum tenorem districte praecipit et inhibet, ne imposterum quidquam aliter contrahere, aut contractus confirmare, nisi praevia diligenti inquisitione audeant et praesumant ; contractus vero secus factos et initos, irritos declarat et inanes, in plenaria, etc.

10. Cum monasticae nostrae professionis debitum absque promissae stabilitatis authoramento vere et solide persolvi non possit, cumque ea diebus his satis profligata et abiecta plurimi Ordinis nostri monachi mortuis suos mortuos sepelire non sinant, imo quotidie ad defunctorum exsequias et quadragenas sacra facturi et dicturi missas exeant, confraternitates saeculares et festa celebrent, et mediis immersi etiam nuptialibus conviviis a suae professionis procul se ablegent instituto, praesens generale Capitulum, ne deinceps id fiat, aut ab abbatibus, vel prioribus seu ceteris monasteriorum praesidentibus, praesentibus fieri toleretur districte praecipit et inhibet.

11. Solemne professionis votum soli recipiant abbates, nec alteri cuiquam liceat illud recipere.

12. Cum otium sine litteris mors sit et vivi hominis sepultura, multi ficto titulo litterarum Parisiensem aut alias Universitatum urbes in *Benedictina* permissas petunt ac procul a collegio Sancti Bernardi hospitantur, discurrunt et vagantur, habitu aut partim aut in totum dimisso, nulla religionis indicia praeseferentes, quod corrigere volens praesens generale Capitulum statuit, quod omnes et singuli Ordinis nostri monachi, cuiuscumque status aut dignitatis fuerint, decenter et honeste habitu et moribus compositi secundum antiqua Ordinis statuta incedant in urbium praemissarum collegiis morentur. Alioquin praecipit abbati de Septem fontibus et provisori Sancti Bernardi et aliarum Universitatum provisoribus collegiorum, ut tam incompositorum morum scolasticos vocent et citent, atque regulariter et se

vere corrigant, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc brachii saecularis auxilio, consilio et favore, in plenaria, etc.

13. Cum ab antiquo monialibus egredi monasterium interdictum fuerit, abbatissis vero cum licentia patris abbatis egredi hactenus licuerit, praesens generale Capitulum ob scandala inde orta, abbatissis et monialibus egressum monasterii omnino interdicit, ac sub firma et forti clausura manere iubet, nec eis liceat confessores, nec procuratores saeculares habere, aut eis confiteri nec aliis, quam sui Ordinis, et datis a suo patre abbate, sub censuris, in plenaria, etc.

14. De cetero non recipiatur monialis alterius cuiusvis Ordinis, inconsulto et non assentiente patre abbate, qui diligenter de vita et moribus ingressurae inquiret, et tandem aut admittet aut expellet.

15. Universis et singulis personis Ordinis inhibetur, ne sinant mulieres infra septa suarum monasteriorum habitare, sed tantum extra in locis, quam bassas curias vocant.

16. Desolatum Ordinis nostri statum et moderni temporis malignitatem graviter oppressum miserandae atque immensae tam morum quam monasteriorum ruinae non modo probant et testantur, imo ad lacrimas, et praestandum exactae providentiae suffragium veros christianae religionis et nostri Cisterciensis Ordinis amatores invitant et hortantur. Quapropter praesens generale Capitulum enixe desiderans commissarum sibi animarum, atque adeo personarum Ordinis securitati in praestandae obedientiae debito providere et paternae subventionis dare auxilium, et in his praesertim, quae abbates commendatarios saeculares respiciunt atque concernunt. Omnibus et singulis regularibus Ordinis personis iniungit et praecipit, ut quam patribus et superioribus Ordinis, sibique invicem ex professo debent obedientiam, subiectionem et reverentiam, aliis iuxta papalia decreta dictique Ordinis instituta impendant, reddant et exhibeant, quin potius per praedecessorum patrum nostrorum ambulantes vestigia, quae suae sunt professionis sollicite exsequantur.

17. Exhibitus hactenus sacris litteris atque earum professoribus honor eo minus est his diebus negligendus, quo clariori lumine intellectus humanus ad fidem est illuminandus, estque amplius ipse Deus maiore a cunctis reverentia et charitate agnoscendus et diligendus. Eapropter praesens generale Capitulum ad Dei honorem et animarum salutem congregatum, his quorum opera Deus praesertim agnoscitur et sincere colitur debitae subventionis opem afferre desiderans, et iuxta antiqua Summorum Pontificum decreta, Ordinis instituta et obversatum a patribus ritum abiectis nunc in Ordine nostro sacrae theologiae professoribus et magistris necessarium praestare subsidii remedium, vult, statuit et ordinat, ut sacrae theologiae praesertim Parisiensis academiae professores ceteris monasteriorum suorum re-

gularibus personis post priores suos ubique sedeant, praeficiantur, extra dormitorium honestam mansionem habeant, victumque rationabilem quo secundum suum statum sustentari possint.

18. Tantus est honor et excellens est adeo reverentia academiae Parisiensis, ut qui ex nostro Cisterciensi Ordine ad illam, et in illa ad nostrum S. Bernardi collegium litterarii studii gratia destinantur, atque labores suos successive gradibus expectant praemiari, tales sint et illis praediti moribus et litteris, quibus nihil dispendii nihilve dedecoris, gloriae divinae, animarum saluti et Ordinis quieti afferri possit ; ex quo praesens generale Capitulum praevidens omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habere, quanto qui peccat maior habetur, statuit, ordinat et diffinit, quod nemo in futurum ad cursum theologiae Parisiis prosequendum admittatur, nisi prius a provisore collegii S. Bernardi, vocatis secum doctoribus theologiae ad permanendum in dicto collegio licentiam habentibus, examinatus et sufficiens declaratus fuerit, secus promotos vult et declarat omnibus privilegiis et gratiis graduatorum esse privatos.

CONFIRMATIONES CONTRACTUUM

19. Praesens generale Capitulum contractum inter abbatem et conventum de Bullencuria, in Trecensi dioecesi, ex una, et incolas ac habitatores terragii seu villae de Perthes ex altera, prout in litteris, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, initum et passatum, praesens generale Capitulum, visis informationibus super eo factis, approbat, etc.

20. Contractum inter abbatem et conventum de Bullencuria, in dioecesi Trecensi, ex una, et Petrum Michault ac Iohannam eius uxorem, Iohannem Larchier et Mariam eius uxorem, Humbertum Michault,et Ginonnam eius uxorem pariter agricolas,ex altera partibus initum et passatum, praesens generale Capitulum, visis informationibus super eo factis, approbat, ratificat et confirmat, modo praedicti contrahentes agricolae de fundo in dicto contractu contento clare et specifice de decennio in decennium monasterio praedicto recognitiones litteris authenticis facere teneantur.

21. NB. Praedicta fuerunt inserta, id est duo contractus quae fuerant obmissa, auctoritate subsequentis Capituli generalis 13 mensis maii anno Domini 1560. Signatum : de Poligny, abbas de Roseriis.

22. Contractum inter abbatem et conventum de Fonteneto, in Eduensi dioecesi, ex una, et Vincentium, Nicolaum, Iohannem, Claudium, Leonardum, et Germanum Gradeletz, et plures alios in grangia des Moreaulx prope Fontanas commorantes, ex altera, prout in litteris, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, initum et passatum, visis informationibus, etc. approbat, etc.

23. Contractum inter abbatem et conventum monasterii de Fontaneto, in Eduensi dioecesi, ex una, et Symonem Comperot, Claudium Clerget, Guillermum, Nicolaum, Claudium et Germanum Bornoct fratres, Iohannem et Franciscum Potot fratres, Leonardum et Claudium Gradel fratres, et Benignum Froard, omnes apud Fontanas et les Moreaulx commorantes, ex altera partibus, ut in litteris, etc. approbat, etc.

24. Contractum inter abbatem et conventum de Fontaneto, in Eduensi dioecesi, ex una, et Petrum Capitan, Calmis commorantem, ex altera partibus, cui praesentes annectuntur visis, etc. approbat, etc.

25. Contractum inter abbatissam et conventum de Tardo, in Lingonensi dioecesi, ex una, et honestum virum Benignum de Compassem mercatorem Divionensem, ex altera partibus, prout in litteris, etc. visis, etc. approbat, etc.

26. Contractum inter abbatem et conventum de Rigniaco, in Antissiodorensi dioecesi ex una, et dominum magistrum Iohannem de Longueil, dominum de Sebar, ex altera partibus, prout in litteris, etc. approbat, etc. modo idem dominus de Longueil redditus quos dicunt admortisatos dederit aut datos admortisari fecerit.

27. Contractum inter f. m. reverendum dominum Ludovicum cardinalem de Bourbon, monasterii de Morimundo abbatem commendatarium ex una, et honestum virum Claudium Laberne, mercatorem Divionensem, ex altera partibus, prout in litteris, etc. approbat, etc.

28. Contractum initum inter abbatem commendatarium et conventum de Rigniaco, in dioecesi Antissiodorensi, ex una, et nobilem Anthonius Carlier, regium heraldum, et Iohannam Prunier eius uxorem et suos, praesens generale Capitulum approbat, etc. dommodo praedicti, *etc. ut supra n° 20.*

29. Contractus initi inter abbatem et conventum de Insula ex una, et Claudium Liebault ex altera, per Capitulum sedens anno Domini 1527 confirmati, abbas de Insula petit sibi fieri in authentica et fidem faciente forma copiam fieri, Capitulum generale concedit et iubet illam habere.

30. Benignum favorem his liberaliter Ordo impartitur quorum meritis et opera in sancta Dei veneratione atque debita observantia adiuvatur ; quapropter praesens generale Capitulum, visis litteris concessionis per abbatem et conventum de Fonteneto vener. fratri Petro Sereno, s. th. pr., eiusdem monasterii expresse professo, de Ordine eodemque monasterio bene merito, factae et suis sigillis consignatae, eamdem concessionem, prout in praedictis litteris, quibus, etc. approbat, etc., modo ex earum tenore paupertatis voto nihil praeiudicii afferatur.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

31. Exposuit nobis abbas Montis Sanctae Mariae se a sesqui anno citra pacificam adeptam possessionem, de qua adepta intellexit praedia multa et redditus monasterio suo spectantia a Lutheranis occupari, et ea ratione se solitis non posse oneribus sui monasterii satisfacere maxime contributionum quottam, antiquitus dicto suo monasterio impositam, quae est octodecim librar. et decem solid. turon., de qua summa supplicat sibi detrahi, Capitulum generale supradicta ratione motum, supradictam quottam ad decem libras reducit, in plenaria, etc.

32. Provisori collegii S. Bernardi Parisiis, et ... Galland, s. th. pr., et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum religiosorum Caroliloci petentium fratrem Anthonium Charisel, s. th. pr. sibi dari in priorem desiderio, ut provideant et terminent, in plenaria, etc.

IUDICES

33. Cum eos, qui prius ceteris in hoc mundo aliquid accepisse a Domino cernuntur, timere magis oporteat, ne si aberraverint, ab auctore mundi gravius inde iudicentur, cum etiam agnoscere debeat regularis praesertim nostra observantia, quam longe amplius ceteris subiectioni et obedientiae sit addicta, praesens generale Capitulum audita reverenter Rmi D. N. Cisterciensis, s. th. pr. querimonia qua se in plurimis, quae ipse vocaliter exponere dignatus est ab abbate de Roseriis, in Bisuntinensi dioecesi, s. th. pr., contemptum et maledictis offensum est conquestum, intellecta, pariter dicti abbatis de Roseriis contumacia, ex eo quod nec ad praesens generale Capitulum venire, aut se quoquo modo excusare voluit aut procuravit ; abbatibus de Loco crescenti et de Bithania committit, ut dictum abbatem de Roseriis, qui loco competenti, ab eis ipsi praescripto coram eis infra divi Iohannis Baptistae Nativitatem ad diem comparere et respondere tenebitur ; de praemissis interrogent, audiant et admoneant, atque etiam, si opus sit, ad debitae satisfactionis, recognitionis et obedientiae complementum per omnes iuris et iustitiae vias compellant, et de facto ad proximum generale Capitulum citent.

34. Conquestus est frater Anthonius de Porta, religiosus et prior Vallis Benedictae Lugdunensis dioecesis, citatum et falso se fuisse accusatum a fratre Anthonio Iaquier eiusdem monasterii professo, citatum ob valetudinem et aetatem non comparentem, Capitulum generale committit abbati de Septem fontibus, qui audiat et terminet. — Fratrem Anthonium de Larvere equidem audiat.

REHABILITATIONES

35. Ad instantiam domini abbatis de Claravalle supplicantis pro sorore Magdalena des Essars, moniali monasterii B. M. de Ponte dominarum expresse professa, nunc in monasterio de Lilio existente, et ad perferendum unius anni poenitentiam missa per vicarium Rmi propter incontinentiam ab ea commissam, ad quam subsecutum est puerperium, petente absolutionem et rehabilitationem ad officia, abbatiali dignitate comprehensa, non obstante praedicto delicto ab ea commisso, praesens generale Capitulum de eius poenitentia, et ad cor reditu sufficienter informatum, de cuius perseverantia in Domino confidit, ipsam eamdem sororem Magdalenam rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, etc.

36. Gaudium esse angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, sacrum testatur evangelium ; audita itaque supplicatione fratris Petri Pierre, professi monasterii de Igniaco, illicentiati suum monasterium egressi, et ea ratione censuris innodati, nec per hoc a sacrae missae celebratione desistentis, ac tandem ad cor redeuntis et in suum monasterium, in quo a suo priore rigorose punitus, petit absolvi et rehabilitari, cuius contritione motum generale Capitulum, eum ab omni excommunicationis, irregularitatis et suspensionis poena absolvit, in plenaria, etc.

37. Oves errabundas ad Christi ovile reducere cupientes, fratrem Andream Monis, religiosum professum monasterii de Populeto, in dioecesi Tarraconensi, ob eius transgressiones incarceratum, et vinculis irretitum ac inedia maceratum, ante completam poenitentiam fracto carcere elapsum, ad patrem suum immediatum Claraevallensem venit qui illum tamquam pater abbas monasterii de Populeto punivit et correxit, tandem ad Capitulum generale absolutionem et rehabilitationem petiturus venit, cuius contritione et satisfactione etiam relatione domini abbatis Claraevallis motum generale Capitulum, eum ab omni excommunicationis, irregularitatis et suspensionis poena absolvit, eumque correctum et emendatum ad suum monasterium et abbatem remittit, in plenaria, etc.

COMMISSIONES

38. Abbati de Roseriis, s. th. pr., et abbati de Gratia Dei, in Bisuntinensi dioecesi, et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit quatinus super multis contractibus, quibus praesentes annectuntur, inter abbatem et conventum de Bullione, in Bisuntinensi dioecesi, et varias personas prout in litteris super eis factis plenius con-

tinetur, de commodo vel incommodo diligenter inquirent, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, etc.

39. Audita querimonia abbatis de Charitate prope Lisignam, Lingonensis dioecesis, conquerentis de fratre Iacobo de La Chaulme, religioso expresse professo monasterii Quinciaci super ablatione multorum bonorum mobilium sui praedicti monasterii de Charitate, Capitulum generale committit abbati de Maceriis, qui audiat, terminet et decidat, in plenaria, etc.

40. Nos frater Iohannes, abbas Cistercii, etc. et est talis : Salus redemptarum pretioso Christi sanguine animarum continuis pastoralis curae observanda vigiliis et ante divini tribunal iudicii de manu pastorum severo requirenda examine cum ea sincera, quae in Domino gerere debet charitate, omnes admonet, ut non modo, quae corporis propinqua sunt oculis, sed variis terrarum spaciis atque limitibus distinguuntur, interioris oculi respectu curentur. Et quo longius a paternae consolationis distant solatio eo attentius sollicitudinis debitae iuventur auxiliis. Eapropter praesens generale Capitulum de zelo, prudentia, discretione, experientia, morum litterarumque excellentia domini abbatis de Claravalle, s. th. pr., satis superque certius factum, necnon de abbatum de Valle clara et de Septem fontibus probitate et sufficientia informatum, ipsis et eorum cuilibet committit in solidum, plenariam dat auctoritatem et potestatem, quotiens opportunum et expediens viderint, aut alter eorum viderit, visitandi et reformandi omnia et singula dicti Ordinis monasteria in provinciis, quarum nomina praesentibus inserta subsequuntur, ibidemque puniendi, emendandi, instituendi et destituendi in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus omnia et singula, quae secundum Deum, *etc. ut in forma consueta*. Praesentibus usque ad proxime sequens generale Capitulum solum in suo vigore duraturis. Nomina autem provinciarum per dictos commissarios visitandarum sunt haec : Campania, Bria, Francia, et circumciacentia, Normannia et Aquitania, cui quidem Aquitaniae includi declarantur Bituricensis et Lemovicensis provinciae cum Borbonio et Alvernia. Datum, etc.

41. Similis commissio data est domino abbati de Firmitate, et abbati de Maceriis, et eorum cuilibet, in provinciis Dephinatus et Provinciae.

42. Similis commissio data est abbatibus de Sancto Sulpitio et de Stamedio, in provinciis de Sabaudia.

43. Idem, reverenter commisit Rmo D. Cisterciensi, in ducatu et comitatu Burgundiae.

LITTERAE MISSIVAE

44. Solito more convenimus hic in unum quotquot abbatum potuimus

interesse huic Synodo, quod Capitulum generale vocamus, ex qua dependet sacri nostri instituti decus et splendor [c]. Rme in Christo pater, illustr. princeps, sed proh dolor ! tam pauci abbates, ut supplere iudicum numerum ab antiquo institutum non potuimus, id quod pridem te pro nobis intercedente christianissimo regi D. N. exposuimus certo scientes eum nos non habiturum sufficientem iudicum numerum quod omnia ferme commendata sunt monasteria huius regni, quare qui illis praesunt non parent Ordini, et multi illorum pro patribus et pastoribus mercenarios sese factis produnt, ut clare nobis innotuit querimoniis oppressorum. Pastor ovem errantem diligit, elisam colligit et dispersam, fessam etiam in humeros fert, alit, fovet ac suo gregi reddit ; hi autem qui mercenarii sunt secedentem ovem non reducunt, quae si redeat virga ferrea et baculo corrigunt. Si de victu aut vestitu conqueratur monachus, si demolitioni aedificiorum contradicat, et eorumdem instaurationem necessariam praemonstret, si bonorum monasterii alienationi non assentiatur, eiicitur e monasterio suo errabundus nusquam rediturus, ac tandem extra monasterium suum desolatus abit moriturus ; qui si redeat carceribus mancipatur, vinculis irretitur et oneratur alapis aut baculis ceditur. Ita ut his malis pressus nec tranquilla mente Deo famulari nec promissam loco stabilitatem servare possit, quo fit ut tuum cogamur auxilium implorare, Rme in Christo pater, illustrissimeque princeps, ut nos his calamitatibus oppressos liberes, emendes ac instaures, et id facientem te Dei ministrum venerabimur, observabimus et circumspiciemus tamquam angelum lucis, tenebras fugantem. Noli despicere supplices ad te confugientes, sed qua praeditus es virtute porrige manum labanti populo, erige lapsos, consolida fractos, illosque tuos assuetos misericordiae oculos ad nos converte. — Reverendissimo in Christo patri, illustrissimoque principi ac domino, domino cardinali a Lotharingia, archiepiscopo Remensi, primo Franciae pari, potentissimo ac benevolo Cisterciensis Ordinis assertori.

45. Ad serenissimum Regem Angliae, fidei protectorem. — Dei ineffabilis bonitas verbo creato homine, et multis saeculis durantibus propagatoribus, ut tandem haereditate possideat terram, videns eum ab adolescentia pronum ad malum hominem delevit per aquam semine servato in octo tantum animabus, qui cum crevissent et multiplicati fuissent ex optimo patrefamilias suo iudicio regem sibi statuerunt, qui unus tantummodo reipublicae suae praeesset, unus qui tueri bonos, illisque non sine labore favere, ac malis resistere, saltem poenae metu posset, et sic vitam sub regibus quietam agere licuit quousque hominum, non quae Dei et proximi sunt quaerentium, licentia versa est potestas in tyrranidem, versus et homo in belluam ut homini lupus esset homo, quam tandem reges abegerunt. Imago enim Dei viventis et simulacrum eius rex est; nam unus Deus, unus rex, et unitas principium numeri non numerus caput in corpore, ex quo tota virtus corporis dependet. Sic, serenissime Rex, catholicae fidei protector accidit nobis a saeculo; nam cum sub pontificibus imperatoribus trittavis, abavis, proavis, avo et patre tuo, Caesare semper augusto, et sub regibus

[c] *Quaedam videntur deesse in ms.*

et aliis principibus quietam et tranquillam vitam ageremus, supervenerunt homines sui amantes, avari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, carentes affectu, nescii foederis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, praecipites, inflati, voluptatum amantes potius quam amantes Dei, habentes formam pietatis, sed qui non vim eius abnegarunt sacra profanis miscentes, quod nisi Dei Opt. Max. ineffabilis bonitas per caesaream tui patris maiestatem cohibuisset, quem non movissent lapidem, ut omnia in peius irent. Dei autem bonitas id muneris, id beneficentiae huic saeculo servavit nobis per Caesarem, qui eum nasci hoc saeculo constituerat, quo deploratis rebus suvbeniret ; qui non, quemadmodum Deus per aquam primos homines delevit, sed ut Dei viventis imago Dei clementiam et misericordiam imitatus, qui postquam factus est homo pater misericordiarum et Deus omnis consolationis est. Sic Caesar sua clementia aberrantes ad pietatem reduxit, sua miseratione allexit ; unde et in eo virtus Dei manifeste apparuit, apparet etiam ubique, nam qui sub eius imperali maiestate degunt errores vitare debent, sacramenta capere, vota Domino reddere, religionis habitum, quem semel ceperunt, non deserere, ut nunc videmus in nostro generali Capitulo, cuius maiorem partem abbates a tuo Burgundiae comitatu constituunt, id quod nos admodum exhilaravit, coegitque exultare in Domino, et illi gratias agere, et tibi, Serenissime Rex, christianae fidei defensor.

Qui quidem habitus, licet non faciat, monachum et humilitatem significat, illum tamen non contemnunt nobilissimi quique tui comitatus Burgundiae, quia sciunt esse caesareae maiestati et tuae, et vos ita hactenus observasse, et quod magis ament sibi commissum gregem non mercenarii affectu, sed paterno, ut conformes habitus et voti, quod si humiles propter Christum, eo magis caesareae et tuae maiestati obedientes et suo Ordini, sic reddentes, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Tu igitur, Serenissime Rex, chritianae fidei protector, qui non es imago Caesaris, sed eius substantia eius virtutis, potestatis et monarchiae futurus haeres, cogita quantum quietis tibi accedat ex hac obedientia subditorum, qui in ea tibi reddunt, quae tua sunt, et Deo per te quae sua ; imitare Patrem, imitare omnium regum maximum paterna sequens vestigia, sequere prudentissimi, sapientissimi ac felicissimi semperque augusti patris tui illa observanda, veneranda et sancta initia, quae hactenus prosecutus est, Deo sic illi, ut catholico pio et semper augusto principi favente ; quod si idem in aliis regnis et tuis provinciis statuas, et ut regulares regularibus, et saeculares saecularibus dignitatibus praeficias. Certe, tranquille, prospere, felicissima humilitate tibi audient cuncti a maioribus et venerandis observandum sumentes exemplum. Bene vale, Serenissime Rex, christianae fidei propugnator, ac nos Serenissimae maiestati tuae deditos protege, ut fidei ac religionis protector. Tuae Serenissimae atque fidei protectricis maiestatais humillimi oratores, pedibus advoluti tuis, frater Iohannes abbas Cistercii, ceterique Diffinitores generalis Capituli die decima septima mensis maii anno 1557 apud Cistercium congregati.

EXCUSATIONES ABBATUM

46. Excusantur abbates de Caladia, de Strata, de Bullencuria, de Trisaio.

* * *

47. Nomina abbatum praesentium : Rmus D. N. Cisterciensis abbas, s. th. pr., D. de Firmitate, D. de Aureavalle, s. th. pr., abb. de Insula loco domini abbatis de Pontigniaco, de Charitate in dioecesi Bisuntinensi loco domini abbatis de Morimundo, de Septem fontibus, de Sancto Sulpitio, de Bithania, de Maceriis, de Clarofonte, de Miratorio, de Lezinis, de Valle clara, de Thoriniaco, de Gratia Dei, de Caroliloco, de Stamedio.

* * *

48. Quoniam propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1517, *n*° 72.

1560

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1560, die 13 mensis maii, apud Cistercium celebrati.

Diffinitores : de **Firmitate**, de Charitate, de Clarofonte, monasteriorum abbates ; de Maceriis, loco domini **Pontigniaci**, de Bullione, de Strata, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, s. th. pr., de Septem fontibus, de Valle clara, de Liziniis, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, s. th. pr., de Roseriis, de Bithania, monasteriorum abbates.

Confessores ; de Valle clara, de Cheseriaco, monasteriorum abbates, prior et subprior Cistercii.

Receptores excusationum : de Charitate, de Liziniis, monasteriorum abbates.

1560. *Fontes* : *L*[7] : A, B, ; 7 *et* 8 *sub anno* 1562 ; *L*[8] : B, 1-68. *apud L*[5] *legitur insuper sequens* : Nota, quod in originali seu capite registri Capituli generalis de anno 1560 et sequentium, haec scripta leguntur. — Praesens registrum in quo Capitula generalia ab anno 1560 ad annum 1584 inclusive continentur, a pluribus annis non inveniebatur apud Cistercium, sed tempore visitationis a Rmo D. N. anno 1682 in partibus Flandricis institutae, repertum fuit in monasterio de Laude prope Insulam,et dicto Rmo D. N. gratiose redditum fuit a R. admodum domino abbate de Laude, quod attestamur nos, qui praesentes tunc fuimus, quae autem reperiuntur in eo raturae, in odium generalatus eiusdem Rmi D. N. factae comprobantur. — Signatum : Ludovicus abbas de Charitate.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Morimundo, de Valle clara, monasteriorum abbates, prior et subprior Cistercii.

NOTARII ABBATES : de Septem fontibus, de Roseriis, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Valle clara, de Clarofonte, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : frater Iohannes Vallandi, s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : prior monasterii de Recluso.

NOTARII AD PEDES : frater Franciscus de Normanville, frater Nicolaus de Parisiis, Cistercii professi.

B) Numerus abbatum praesentis Capituli generalis : de Firmitate, de Maceriis, de Claravalle, s. th. pr., de Morimundo s. th. pr., de Septem fontibus, de Roseriis, de Valle clara, de Charitate, de Clarofonte, de Bullione, de Strata, de Bithania, de Liziniis. — Numerus praedictorum abbatum tredecim.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo et beatissimo domino nostro Pio divina providentia Papa IV, etc.

2. Praeterea pro serenissimo et invictissimo domino nostro, domino Ferdinando ... imperatore electo ... necnon pro christianissimo domino nostro, domino Francisco, Francorum rege, ... etc.

3. Insuper pro burgensibus... etc.

4. Ceterum pro pace... etc.

5. Demum pro felicis ... etc.

* * *

6. Nos Diffinitores... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa ... *(locus vacuus)* pro resta computationum generalis Capituli anni 1557, immediate praecedentis de et pro toto tempore praeterito, et oporteat Ordinem ipsum varia et gravissima onera quotidie occasione diversarum infractionum privilegiorum Ordinis et plurium insolitarum vexationum succrescentia necessario supportare, quae absque multiplicibus et gravissimis expensis solvi, dirigi, tractari et supportari non possunt, praesens generale Capitulum reductionem contributionum ad antiquam taxam per ipsum generale Capitulum anno Domini 1506, et per subsequens generale Capitulum anni 1507 continuatam et approbatam, praesenti diffinitione ratam et gratam habens, ipsas contributiones sic ad antiquam taxam reductas continuatas, ordinat, statuit et diffinit esse persolvendas et continuatas, universis et singulis abbatibus, commendatariis, prioribus, cellerariis, bur-

sariis, receptoribus, officiariis et procuratoribus monasteriorum sub poenis et censuris tam in litteris apostolicis quam in statutis et diffinitionibus Ordinis contentis praecipiens et iniungens, quatinus summas quottas antiquas ipsos et monasteria sua de dictis contributionibus concernentes et contingentes, secundum quod in registris apud Cistercium existentibus plenius continetur, nisi per Rmum dominum Cisterciensem plenaria Capituli generalis auctoritate moderentur, et sine diminutione tradant et persolvant, alioquin excommunicationis et aliarum sententiarum poenas contra non solventes seu renitentes aut dissimulantes solvere contributiones antedictas, super et propter hoc a Sede apostolica et ab Ordine latas, se noverint incurrisse. Receptores vero ... etc.

CONTRIBUTIONES

7. Nos Diffinitores ... etc. et est talis : Domino abbati de Claravalle, s. th. pr., salutem, et in commissis adhibere fidelem diligentiam. Cum ad hoc per priores Ordinis patres contributiones singulis annis monasteriis et annuatim impositas fuisse et esse noscantur, ut ipsis mediantibus gravissima Ordinis onera supportari possint. Hinc est quod vobis, de cuius discretione et fideli diligentia plenam in Domino praesens generale Capitulum gerit fiduciam, committit, praecipit et mandat, quatinus omni dissimulatione semota, ab omnibus et singulis monasteriis subscriptis summas contributionum eisdem monasteriis per generale Capitulum impositas et inferius annotatas, necnon restas et arreragia annorum praecedentium, si quae sint, per vos seu deputandos vestros petatis, requiratis, levetis et recipietis, dando vobis et deputandis vestris, occasione huiusmodi contributionum, auctoritatem dandi et expediendi bonas et validas quittantias de omnibus summis et singulis per vos seu deputandos vestros receptis. Contradictores vero ac rebelles, aut dictas contributiones cum earumdem restis ac arreragiis, necnon rationabilibus collectorum earumdem contributionum expensis solvere renuentes aut differentes infra viginti dies a vestra monitione, seu a vobis deputandorum pro peremptorio termino et monitione canonica, interdicti aut excommunicationis sententias, aliasque poenas et ecclesiasticas censuras realiter et ad effectum eo ipso incurrere volumus, atque incurrisse et incidisse declarari, nostramque sententiam declaratoriam in scriptis fieri et promulgari, necnon et per omnes iustitiae vias ad solvendum nihilominus compellendi ; attamen si ad cor redierint, et dictas contributiones cum earum restis et arreragiis ac aliis debitis postmodum efficaciter persolverint,damus etiam vobis et deputandis vestris auctoritatem et potestatem ab huiusmodi poenis cum poenitentia salutari eosdem absolvendi, et gene-

raliter omnia et singula circa praemissa et ea tangentia agendi, faciendi et exercendi, quae potestate et auctoritate nostra fieri et exerceri possunt et debent, invocato ad praemissa, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Omnibus igitur, etc.

Sequuntur nomina monasteriorum cum taxis eorumdem, a quibus contributiones cum restis et arreragiis eorumdem et aliis debitis, ut praemittitur, recipere debetis. De Bullencuria : 2 libras turon., de Altofonte: 4 libr. turon., de Tribus fontibus: 8 libr. turon., de Cheminione: 3, de Monasteriis in Argona : 5, de Caladia : 5, de Caherio : 3, de Castellione: 6, de Aureavalle: 8, de Ellancio: 12, de Signiaco : 8, de Valle regis : 4, de Bonofonte : 6, de Fusniaco : 12, de Valle clara : 4, de Boheriis : 8, de Vaucellis : 12, de Camberone : 15, de Villari : 15, de Alna : 15, de Iardineto : 3, de Molinis : 3, de Sancto Remigio : 2, de Boneffia : 2, de Nizella: 1, de Valle S. Lamberti: 10, de Valle Dei : 6, de Grandi prato : 6, de Bodello : 15, de Loco Sancti Bernardi : 15, de Capella Thosan : 15, de Dunis : 20, de Valle coeli alias Verguines : 10, de Gronnigues : 6, de Claromarisco : 15, de Valloliis : 9, de Longovillari : 9, de Gardo : 8, de Loco Dei in Pontino : 2, de Fulcardimonte : 2, de Igniaco : 5, de Valle Nostrae Dominae : 8, de Vallibus Cernay : 4, de Caroliloco : 12, de Regalimonte : 10, de Frigidomonte : 8, de Lanneyo : 6, de Belloprato : 8, de Caricampo : 12, de Laude : 10, de Longoponte : 6, de Ursicampo : 12, de Prulliaco : 10, de Ioyaco : 8, de Fonte Iohannis : 2, de Escallariis: 4, de Sacracella : 2, de Rupibus : 2, de Bonoradio : 2, de Rigniaco : 8, de Marcilliaco : 2, de Fonteneto : 15, de Septem fontibus : 7, de Moris : 5, de Ripatorio : 6, de Valle Lucenti : 4, de Liziniis : 1, de Recluso : 2, de Sigilleriis : 2, de Charmeya : 2, de Barbello: 6, de Pietate Dei de Rameru : 3, de Longovado : 4, de Albaripa : 5, de Maceriis : 6, de Buxeria : 5. Sequuntur prioratus de eadem commissione et eorum taxae : de Roseriis : 2, de Masuris : 2, de Mouciaco : 4, de Gaudio Nostrae Dominae : 2, de Bella aqua : 2. Praesentibus per immediatum sequens triennium in suo vigore duraturis, in plenaria, etc. Datum, etc.

8. Similis omnino commissio expedita est abbati de Verola pro monasteriis et prioratibus sitis in partibus et regnis Hispaniae quorum nomina cum taxis eorumdem sunt inserta in registris Rmi hac una clausa dempta : Praesentibus usque ad proximum Capitulum in suo vigore duraturis.

[DIFFINITIONES] GENERALES

9. Diffinitiones novissimo generali Capitulo anno Domini 1557, die 10 mensis maii factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate.

10. Invidiosus humani generis inimicus, versutus ille serpens similibus insidiis filios hominum prosequi non desinit, quibus primos eorum parentes crudelibus mortis compedibus vinxit et implicuit, et qui vetitis cibis innocentem hominem inescavit, eisdem monasticae puritatis professores contra promissae abstinentiae sanctitatem depravare molitur, accepit enim et cum dolore intellexit praesens generale Capitulum desolatum adeo passim et quasi per universum Ordinem neglectum nostrae regularis institutionis statutum, ut pauci nunc sint in eo, qui non etiam in mensis conventualibus per Adventum et singulis feriis quartis in hebdomada, similiter diebus sabbati post Nativitatem Domini usque ad Purificationem B. M. Virginis saeculari licentia carnibus vescuntur et utantur. Quapropter praesens generale Capitulum omnibus et singulis dicti Ordinis abbatibus et regimini monasteriorum praesidentibus districte praecipit et iniungit, ut debitae visitationi et curae intendentes in eisdem monasteriis aut illicito conventu, alias loco et modo carnes administrari vel a regularibus Ordinis personis comedi praedictis diebus aeque et ceteris prohibitis ullo modo permittant, quin potius id ferri sub poenis et censuris Ordinis, quas ferendas duxit generale Capitulum, inhibeant et avertant ea auctoritate et potestate qua pariter omnibus et singulis praedictis regularibus personis prohibetur, in plenaria, etc.

11. Toties et tantis sacrorum conciliorum Summorumque Pontificum decretis, nostri pariter Cisterciensis Ordinis statutis et diffinitionibus fuit hactenus prohibitum, ne moniales ipsius Ordinis suae regularis clausurae septa, quae sub pluribus seris et clavibus sub fideli custodia asservari debent, egrederentur, vel et illa ingredi permitterent, et si quid eis cum exteris tractandum esset, id per fenestrae dense spissae ferratae cancellos audiant et perferrent, ut iam solutis effrenae nimium obedientiae claustris et evagantibus libere per saeculum ipsis monialibus earumque abbatissis, atque similiter unumquemque propter honestatis modum in sua loca et cellas regulares admittentibus necessario opus erit remedio, et in eas praesertim debitae provisionis sollicitudo convertatur, quarum malitia aut negligentia tanta pernicies sacrarum virginum pudorem invadit. Eapropter praesens generale Capitulum omnibus et singulis Ordinis patribus abbatibus et visitatoribus districte praecipit et iniungit, quatinus praedictarum monialium et abbatissarum evagationi comprimendae et restituendae stabilitati sollicite provideant, abbatissas et moniales per omnes iuris et iustitiae vias, etiam abbatissas ipsas sub poena suspensionis, et earum quae ex illa dependent, compellant, corrigant, et ita puniant ut terrore poenae tandem resipiscant, in plenaria, etc.

12. Sancta Sedes romana nostrae Cisterciensis unitatis mater et alumna sic olim observantiae nostrae regularis iecit radices, et ipsius

pacificae conversationi providit, ut eumdem Ordinem aut a commendarum servitute liberum, aut earum pernicie tutum esse vellet. Et nunc miseri, quin dicti Ordinis professores conditionis suae obliti vel prorsus ab eius puritate alieni, ita carnis desideriis et propriis cupiditatibus inservire desiderant, ut a nostrae libertatis simplicitate abhorreant, et sua malint vota, quae Deo et patribus suis reddere debent, saeculari potestati prostituere, quam iuxta sacrorum Pontificum decreta et Ordinis proprii instituta, eidem debitae subiectionis affectant praestare obsequium. Quare praesens generale Capitulum omnibus et singulis regularibus personis dicti Ordinis districtissime sub poenis et censuris ipsius inhibet, ne in posterum commendatariis profiteri et monasticae professionis obedientiam exhibere praesumant. Imo in manibus patrum abbatum suorum regularium et ab eis ordinatorum praedictae professionis suae debitum testantur. Prioribus pariter monasteriorum a patribus abbatibus potestatem ad id habentibus peculii sui quotannis more Ordinis solito scedulam proferant et dent. Qui quidem priores habita similiter potestate generales confessiones suo tempore audire, aut aliis audiendas committere, et omnibus dominicis Palmarum in suorum aut in patrum abbatum absentia consuetas excommunicationis sententias fulminare et promulgare poterunt; profitentes aut novitios sub poenis et censuris Ordinis benedicere non praesument, in plenaria, etc.

13. Conservandis silvis et nemoribus nostris, quorum ope et medio destitutae res familiares nostrae vix possent subsistere, inter ceteros SS. D. N. Papa Benedictus XII paterne providit et non minus diligenter, ut his priores patres nostri statutis et diffinitionibus multis sollicite caverunt, et quam potuerunt operam praestiterunt. Sed effrenata multorum intemperies ita a nonnullis annis se diffundit per Ordinem ut nisi prompto provideretur remedio, excisis praedictis silvis et nemoribus necessaria multa nobis defutura, cunctis constet et appareat. Quocira omnibus regularibus Ordinis personis praesens generale Capitulum prohibet et interdicit ne caeduarum arbores sine Ordinis et patris abbatis sui licentia et permissione vendant, aut vendendi consensum ullo modo praestent, in plenaria, etc.

14. Quoniam attestante beato Paulo acceptum est Deo fieri orationes, postulationes et obsecrationes pro regibus, principibus et iis qui in sublimitate sunt constituti, ut sub illis tranquillam vitam habentes Deo inservire facilius possimus, praesens generale Capitulum dominos abbates primos et alios Ordinis commissarios ac patres alios visitationis munere fungentes exhortatur et admonet, ut in visitationis suae procuratu et labore particulares Ordinis personas ad fundendas Deo preces excitent; primum pro christianae religionis monastico statu, et praesertim Cisterciensis unitatis conservatione, pro christianissimi

regis nostri cum sanguinis et concilii ac aliorum catholicorum principum et magnatum custodia; illorum vero qui a veritate discesserunt et a sancta matre nostra defecerunt, ad fidem orthodoxam conversatione, in plenaria, etc.

15. Illustrissimo domino, domino abbati Cisterciensi reverenter ac dominis abbatibus primis et ordinatis cum ipsis aliis abbatibus ad visitationem omnium monasteriorum nostri Ordinis in hoc regno existentium praesens generale Capitulum mandat, iniungit et praecipit ut habito prae oculis Dei timore, animarum saluti invigilantes, quantocius poterunt praedictorum monasteriorum sibi commissorum visitationi se accingant, et in ea divini cultus, honoris et monasticae professionis regularis observantiae restituendae, labore perpetuo insudent, in plenaria, etc.

16. Statuto papali et pluribus Ordinis diffinitionibus ab antiquo fuit ordinatum ac observatum, quod patribus abbatibus et quod dicti Ordinis visitatoribus et commissariis singulis annis monasteriorum computationes vere et integre redderentur ; quod quia ab abbatissis monialium praesertim negligitur, et neglectum in consuetudinem et relaxationem vergere posset, earumque monasteriis maximam afferre iacturam, praesens generale Capitulum priores diffinitiones suas exhibitione et redditione praedictarum computationum factas, quantum opus est, confirmat et renovat, omnibusque praenominatis patribus abbatibus et Ordinis visitatoribus commissariis ordinat praedictas monialium abbatissas per omnes iuris et iustitiae vias ad reddendas supradictas computationes, rogent et compellant, in plenaria, etc.

17. Dominis abbatibus de Firmitate et Claravalle, ac aliis abbatibus qui auctoritate et commissione Capituli generalis anno Domini 1557, 17 die mensis maii celebrati, provinciarum sibi iniunctarum monasteria visitaverunt, praesens generale Capitulum potestatem dat et auctoritatem chartarum visitationis ceterorumque ab eis dependentium et ab ipsis visitantibus ordinatorum executionem, per omnes iuris et iustitias vias eadem ac simili qua tunc fungebantur potestate prosequendi et compellendi, in plenaria, etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

18. Commendata ab omni aevo cunctis hominibus sive divinarum sive humanarum litterarum studia, nemo est qui nesciat. Ex quo constat perspicue, illa esse inter cetera maiore cultu prosequenda, quae ampliores fructus afferunt emolumentorum, et perfectioris vitae praestant effectum. Inter quae, si quis sacrarum litterarum perpendat originem, et ultimi finis bravium consideret, eas profitentibus et de illis benemeritis personis tanto faciet devotius, quanto ad dignioris atque altio-

ris gradus culmen provenerint. Propterea generale Capitulum de fratris Iohannis Wagner, monasterii de Belloprato in Belvacensi dioecesi expresse professi, moribus, studiis melioribus, et doctrina satis superque informatum, etiam sacrae theologorum apud Parisios facultatis, quae ipsum ad venerandum theologiae licentiae fastigium nuper promovit testimonio et iudicio certius factum, omnibus et singulis personis in toto Ordine et extra ipsum quacumque dignitate praefulgentibus, aliisque veritatis cultoribus, praedictum fratrem Iohannem licentiatum theologum sincero quo potest charitatis affectu commendat, quatinus pia piorum subventione ac eorum liberali subsidio ad supremum doctoratus theologici apicem ad Dei, Ordinisque ecclesiastici et Cisterciensis honorem facilius pervenire valeat. Data illi plenaria Ordinis potestate universas et singulas singulares personas dicti Ordinis ab omnibus casibus, criminibus, delictis, excessibus, censuris, a culpa et a poenis, a quibus praedictum generale Capitulum observare potest, audiendi, absolvendi, et in foro conscientiae pro hac vice dumtaxat absolutas declarandi, in plenaria, etc.

19. Celebre apud Parisios nostri Ordinis collegium ex quo, velut equo Troiano, maior pars heroum et insignium patrum nostrorum veterum et modernorum prodiisse dignoscitur, meretur et exigit, ut illi conservando, et si fieri potest, augendo tanto perspicatiore oculo prospiciatur, quanto ex eo innumerae regulares Ordinis personae ad Dei honorem animarumque salutem maiorem frugem expectant et percipiunt, quin etiam ea fruge successuri privarentur, si veteri sordescente ac neglecta disciplina minor moribus quam litteris favor praestaretur. Sine quorum praecipuo iuvamine et medio non inanes modo, sed periculosae litterae censendae prorsus essent. Eapropter praesens generale Capitulum praedicto desiderans collegio omni cura et studio prae ceteris diligenter providere, ipsasque litteras insignes virtute ad veri luminis culmen perducere, etiam recensitis variis excessibus, quibus dicti collegii status fieri deterior et facile in posterum corrumpi posset, et propter id in gravem ruinam incidere, iuxta priorum patrum statuta idem generale Capitulum statuit et ordinat ut nulla collegii persona regularis quocumque gradu, sive baccalaureatus sive etiam doctorali sit praedita, sub poena eiectionis ab ipso collegio absque provisoris aut in dicto collegio praesidentis facultate, extra ipsum pernoctet. Nemo etiam ad cursum theologicum in scola continuendum aut aliquem propter simplicis baccalaureatus, quem cursorum vocant, gradum percipiendum assumatur et assumi permittatur, nisi qui fuerit a provisore dicti collegii, vocato magistro regente et aliis quos vocandos dictus provisor duxerit, examinatus et dignus habitus, in plenaria, etc.

20. Conquerentibus abbate et conventu monasterii de Bullencuria,

quod per emissionem factam anno Domini 1557, 17 die mensis maii, quibus fuit celebratum generale Capitulum, ipsi a nonnullis partibus quibus contraxerant, fuerunt interpellati de insufficienti dicti Capituli generalis confirmatione, a quo nihil unquam nisi praeviis et visis debitis informationibus confirmatur. Praesens generale Capitulum auditis pluribus patribus, qui eidem Capitulo praesentes fuerant, audito etiam abbate Septem fontium altero illius anni notario, qui visas fuisse informationes dixerunt, et mentionem earum fuisse omissam per oblivionem asseruerunt, ordinat commissiones suas illis contractibus inter praedictos abbatem et conventum ex una, et incolas terragii seu villae de Perthes ex altera partibus, initis et passatis, factas renovari, et in illis visarum praedictarum informationum testimonium reddi, in plenaria, etc.

21. Domino abbati de Claravalle, s. th. pr., praesens generale Capitulum sui fratris Iohannis de Insula, Claraevallis monachi, ad Carthusianum Ordinem transire et in eo profiteri desiderantis, requisitione remittit eam dare permissionem et licentiam, quam saluti praedicti religiosi conducere et statutis canonicis ac nostris non adversari cognoverit, in plenaria, etc.

22. Omnibus Cisterciensis Ordinis abbatibus in regno Arragoniae constitutis, qui prioribus annis Capituli generalis aut patrum abbatum commissionibus terrarum, feudorum, possessionum et quorumcumque iurium ad propria monasteria pertinentium alienationes fecerunt, aut alienandi permissionem potestatemque acceperunt et obtinuerunt, ne tanta dispensationis ac libertatis licentia eisdem monasteriis gravia ac metuenda (quae a fide dignis relata sunt) contingere possint futuro tempore detrimenta, utque praecedentibus dispendiis aliquid operis et remedii salubrius afferri possit, praesens generale Capitulum ullas praedictas tales alienationes quovis modo in posterum fieri sine dicti Capituli generalis discussione, licentia et permissione, destruit, vetat et prohibet, secus factas nullas et irritas esse declarat, commissario aut commissariis in eodem regno a praesenti generali Capitulo constituto aut constitutis iniungendo, quatinus vigili oculo illis et similibus alienationibus intendant, easque plenaria Ordinis auctoritate a quocumque abbate aut monasteriorum Ordinis regimini praesidente confici et tractari nullo modo permittant, in plenaria, etc.

23. Fratri Bernardo monasterii Sanctae Fidis, in Caesaraugustana dioecesi, monacho expresse professo, de cuius in bonas litteras praesertim sacras studio, amore et devotione, fide digno sui abbatis testimonio constitit, praesens generale Capitulum licentiam dat et concedit, quatinus peractis legitime utque decet in celebribus Universitatibus est consuetum, in eaque praesertim, in qua suorum studiorum cursum est prosecutus academia, praestito prius inter manus proprii abbatis

solito praestari in ordine iuramento theologici doctoratus gradum percipere, ut ad illum promoveri possit, idque cum libertatibus, favoribus, gratiis, honoribus, ceterisque praerogativis quibus doctores theologi Cisterciensis Ordinis gaudere consueverunt, habitare extra dormitorium, sicut aliis doctoribus est indultum, cum famulo, cella, et primo post priorem ubique loco ipso et abbatialis mensae, cum abbatis proprii benevola gratia participem facto, equo etiam aut competenti alia evectione ad exeundum monasterium, cum sese rationabilis causa obtulerit, et abbas iustum censuerit impertito. Quae omnia habito prae oculis Dei honore et servata Ordinis disciplina ipsa requirit et percipiet, in plenaria, detc.

24. Abbati de Clarofonte, fratri Nicolao Boucheradi, priori de Recluso, et fratri Nicolao Censier, religioso Cistercii, praesens generale Capitulum committit, ut viso antiquo contributionum omnium monasteriorum Ordinis rotulo, viso etiam computationum de receptione praedictarum contributionum libro, eorumque collatione facta ante dissolutum et completum dictum generale Capitulum, de conformitate ipsarum contributionum et computationum referant, in plenaria, etc.

25. Petitioni domini abbatis de Firmitate exposcentis solutionem cuiusdam annui redditus quem... contributionibus Ordinis ratione sui monasterii sibi deberi praetendit, praesens generale Capitulum satisfacere desiderans, eum ad illustrissimum dominum abbatem Cistercii remittit, ut conferentia inter eos de praetenso iure habita, ad relationem dicti illustr. domini sequens generale Capitulum quod iuris fuerit et rationis debite ordinari possit, in plenaria, etc.

26. Nobis relatum fuit et expresse ex parte fratris Florentini Le Clerc, monasterii de Pontigniaco religiosi, se a tredecim annis et supra expulsum fuisse a praedicto monasterio cum vacaret tunc negotiis monasterii eiusdem, dictus tamen illustr. domini Caroli a Bellayo eiusdem monasterii commendatarii carceri adductus fuit, eo quod venditioni nemorum et aliarum rerum alienationi contra iura et libertates factis consensum praebere recusavit, mandato dicti illustr. domini Caroli hucusque ingressus monasterii fuit illi denegatus, et per saeculum vagare coactus, nec tam a religiosis eiusdem monasterii obligationes suas, scedulas, memorialia et ... apud eumdem Florentinum furtas, obtinere voluit, quibus rationem reddere suarum receptarum posset, quam ab eo exigunt, et totius conventus administrationis sibi commissae. Super quibus praesens generale Capitulum providere volens (ut bonum est), priori et eiusdem monasterii religiosis omnibus mandat et praecipit, quatinus eumdem Florentinum Le Clerc in suum consortium et gremium recipiant, prout de statu religiosorum cum praedicto illustr. domino Carolo convenerunt, et eidem Le Clerc de victu et vestitu honesto et decenti provideant, ac omnes et singulas

obligationes et scedulas, memorialia, expensas certas, summas pecuniarum in sua cella derelictas, libros et utensilia illi ad integrum reddant, quo facilius suas iam dictas reddat computationes coram patre visitatore, aut ab eo deputandis,eique Le Clerc cameram et dependentia a fratre Iohanne Dougris eiusdem monasterii quondam priore devolutam reddant, et ea uti permittant, in plenaria, etc.

27. Visa et audita supplicatione fratris Iohannis Dutartre, religiosi monasterii de Loco crescenti, alias de Tribus regibus, in dioecesi Bisuntinensi, praesens generale Capitulum abbati dicti monasterii de Loco crescenti praecipit et iniungit quatinus dictum fratrem Iohannem pastore et mansione debita destitutum in suum monasterium in quo professus est, et ceterorum fratrum numero per professionem adscriptus, infra festum Pentecostes recipiat, in plenaria, etc.

28. Venerando fratri Richardo Martin, seniori abbati de Strata, in Ebroicensi dioecesi, intuitu priorum meritorum suorum et charitativae cessionis et resignationis ab eo in favorem Ordinis et personae regularis factae, etiam ad conservandum praesertim honoris divini et regularis professionis in dicto monasterio statum, praesens generale Capitulum, requirente iuniore et eius successore abbate, vicariatum dat et potestatem in praedicto monasterio de Strata, omnia et singula in spirituali et temporali directiones faciendi et agendi, quae a monasteriorum Ordinis abbatibus religiose fieri et curari solent, in plenaria, etc.

29. Religiosis et conventui monasterii de Escallariis, in Senonensi dioecesi, permittitur fratrem Mathurinum Courtin in negotiorum suorum dispensatione et administratione continuare,et eumdem aut alium, quem rebus suis et monasterii utilem compererint et cognoverint, de novo eligere et ordinare, in plenaria, etc.

ELECTIONUM SEU PROVISIONUM CONFIRMATIONES

30. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Nicolai Cotton, s.th. pr., ad abbatialem dignitatem monasterii de Cheseriaco, Cisterciensis Ordinis, in Gebennensi dioecesi, rite et canonice per monachos eiusdem monasterii, praesidente abbate monasterii Sancti Sulpitii, eiusdem Ordinis, in Bellicensi dioecesi, ad id potestatem habente factam et celebratam, prout in decreto et litteris quibus praesentes... approbat, etc. supplendo, etc.

31. Promotionem et institutionem de persona fratris Iohannis Coquey, s. th. pr, ad abbatialem dignitatem monasterii de [Morimundo]... a Summo Pontifice factam, praesens generale Capitulum cum reverentia recipit et gratam habet, in plenaria, etc.

32. Ad idem, de provisione abbatis de Leziniis.

CONTRACTUUM ET TRACTATUUM CONFIRMATIONES

33. Abbati de Clarofonte, in Bisuntinensi dioecesi, praesens generale Capitulum committit quatinus super tractatu inito seu passato inter abbatem et conventum de Bithania in eadem dioecesi Bisuntinensi, ex una, et venerabilem virum dominum Iohannem De Falleten, religiosum et praepositum monasterii de Cupen, ex altera partibus, prout plenius continetur in litteris super eo confectis, quibus praesentes annectuntur, diligenter inquiret, et proximo generali Capitulo fideliter referat, in plenaria, etc.

34. Super contractu inter Rmum D. N. abbatem Cistercii et eius conventum ex una, et consultissimum virum magistrum Godefridum Capreum, in curia Parlamenti ducatus Burgundiae advocatum, Cistercii monasterii consulem, ex altera partibus, inito et passato, prout in litteris super eo confectis, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, fratribus Natali Cossart et Gerardo Massille, s. th. professoribus, fratri Petro Crounat, Claraevallis religioso expresse professo, et cuilibet eorum in solidum praesens generale Capitulum committit, ad diligenter super commodo vel incommodo praedicti contractus inquirendum, et sequenti Capitulo referendum, in plenaria, etc.

35. Super contractu inter Rmum D. abbatem Cistercii et eius conventum ex una, et Remigium Stephanum, alias Parouchat, aromatarium Divionensem, ex alia partibus, inito et passato, *etc. ut in n°* *praecedenti.*

36. Ad idem, de contractu inito et passato inter dictos Rmum D. Citercii et eius conventum ex una, et magistrum Claudium Fabri, doctorem medicum, ex altera partibus, contractum initum et passatum inter Rmum D. cardinalem a Castellione, monasterii de Fonte Iohannis, in Senonensi dioecesi, abbatem commendatarium, et conventum dicti monasterii ex una, et magistrum Stephanum Berthault baillivum Castellionis ex altera partibus, prout in litteris, etc. approbat, etc. in plenaria, etc.

37. Ad idem, de contractu inter praedictos dominum illustr. cardinalem a Castellione et conventum monasterii de Fonte Iohannis ex una, et Sebastianum Gaudri, mercatorem Castellionis, ex altera partibus.

38. Ad idem, de contractu inter praedictos illustr. dominum cardinalem et conventum monasterii de Fonte Iohannis ex una, et Claudium Savigon, Castellionis mercatorem, ex altera partibus.

39. Ad idem, contractum inter praedictos dominum illustr. cardinalem et conventum monasterii de Fonte Iohannis ex una, et Iohannem Troppeau, Castellionis mercatorem, ex altera partibus.

40. Ad idem, de contractu inito inter praedictos ... etc. et dominum Desaleux, Castellionis mercatorem, ex altera partibus.

41. Ad idem, de contractu inter praedictos ... et Crispinum Leguillon, Montis Argilin incolam, ex altera partibus.

42. Contractum inter abbatem de Bullione, Ordinis nostri, in dioecesi Bisuntinensi, ex una,et Iacobum Matruchet, incolam Montigniaci, ex altera partibus initum et passatum,visis informationibus super commodo vel incommodo eiusdem diligenter per abbatem de Roseriis factis, per quas constat huiusmodi contractum cedere in commodum et utilitatem dicti monasterii de Bullione, praesens generale Capitulum laudavit, approbavit et confirmavit, et per praesentes laudat, approbat et confirmat, in plenaria, etc.

43. Contractum initum et passatum inter abbatem et conventum de Bullencuria, in Trecensi dioecesi, ex una, et Robertum Lancellot et Iacobam Lapellebrat eius uxorem, ex altera partibus, prout in litteris, etc. approbat, in plenaria, etc.

44. Super contractu inter dominum abbatem et conventum de Firmitate ex una, et honorabilem Stephanum Egris ex altera partibus, inito et passato de quadam domo in civitate Cabilonensi sita et aedificata, prout in litteris, etc.. committit fratri Carolo Monet, monasterii de Maceriis priori, quatinus diligenter inquirat, et proximo generali Capitulo referat, in plenaria, etc.

IUDICES

45. Ad supplicationem fratris Nicolai Le Censier expresse professi certa provisione contra electum monasterii de Aureavalle, in Trevirensi dioecesi, contendentis et petentis in propinquiore et neutra partium suspecta provincia dari abbates iudices, quorum labore et aequitate super iuribus electionis factae de persona dicti electi iudicius et facilius iudicium ferri posset, praesens generale Capitulum abbatibus a Sancto Benedicto et de Villari in Metensi dioecesi, et eorum cuilibet in solidum committit, quatinus auditis utrisque partibus, visa et dicta electione eiusque decreto, et perspectis ac factis his quae iuris erunt et rationis, ad diffinitivam usque sententiam exclusive procedant et iudicent processum, et iudiciorum suorum proximo sequenti Capitulo generali rationem dent et referant, in plenaria, etc.

46. Abbati de Polplino, in Wratislaviensi dioecesi, praesens generale Capitulum committit, ut assumptis secum duobus abbatibus de quibus partes convenient, ad instructionem processus super provisione litigiosa monasterii de Oliva in Prussia, ac in eadem Wratislaviensi dioecesi, coram dicto Capitulo controversa inter venerabiles Gasparum Teschar ex una, et Nicolaum Docet ex altera partibus, ipse procedat,

ac de omnibus circumstantiis et dependentibus et eodem processu usque ad sententiam diffinitivam sequestri tantum inclusive provideant, servato in omnibus praedicis iuris ordine, ipsum denique processum bene et legitime instructum usque ad sententiam diffinitivam exclusive ad Rmum abbatem, infra proximum Dominicae Resurrectionis diem remittant, ut praevia discussione canonica super eodem possit ferri sententia diffinitiva in proximo generali Capitulo, in plenaria, etc.

47. Audita et considerata oppositione domini abbatis de Morimundo, s. th. pr., conquerentis de confirmatione a praedicto generali Capitulo facta super contractu de alienatione cuiusdam domus apud Divionem sitae, quae ab antiquo fuit praedicti monasterii de Morimundo, praesens generale Capitulum abbati de Lezinis et priori de Maceriis, et eorum cuilibet in solidum committit, quatinus debita inquisitione de commodo vel incommodo praedicti contractus proxime sequenti generali Capitulo referant, et intellecta eorum relatione, quae diffinienda esse idem Capitulum cognoverit, diffiniat et iudicet, in plenaria, etc.

48. Fratri Francisco de Normanvilla, monasterii Cistercii religioso et Ordinis promotori, generale Capitulum committit et plenam dat auctoritatem informandi ac rationem ab abbatissa monasterii monialium de Consolatione dicti Ordinis, in Nivernensi dioecesi, requirendi etiam si opus fuerit, contra eam super homicidio de persona fratris Claudii de Pomarcho, confessoris earumdem monialium, facto et perpetrato, prosequendi quod iuris fuerit et rationis, cum potestate substituendi aliquem qui parem ab eo limitatam habeat commissionem, in plenaria, etc.

CONTUMACES

49. Abbates ad praesens generale Capitulum citatos et vocatos, qui non comparuerunt nec se debite excusaverunt, idem generale Capitulum vult et ordinat declarari contumaces.

50. Sororibus Franciscae Deferrières et Ludovicae Charlot, monialibus Pontis dominarum, in Meldensi dioecesi, iniunctione et mandato domini de Claravalle, s. th. pr., et generalis Capituli commissarii legitime admonitis et vocatis, ut post diuturnam nimis et periculosam ipsarum in saeculo stationem, ad dictum monasterium de Ponte dominarum, verum et proprium suae professionis locum infra certum tempus eis praefixum revertantur, quae Deum prae oculis non habentes et postposito promisso obedientiae voto reverti contempserunt, praesens generale Capitulum sub poenis et censuris Ordinis latis praecipit et iniungit, quatinus post praesentis ordinationis denuntiationem infra mensem ad praedictum Pontis dominarum monasterium redeant, et in eo suae absentiae moram reparantes caste et religiose conversen-

tur. Quod si secus fecerint, a fratre Iohanne de Puteo, monasterii de Bonoportu priore, excommunicatae declarentur et denuntientur, in plenaria, etc.

COMMISSIONES

51. Nos Diffinitores ... *etc.* et est talis : Salus redemptarum ... *etc. ut in formula quae habetur anno* 1557, *n*° 40 *sed commissio praesens directa est ad Rmum abbatem Cistercii.* Praesentibus usque ad proximum generale Capitulum in suo vigore duraturis. Nomina autem provinciarum per dictum illustr. dominum Cisterciensem visitandarum sunt haec : ducatus Burgundiae, Campania, Bria, Francia, Picardia cum adiacentibus, in plenaria, etc. Datum, etc.

52. Nos Diffinitores... *etc.* et est talis. Salus redemptarum ... *etc., ut supra.* Eapropter praesens generale Capitulum de zelo, prudentia, discretione, morum eximiaque excellentia domini abbatis de Firmitate, Ordinis Cisterciensis, in Cabilonensi dioecesi, necnon de abbatis de Roseriis eiusdem Ordinis in Cabilonensi dioecesi, probitate et sufficientia plenissime informatum, ipsis et eorum cuilibet in solidum committit, plenariamque dat auctoritatem et potestatem, quoties opportunum et expediens viderint, aut alter eorum viderit, visitandi et reformandi omnia et singula dicti Ordinis monasteria in provinciis, quarum nomina in praesentibus inserta sequuntur. Nomina autem provinciarum per dictos commissarios visitandarum sunt haec : Lugdunum, Provincia, et Lingua occitana, in plenaria, etc.

53. Eadem pro domino abbate de Claravalle, s. th. pr., et abbate Septem fontium eiusdem Ordinis,in Lingonensi et Aeduensi respectivis dioecesibus. Nomina autem provinciarum per dictos commissarios visitandarum sunt haec : provincia Bituricensis, Vasconia, Petragorum, Lemovicum, Alvernia, et Borbonium.

54. Eadem, mutatis mutandis, pro domino abbate de Morimundo, s. th. pr., eiusdem Ordinis, in Lingonensi dioecesi. Nomina autem provinciarum per dictum dominum commissarium visitandarum sunt haec : Vindocium, Andegavia, Pictavia, Britannia, Coenomania, Germania, Lotharingia et comitatus Burgundiae.

55. Item, eadem pro abbatibus de Charitate et de Cheseriaco, eiusdem Ordinis, in Bisuntinensi et Gebennensi respectivis dioecesibus. Nomen autem provinciae per dictos commissarios visitandae est haec : Sabaudia.

56. Item, eadem commissio pro abbate de Verola, eiusdem Ordinis, in dioecesi Tirasonensi, demptis abbatibus Sanctae Fidis, de Petra et de Rota, quos non poterit visitare, nisi sumpto secum abbate de Sanctis Crucibus, aut alio de quo convenietur. Nomina autem provin-

ciarum per dictum commissarium visitandarum sunt per principatus Cathaloniae, regnum Valentiae, comitatus Rossilionis, regnum Sevillae, Cordubae, Castellae, Legionis, Gallaciae, Portugalliae, Arragonae, et Navarrae, etiam in Asturia, in plenaria, etc.

57. Communis nostrae unitatis simplicitas tantis nunc est exposita periculis et assuetis destituta subsidiis, ut nisi provideatur ante maiorem ruinam cautum fuerit remedio, ad interitum res nostrae publicae privataeque inclinare videantur. Quocirca praesens generale Capitulum fratrem Nicolaum Le Censier, Cistercii religiosum, de cuius zelo et experientia ac morum probitate confidit, promotorem et secundum Ordinis Cisterciensis nominat, creat, instituit et ordinat, illique dat auctoritatem et potestatem omnes et singulas causas in universis litibus, querelis, controversiis motis et movendis, contra quascumque personas ecclesiasticas vel saeculares, cuiuscumque dignitatis aut gradus existant, sive in Ordine sive extra Ordinem nostrum Cisterciensem, coram quibuscumque iudicibus tum ecclesiasticis tum saecularibus ordinariis et non ordinariis, et aliis quibuscumque in quocumque foro praesidentibus comparandi, agendi, petendi, prosequendi et defendendi, *etc. ut in forma delegationis ordinaria.*

58. Ad idem, pro fratre Francisco de Normanvilla,Cistercii religioso.

59. Ad idem, pro provisore collegii Sancti Bernardi, apud Parisios.

60. Ad idem, pro fratre Nicolao Boucherat, priore de Recluso, eiusdem Ordinis, in Trecensi dioecesi.

EXCUSATIONES ABBATUM

61. Ad relationem domini abbatis de Claravalle, s. th. pr., excusantur abbates de Toriniaco et de Barbereyo.

62. Excusantur abbates Sanctae Fidis, de Rota et de Petra, qui se expresso nuntio excusaverunt ab Hispaniis.

REHABILITATIONES

63. Ad instantiam domini abbatis de Claravalle, s. th. pr., supplicantis pro fratre Hugone de La Borde, religioso monasterii de Pontigniaco, qui suadente diabolo diu per saeculum evagatus est et apostatavit, deinde ad cor rediens punitus et correctus emendatioris vitae propositum in Domino strenuum secutus est, praesens generale Capitulum de sancta eius conversatione et devota in Domino perseverantia confidens, ipsum eumdem fratrem Hugonem rehabilitat ad omnes gradus, officia, et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, etc.

SUFFRAGIA

64. Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis dilectis in Christo sororibus abbatissae et administranti ceterisque religiosis conventus Sanctae Clarae de Angona, necnon omnibus et singulis utriusque sexus dictis sororibus et conventui eorumdem benefactoribus, et etiam eisdem servientibus et ministrantibus, sinceram in Domino charitatem et sanctae devotionis suffragium. Quamvis divinae legis... *etc. ut forma usitata.* Exigente itaque piae devotionis affectu, quem ab antiquo, ut in his quibus praesentes appendent satis constat et apparet, ad ipsum Ordinem nostrum, et solemne monasterium Cisterciense matrem nostram vos habere intelligimus, requirente etiam Rmo D. abbate Cistercii, vobis omnium bonorum spiritualium, *etc.*

LITTERAE MISSIVAE

65. Reverendissimo in Christo patri ac illustrissimo domino, domino Ferdinando ab Arragonia, praecellenti Caesaraugustanae ecclesiae archiepiscopo, Cisterciensis Ordinis benefactori praecipuo, generale eiusdem Ordinis Capitulum apud Cistercium congregatum, devotas preces et perhumile obsequium. — Acceptis a Rma Paternitate vestra tot beneficiis, quibus illa non communem modo Ordinis nostri statum, sed pene singula illius monasteria et peculiares personas, speciali quodam favore et patrocinio a multis annis protexit, videremur et iuste accusaremur ingrati esse animi, si aliam rependere vitam tenuitatis nostra infirmitate et magnitudinis vestrae excellentiae non valentes, eam saltem non referremus gratiam, quam et opportunitas nuntii attulit, et pro suis benefactoribus unusquisque apud Altissimum effundere potest. Quod quia tanto est Deo acceptius, quanto a pluribus supplici devotione praesentatur. Convenientibus nobis in unum ex vetere patrum nostrorum instituto, aequum duximus ac insigni Paternitatis vestrae humillimas quanto possumus scribere gratias et offerre pro vestra sublimitate apud Deum preces, qui eamdem Rmam et inclitissimam Paternitatem vestram sospitem longaevam, nostrique Ordinis protectricem in ea qua coepit benevolentia et charitate conservet, Ex vestro Cisterciensi diffinitorio ac monasterio, die 13 mensis maii 1560. — Vestrae Rmae Dominationis illustrissimae Excellentiae humillimi et supplices oratores, Diffinitores Capituli generalis apud Cistercium congregati.

66. Très illustre et sérénissime Seigneur, votre très excellente et renommée maison, de qui par tout le monde entretenez et faites reluire la mémoire non seulement en l'autorité et domination de plusieurs grandes seigneuries, provinces et pays, œuvres belliqueuses et d'armes, mais aussi en l'amour et crainte singulière de Dieu avec l'observance, aide et support de l'Église catholique, nous donne la confiance de mettre nos très humbles prières plus assurément aux pieds de votre grandeur et hautesse, pour vous recommander en général tcut notre ordre de Cîteaux, duquel en vos seigneuries appert assez l'affection et dévotion de vos très magnifiques pré-

décesseurs, et aussi présentes et particulières en la personne de frère Nicolas Cotton, natif et domestique de vos dits pays, naguère éleu de l'abbaye de Chisiry, au diocèse de Genève. Lequel frère Nicolas de la grace divine a si bien conversé en mœurs et profité aux lettres saintes en l'Université de Paris, qu'il a eu le degré doctoral de théologie, et acquis par ce royaume réputation de bonne doctrine, singulière et sainte conversation, tellement que congratulans aux biens qu'il a plu au Créateur nos faire, d'appeler au plus près de la malheureuse cité de perdition, pour y servir de notre part et la sienne à la défense et dilation de la foy, un personnage auquel nous avions si bon témoignage et expectation, supplians en toute humilité votre invictissime puissance, seigneurie et bonté, vouloir avoir pour agréable et tenir en votre protection la promotion et vocation que nous avons trouvée canonique du dessus dit eleu, dont demeurera et tout notre dit ordre, et aux amateurs de la sainte vie et perfection, obligation de prier Dieu dévotement pour la prospérité, gloire, exaltation et continuation de votre sublimité et excellence, en laquelle nous le supplions vous vouloir conserver et maintenir longuement. — En votre maison de Cîteaux, au définitoire de l'ordre de Cîteaux, le 23 jour de may 1560. Les très humbles orateurs et très obéissans serviteurs de votre illustrissime seigneurie, les définiteurs du chapitre général de l'ordre de Cîteaux.

67. Monseigneur, nous vous présentons par lettres une très humble supplication à Monseigneur le Duc, touchant l'élection faite en l'abbaye de Chisery de la personne de frère Nicolas Cotton, religieux de ladite abbaye et natif de Savoye, docteur en sainte théologie, afin qu'il plaise à l'Excellence dudit Seigneur baisser les yeux de sa Grandeur et Hautesse à l'infirmité de nos humbles prières, pour avoir agréable ladite élection, de laquelle sommes tant plus studieux, soigneux et désirans qu'elle parvienne à bonne fin, que le personnage est réputé et connu de telle recommandation, bonté, vertu et savoir par deça que nous penserions trop heureux d'y en avoir beaucoup de tels et semblables. Aussi, Monseigneur, que nous avons trouvé sa provision tant sainte et raisonnable et selon les canoniques sanctions et ordonnances de notre ordre, que ne pensons pouvoir assez faire pour sa recommandation, à laquelle vous prions très humblement de donner l'aide de votre dextre, et avoir recommandé ledit ordre, duquel nous offrons le service et humbles prières à supplier le Créateur vous donner, Monseigneur, l'accomplissement de vos saints et vertueux désirs. — De Cîteaux, etc.

* * *

68. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1517, *n*o 72. Sic signatum in fine : N. de Sommerij abbas Septem fontium, et de Poligny abbas de Roseriis.

1562

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1562, die 27 aprilis apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES : Reverendissimus dominus noster **Cistercii**, de Septem fontibus, de Roseriis monasteriorum abbates ; dominus de **Firmitate**, de Belloprato, de Fristorf, monasteriorum abbates ; dominus de Charitate loco domini de **Pontigniaco**, de Wernevillari, de Bona aqua, monasteriorum abbates ; dominus de **Claravalle**, s. th. pr. de Bullione, de Clarofonte, monasteriorum abbates ; dominus de **Morimundo**, s. th. pr., de Theoloco, de Gratia Dei, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : domini de Bullione, de Cheseriaco, s. th. pr., prior et subprior Cistercii.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Clarofonte, de Fristorf, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Morimundo, s. th. pr., de Septem fontibus, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

NOTARII ABBATES : de Septem fontibus, de Roseriis, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Morimundo, s. th. pr., de Gratia Dei, de Valle S. Mariae, s. th. pr., monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : prior de Recluso.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Insula, s. th. pr. abbas.

NOTARII AD PEDES : frater Nicolaus Le Censier, frater Nicolaus de Normanville, Cistercii professi.

B) Numerus abbatum praesentis Capituli generalis. — Rmus D. N. Cistercii, de Firmitate, de Claravalle, de Morimundo, de Charitate, de Septem fontibus, de Roseriis, de Bullione, de Clarofonte, de Theoloco, de Bona aqua, de Belloprato, de Wernevillari, de Gratia Dei, de Fristorf. Numerus praedictorum abbatum quindecim.

* * *

Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, die vigesima septima mensis aprilis, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

1562. *Fontes* : L^7 : A, B, 1-7 ; L^8 : 1-52.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo et beatissimo domino nostro Pio, divina providentia Papa IV, necnon etc.

2. Praeterea pro serenissimo ac invictissimo domino nostro, domino Ferdinando, Dei gratia imperii romani imperatore electo ... etc. necnon pro christianissimo domino nostro, domino Carolo, Francorum rege etc.

3. Insuper pro burgensibus ... etc.

4. Ceterum pro pace ... etc.

5. Demum pro felicis ... etc.

* * *

6. Nos, frater Ludovicus... etc. et est talis : Cum totus Ordo noster.. etc. necnon in summa ... *(locus vacuus)* pro resta computationum generalis Capituli anni 1560.. etc.

7. Contributiones. — Nos Diffinitores Capituli generalis ... *etc. ut in anno* 1560, *n*o 7. Sequuntur nomina monasteriorum cum taxis eorumdem, a quibus contributiones cum restis et arreragiis earumdem et aliis debitis, ut praemittitur, recipere debebitis : de Bullencuria : 2 libr. turon., de Altofonte : 4, de Tribus fontibus : 8, de Chiminione : 3, de Monasteriis in Argona : 5, de Caladia : 4, de Caherio : 3, de Castellione : 6, de Aurea valle : 8, de Elancio : 12, de Signiaco : 8, de Valle regis : 4, de Bono fonte : 6, de Fusniaco : 12, de Valle clara : 4, de Boheriis : 8, de Valcellis : 12, de Camberone : 15, de Villari : 15, de Alna : 15, de Iardineto : 3, de Molinis : 3, de Sancto Remigio : 2, de Boneffia : 2, de Nizella : 1, de Valle Sancti Lamberti : 10, de Valle Dei : 6, de Grandi prato : 6, de Bodello : 15, de Loco Sancti Bernardi : 15, de Capella Thosan : 15, de Dunis : 20, de Valle coeli, alias Verginies : 10, de Gronningues : 6, de Claromarisco : 15, de Valloliis : 9, de Longovillari : 9, de Gardo : 8, de Loco Dei in Pontino : 2, de Fulcardimonte : 2, de Igniaco : 5, de Valle Nostrae Dominae : 8, de Vallibus Cernay : 4, de Caroliloco : 12, de Frigidomonte : 8, de Lanneyo : 6, de Belloprato : 8, de Caricampo : 12, de Laude : 10, de Longo ponte : 6, de Ursicampo : 12, de Prulliaco : 10, de Ioyaco : 8, de Fonte Iohannis : 2, de Escallariis : 4, de Sacra cella : 2, de Rupibus : 2, de Bono radio : 2, de Rigniaco : 2, de Marciliaco : 2, de Fonteneto : 15, de Septem fontibus : 7, de Moris : 4, de Ripatorio : 6, de Valle lucenti : 4, de Chesiriaco : 1, de Recluso : 2, de Sigilleriis : 2, de Charmeia : 2, de Barbello : 6, de Pietate Dei de Rameru : 3, de Longovado : 4, de Albaripa : 4, de Maceriis : 6, de Buxeria : 5. Sequuntur prioratus de eadem commissione et eorum taxae : de Roseriis : 2, de Masuriis : 2, de Mouciaco ;

4, de Gaudio Nostrae Dominae : 2, de Bella aqua : 2. Praesentibus per immediatum sequens triennium in suo vigore duraturis, in plenaria, etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

8. Nos, frater Ludovicus, *etc.* et est talis : Discedentibus quotidie ab ea in qua vocati sunt vocatione pene universis et pluribus ex nostris praesertim a singulari suo instituto ad saecularem licentiam transmigrantibus, volens praesens generale Capitulum debitae subventionis remedio providere, omnibus et singulis Ordinis utriusque sexus personis monachis et monialibus et ceteris aliis quacumque dignitate praefulgeant districtissime prohibet, ne ullo in posterum sericeo pretioso et quovis modo superfluo, sed tantum ad necessitatem et non ad vanum cultum indumento prorsus vestiantur ; sint monialibus lanea vel linea tantum capitis vela, manicis assueta in Ordine capucia cum rotundis et non auriculatis ad veterem simplicitatem ; biretis nemo utatur cum divinum celebratur officium, chorum ecclesiae sine cuculla ingrediatur, sed omnes ad praescriptam patrum nostrorum disciplinam redeuntes tales se externo habitu exhibeant, quales eos qui relicto saeculo paupertatem voverunt praestare oportet.

9. Sacrorum Conciliorum tanta fuit et hactenus permansit adeo inviolata potestas, ut nisi eorum nunc imperio et sanctione, duce illo praesidiario Sancto Spiritu ambulantibus post carnem in concupiscentia immundititae dominationes contemnentibus, audacibus sibi placentibus et sectas introducere non metuentibus blasphemiis hominibus humana temeritas comprimatur, dissolvenda prope principia ne Ecclesiae compago videatur. Eapropter praesens generale Capitulum, audita summi Pontificis eorum quorum interest, ad generale Concilium Tridentinum indictione et vocatione, deque zelo, sanctimonia, doctrina et charitate Rmi D. Cisterciensis confidens, quibus potest precibus rogat et supplicat, quatinus urgentibus importune tantis reipublicae catholicae, nostraeque particularis Cisterciensis unitatis periculis et necessitatibus suo labore ad praedictum generale Concilium profectione succurrere dignetur, assumpto secum huius regni Franciae de duorum primorum consilio aliquo Ordinis abbate, ac fratre Nicolao Boucherat, Ordinis promotore ; in quo negotio ne sumptuum nimio onere ipse eiusque monasterium graventur, et communis utilitatis pondus particulari oppressione supportent, singula Ordinis monasteria secundum contributionum suarum et virium mensuram, ad debitae subventionis auxilium taxabuntur, et in persolutionis ratione opis regiae subsidium humili supplicatione requiretur. Quod si per morbum aut emergens aliud impedimentum, Rmus D. his precibus satisfacere non potuerit, unus ex praedictis dominis primis aliorum priorum con-

silio et assensu ab eo subrogabitur, qui supradicta ad generale Concilium conventioni cum praeordinatae subventionis adiutorio proficiscatur. Dabuntur insuper et describentur a praesenti generali Capitulo litterae ceteris Ordinis abbatibus regni huius ditioni non subiectis, quibus ad deligendum unum ex ipsis, et praedictam subventionem faciendam admonentur et excitentur. Qui quidem delectus Rmum dominum aut unum ex praemissis dominis primis loco eius assumptum sequatur, et ad communis reipublicae christianae nostraeque Cisterciensis unionis subsidium iuvet et comitetur.

10. Consenuit adeo et a modernorum fratrum nostrorum memoria excidit vetus primorum patrum institutum, quod ex intimo charitatis fonte emanavit, ut iam pauci sint, qui non sua magis quam quae fraterna sunt, curent et moliantur, ita ut in commendatis monasteriis, decedente ab hoc saeculo aliquo religioso, aut a commendatariis omnia decedentium mobilia deglutiantur, aut perniciosa proprietate vendita a fratribus inter se partientibus deperduntur. Quapropter praesens generale Capitulum volens eam debitae observantiae perniciem ab Ordinis puritate elicere, praecipit et ordinet ut in posterum, accedente alicuius religiosi morte, per priorem monasterii commendati, et non alias, assistentibus senioribus, tam in cubiculo mortui quam alibi, ubi opus fuerit, mobilium inventarium fiat, neque ea inter se fratres partientur, quin potius ipsa usui infirmitorii et aliis conventus necessitatibus applicentur, in plenaria, etc.

11. Si orandum sine intermissione, consulente apostolo, et eo in orationibus suis confratrum suorum memoriam semper faciente, orationis vis et necessitas omni tempore sunt agnoscendae, quid periculosa hac et pene funesta tempestate omnibus christianis faciendum sit cunctis in aperto est. Propterea praesens generale Capitulum deinceps et quousque infelices huius temporis tumultus in Ecclesia catholica cessaverint, in omnibus et singulis Ordinis monasteriis ter ad minus in hebdomada processiones fieri, et in illis responsoria *Aspice, Domine,* et *Tua est potentia,* alternatim cum tractu *Domine, non secundum peccata facias nobis, neque secundum,* etc. reverenter decantari praecipit et iniungit, adiectis in fine tribus collectis, una pro Ecclesia, sequenti pro pace, et ultima pro regibus et principibus, secundum monasteriorum nostrorum situm nobis dominantibus, in plenaria, etc. Decantabitur pariter tempore, diebus et hora, quibus non sacerdotes communicant, hymnus *Tantum ergo sacramentum* cum suo subsequente.

12. Tot tantisque Summorum Pontificum decretis etiam pluribus nostris specialibus diffinitionibus illicitus monialium a suis clausuris egressus etiam sub poenis et censuris Ordinis fuit hactenus prohibitus, sicut extitit, e contra toto orbe christiano in cunctis universalis Ecclesiae Ordinibus pretiosa claustralis earum stabilitas, ut nisi illicita

praedictarum monialium evagatio ad veterem normam, arcte comprimatur, peritura in eis sanctae castitatis mundities timenda sit. Quapropter praesens generale Capitulum non paucis plurimarum regularium personarum quaerimoniis ac saecularium relationibus certius factum, dictas moniales sine rubore ulloque metu omnes cuiuscumque conditionis sint in sua clausura et regularia loca libere admittere, eademque licentia illa egredi et per saeculum impudenter evagari, iuxta praedictorum decretorum statutorum diffinitionumque sanctam ordinationem, abbatissis et monialibus omnem prorsus clausurarum suarum regularium exitum, hominumque in eas accessum et introductionem, sub poena suspensionis interdicit ; sicut nec vult in futurum ab abbatissis procuratores monasteriorum institui, imo decernit a patribus abbatibus et eorum auctoritate ordinari.

13. Consideratis his quae ex praecipiti sacrorum votorum professione quotidie emergunt periculis, desiderans providere praesens generale Capitulum districtissime omnibus abbatibus et abbatisis prohibet, ne moniales novitiae ad professionem sine patris abbatis auctoritate admittantur, neve ipsi atque novitii pariter ante legitimam aetatem et in loco regulari et Ordinis solitis locis factam probationem sine debita et rationabili instructione recipiantur, in plenaria, etc.

14. Si communi cuiquam privatoque nostro negotio perspicatioris oculi circumspecta attentione tenemur, in nostro divi Bernardi apud Parisios collegio bonarum litterarum Cisterciensium origini ac matri debetur. Propterea praesens generale Capitulum priorum patrum nostrorum per universum orbem christianum longe lateque dispersorum, similiter Summorum Pontificum in fundando ac constituendo praedicto collegio studium, liberalitatem ac devotionem volens aperire, imo, si fieri potest, maioribus onerare et stabilire incrementis, etiam absentium et externorum monasteriorum, quae regni huius limitibus non continentur, iuribus, libertatibus et commodis in dicti collegii terminis concludere, proinde vult, praecipit et ordinat ut, quamcitius fieri poterit, cellae, cubicula, horti, ceteraque unicuique monasterio antiquitus destinata et addicta, ad priorem veteremque formam tum in describendis singularum cubiculorum titulis, tum reparandis eorumdem et hortorum communium muris, restituantur, et studentium usibus applicentur.

15. Cum, teste apostolo, Dominus Iesus dederit se pro nobis ut nos ab omni iniquitate redimeret, et sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum redderet, quibus iam oculis hoc maligno praesertim tempore circa nostrum S. Bernardi apud Parisios collegium attendendum sit, est satis perspicuum, ex eo enim tamquam oriente, imo nostra meridie, lapides sanctorum morum omniumque bonarum litterarum pretiosi prodierunt hactenus, et ita splendoris sui nitorem

effuderunt, ut emergentibus novo tempore novis periculis contrariis et cautioribus remediis atque antidotis praecavendum sit. Quare praesens generale Capitulum effrenem multorum dicti collegii studentium licentiam volens comprimere, et ad diffinita iam a patribus multisque annis statuta reducere, quae temporum malitia contemptis praesidentibus et superioribus memoria exciderunt, desiderans, similiter in his, quae sunt nostrae catholicae fidei praecipuam oculorum aciem dirigere provisori dicti collegii iniungit et praecipit, quatinus neminem haeresis suspectum in eo habitare permittat, imo ipsum cum litteris suspicionis testibus ad proprium monasterium remittat, inhibita conformiter ceteris (sine provisoris licentia) praedicatione, districtissime etiam probihet, ne in posterum quisquam collegii incola et domesticus extraneos in hospitium sui cubiculi admittat, sitque consortio atque famulitio praedictis statutis praescripto quilibet contentus, externis saecularibus cessantibus in futurum ; in eodem collegio omnibus ludis prohibitis, illic non pernoctet, verum etiam magister regens stabiliter resideat, et si illi ad necessitatem tantum duorum mensium in anno absentia permittitur.Curabit tamen idem provisor ne ipse regens ea licentia abutatur, quin potius scolasticos uterque ad bona studia, disputationum, ecclesiae ac aulae communis frequentationem pro rerum, locorum, dierumque ratione,suaque auctoritate provocet, excitet et compellat, in plenaria, etc.

16. Ne in posterum religiosi Ordinis, qui vicaria abbatum aut quorumcumque commendatariorum in monasteriis nostris potestate funguntur, aut priorum aut seniorum suorum loca, legitimorum honorum primatum invadere moliantur, sed suis contenti commissa sibi iuridice negotia exerceant, praesens generale Capitulum omnibus et singulis regularibus Ordinis personis districtissime prohibet, ne quiquam praedictorum sui vicariatus praetextu aut arrogantia alias praeter assuetas et commissas in Ordine sedes invadere praesumat.

ANTIQUA DIFFINITIO RENOVATA

17. Perversorum detestanda temeritas ... *etc. ut. in anno* 1406, *n*o 52.

18. Quoniam ex mutua hominum inter se conversatione bonorum malorumque exurgant semina et alantur, praesens generale Capitulum advertens quanto animarum dispendio in utriusque sexus nostri Ordinis monasteriis multi hactenus sunt versati, omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, monachis et monialibus eiusdem Ordinis districtissime prohibet, ne in posterum ullas personas de fide praesertim aut perversis moribus suspectas in praedictis monasteriis versari permittant,

quin potius talibus expulsis in sincera votorum suorum observantia et regularis vitae sanctimonia perseverent, in plenaria, etc.

19. Datur potestas fratri Nicolao Boucherat Ordinis sindico substituendi alium sindicum ad lites.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

20. Eos Ordo benigno favore alacriter prosequitur, quorum opera et studio Dominici cultus ratio, in quo monasticae professionis observantia consistit religiosa, iuvatur. Quapropter praesens generale Capitulum de fratris Mathiae Metzingerii, monasterii de Villerio, in Metensi dioecesi, exprese professi, simulque ad abbatiam de Werneri villario, in Metensi dioecesi, promoti, moribus, doctrina, probitate et zelo sufficienter informatum, et propter hoc agnoscens quantum in restauranda atque tuenda ipsius abbatiae de Werneri villario integritate (etiam exclusus ab ea) desudavit; eumdem praedicti monasterii de Villerio, in quo professus est, domesticum declarat, vultque omnibus et singulis iuribus, privilegiis, gratiis et necessariis alimentis, etiam officium cellerarii spectantibus (donec pacificus Werneri villerii abbas fuerit, et in eo legitime residere potuerit) gaudere, iuvari et uti, idque sicut ceteri religiosi et confratres eius de Villerio gaudent, iuvantur et utuntur. Exhortans et rogans abbatem de Villerio praedicto Mathiae se favorabilem adeo patrem et fratrem velle praestare, ut concessa illi grangia de Berchem, in ea (sine aliquo iurium monasterii praeiudicio et praevia protestatione) cum his quos impensis abbatiae de Werneri villerio, aut alius, sustentare potuerit, divinum, quod in eo reddi deberet, officium persolvere possit et valeat, in plenaria, etc.

21. Quam frugifere quamque necessario sit perfectis statibus, imo ipsi praecipue Ecclesiae, et in eius navi navigantibus litterae, ex quibus intellectus humanus ad altiora quoque provehitur et ascendit, testes fuere et adhuc sunt, quicumque coelestia terrestriaque hactenus sunt amplexi, qua excitati ratione a tot saeculis gentiles christianique homines in adeo celeberrimis civitatibus gymnasia studiorumque secessus quietos erexerunt. Imo patres nostri Cistercienses insignia ita magnis laboribus atque sumptibus promoverunt, dotaverunt et contruxerunt collegia, de quibus tamquam ex equo Troiano heroes nostri Ordinis prodierunt, ut insensati pene et sui obliti videre mereantur, qui tantas in utroque homine utilitates ... et bona insignia putrido situ torpescere permittunt. Quapropter generale Capitulum intellecta collegii Tolosani desolatione, in quo omnes eius redditus atque aedificia ita privatis aliquorum usibus applicantur, ut neque nostri Ordinis personis ad sua promovenda studia pateant, neque priorum patrum nostrorum et benefactorum intentioni satisfiat, praecipit,

iniungit et ordinat, quatinus in posterum aedificia et redditus dicti Tolosani collegii communi usui et utilitati scolasticorum illic degentium applicentur et approprientur. Sit illic provisor continuus, et abbates illius provinciae multos in nostro Parisiensi collegio scolasticos habentes, ad praenominatum Tolosanum suos mittere cogantur et compellantur, in plenaria, etc.

22. Audita querimonia fratris Claudii Martin, prioris monasterii de Marcilliaco, in Aeduensi dioecesi, et ad relationem domini abbatis de Claravalle, s. th. pr., super mobilium usui dicti Martin permissorum spoliatione per modernum Marciliaci abbatem facta, eiusdemque Martin violenta a praedicto monasterio emissione, praesens generale Capitulum praedicto abbati de Marciliaco praecipit et iniungit, quatinus dictum Martin ad pristini status et officii conditionem recipiat, illique ablata mobilia, quae communi fratrum et conventus utilitati potius quam peculiari abbatis nondum Ordinem professi commodo, cum opus fuerit, applicari poterunt, restituat, data per praesentes domino abbati de Claravalle commisisone et potestate, ut si aliquid in praesentis ordinationis, et ad eorum quae ex ea dependent, executione et observantia controversum fuerit, iudicet et terminet, in plenaria, etc.

23. Fratrem Guillelmum Ozillia in monasterio de Bonavalle, in Ruthenensi dioecesi, infami emenda et turpi eiectione, ratione certae eius offensae punitum, mobilibusque eius usui permissis, ut asserit, spoliatum, praesens generale Capitulum satis et sufficienter punitum declarat, et ab emendae illi inflictae, si quam contraxit infamiam, absolvit et relevat adiuvando, ut mutuae quietis et pacis occasione ad tale monasterium honeste transmittetur, ubi habita simili alimonia et subventione, qualem in eo residens cum fratribus suis acciperet, expensis proprii monasterii uno anno sustentetur, quo anno restitutis prius praedictis mobilibus et cubiculo, compensatis quae accipit in Bonavalle, solita Ordinis et loci conditione, permaneat et requiescat, in plenaria, etc.

24. Si meretur celebre nostrum apud Parisios S. Bernardi collegium, ut ab universis Ordinis personis, quibus fieri potest adiuvetur, longe dignius est, ut in his quae aequi bonique sunt, recte illi censura iudicii a superioribus suis exhibeatur. Eapropter praesens generale Capitulum auditis fratrum Nicolai Cotton, s. th. pr., de Signiaco, et Claudii Bossu de Maceriis, praedicti collegii S. Bernardi bursariorum, querimoniis, quibus nonnullos commissae ei bursae debitores ad iustae persolutionis rationem compelli requirunt, ne ipsi alieno gravati publici obsequii causa particulari damno premantur, fratribus Arnaldo Demarsies de Bonofonte in Lingua occitana et Vasconia, Natali Cossart in Francia, Petro Sereno in Burgundia, Desiderio Tribouillet de Insula in Lotharingia, s. th. pr., necnon coadiutori de Clarofonte in comitatu

Burgundiae, priori de Bonoportu in Normannia, priori de Belloprato in Picardia, et eorum cuilibet committit et plenariam dat potestatem, quatinus omnes ac quoscumque praedictis bursariis occasione praenominata communis bursae scolasticae debito astrictos compererint, per omnes iuris et iustitiae vias singuli in singulis suis provinciis auditis legitime partibus ad persolvenda debita obligent et compellant. Ubi autem in posterum ab abbatibus regularibus vel commendatariis aut conventibus distinctum rei suae familiaris concordatum habentibus, sive parentibus suis aliquis scolasticus ad praenominatum collegium transmittetur a quocumque eorum illo missus fuerit, ad persolvendum bursario necessaria scolastico statim obligatur, in plenaria, etc.

25. Piae supplicationi venerabilis Patris Masura, Sancti Martini de Brosses parochialis ecclesiae B. M. de Solatio rectoris ac monasterii de Bonavalle, in Ruthenensi dioecesi, familiaris et donati, petentis institutionem cuiusdam capellae quam in praedicto monasterio ad pietatem et Dei cultum fundare desiderat et intendit, gratum haberi lubenter annuens praesens generale Capitulum eamdem capellaniam ita fieri, fundari et componi concedit et vult, ut tantum cum religiosorum ipsius monasterii sacerdoti ab abbate conferatur, praevia tamen praesentatione ipsius quoad vixerit, et post eius obitum proximorum personae familiae praenominati fundatoris, quae nulli alteri quam dicti monasterii abbati canonica poterit offerri et praesentari, in plenaria, etc.

26. Conventui et religiosis monasterii de Savigniaco, in Abrincensi dioecesi, pastoralis curae capacibus, necnon aliis similibus in praedicti monasterii filiatione contentis et ab eo dependentibus praesens generale Capitulum indulget, permittit et concedit, quatinus beneficia et parochiales ecclesias praesentationi et collationi monasteriorum suorum subditas tenere, regere et administrare, modo de ipsis alias eis canonice provisum fuerit, possint et valeant, in plenaria, etc.

27. Intellecta fratris Stephani Lambert, monasterii de Alneto Baiocensis dioecesis, adversus Ordinis iura, privilegia, libertates et prohibitiones illi factas, temeraria praesumptione, qua nomine vicariatus, quem a praedicti monasterii commendatario sibi arrogavit contra fratres et consortes suos, abusus est, et in patrum suorum auctoritatem conspiravit, praesens generale Capitulum desiderans superborum temeritatem coercere, et humilium patientiam in quiete et pace continere, abbati de Thoriniaco committit, dat potestatem, iniungit et praecipit, quatinus habita et recepta praedicti commissione, quantocius poterit, ad praedictum monasterium de Alneto se conferat, et diligenti informatione facta, secundum quod iuris et aequi esse compererit, praenominatum fratrem Stephanum vicarium deponat et puniat, ceterisque religiosis monasterii illius prohibeat, ne amplius prae-

dictis commendatario aut quibusvis ipsius vicariis ullam exhibeant obedientiam, imo ad prioris ab Ordine instituti consilium et praeceptum iuxta regularis nostrae observantiae et Ordinis instituta dirigantur, in plenaria, etc.

28. Quoniam autem praeter plurima viarum discrimina et labores etiam non sine magno sumptuum onere fratres Guillelmus Bernard Savigniaci, et Richardus Patrice de Alneto professores, ad hoc generale Capitulum, ut praesens testimonium apud se Ordinis negotiorum certiores redderent, convenerunt ; propterea eidem abbati de Thorigniaco iniungitur ut debitis rationabilibus, et quibus poterit legitimis viis, regimini monasteriorum suorum praesidentes ad dandam unicuique eorum viginti librarum summam, ratione et compensatione impensarum per eos factarum, cogat et compellat, in plenaria, etc.

29. Domino abbati de Morimundo, s.th. pr. praesens generale Capitulum committit, quatinus audita abbatis de Insula, in dioecesi Tullensi, et fratris Christophori Perat, eiusdem monasterii professi, controversia, super ipsius ad proprium monasterium receptione, iudicet et diffiniat, atque dictum abbatem de Insula ad debitae excusationis satisfactionem, quod Rmo D. abbati Cisterciensi in praedicti fratris Christophori non paruerit, cogat et compellat, in plenaria, etc.

30. Donationem per fratrem Iohannem Lambert Iohanni Saussoy suo nepoti factam, prout contextu eius in litteris quibus hae annectuntur, praesens generale Capitulum Rdo patri domino Nicolao Guérin, s. th. pr., videndam et discutiendam remittit, in plenaria, etc.

COMMISSIONES

31. Nos, frater Ludovicus, *etc.* et est talis : Secedentibus quotidie per universum orbem christianum a necessario ratoque fidei tramite singulis, quae sit habenda regularis professionis ratio quantum sedulo curanda sit studio, ab his quorum peculiari sollicitudini commissa est, quosve distincta procul locorum interstitia ab omnibus suis separant, in aperto est. Eapropter praesens generale Capitulum de illustrissimi, piissimique principis ac domini, domini ducis Sabaudiae fideli in ecclesiam catholicam reverentia ac sincera erga inferiores dictae Ecclesiae partes devotione certum factum, deque zelo, morum litterarum excellentia, prudentia, discretione et experientia domini abbatis de Claravalle, s. th. pr., confidens ipsi committit et plenariam dat potestatem et auctoritatem visitandi et reformandi omnia et singula dicti Ordinis monasteria, quae in ducatu et ditione excellentissimi principis ac domini, domini ducis Sabaudiae continentur, ibidemque puniendi, emendandi, instituendi et destituendi, in capite et in membris, ... *etc. ut in forma delegationis amplissima.* Praesentibus usque in proximum se-

quens Capitulum in suo vigore duraturis, in plenaria, etc. Datum in diffinitorio, etc.

32. Eadem pro domino abbate de Morimundo, in Lingonensi dioecesi, s. th. pr.

33. Eadem pro supradictis dominis abbatibus de Claravalle et de Morimundo, s. th. pr., adiuncto alteri eorum abbate de Charitate, in Bisuntinensi dioecesi.

34. Nos, frater Ludovicus, *etc*.... et est talis : Ne aberrantibus pene universis infelici hoc saeculo a veritate, is qui oves suas de manu pastorum requiret, et visitabit illas, sicut pastor gregem suum in die quando in medio ovium dissipatarum suarum fuerit, nostrarum atque nobis commissarum sanguinem severo, ut est pollicitus et praedixit, examine de manibus nostris exigat et ulciscatur, quin potius nos ovilis nostri et salutis proximorum solliciti nostram simul et operemur et statuamus, praesens generale Capitulum de zelo, morum, litterarumque excellentia, capacitate, auctoritate, prudentia et discretione ac experientia domini abbatis de Claravalle, s. th. pr., confidens, ipsi committit ac plenariam dat potestatem et auctoritatem visitandi et reformandi omnia et singula dicti Ordinis monasteria regni huius Franciae limitibus et finibus inclusa, et destituendi in capite et in membris, in spiritualibus ... *etc. ut supra*. Praesentibus usque ad proximum sequens Capitulum in suo vigore duraturis, in plenaria, *etc*. Datum, *etc*.

35. Eadem pro domino abbate de Morimundo, s. th. pr.

36. Eadem pro abbate de Septem fontibus in eadem dioecesi.

37. Ne destitutae vigili ac sollicito nostrae oves pastore relictis pascuis suis maligno hoc tempore voracum luporum subiaceant periculis, imo potius caulis suis contentae, a quibus oportet et decet pascantur et alantur, praesens generale Capitulum de monasterio de Bellomonte in dioecesi Lingonensi, sancta in Domino observantia, quae verum est christianae religionis et professionis regularis pabulum, debitae sollicitudini volens praestare officium, abbati de Roseriis, de cuius zelo, morum, litterarum excellentia, prudentia, discretione et experientia confidit, committit ac plenariam dat potestatem et auctoritatem visitandi ... etc. in praedicto monasterio de Bellomonte, in plenaria, etc.

CONTUMACES

38. Priorem monasterii de Longovado, in Lingonensi dioecesi, ad praesens generale Capitulum legitime citatum neque comparentem, neque debite excusatum, praesens generale Capitulum contumacem declarat, in plenaria, etc.

CONTRACTUUM SEU TRACTATUUM CONFIRMATIONES

39. Contractum inter Rmum abbatem et conventum Cistercii, et Iohannem Martin, incolam et habitatorem de Longecour, initum et passatum, prout in litteris super eo confectis, quibus praesentes annectuntur, plenius continetur, visis informationibus legitime factis, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

40. Abbatibus de Fristorf et Ponte frigido ac eorum cuilibet praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu cuiusdam domus et admodiationibus per abbatem et conventum de Villario factis de commodo vel incommodo inquirant, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, etc.

41. Contractum inter Rmum abbatem Cistercii et eius conventum, et Stephanum Benigne dictum Perruchet, civem Divionensem, super quibusdam terris in emphiteosim illi concessis, prout in litteris ... *etc. ut supra n*° 39.

42. Abbatibus de Roseriis et de Clarofonte ac eorum cuilibet praesens generale Capitulum committit, ut visis litteris quibus praesentes annectuntur, inquirant et diligenter et an legitime aut non pecuniae in eis contentae fuerint distributae ac compensatae, utque factae inquisitionis suae et praedictae distributionis debitae aequitatem sigillorum suorum appositione testantur.

43. Abbatibus de Bullione et de Monte Sanctae Mariae, et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, quatinus de contractu inter abbatem et conventum monasterii de Balerna, in Bisuntinensi dioecesi, ex una, et Simonem Colon ex altera partibus, inito et passato prout in litteris ... *etc.* inquirant, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, etc.

REHABILITATIONES

44. Ad instantiam domini de Claravalle, s. th. pr., loco et nomine abbatis de Grandi prato, supplicantis pro fratribus ... *(locus vacuus)* sui monasterii professis, qui suadente diabolo promissum paupertatis votum inveterata et diuturna proprietate corruperunt, et legitimorum actuum usurpatione seipsos contaminaverunt, deinde ad cor redeuntes puniti et correcti emendatioris vitae servaverunt propositum, praesens generale Capitulum de sancta eorum conversione et devote in Domino perseverantia confidens, ipsos rehabilitat ad omnes gradus, officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, etc.

45. Ad supplicationem fratris Mathiae Metzingeri monasterii de Villerio, in Metensi dioecesi, expresse professi, qui cum non posset in

hoc monasterio propter bellorum tumultum et dicti monasterii tenuitatem humanarum sacrarumque litterarum eruditionem, quas summo desiderio amplectabatur, assequi, illicentiatus ad studium Daventriensem pariter Coloniae profectus est, et illic sex annorum spatio permansit et est moratus, praesens generale Capitulum de eius poenitentia et emendatioris vitae *etc. ut supra.*

46. Ad supplices preces et profusas lacrimas sororis Iohannae Leparuver, monasterii monialium a Loco Dei, in Aeduensi dioecesi, expresse professae, quae suadente diabolo contagio carnis, secuto inde puerperio, corpus suum polluit et contaminavit, atque promissae castitatis votum dirupit, deinde ad cor rediens punita et correcta emendatioris vitae propositum servavit, *etc. ut supra.*

LITTERAE MISSIVAE

47. Summo Pontifici. — Post devota pedum oscula, Sanctissime Pater, venit ad nos aegre anxios et tristes ex deplorato Scotiae regno deplorandus et aegre miserandus ac miser monasterii de Melros, in Sancti Andreae archiepiscopatu constituti abbas, illustrissimae Scotorum reginae et insignium illius provinciae personarum litteris commendatus, communis nostrae desolationis testimoniis onustus et multa lacrimarum profusione madens. Sed quid, Pater Sanctissime, nos paribus pene procellis agitatis, et in eodem sale fluctuantibus, illi praestare possumus, satis agnoscimus, neque aliam expectamus anchoram praeter eam quae vestrae potentiae manu movetur et asseritur, cuius viribus omnes adiuti, ipseque potissimum confrater noster propria sua extorris et proprio monasterio exclusus, et quasi omni humana ope destitutus simul in divinum vestraeque sanctitatis obsequium resurgemus, cuius pedibus nos omniumque nostra iam addita si quid amplius possimus supplici devotione humi admittimus. Cistercii, ex vestro Cisterciensi diffinitorio, 21 mensis aprilis anno Domini 1562. — Vestri ad pedum oscula supplices frater Ludovicus abbas Cistercii ceterique Diffinitores Capituli generalis.

48. Imperatori. — Celsitudinis tuae culmen, Caesar invictissime, tuaque pietas toto ubique orbe celebri adeo nomine honorantur, ut qui afflictionibus suis et miseriis respirare desiderant, etiam si modice proculque ad Maiestatis tuae pedes non se modo prosternaverint, verum ipsarum vestigia fuerint venerati, sic requiem acquisitos esse confidunt, quorum ore ad nos sparsim lateque diffuso, ac cunctis in te Deum reverentibus, quem tanta charitate colis, eiusque ministros insigni favore foves et protegis sub Maiestatis tuae umbra ; nos nostrorum nostraque nullibi non tuta esse magna spe amplectimur, ubi in mansuetudine Caesarea divinam imaginem veneramur, neque remotis terrarum spatiis semoti et tenuitatis nostrae inopia vix noti ad terram coram Maiestate tua procumbere praesumpsisse putamus, si quae divinum cultum atque honorem experimus, illis oculis prospicienda offerimus, quibus nihil gratius esse intelleximus. Eo instinctu spirituque, Caesar gloriosissime, ante Celsitudinis tuae culmen deflectimus

ut monasterii de Wernerivillerio nostri Cisterciensis Ordinis, in Metensi dioecesi, tuaque latissima atque imperiali ditione constituti miserescens, statum eius omni temporali seu patrimonio exutum, imo etiam regulari ac ecclesiastica conditione prorsus destitutum, christianissimae tuae mansuetudinis oculis intueri digneris, et apud eos illius tuae tutissimae protectionis dextera conservare, quorum oppressione divini cultus observantiam et piorum fundatorum voluntatem intellexeris annullari, in quo, Caesar augustissime, precabimur assidue, quamdiu superstites erimus, perpetuam tibi ab Altissimo mercedem, quam Maiestatis et excellentiae tuae custodem, votis quibus possumus exoramus. — In diffinitorio nostro Cisterciensi, 27 mensis aprilis anno Domini 1562. — Tuae augustissimae Maiestati et invictissimae potestati supplices oratores fr. Ludovicus Cisterciensis, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensi.

49. Reverendissimo in Christo patri ac illustrissimo domino, domino Cameracensi episcopo, Sanctissimae Sedis apostolicae cardinali dignissimo, Cisterciensis Ordinis benefactori praecipuo, generale eiusdem Ordinis Capitulum apud Cistercium congregatum, supplices preces et perhumile obsequium. Acceptis tot a Rma Paternitate vestra beneficiis, quibus illa non communem modo Ordinis nostri statum, sed pene singula illius monasteria et peculiares personas speciali quodam favore atque patrocinio a multis annis protexisse refertur ; videremur iusteque argueremur ingrati esse animi si alias praeter ad Deum preces rependere vicem tenuitatis nostrae infirmitatis et magnitudinis vestrae Excellentiae non valentes, eam saltem non referremus gratiam, quam recens domini abbatis de Claravalle multorumque aliorum relato nobis attulit, cumque pro suis benefactoribus praecipuis unusquisque apud Altissimum effundere potest, quod quia tanto est Deo acceptius, quanto a pluribus sincere devotione praesentatur. Ea ratione convenientibus nobis in unum ex veteri patrum nostrorum instituto aequum duximus Rmae atque insigni Paternitati vestrae humillimas et quas possumus ex animo scribere debitae gratitudinis litteras, erectis pro ea in coelum manibus, commendantes vestrae pietati eximiae solemne illud de Loco Sancti Bernardi nostri Ordinis monasterium, ne quod tantopere a multisque annis unitatis nostrae charissimum validissimumque membrum fuit, ab ea separetur, neque ceteris magnatibus et provinciis (maligno praesertim hoc tempore) et posterioribus saeculis id disgregandi oculis nostris praebeat exemplum, quod absit, in catholici a Deo regis et fidelissimi principis ditione tentari fierique, imo extorqueri veremur et pertimescimus, eam, Rme protector, si a pietatis vestrae patrocinio requiem Cisterciensis Ordo perceperit, toties obligatorii affectu in vestro obsequio vestraeque prosperitatis desiderio et ad Deum oratione permanebit, quam ipse tutissimus rerum omnium custos sospitem felicemque semper custodiat. — Ex diffinitorio nostro Cisterciensi, die 20 mensis aprilis anno Domini 1562. — Tuae Rmae Paternitatis humiles et supplices oratores fr. Ludovicus abbas Cisterciensis ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis.

50. Aliae plures litterae ad multos principes et magnates in commendationem universam et particularem Ordinis. — Ad ducem Sabaudiae. — Ad comitem de Nassau. — Ad Rmum cardinalem de Bourbon. — Ad

primum Praesidem Parisiensem. — Ad primum Praesidem Tolosanum. — Ad dominum Cancellarium Sabaudiae.

51. Tres illustre et très excellent seigneur. Étant assemblez selon notre ancienne institution en ce lieu de Cîteaux pour l'entretenement de l'honneur de Dieu, la conservation du salut des âmes à nous commises, et tel exemple que nous pouvons donner à nos prochains mêmes, Monseigneur, en ce misérable tems, auquel les modernes sectaires et perdus hérétiques conspirent si impudemment contre l'état de l'Église catholique, nous n'avons pensé mieux faire à notre devoir, que de tant plus efforts des malins sont violens, tant plus nous efforcer pour notre regard au contraire ; et afin de ce faire prier choisir et commettre les principaux de nos pères d'entreprendre la visitation des pays et lieux chrétiens, où ils pourront avoir acte des seigneurs et potentats de s'acquitter à leur possible, entre lesquels, Monseigneur, ayant été avertis du zèle, dévotion, désir et assentement de votre illustrissime et très excellent Clémence, avons pris confiance et sureté, lesquels prosternons aux pieds de votre sublimité de requérir notre très reverend père abbé de Cîteaux, nos bons seigneurs abbés de Clervaux et de Morimond, docteurs en sainte théologie, et avec eux l'abbé de la Charité, d'employer leurs labeurs à visiter entre autres seigneuries, provinces et pays les votres amplissimes, restituer et remettre toute sainte, chrétienne et régulière conversation telle que ne doutants être à votre devote et sincère affection très agréable, à qui, très illustre et très excellent Seigneur, offrons et présentons tout ce que nous pouvons jamais impetrer envers Dieu nos supplices et meilleures prières.

* * *

52. Quoniam propter agendorum multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1517, *n*° 72.

1565

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1565, die vicesima prima mensis maii, apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, sedes vacat, de Caladia, s. th. pr., de Roseriis, de Pietate, de Marcilliaco, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate**, de Charitate, de Valle clara, s. th. pr., de Sancto Benedicto, de Alta sylva, de Leziniis, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco**, de Misericordia, de Villeryo, de Castellione, de Pontefrigido, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, s. th. pr.,

1565. *Fontes* : *L*[7] : A, B ; *L*[8] : I-III.

de Albaripa, de Loco crescenti, de Theoloco, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, s.th. pr., de Insula, s. th. pr., de Freistorph, de Vernevilleryo, de Bona aqua, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Insula, s. th. pr., frater Anthonius de Caroliloco, s. th. pr., prior et subprior Cistercii.

NOTARII ABBATES : de Valle clara, s. th. pr., de Sancto Benedicto, monasteriorum abbates.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Loco crescenti abbas, frater Girardus de Frigidomonte, s. th. pr.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Caladia, s. th. pr., de Roseriis, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Caladia, s. th. pr., de Alta sylva, monasterium abbates, frater Anthonius de Caroliloco, s. th. pr., bursarius Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : prior de Recluso.

PORTARIUS DIFFINITORII : frater Natalis Cossart, s. th. pr.

NOTARII AD PEDES : frater Franciscus de Normanvilla, frater Nicolaus de Parisiis, religiosi Cistercii.

B) Numerus abbatum : de Claravalle, s. th. pr., de Morimundo, s. th. pr., de Misericordia, de Charitate, de Caladia, s. th. pr., de Insula, s. th. pr., de Valle clara, s. th. pr., de Tribus regibus, de Roseriis, de Sancto Benedicto, de Pietate, de Marcilliaco, de Albaripa, de Alta sylva, de Liziniis, de Villeryo, de Castellione, de Pontefrigido, de Bullione, de Freistorph, de Vernevillerio, de Bona aqua, de Theoloco. — Numerus praedictorum viginti tres.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo et invictissimo domino nostro, domino Maximiliano, Dei gratia imperatore semper augusto, ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

* * *

6. Nos, Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimus universis quod die 21 mensis maii Domini 1564, in eodem generali Capitulo apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc. ut in anno* 1562, *n*o 6.

7. Contributiones. — Nos, Diffinitores, etc ... et est talis : Domino

abbati de Claravalle ... *etc. ut in anno* 1560, *n*° 7, *mutatis tantum quae sequuntur :* de Caladia : 5 libr. turon., de Igniaco : 15, de Rigniaco : 8.

DIFFINITIONES GENERALES

8. Diffinitiones novissimo generali Capitulo anno Domini 1562, die 27ª aprilis factas, praesens generale Capitulum approbat et confirmat, in plenaria, etc.

9. Cum sacrae visitationis et reformationis cura ipsi monastico statui semper fuerit necessaria, et sit, his maxime turbulentis temporibus, praesens generale Capitulum statuit, diffinit et ordinat, quod Ordinis monasteria utriusque sexus visitabuntur per proprios abbates vel ipsius generalis Capituli commissarios ad id deputatos. Ad quod visitationis opus se accingent quam primum eis licebit, pro temporis opportunitate. Inter visitandum autem praecipua sit illorum cura, ut Ordinis abbatissae et earum moniales ad regularem clausuram compellantur, atque mulierum ingressus in virorum monasteria omnino prohibeatur. Et diligenter videbunt et inquirent, si aliquae factae sint bonorum immobilium venditiones seu alienationes in fraudem et damnum ipsorum monasteriorum. Videbunt pariter aedificia in ipsis monasteriis dirupta et dissipata per sectarioros hos tumultus vel aliam quamvis occasionem, et ea reparari per monasteriorum abbates, vel etiam commendatores, ordinabunt et compellent, invocato si opus sit brachii saecularis auxilio et favore. Atque super his omnibus verbales processus ad proximum generale Capitulum referant, in plenaria, etc.

10. Cum fides, sine qua, auctore apostolo, impossibile est placere Deo, tam varie nostro saeculo agitetur, non sine magno animarum periculo et detrimento debitae administrationis, quae statum non modo religionis christianae sed etiam monasticae concernit, praesens generale Capitulum cupiens obviare malis innumeris inde imminentibus tam in capitibus quam in membris nostri Ordinis, diffinit, statuit et ordinat, quod quando proximum praesens generale Capitulum fuerit promulgatum, omnes et singuli eiusdem Ordinis abbates, vel in commendatis monasteriis legitime instituti priores, facient professionem fidei christianae per idem Capitulum praescriptam, coram suo toto conventu, et postmodum inducent, et si opus fuerit, compellant unumquemque suorum monachorum, seu alias in spiritualibus subditorum eamdem professionem facere coram se et suo conventu.

11. Cum proprietatis vitium sit statui monastico maxime contrarium et perniciosum, praesens generale Capitulum prohibet ne in posterum monachus aliquis separatim et seorsum accipiat pro victu et vestitu, sed omnibus dentur necessaria in essentia. Ipsi fratres omnes in commune vivant, prioribus monasteriorum commendatorum sub poena

excommunicationis et depositionis iniungendo, ut salutarem hanc ordinationem in monasteriis quibus praesunt, observari faciant. Quod ut commodius fiat, accedente patris abbatis auctoritate, deputetur in eisdem monasteriis commendatis unus quispiam fidelis religiosus presbyter, qui sit conventus bursarius, apud quem omnes pecuniae quae per omnem et singularem personam eiusdem conventus pro victu et vestitu ac aliis necessitatibus undequaque proveniant, deponantur.

12. Sit in eisdem monasteriis communis archa, quae tribus diversis clavibus priore et selectis senioribus custodiendis, claudatur. In qua deponentur omnes praedictae pecuniae, ex quibus idem bursarius ceteris fratribus victum, vestitum et alia necessaria iuxta Ordinis formam et patris abbatis ordinationem ministrabit, redditurus rationem tempore ab eodem patre abbate vel priore praefigendo, senioribus vel etiam toto ipso conventu praesentibus. Omnino autem prohibet idem generale Capitulum, ne si quid supersit in fine anni, particulariter singulis distribuatur, sed extraordinariis fratrum necessitatibus in eadem archa conservetur, nec propterea minorem sequenti anno proventum recipiunt, in plenaria, etc.

13. Cum dicat apostolus haereticum hominem post unam et secundam correptionem devitandum, scimus quia subversus est, doceatque talem deligendum ecclesiasticum pastorem, qui suae domui praesit, omnino faciendum non est, ut qui monasteriis Ordinis nostri praesunt, in illis residere vel frequenter esse permittant eos qui fidei catholicae contradicunt et sanctae romanae Ecclesiae non obediunt, praesens generale Capitulum inhibet omnibus et singulis abbatibus et abbatissis, prioribus et priorissis, et quibuscumque monasteriorum nostrorum regimini praesidentibus, ne quascumque personas haereticas aut de haeresi suspectas recipiant, et in suis monasteriis residere vel frequentes esse faciant. Regularibus vero abbatibus et abbatissis nullum, ut praefertur,suspectum liceat in domestica familia sub excommunicationis sententia retinere. Quam poenam si contempserint, contra transgressores usque ad suspensionem ab abbatiali administratione procedatur, in plenaria, etc.

14. Cum teste sacra Scriptura, difficile sit tangere picem et non inquinari ab ea, praesens generale Capitulum omnibus et singulis ipsius Ordinis personis utriusque sexus prohibet et interdicit, ne adeant aut ullatenus intersit concionibus et aliis congregationibus haereticorum, aut etiam libros suspectos et haereticorum labe infectos habeant, vel psalmos qui vocant Davidicos in linguam vernaculam versos canant, quocumque loco vel tempore, sub poena carceris in quem illico mittantur ubi primum apprehensi fuerint, et in eo observabuntur puniendi secundum poenas superioris ordinationis, in plenaria, etc.

13. Ne detur occasio insatiabilibus et ambitiosis mittendi falcem in

messem alienam, praesens generale Capitulum diffinit et ordinat fieri et expediri commissiones et sindicatus pro singulis provinciis in quibus sunt monasteria nostri Ordinis pro personis ab hoc Capitulo nominatis, ad tuendas scilicet et defendendas libertates ipsius Ordinis, et maxime ad impediendum ne monasteria nostra alia quam a personis Ordinis auctoritate visitentur, vel a persona quae non sit ipsius professa, et ne ipsius Ordinis utriusque sexus personae alia quam Ordinis auctoritate corrigantur, in plenaria, etc.

16. Cum secundum apostolum arma militiae nostrae non sint carnalia sed spiritualia, et auctore Ambrosio arma monachorum sint orationes et lacrimae, nec liceat nobis uti vi armorum et gladiorum ad formam et modum dominorum temporalium, praesens generale Capitulum prohibet omnibus et singulis monachis nostri Ordinis, ne penes se retineant aliqua arma bellica aut quoslibet gladios contra sui superioris inhibitionem, nostri Ordinis institutionem et statum, in plenaria, etc.

17. Praesens generale Capitulum non sine magno dolore quaedam bona toti nostro Ordini Cisterciensi communia alienari ab ipso Ordine per venditionem, permutationem, aut alio quovis modo contra constitutiones apostolicas, statuta et diffinitiones ipsius Ordinis. Igitur est quod idem generale Capitulum sibi soli reservat potestatem et auctoritatem dandi commissionem informandi super commodo vel incommodo venditionis, alienationis et permutationis bonorum communium praesenti collegiorum totius Ordinis, et quorumcumque bonorum et reddituum ad illum pertinentium, ne de cetero ullo modo alienentur ; commissiones vero in contrarium concessas vel concedendas a quocumque Ordinis superiore cassat, irritat et annullat in plenaria, etc.

18. Cum praesens generale Capitulum, per relationem commissariorum praecedentis Capituli deputatorum pro visitatione et reformatione monasteriorum nostri Ordinis, intellexit in plerisque monasteriis nullos esse viros doctos, imo vero paucos esse qui recte noverint disciplinam monasticam Ordinis nostri et antiquam consuetudinis observantiam regularem ; idcirco idem Capitulum statuit, diffinit et ordinat, quod commissarii eiusdem Capituli et alii patres visitatores deligent aliquos monachos ex monasteriis male ordinatis, eosdemque mittent ad monasterium in quo hactenus viguit et de praesenti viget observantia, ad disciplinam monasticam discendam, ritusque Ordinis, atque illius loco mittetur vicissim alius ex eodem monasterio bene ordinato, qui ceteros docebit regularem observantiam et antiquos Ordinis ritus, in plenaria, etc.

19. Cum per constitutiones apostolicas et plurium Capitulorum generalium diffinitiones cautum sit, ne fratres conversi dicti Ordinis Cisterciensis ad ordinem monachorum assumantur, eis vero praeci-

piatur ut in suo statu cum ea quae eos decet humilitate perpetuo vivant, praesens generale Capitulum praedictis constitutionibus et diffinitionibus inhaerendo diffinit et ordinat, ne dicti fratres conversi ad professionem monachalem aut sacros ordines in aliquo praefati Ordinis monasterio admittantur, prohibet praeterea ne ipsi alio habitu quam in ordine conventus consueto utantur, in plenaria, etc.

20. Cum per constitutiones apostolicas, maxime vero per decretum sacri Tridentini Concilii, institutio prioris in monasteriis commendatis ad Capitulum generale vel ipsius commissarios et patres abbates pertineat, praesens generale Capitulum prohibet sub poenis et censuris eiusdem Ordinis omnibus et singulis conventibus ipsius Ordinis, ne de cetero recipiant aliquem in priorem, nisi quem cognoverint ab ipso generali Capitulo vel ipsius commissariis et patribus abbatibus institutum atque ordinatum. Idem inhibet praefatorum monasteriorum monachis sub eadem poena aliquem recipere ad novitiatum aut novitios ad professionem, nisi de consensu prioris et seniorum, patris abbatis auctoritate semper salva, in plenaria, etc.

21. Cum pluribus apostolicis constitutionibus et Capituli generalis diffinitionibus cautum sit, ne commendatarii aliquam iurisdictionem exerceant in monachos monasteriorum sibi commendatorum, neve monachi dictorum monasteriorum regularem obedientiam promittant, exhibeant, aut reddant dictis commendatariis, et nihilominus hodie plures sint commendatarii, qui praedictam obedientiam a monachis monasteriorum sibi commendatorum velint vi et minis extorquere, praesens generale Capitulum probihet sub poenis et censuris Ordinis omnibus et singulis prioribus, priorissis, monachis et monialibus eiusdem Ordinis, ne dictam regularem obedientiam dictis commendatariis promittant, exhibeant aut reddant, in plenaria, etc.

22. Conquestus est Ordinis promotor, quod hi qui praesunt regimini monasteriorum commendatorum, priores et aliqui ipsorum conventus, sub praetextu commendae recusant recipere aliorum monasteriorum monachos, qui ad ipsos, ut melius corrigantur vel emendentur, a patribus visitatoribus mittuntur, iuxta Ordinis constitutiones. Propterea praesens generale Capitulum statuit et ordinat praefatos commendatorum monasteriorum praesides et conventus teneri ad eosdem monachos qui ad se, ut praefertur, transmittuntur, recipiendos, vultque eos per omnes iuris et iustitiae vias ad id compelli a suis patribus visitatoribus, in plenaria, etc.

23. Praesens generale Capitulum hortatur et monet in visceribus sanctae charitatis Ordinis abbates, ut quantum negotia et huius temporis calamitates permittunt, in suis monasteriis resideant, atque in iisdem sibi commissas animas verbo et exemplo pascere satagant, habeantque presbyteros et doctos regulares vel saeculares praeceptores, qui suos in humanioribus litteris instituant, in plenaria, etc.

24. Cum per horum temporum calamitatem multi libri monasteriorum Ordinis deperditi fuerunt, adeo ut officium divinum vel omittatur vel non sine magna difficultate persolvi possit, praesens generale Capitulum ordinat et praecipit prioribus, visitatoribus et commissariis, ut iniungant abbatibus et commendatariis atque abbatissis ipsius Ordinis, quatinus intra tres menses ab ipsa iniunctione numerandos provideant suis monasteriis de omnibus libris ad divinum officium peragendum necessariis. Negligentes autem compellant per omnes iuris et iustitiae vias, in plenaria, etc.

25. Praesens generale Capitulum sufficienter instructum et certificatum de abusibus hactenus commissis per procuratores, receptores seu administratores proventuum et bonorum ipsius Ordinis Cisterciensis monasteriorum, maxime in contractibus et locationibus per eosdem fratres de bonis et proventibus eorumdem monasteriorum, prohibet huiusmodi receptoribus, procuratoribus et administratoribus, ne in posterum contractus seu locationes aliquae de dictis bonis et pertinentibus etiam ad annum facere praesumant, absque consensu prioris et trium seniorum in monasteriis commendatis. In his vero monasteriis quibus praeest abbas regularis, sine consensu ipsius abbatis vel eorum quos ad hoc ipse abbas deputaverit. Quod si per dictos procuratores, receptores seu administratores aliter attentatum fuerit, idem Capitulum omnes contractus et locationes sic factas cassat, irritat et annullat, in plenaria, etc.

26. Cum multis praecedentium Capitulorum diffinitionibus cautum sit, ne priores monasteriorum nostri Ordinis attentent novitios ad professionem recipere, ipsisque benedictionis beneficium impertiri, cum hoc sit concessum a iure soli abbati, praesens generale Capitulum omnibus et singulis prioribus dicti Ordinis sub poena privationis prohibet, ne novitios aut suorum aut aliorum monasteriorum ad professionem recipere eosque benedicere praesumant, in plenaria, etc.

27. Cum per constitutiones apostolicas et Capituli generalis diffinitiones iurisdictio omnis monasteriorum et eorumdem regularium personarum a monasteriis commendatis dependentium spectet ad patrem abbatem, et superiorem immediatum monasteriorum sic commendatorum, et nihilominus enim reperiuntur plures monasteriorum commendatorum priores, praesertim in regione Pedemontana et marchionatibus Saluciarum et Montis ferrati, qui iurisdictionem ordinariam attentant exercere in monasteriis tam virorum quam mulierum a suis monasteriis immediate dependentibus contra praedictas apostolicas constitutiones et generalis Capituli diffinitiones, et in praeiudicium ipsorum abbatum et commissariorum et totius iurisdictionis nostri Ordinis, praesens generale Capitulum ad instantiam procuratoris generalis nostri prohibet omnibus et singulis prioribus monasteriorum

commendatorum, sub poenis et censuris Ordinis, et etiam sub poena privationis, ne de cetero attentent iurisdictionem ullam exercere in personas regulares utriusque sexus monasteriorum a suis monasteriis dependentium, in plenaria, etc.

28. Quandoquidem iubet apostolus in Ecclesia Dei omnia honeste et secundum ordinem fieri, atque nullus fere est ecclesiasticus ordo, qui in legendis canonicis horis et divinis officiis persolvendis pretiosiori aliquo habitu divinis rebus consecrato agendis non indicatur, prohibet praesens generale Capitulum, ne quis religiorosum chorum ingrediatur persoluturus pensum seu officium divinum nisi cuculla indutus, idque sub poena levis culpae et regularis disciplinae, nullo autem tempore aut loco sint sine capucio supposito, aut alio quam regulari habitu utantur, in plenaria, etc.

29. Si haeretica pravitate seducti monachi vel moniales a monasterio illicentiati discesserunt, et postmodum emendationem promittentes recipi petierunt, antequam illis respondeatur, superiori prioris visitatori ipsorum petitio significetur,ut diligenter inquiret si vere sint poenitentes, et qualis fuerit ipsorum conversatio extra monasterium, ut inde colligat an sine gregis periculo et status monasterii scandalo recipi possint vel tamen iuste per modum provisionis super ipsorum receptione statuet, donec Capituli generalis intercesserit auctoritas, in plenaria, etc.

30. Quoniam per haereticorum tumultus multi monachi et moniales a suis fugerunt, et nonnunquam ut monasticae professionis statum occultarent, regularem habitum reliquerunt, vel etiam in catholicis militibus conscripti arma sumpserunt, praesens generale Capitulum volens meticulosis conscientiis subvenire, et tam monachos quam moniales a poenis et censuris atque irregularitate quam propterea incurrerunt vel incurrisse possunt suspicari, absolvit et absolutos declarat. Quod tamen de his intelligit, qui ante hanc absolutionem habitum suae professionis resumpserunt, et in fidei catholicae confessione cum sancta Sede Apostolica communicant. Si vero deinceps monachi vel moniales ipsius Ordinis per saeculum vagantes, vel saeculari habitu utentes inveniantur, curent ipsorum abbates vel priores, aut ipsis negligentibus Ordinis visitatores et generalis procurator, eos monasteriorum in quibus professi sunt expensis apprehendere, et in eodem monasterio vel in alio, si videbitur magis expediens, transmittere, ac iuxta Ordinis formam pro delicti gravitate punire, invocato si opus fuerit brachii saecularis auxilio et favore, in plenaria, etc.

31. Praesens generale Capitulum diffinitionem factam anno Domini 1562 in eodem generali Capitulo apud Cistercium celebrato, cuius tenor sequitur et est talis : Tot tantisque Summorum Pontificum ... *etc. ut in anno* 1562, *n*° 12, confirmat, et quanto opus est renovat, iniun-

gens patribus abbatibus ac Ordinis commissariis ut eam significari faciant sibi subditis abbatissis, et absque dissimulatione procedant per suspensionem ab abbatiali administratione et dignitate contra praefatas abbatissas, quemadmodum in eadem diffinitione habetur, in plenaria, etc.

32. Praesens generale Capitulum diffinit, statuit et ordinat, quod si ab aliquo eiusdem Capituli commissariorum fuerit provocatum seu appellatum, duo ex quinque commissariis generalibus eiusdem Capituli de appellatione sic interposita iudicabunt, in plenaria, etc.

33. Abbates qui partibus Brabantiae, Flandriae, Hollandiae et ceteris adiacentibus provinciis et dominiis ad regem catholicum pertinentibus erunt commissarii super alia utriusque sexus monasteria dicti Cisterciensis Ordinis earumdem provinciarum eadem fungantur potestate, quae in illorum commissionibus continetur, nisi per eos ad quos spectat fiat specialis renuntiatio, in plenaria, etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

34. Anno Domini 1565, die 22 mensis maii comparuit personaliter coram nobis Diffinitoribus Capituli generalis apud Cistercium celebrati frater Iohannes de Belna, prior monasterii dicti Cistercii, cui praesens generale Capitulum dixit et illum admonuit magnis cum precibus, ut cum summa vigilia invigilaret gregi Cisterciensi sibi commisso, provideretque cum dicta sibi a Domino summa prudentia et sagacitate, ut cum potestate ab Ordine sibi concessa ut recte et ordinate omnia fierent in spiritualibus et temporalibus praedictae domus Cistercii; praecepitque idem generale Capitulum omnibus religiosis presbyteris, officiariis, ceterisque aliis omnibus et singulis personis dicti Cistercii, ut praefato priori humiliter in omnibus pareant et obediant, et quae sint sui status et officii diligenter exerceant, perseverentque unanimes in oratione ad Deum clamantes pro conservatione suae domus totiusque Cisterciensis Ordinis, velitque Deus providere eos de optimo pastore et capite totius praedicti Ordinis.

35. Visa supplicatione praesentata Capitulo generali nomine abbatissae et monialium monasterii Sancti Antonii de Droverio, in dioecesi Saluciarum, dicti Cisterciensis Ordinis, qua exponebant dictae abbatissa et moniales prioratum Sancti Martini super finibus... membrum dicti monasterii praecipuum cum summo detrimento ab eodem fuisse separatum, idque per priorem monasterii Stafardae vicarium Rmi abbatis Cistercii sub praetextu commentitiae et falsae cuiusdam resignationis, quam dictus prior Stafardae Bernardinus Varra per dolum et fraudem extorsit a domina Alexia nuper abbatissa dicti monasterii Sancti Antonii. Visis etiam litteris et instrumento authenticis, quibus

eidem generali Capitulo constitit dictum prioratum S. Martini ante dictam resignationem semper fuisse membrum a dicto S. Antonii monasterio dependens, ad quem quantum ius tam divinum quam humanum esse ut beneficia monialibus affectata et a monasteriis monialium dependentia possidebantur a monachis. Hinc est quod praesens generale Capitulum dictam resignationem per dictam dominam Alexiam fratri Bernardino Varrae factam ac litteras et provisiones a Rmo patre Cistercii abbate desuper confectas cassat et annullat ac nullius roboris esse declarat. Ordinat insuper dictum Capitulum generale, quod dictus prioratus S. Martini unietur et incorporabitur perpetuo mansae dictae abbatissae et monialium dicti monasterii S. Antonii pro ampliore earumdem sustentatione et aedificiorum dicti monasterii reparatione, prohibetque abbatissae et conventui dicti monasterii S. Antonii tum praesentibus quam futuris sub poenis et censuris Ordinis, ne dictum prioratum seu membrum a dicta mansa separent, aut personae cuicumque conferant, in plenaria, etc.

36. Visa supplicatione praesentata Capitulo generali nomine priorissae et monialium monasterii seu prioratus de Bonoloco Cisterciensis Ordinis, qua dicta priorissa et moniales exponebant, piae memoriae Rmum patrem dominum Ludovicum de Bessey, dicti Cistercii abbatem inter visitandum dictum monasterium seu prioratum, quasdam ordinationes fecisse et edidisse super vestitu dictarum monialium et ... inseruntur, in dicto prioratu construendo et de necessariis accommodando. Visa etiam requisitione dictarum priorissae et monialium super confirmatione dictarum ordinationum; visis denique litteris dicti Rmi patris super dictis ordinationibus confectis, anno Domini 1564, die 14 iunii, praesens generale Capitulum dictas litteras et omnes et singulares ordinationes in eisdem contentas ratificat, confirmat et approbat, ita tamen quod habetur in eisdem litteris, quod celleraria distribuet singulis annis singulis monialibus tria scuta auri in anno pro earumdem vestitu, intelligit quod, non pecuniae, sed res necessariae singulis monialibus distribuentur, in plenaria, etc.

37. Capitulum generale ratificat et approbat concordatum initum nomine Capituli generalis inter bonae memoriae Rmum D. Ludovicum de Bessey Cistercii abbatem, et fratrem Nicolaum Boucherat, priorem de Recluso et procuratorem generalem Cisterciensis Ordinis ex una, et Rdos D. Dionysium de Larcheronibus pro tunc priorem S. Anastasii ad Tres fontes et Gregorium de Hasquasalibus, priorem pro tunc, abbatem Sanctae Crucis in Ierusalem de Urbe, procuratores congregationum Tusciae et Lombardiae Ordinis Cisterciensis in Italia, respective nomine dictarum congregationum ex altera partibus, gratumque et ratum habet, homologationem dicti concordati in Curia romana habitam de consensu dictarum partium.

38. Cum indecens sit et contra status nostraeque religionis formam, ut personae regulares nostri Ordinis, maxime vero moniales divagentur, praesens generale Capitulum sufficienter informatum, quod soror Taparella monasterii de Pogliola, dicti nostri ordinis monialis iam a multis diebus dictum monasterium sit egressa, monita nihilominus ab abbatissa dicti monasterii, ut ad dictum monasterium reverteretur, et nihilominus contra propriae abbatissae monita extra dictum monasterium per spatium multorum mensium manserit. Ideo Capitulum generale commissario dicti Capituli generalis in regione Pedemontana, aut cuilibet presbytero Ordinis dat in mandatis, quatinus dictam Taparellam moneat, ut infra quindecim dierum spatium post praesentium notificationem ad praedictum monasterium de Pogliola revertatur, ibidemque sub obedientia abbatissae et Ordinis disciplina vivat, alioquin dictus commissarius declaret illam excommunicatam.

39. Cum per constitutiones apostolicas et decretum Concilii Tridentini praeceptum sit patribus visitatoribus Ordinum caput et generale, Capitulumque generale singulis annis habentium et monasteria suorum Ordinum respective visitent, atque per praesens generale Capitulum sint deputati commissarii, qui omnia Ordinis dicti Cistercii monasteria habeant visitare, et maxime cum monasterium de Pogliola dicti ordinis nuper constitutum fuerit a piae memoriae Rmo generali dicti Ordinis novissime defuncto, idcirco praesens generale Capitulum inhibet, prohibet abbatissae et monialibus monasterii de Pogliola sub poenis et censuris Ordinis, ne ullum alium visitatorem aut reformatorem habeant recipere cuiuscumque status et conditionis existat, nisi qui fuerit missus a Capitulo generali aut a patribus visitatoribus dicti Ordinis.

40. Visa supplicatione Capitulo generali praesentata nomine Rorum patrum congregationum Tusciae et Lombardiae Ordinis Cisterciensis in Italia, qua dicti Rdi patres exponebant dicto Capitulo, conventus dictarum congregationum multum gravari annuis contributionibus dictis conventibus olim per dictum Capitulum impositis, et eo maxime quod olim dictae contributiones fuerunt impositae, habita ratione annui proventus dictorum monasteriorum. Cum autem omnia fere monasteria dictarum congregationum postmodum fuerint commendata, et praeterea in eisdem fuerit mansa monachorum separata, sitque assignata tam pauca monachis portio, ut vix sufficiat pro victu et vestitu eorumdem, ac reparationibus aedificiorum aliisque oneribus per dictos conventus supportandis, supplicabant dicti Rdi patres, antiquam taxam contributionum olim dictis monasteriis impositam diminui sive ad minorem taxam reduci. Volens itaque Capitulum generale gratiis ac favoribus quibus potest dictas congregationes et earumdem personas prosequi, et habita ratione proventuum mansae

monachorum dictarum congregationum assignatarum, declarat et ordinat, quod praedicti conventus in futuris non tenebuntur solvere contributiones nisi secundum taxam inferius praescriptam in his praesentibus insertam. — In Tuscia : de Morimundo Mediolanensi maioris scuta 9; de S. Bartholomeo Ferrariensi 9; de S. Silvestro Nonantola 9; de S. Maria ab Angelo de Faventia 4; de Septimo Florentinae dioecesis 11; de Bono solatio 5; de Cistello 4; de S. Anastasio ad Tres fontes 9. — In Lombardia : monasterium S. Petri Papiae scuta 2; Glacenallis 12; Sancti Ambrosii 3; Cerretti 10; Colombae 13; Cavae 3; Sancti Martini 8; Sancti Thomae 3; Aqua frigida 3.

41. Praesens generale Capitulum permittit abbati de Populeto, si cum seniorum eiusdem monasterii consilio expediens esse videbit, facere parva cubicula in dormitorio monasterii de Populeto, in quibus fratres iaceant, licet hactenus nulla fuerint sed tantum cubicula, ita tamen ut praefata cubicula secundum Ordinis formam disponantur, atque in omnibus Ordinis disciplina servetur.

42. Visa supplicatione abbatis et conventus de Populeto, qua quidem exponebant, quod nonnulli ex fratribus dicti monasterii consueverant manere apud ... atque ex eo loco, vacatione ipsius monasterii contingente, ad electionem futuri abbatis vocari, et per aliquot dies expectari non sine magno eiusdem Ordinis periculo, quod per electionis dilationem ambitiosorum cupiditati exponitur; humiliter petentes opportunum remedium. Praesens generale Capitulum committit Rdis abbati de Claravalle et abbati de Sanctis Crucibus, ac eorum cuilibet in solidum, ad inquirendum de commoditate vel incommoditate expectandi praefatos fratres apud ... commorantes, ac de ipsorum locorum distantia et aliis in huiusmodi observandis, ut visa informatione super his facta proximum futurum generale Capitulum opportunum providere possit.

43. Visa supplicatione prioris et conventus monasterii de Casa nova in marchionatu Saluciarum, dicti Cisterciensis Ordinis, Capitulo generali praesentata, qua exponebant dicto Capitulo, se ab usu consueto nemorum tam pro reparationibus aedificiorum dicti monasterii, quam pro igne necessario in dicto monasterio conficiendo, per commendatarium dicti monasterii prohiberi, requirentes dicti prior et conventus, ut Capitulum generale haberet super hac re aliquam eisdem permissionem facere. Itaque Capitulum generale ordinat ut dicti prior et conventus utantur nemoribus et silvis dicti monasterii sicut hactenus uti consueverunt.

44. Cum per regulam S. P. N. Benedicti in monasteriis Cisterciensis Ordinis prior non debeat eligi, sed eius institutio sit penes regularem abbatem, in monasteriis vero commendatis penes patrem superiorem,

Capitulum generale sufficienter instructum et certificatum de electione facta de persona fratris Andreae ab Ecclesia in priorem monasterii Stafardae per monachos dicti monasterii, idque contra tam S. P. N. regulam quam plures constitutiones apostolicas, diffinitum est quod, idem generale Capitulum praedictam electionem sic factam cassat, irritat et annullat, datque priori de Rudaviona eiusdem Capituli commissario in mandatis, quatinus praesentes in capitulo dicti monasterii Stafardae, monachis ibidem capitulariter congregatis, notificet, eisdem sub poenis et censuris Ordinis nostri Capituli generalis prohibentes, ne in futurum, adveniente vacatione officii prioratus, ad electionem novi prioris procedant, sed ad commissarium seu vicarium aut generale Capitulum recurrant.

45. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum et certicatum de experientia, discretione, religionis zelo scientia atque in rebus agendis prudentia religiosi viri fratris Andreae ab Ecclesia, presbyteri et monachi monasterii de Stafarda Cisterciensis Ordinis, dat eidem Andreae auctoritatem et potestatem exercendi officium prioris, ipsumque instituit in priorem praedicti monasterii de Stafarda, ordinatque generale Capitulum ut praedictus Andreas utatur omnibus iuribus, privilegiis, emolumentis aut honoribus et potestatibus, quibus antea uti consueverunt priores dicti monasterii de Stafarda, tam in spiritualibus quam temporalibus, et super omnes et quascumque personas tam regulares quam saeculares dicti monasterii, praecipitque omnibus monachis et regularibus personis ceterisque omnibus, qui de iure vel consuetudine subsunt priori praefati monasterii de Stafarda, et ipsi dicto Andreae tamquam suo priori in omnibus obediant et pareant sub poenis et censuris Ordinis.

46. Praesens generale Capitulum permittit Rdo abbati de Claravalle, quatinus faciat studiolum in ea domo, quae pertinet ad monasterium Claraevallis sita in collegio Bernarditarum apud Lutetiam, prout continetur in supplicatione praesentata ab eodem Rdo patre in eodem Capitulo generali.

ELECTIONUM SEU PROVISIONUM CONFIRMATIONES

47. Praesens generale Capitulum viso decreto electionis factae de persona fratris Iohannis Guymera, religiosi expresse professi monasterii B. M. de Populeto, Ordinis Cisterciensis, in dioecesi Terraconensi, eamdem electionem gratam habet atque approbat.

48. Generale Capitulum laudat, approbat et confirmat electionem et promotionem de persona venerabilis domini Guillelmi de Mandre per unanimum consensum omnium religiosorum monasterii de Theo-

loco, ratificatque omnes praecedentes confirmationes factas in favorem praedictae electionis.

49. Praesens generale Capitulum laudat plurimum et approbat quod R. abbas monasterii de Albaripa, Cisterciensis Ordinis, in Lingonensi dioecesi, relicta commendatarii veste nostri Ordinis et monachatus assumpsit habitum, ex intima et bona animi ductus devotione ad ipsum nostrum Ordinem. Ideoque ipsum Capitulum, omnes Ordinis patres repraesentans, ratam habet promotionem praefati Rdi abbatis in dignitatem abbatialem et pastoralem curam dicti monasterii de Albaripa approbatque, et in quantum potest confirmat omnes litteras, expeditiones, diplomata concessa eidem Rdo abbati pro eiusdem promotione in abbatem praenominati monasterii de Albaripa, hortaturque eum, ut quamprimum fieri poterit, munus benedictionis et consecrationis in abbatem a quocumque voluerit Rmo episcopo suscipiat, quatinus ad Dei honorem et nostri Ordinis decus et emolumentum, et quae sunt abbatis officia et boni pastoris munus exerceat et faciat.

50. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum de electione sororis Ludovicae de Girona, monasterii nostri Ordinis de Leula in urbe de Perpignan, eam laudat, approbat, ratificat et confirmat, dans ei potestatem assumendi duas iuvenculas novitias ad morandum quamdiu Ordinis nostri habeat abbatem, qui eas investiat et ab eisdem professionem recipiat, iuxta formam et statuta nostri dicti Ordinis, praecipitque omnibus monialibus dicti monasterii de Leula, quatinus eidem abbatissae pareant et humiliter obediant, in omnibus iuxta regulam S. Benedicti ac statuta ipsius Ordinis.

* * *

51. Praesens generale Capitulum ratificat et approbat venditionem cuiusdam domus factam a fratre Marco Tarrerino religioso de Charitate, cuius quidem venditionis forma et tenor in litteris super hac re confectis plenius continentur, quibus praesentes annectuntur.

52. Visa supplicatione abbatissae monialium monasterii Sanctae Hoyldis Cisterciensis Ordinis, quae devote supplicabant, ut permitteretur ab ipsis fieri festum Praesentationis B. M. in quo decantarent officium Praesentationis eiusdem Virginis eidem Capitulo praesentatum, approbat hanc supplicationem et praedictum officium.

53. Generale Capitulum ratificat fundationem sex missarum factam a dominis Nicolao, Ioanne et Claudio Pantoret du Bassigny annuatim celebrandarum in monasterio de Clarofonte, Cisterciensis Ordinis, diebus contentis in litteris pro dicta fundatione factis, et qua centum librae turon. datae sunt pro supradictis missis celebrandis, vult generale Capitulum ut dictae pecuniae applicentur ad recreationem extra-

ordinariam religiosorum eiusdem conventus, secundum tamen dispositionem abbatis.

REHABILITATIONES

54. Ad instantiam promotoris causarum eiusdem Ordinis, praesens generale Capitulum sororem Claudiam Dorigny, monialem nostri Ordinis de Fervaques, quae suadente diabolo in contagium carnis et puerperio inde secuto, ut eidem relatum est, incidit, tenore praesentium, servata tamen Ordinis disciplina, rehabilitat, et ab omni irregularitatis labe aliisque sententiis et censuris quas ex praemissorum occasione ex nostri Ordinis statutis et diffinitionibus incurrit, misericorditer absolvit, et ad omnes gradus, actus, voces et officia nostri Ordinis, abbatiali etiam dignitate inclusa, restituit, inhibens omnibus praedicti Ordinis personis, ne ei super his aliquid improperare praesumant.

55. Ad instantiam promotoris causarum Ordinis, praesens generale Capitulum sororem abbatissam monasterii de Insulis, Cisterciensis Ordinis, in Antissiodorensi dioecesi, quae, ut ei relatum est, suadente diabolo in contagium carnis, puerperio inde secuto, etc. ut supra.

56. Rehabilitatur in praesenti Capitulo frater Franciscus Benoist, religiosus expresse professus monasterii de Prulliaco, dummodo secundum Ordinis disciplinam puniatur.

CONTRACTUUM INQUISITIONES ET CONFIRMATIONES

57. Capitulum generale committit R. abbati de Morimundo ad informandum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter R. patrem abbatem et conventum de Albaripa ex una, et honestum virum Hugonem Leroux mercatorem, et Barbaram uxorem eius ac haeredes eorum ex altera partibus, pro quadam ferma et grangia, quae dicitur Laborde, sicut plenius continetur in litteris quibus nostrae annectuntur, ut facta informatione referat in proximo futuro Capitulo quid super hac re invenerit.

58. Generale Capitulum committit Rdo patri abbati de Bullione, cum quodam honesto viro religioso, ad inquirendum super commodo vel incommodo quorumdam trium contractuum initorum inter dominum abbatem commendatarium et religiosos monasterii de Valle dulci cum quibusdam honestis viris agricolis nominatis in praedictis contractibus, quibus nostrae annectuntur, et facta informatione, *etc. ut supra.*

59. Committit generale Capitulum Rdo domino abbati de Morimundo ad informandum super commodo vel incommodo cuiusdam permutationis terrarum contentarum in litteris, super hac re confectis, et quibus nostrae praesentes annectuntur, et facta, *etc. ut supra.*

60. Rdo abbati domino de Charitate generale Capitulum committit ad inquirendum super commodo vel incommodo quorumdam tractatuum initorum inter abbatem et religiosos de Theoloco ex una, et plurimos honestos viros ex altera partibus, datque eidem domino de Charitate potestatem infirmandi, cassandi, annullandi huiusmodi contractus, si opus fuerit.

61. Generale Capitulum committit Rdo abbati de Morimundo cum quodam quem voluerit abbate comitatus Burgundiae ad informandum super commodo vel incommodo cuiusdam venditionis aliquorum silvarum, quam praetendit R. abbas de Charitate, videlicet in loco qui dicitur Descheance le sec, videantque R. praedicti abbates contractum inter praefatum abbatem a Charitate ex una, et quosdam nobiles ex altera partibus initum, interimque non permittit praedictum generale Capitulum ut scindantur praefatae silvae, quousque praedictus contractus audito Rdo de Morimundo visus fuerit.

62. Contractum inter dominum abbatem commendatarium, dominum Claudium Delabaume et religiosos monasterii de Caroloco eiusdem Ordinis Cisterciensi, in dioecesi Bisuntinensi, ex una, et Guillelmum Lauret, presbyterum, et dominum Lauret de Betancourt ex altera partibus, initum et passatum, sicut plenius continetur in eodem contractu cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, dummodo praedictus dominus et Guillelmus et hi qui post tempus ius habebunt, recognoscant actu publico de decennio in decennium abbati et religiosis praefati monasterii sic quod terrae et territorium et ... si quae sint in huiusmodi contractu contenta, erunt manus mortuae, quem huiusmodi contractus contraxerint et finitis talibus visis habitum ius ad huiusmodi contractum terrae praedictae redibunt in naturam manus mortuae.

63. Contractum inter dominum abbatem commendatarium Claudium Delabaume et religiosos monasterii de Caroloco eiusdem Ordinis Cisterciensis, in dioecesi Bisuntinensi, ex una, et Asperum Guérin et Natalem uxorem eius ex altera partibus, initum et passatum, ut continetur in eodem contractu et informationibus super eodem contractu factis, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum approbat, etc.

64. Contractum inter dominum abbatem commendatarium et religiosos de Longovado, eiusdem Ordinis Cisterciensis, in dioecesi Lingonensi, ex una et honestum virum Ieronimum Toffrin ex altera partibus, initum et passatum, visisque informationibus ... etc. approbat, etc.

65. Abbati de Clarofonte, Ordinis Cisterciensis, in Bisuntinensi dioecesi, cum aliquo religioso honesto, praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenter inquirat super contractu inter dominum

abbatem commendatarium monasterii de Caroloco et conventum eiusdem Ordinis, ex una, et honorabiles viros Guillemum Rechardot, Vincentium Aurel, Iohannem Dufour et Petrum Pelletier ex altera partibus, super certa quantitate lignorum et nemoris sita in maiori silva dicti monasterii de Caroloco continente centum et viginti iugera terrae, prout plenius continetur ... etc. referet in proximo futuro Capitulo generali.

66. Abbati de Clarofonte committit generale Capitulum ut informet super commodo vel incommodo contractus initi inter dominum abbatem commendatarium de Caroloco et conventum eiusdem monasterii, assumpto secum religioso honesto, ex una, et Simonem Regnault de Neubourg ex altera partibus, super certa quantitate terrae tam in nemore quam in silva sita in territorio de Mirialliers in loco dicto La Collouvelle, continente circiter viginti quatuor iugera terrae, prout plenius ... etc. referat, etc.

67. Ad supplicationem abbatissae et monialium monasterii B. M. de Loco Dei, Cisterciensis Ordinis, in Aeduensi dioecesi, praesens generale Capitulum eas omnes et singulas absolvit et liberat a iuramento per easdem praestito super quodam contractu amplius mentionato in dicta supplicatione et litteris, quibus praesentes annectuntur.

68. Abbatibus de Leoncello et de Valle crescenti, aut prioribus eorumdem, aut eorum cuilibet in solidum, eiusdem Ordinis, praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenter informent seu eorum quilibet informet super commodo vel incommodo contractuum initorum, prout continetur in supplicatione, cui praesentes annectuntur, et monasterio de Bonavalle, eiusdem Ordinis, in Viennensi dioecesi, et proximo generali Capitulo fideliter referant.

69. Abbati de Marciliaco, eiusdem Cisterciensis Ordinis, in dioecesi Aeduensi, praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenter inquiret et informet de commodo vel incommodo contractuum, quibus praesentes annectuntur pro monasterio de Fonteneto, et proximo generali Capitulo fideliter referat.

70. Eidem abbati praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenter inquirat et informet super commodo vel incommodo duorum contractuum initorum inter dominum abbatem commendatarium de Fonteneto et conventum eiusdem ex una, et discretum virum magistrum Guillelmum Drouinot pro franchesia omnium bonorum suorum sitorum in finagio Sancti Remigii et aliorum locorum subditorum iustitiae dicti Fontaneti, et alterius inter Renatum Rochet, Iohannem Rochet iuniorem pro franchesia eorum omnium quae possident in finagio Sancti Remigii in iustitia dicti monasterii Fontaneti, ex altera partibus, prout plenius, etc. et utrumque illorum contratuum infirmet aut confirmet, prout iuris viderit esse et rationis.

71. Abbatibus de Caladia et Insula, eiusdem Ordinis, et cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, dans eis potestatem, auctoritatem et mandatum speciale inquirendi et diligenter informandi super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi et transacti inter abbatem et conventum monasterii de Castillione, in Virdunensi dioecesi, ex una, et nobilem virum Fridericum de La Fontaine, receptorem oppidi de Mervilla, ex altera partibus, super quadam permutatione cuiusdam domus et certis haereditatibus pro amplioribus declaratis in dicto contractu, cui praesentes annectuntur, et quod de ea re comperuerit, fideliter referat in proximo generali Capitulo.

72. Contractum initum et transactum inter abbatem et conventum monasterii de Albaripa, Ordinis Cisterciensis, in Lingonensi dioecesi, ex una, et nobilem et scientificum virum magistrum Guillelmum Remond, consiliarium Parlamenti Divionensis, ex altera partibus, super quadam domo et quibusdam hortis et aliis pertinentiis ipsius domus, Divione sitis, ut specialius continetur in litteris desuper factis, quibus, *etc.* approbat, *etc.*

73. Capitulum generale committit R. P. abbatem de Caladia et priorem monasterii de Recluso, ad inquirendum et informandum super commodo vel incommodo cuiusdam initi contractus inter illustr. dominum Carolum de Luxembourg et R. P. et conventum monasterii de Pietate Dei, Cisterciensis Ordinis, super quodam ... cuiusdam firmae seu grangiae amortisationem, pertinentis ad dictos abbatem et conventum, cum alia grangia non amortisata pertinente ad illustr. dominum de Luxembourg, ea tamen conditione, quod antequam fiat huiusmodi informatio, sese obligabit dictus dominus de Luxembourg, quod faciet amortisare dictam grangiam, quam per praedictum contractum tradit dicto abbati et conventui. Et praedicti commissarii referent ad Capitulum generale.

74. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum et certificatum de diligentia per R. P. Abbatem Iohannem de Valcellis, in Cameracensi dioecesi, in visitandis monasteriis Ordinis sibi commissis per commissarios, a praecedenti seu a praecedentibus Capitulis sibi concessis; idcirco praesens generale Capitulum dictam commissionem continuat, confirmat et renovat, monetque dictum R. abbatem, ut quoties opportunum et expediens viderit, ad dictae suae commissionis executionem procedat.

75. Visa supplicatione praesentata Capitulo generali ex parte collegii S. Bernardi Parisiensis, cui praesentes annectuntur, annuit, permittit et concedit praesens generale Capitulum, ut locus ille qui dicitur Le Verger pertinens ad dictum collegium permutetur per venditio-

nem eiusdem loci cum alio aliquo loco seu terra seu censa aut in ferma, quae possit teneri et retineri in fundo.

76. Capitulum generale debite certificatum per informationes factas super quodam contractu iam diu inito inter bonae memoriae defunctum Rmum Ludovicum de Bessey abbatem et religiosos monasterii de Cistercio ex una, et dominum Godefridum Chenoyer etiam nuper defunctum, et magistrum Vinerot, advocatum in Parlamento Divionensi; visa etiam supplicatione dominae Guillelmae Bolart uxoris praedicti defuncti Godefridi, qua supplicabat praedictum contractum confirmari, quo quidem contractu datur in emphiteosi praedicto Godefrido et eius haeredibus quaedam silvae portio nominata Silva d'Ouge praedictis, praesens Capitulum ratificat, *etc.*

IUDICES

77. Anno Domini 1565, die 24 mensis maii comparuit personaliter in diffinitorio Capituli generalis Cisterciensis frater Antonius Pavizza religiosus monasterii Stafardae, qui interrogatus a domino de Claravalle abbate nomine totius Capituli ibidem congregati, an scripsisset litteras ad Rmum et illustr. cardinalem Ztrocy, aut etiam eiusdem cardinalis negotiorum gestores, idem Pavizza respondit, quod sic. Interrogatus iterum an per easdem litteras significasset dictis domino cardinali Rmo aut eius negotiorum gestoribus, quod institutio prioris Stafardae spectaret ad dictum Rmum quodque ad eumdem Rmum spectarent bona mobilia fratris Leonardi Racée, prioris Stafardae nuper defuncti ? Respondit idem Pavizza quod non. Quo facto ostensae sunt ei litterae missivae scriptae ad eumdem Rmum et eiusdem negotiorum gestores, quas ipse recognovit et affirmavit se scripsisse, quibus per promotorem perlectis, manifestum fuit omnibus praesentibus dicti Capituli, dictum Antonium Pavizzam mentitum impudenter fuisse, ut amplius in dictis litteris continetur. In quorum omnium fidem et testimonium nos subscripti notarii abbates eiusdem Capituli has praesentes propria manu subsignavimus.

78. Audita relatione quarumdam informationum contra fratrem Antonium Pavizzam religiosum de Stafarda factarum per R. abbatem de Caladia ad hoc specialiter a generali Capitulo deputatum; visis quibusdam litteris per dictum Pavizzam scriptis et recognitis, auditis etiam responsionibus dicti Pavizzae per eumdem factis ad interrogationes eidem factas per R. patrem abbatem de Claravalle, auditoque fratre Bartholomeo Decena, religioso dicti monasterii de Stafarda ad dictum Capitulum per priorem et conventum dicti monasterii Stafardae specialiter destinato contra dictum Pavizzam, Capitulum generale audito Ordinis generali promotore, committit dominos priores de Ca-

sanova et de Ripalta respective ad instruendum et perficiendum processum dicto Antonio Pavizzae, atque amplius informandum, si opus fuerit, contra dictum Pavizzam, quem interim dictum generale Capitulum suspendit ab omni officio et administratione, quam hactenus habuit in hoc Ordine, inhibens illi sub poena convicti, ne iam habita officia exerceat aut habenda recipiat usque ad finem processus, dictum Pavizzam ad monasterium de Laucedio remittens, et ibidem sub obedientia prioris dicti monasterii vivat. Iniungitque Capitulum generale priori et conventui dicti monasterii de Stafarda, ut pro victu et vestitu, pendente processu, dent dicto Pavizzae octoginta libr. turon.; idque quoadusque aliter fuerit ordinatum per supradictos priores commissarios, vel R. abbatem de Morimundo. Mandat igitur dictum Capitulum dictis prioribus commissariis, ut cum summa diligentia dictum processum instruant et perficiant usque ad pronuntiationem sententiae exclusive, quam reservat dictum Capitulum commissariis generalibus dicti Capituli, aut duobus ex illis. Item, iniungit idem Capitulum priori de Laucedio, ut dictum Pavizzam in dicto monasterio de Laucedio recipiat sub poenis et censuris Ordinis.

79. Visis processibus factis adversus sororem Carolam De Rocourt, abbatissam de Virgulto, in dioecesi Cameracensi, Cisterciensis Ordinis, per Rdum abbatem de Valcellis eiusdem Ordinis, et officialem Rmi in Christo patris domini Atrebatensis episcopi, a Sede Apostolica delegatum, sententiis per eosdem latis super dictis processibus, appellatione interposita per dictam abbatissam a sententia domini Antonii de Mouchi, s. th. pr., iudicis ab eadem Sede Apostolica delegati, qua quidem declaravit bene quidem appellatum per dictam abbatissam a dicto domino officiali, et ab eodem male iudicatum, quaque confirmavit sententiam dicti Rdi a Valcellis, partibus cum dictis processibus ad Capitulum generale dicti Ordinis remissis. Praesens generale Capitulum committit abbatem de Valle clara dicti Ordinis et priorem monasterii de Recluso eiusdem Ordinis, datque illis potestatem et cuilibet eorum in solidum, audiendi partes, et si opus sit, ampliores informationes faciendi, et totum processum instruendi. Quantum vero ad sententiam diffinitivam dicti processus, dictis abbati et priori simul committit et concedit auctoritatem dictum processum diffiniendi, et debito fine terminandi.

80. Audita requisitione prioris et conventus de Recluso adversus priorem et conventum de Barbello, super petitione summae octoginta librarum turon., quam dicti prior et conventus de Recluso requirebant sibi persolvi a dictis priore et conventu de Barbello pro pensione unius anni cuiusdam religiosi dicti monasterii de Barbello in dictum monasterium de Recluso transmissi auctoritate et ordinatione Rdi D. abbatis de Morimundo, et viso quodam libello per Franciscum de Norman-

villa in hac causa promotorem exhibito, per priorem dicti monasterii de Barbello subsignato, rectas causas et rationes continente, quibus dictus prior asserebat et defendebat dictum conventum de Barbello non teneri ad solutionem dictae summae, et omnibus considerandis consideratis, praesens generale Capitulum statuit, diffinit et ordinat quod dicti prior et conventus de Barbello intra quindecim dies post praesentium significationem docebunt de quittantia data dictae summae per dictos priorem et conventum de Recluso, aut eorumdem procuratorem ad hoc specialiter deputatum, alioquin dictis quindecim diebus elapsis, dicti prior et conventus de Barbello compellantur per dictum Rdum abbatem de Morimundo, quem ad hoc idem Capitulum specialiter committit, ad persolutionem dictae summae realiter et cum effectu dictis priori et conventui de Recluso faciendam. Mandat igitur dictum Capitulum omnibus presbyteris dicti Ordinis, quatinus has praesentes dictis priori et capitulo de Barbello significent.

SUFFRAGIA

81. Illustrissimo ac Reverendissimo domino cardinali Morono, nostri Cisterciensis Ordinis protectori apud Sanctam Sedem Apostolicam vigilantissimo, Diffinitores Capituli generalis eiusdem Ordinis, sinceram in Domino charitatem et sanctae devotionis suffragium. Cumque divinae legis testimonio pro omnibus ... *etc. ut in forma consueta.*

82. Similes litterae sunt expeditae pro Rmo cardinali Romano.

83. Similes expeditae sunt litterae pro Rmo cardinali Palioto.

84. Similes expeditae sunt litterae pro Rmo episcopo de Bayneces, Sanctae Sedis Apostolicae Datario.

EXCUSATIONES ABBATUM

85. Abbates de Firmitate, de Vaucellis, de Bullencuria, de Clarofonte, de Villari, de Camberone in Hannonia, de Alna, de Molinis, de Aureavalle, de Caricampo, de Claromarisco, de S. Ambrosio Mediolanensi, de Belloprato in Lotharingia, de Stamedio, abbates Hispani, prior de Directa valle, prior de Roseriis, magister regens collegii S. Bernardi.

COMMISSIONES

86. Nos, Diffinitores ... *etc.* et est talis : Salus redemptarum ... *etc. ut anno* 1557, *n*o 40 ... abbatum s. th. professorum, Hieronimi de Claravalle, Iohannis de Morimundo, Bernardi de Caladia, Desiderii de Insula, Guidonis de Valle clara, Lingonensis, Virdunensis, Tullensis,

Laudunensis dioecesis respective, ipsis et cuilibet eorum in solidum committit, ac plenariam dat potestatem et auctoritatem visitandi et reformandi omnia et singula utriusque sexus dicti Cisterciensis Ordinis monasteria existentia et sita tam intra hoc christianissimum Galliae regnum, et omnia christianissimi regis Galliae dominia quam extra, scilicet in universa Italia, in omnibus regnis et insulis Hispaniae, Portugalliae, in utraque Germania et Austria, et adiacentibus regionibus, ac in regnis Hungariae, Bohemiae, Poloniae, Daciae, in Suevia, Sabaudia, Pedemonte, Lotharingia, Flandria, Brabantia, Hollandia, Zelandia, et in omnibus adiacentibus provinciis ad catholicum regem pertinentibus, necnon in Leodio, et in omnibus omnino locis et dominiis christiani orbis. Ibidemque puniendi ... *etc. ut in diffinit. supra allegata.* Praesentibus usque ad proximum sequens Capitulum in suo vigore duraturis. Unicuique reverendissimorum abbatum data est particulariter commissio secundum formam et tenorem supradictae commissionis.

87. Similis commissio data est Rdo abbati a Charitate, magistro nostro Nicolao Cotton sibi adiuvante solum in comitatu Burgundiae.

88. Eadem data est commissio abbatibus S. M. de Tamares et de Sissa, in Portugallia solum.

89. Similis data est abbatibus de Populeto et de Sanctis Crucibus, in regnis et principatibus Hispaniae, Cataloniae, Arragoniae, Valentiae, Navarrae, et in ceteris adiacentibus provinciis ad regem catholicum pertinentibus, adiuncta sequenti hac clausula : Verum attendens generale Capitulum ad commissiones illis nuper, Capitulo non sedente, datas pro visitatione et reformatione monasteriorum Ordinis in regnis supradictis, vult idem generale Capitulum eas vim et posse, quae in praefatis commissionibus illis commissis continetur, licet haec non habeantur expresse. Praesentibus usque ad Capitulum sequens generale, vel specialem revocationem Rrum patrum qui illis praefatas commissiones dederunt, duraturis.

90. Similis commissio data est Reverendis patribus domino Dionisio de Lacheronibus de praesenti abbati de Misericordia, in Mutinensi dioecesi, in Patrimonio Ecclesiae romanae, Tuscia, regnis Neapolitano et Siciliae. Domino Martiali de Risys de praesenti abbati S. Ambrosii Maioris Mediolanensis, in partibus Lombardiae, dominatus Venetorum, ducatus Ferrariensis, status inclitae civitatis Genuensis et terris Vallistellinae, durata et non revocanda, nisi auctoritate Capituli generalis, aut trium ex generalibus ipsius commissariis.

91. Eadem commissio data est Rdis abbatibus Wolgango abbati Aulae regiae prope Pragam, Iacobo abbati monasterii Grissoviis, Antonio abbati monasterii Zeldicensis, in Bohemia, Hungaria et Polonia.

92. Eadem data est Rdis abbatibus de Veteri monte et de Himme-

rode, in dominiis trium archiepiscoporum sacri imperii Electorum et dominiis Cleviae et Gueldriae.

93. Eadem data est Rdis abbatibus de Salem et Caesariensi, cum potestate substituendi personam Ordinis capacem in locis in quibus non erit illis facilis accessus, in Bavaria, comitatu Tirolii, dominio comitis Palatini, et illustr. dominorum Saxoniae et adiacentibus provinciis.

SINDICATUS SEU PROCURATORIUM

94. Communis nostrae unitatis simplicitas tantis enim est exposita periculis et assuetis destituta auxiliis et subsidiis, ut nisi provido cautum fuerit remedio, ad interitum res nostrae publicae privataeque inclinare videantur. Quocirca praesens generale Capitulum fratrem Arnelardum Martre, religiosum de Bonofonte, Ordinis Cisterciensis, de cuius zelo, experientia, ac morum probitate confidit, promotorem et sindicum Ordinis Cisterciensis nominat, creat, instituit et ordinatin ressortu Parlamentorum Tholosani et Burdegalensis, illique dat auctoritatem et potestatem omnes et singulas causas in universis litibus, querelis, controversiis motis aut movendis contra quascumque personas ecclesiasticas vel saeculares cuiuscumque dignitatis aut gradus existant, sive in Ordine sive extra nostrum Ordinem Cisterciensem, coram quibuscumque iudicibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, ordinariis et non ordinariis, et aliis quibuscumque in quocumque foro praesidentibus, necnon in querelis *etc. ut in forma consueta.*

95. Similis sindicatus datus est Rdis abbatibus de Populeto et de Sanctis Crucibus cum potestate substituendi religiosum virum fratrem Martinum de Marquino, vel alias capaces Ordinis personas, qui similem vel limitatam habeant potestatem, prout negotiorum difficultas et locorum distantia exiget, necnon cum potestate substituendi unum vel plures procuratores ad lites tantum.

96. Similis pro dominis de Villari et de Alna, cuilibet in solidum, cum potestate substituendi alium Ordinis abbatem in Brabantia, Hannonia, Namurco, Hollandia, Zelandia et adiacentibus provinciis.

97. Similis pro abbate de Dunis in comitatu Flandriae, ac potestate substituendi ut supra.

98. Similis pro abbate de Valcellis in provincia Cameracensi ; et pro abbate de Veterimonte in Germania.

99. Similis pro abbate de Misericordia et de S. Ambrosio Maioris Mediolanensis, in partibus Italiae.

LITTERAE MISSIVAE

100. Post humillima beatorum pedum oscula. — Beatissime pater, dici non potest quanto cum dolore nos hic ex omnibus fere Europae partibus congregati, contulerimus inter nos memoriam periculosae tempestatis, quae per universum orbem sanctam Dei Ecclesiam tandem exagitat. Nam hic Ordo noster sanctissimorum romanorum Pontificum prudentia et benignitate quondam felix tantum accepit plerisque in locis diminutionem per atrocissimas horum temporum iniurias, ut magnus monasteriorum frequentissimorum numerus nostrae propagini decesserit, quorum opes et aedificia amplissima impiae factioni Lutheranae vel Calvinianae accesserunt. Haec strages, Beatissime Pater, licet peccatis nostris accepta ferenda sit, animos tamen nostros gravi moerore affecit, quia videmus sanctuaria Domini ab adversariis occupata, et non tantum a Cisterciensi ratione, sed ab ipso etiam Christo et eius Ecclesia, atque adeo a Sancta Apostolica Sede defecisse. Nec sit satis sectarum perversitate affligebamur, Beatissime Pater, nisi etiam ab importunis, qui eidem Sanctae Sedi per obreptiones illudunt alia nobis accederent damna, quorum etiampro nostro, quorum communem cupiditatem factum est, ut rescriptum de uniendanostra abbatia de Valcellis in dioecesi Cameracensi cum ipso Cameracensi episcopatu concessum sit. Qua de re apud Beatitudinem vestram agere cogimur, estque causa in amplissimo foro Sedis Apostolicae instructa, quam adultam atque fere vergentem speramus, et quae iam iam e vestrae Sanctitatis consilio manare debeat, hac in re dici non potest quam periculosum exemplum consistat, quod hac ratione a suo Ordine antiquissimum nostrum monasterium avertatur, fietque alieni iuris et dispari domino dominationi subiicitur antiqua domus, quae nostra recenti constitutione, sed ex ipsa sua prima origine in divi Bernardi eiusque successores posita fuerat, atque, Beatissime Pater, legibus canonicis uniones etiam antiquae nullius momenti esse iubentur, nisi quae causa cognita factae sint. Estque ius hoc non tantum regula romanae Cancellariae irrogatum, sed et sanctissimo Concilio Tridentino repetitum et amplificatum, quod tamen in unione ista servatum non sit, ubi causa non diximus ... quorum tamen plurimum intulerat, audiri enim humiliter petimus, facile probari eam de qua agimus unionem per importunitatem et obreptionem obtentam fuisse. Nam ut cetera omittamus, expositum est, quod vectigal annuum Cameracensis episcopatus sumptui episcopalis familiae non sufficeret, cum liquido hic constet, et res sit apud Cameracenses manifestaria, quod obventio annua Cameracensis episcopatus pensitat episcopo numerum sex millia, quae summa quantumvis liberali episcopo sufficere possit, accessit enim magnos fructus ad proventum episcopi Cameracensis, quod creatis novis episcopatibus factus est archiepiscopatus, qua de re tantum abest ut quidquam ex redditu illius destructum sit per novas illas creationes, ut etiam ex iurisdictione ampliores fructus consequatur. Necesse igitur non fuit propter inopiam illi adducere Valcelliensem nostram abbatiam, cuius dos est ad octo millia aureorum a piis conditoribus et conditione constituta, ut nostris legibus et iure nostro regeretur. Est igitur vestrae Sanctitatis et pietatis,

Sanctissime Pater, ut iam unionem revocet et irritam esse iubeat, quod per Deum optimum maximum supplices rogamus et obsecramus, nos litium inexpertes, ad causarum anfractus parum instructi, et rerum urbanarum et forensium plane rudes e S. V. maxime in hac nostra solitudine, cum adhuc per mortem fr. Ludovici Cisterciensis abbatis optimo praesule et pastore caremus, a sola S. V. pendimus aequitate, quae non patietur nos in tam bona causa per adversariorum potentiam vinci et opprimi, sed nostrae inopiae et simplicitati per suam toto in orbe celebratam iustitiam volet esse consultum, quam Dominus iustus suae sanctaeEcclesiae diu incolumem conservare dignetur, et tandem in suam sanctam civitatem transferre. — Humillimi servitores et perpetui oratores, abbates Cisterciensis Ordinis apud Cistercium in generali Capitulo congregati.

101. [Ad Caesaream Maiestatem] Nobis hic in Christo omnibus ex Europae partibus congregatis ex sua quisque provincia nuntiant varios motus et calamitates, quibus tam universa res christiana nuper est percussa, tum vero nostri Ordinis ratio et compago afflicta per monstrorum iniurias et Ecclesiae christianae seditiones. Itaque tum recta ratione nobis constat post annos proximos quadraginta factionem Lutherianam vel Calvinianam a ditione nostra avertisse nostrorum monasteriorum frequentissimorum bona parte, ita ut ex ingenti illo numero ad quem nostri Ordinis propago felicissimam accrestionem fecerat, per annos quingentos, tam paucis diebus iam fere sexta pars perierit, et non tantum a nobis sed a Dei Ecclesia et ab ipso Christo sit avulsa, atqui haec utrumque ferenda sunt, accepta nimirum ab hostibus, a quibus nihil nisi hostile expectemus nisi ut Ecclesiae ipsius familiares et domestici hostilem in nos iniuriam tulent et augeant. Nuper enim R. D. Cameracensis episcopus, cum inhiaret doti monasterii Valcellensis in Cameracensi provincia, id monasterium, quod ea conditione conditum erat, ut iure nostro regeretur, a nostro canone avertit, et a Summo Pontifice per importunitatem impetravit, ut id monasterium, cuius dos est ad aureorum numerum fere octo millia, episcopatui Cameracensi adiiceretur et uniretur, non tantum nobis, sed illius loci abbate et conventu inauditis et indefensis, quorum defensio ad imperialem vestram Maiestatem pertinet, non tantum iure privato Burgundiorum principe, cuius est huius frequentissimi coenobii amplissima dotatio, sed et iure publico, quod in Cameracensi territorio quod Caesarei iuris est, illud ipsum monasterium sit constructum; huic porro unioni ius ecclesiasticum repugnat, prohibet enim ne uniones ratae sint, nisi quae causa cognita sint addictae, quod ius non tantum in foro romano est receptum per legem Cancellariae, sed etiam Concilio Tridentino est secus irrogatum, ut olim in Constantiensi fuerat decretum. His omnibus legibus ecclesiasticis spretis, ipse R. D. Cameracensis episcopus in romana Curia per importunitatem adeptus est, ut prima fundatio piorum principum inadvertatur (ut antiqua ea domus, quae hactenus fuerat frequentissima schola pietatis, et quae in illis partibus solam habemus sub V. M. imperio, ex qua pateretur fere, qui in Belgicis et Celticis monasteriis depravatis corrupta, in statum meliorem restituerunt, alieno dominio cedat suis opibus et gloria spolianda, quae postea cessura sit alieno titulo a suo Ordine dis-

tracta, cui condita est et recepta) id vero minime V. M. fieri potest cum maxime extraordinaria ipsa concessio per obreptionem facta sit, quod suggesserit summo Pontifici R. D. Cameracensis episcopus, se inopia urgeri propter novas constitutiones in Belgio creationes, e quibus acceptam iacturam hoc nostro detrimento sarciri postulavit. Et vero non tantum abest, constet ut contra certum sit per novas constitutiones illius proventui multum accressisse, qui nempe factus sit archiepiscopus, et cuius iurisdictioni ecclesiasticae universa ea provincia cesserit, et ultra illam accressionem supra aureorum numerum sex millia percipiat ex suo episcopatu. Hac de re igitur causam agere cogamur apud Sedem Apostolicam, ubi forte impedierit adversariorum potentia, ne nostrae causae iustitia eluceret, nisi vestrae Maiestatis auctoritate commendaretur, cui maxime convenit ecclesiasticos protegere, hos praecipue quorum sic humilis est conditio, ut potentum vim repellere non possint. Confidimus autem multum non quibus in tam iusta causa, si tam V. M. suffragari dignabitur vinci posse, cum apud tantae sanctitatis iudicem lis tractetur. Eum igitur per testem Christum supplices obtestamur et obsecramus, ne in actione tam aequa nos negligat, sed cor nostrum in tutelam et fidem recipiat, ne per potentiam qua plus valent adversarii ea a nobis abdicetur. Hoc nudo negotio permaxima sua auctoritate efficere et dignitate potest, si ad oratores suos, qui Romae sunt, apud sanctum Pontificem scribere placeat, ut causam nostram agnoscere velint et eius fieri adstipulatores et auditores, qua de re sententiam ad ipsum Pontificem summum pro sua benignitate rescribere quamvis pauca velit, et esse confectam speremus, ut ad nos tamquam postliminium nostrum monasterium redeat. Nos vero hac spe ad Christum vota perpetua pro sua salute et divina eius familia suspiciemus.

102. *Alia epistola de eodem argumento et eisdem fere verbis, ad quemdam principem cuius non citatur nomen.*

103. *Item, alia similis epistola ad alium directa.*

104. Iam tertius praeteriit annus, illustrissime simul et reverende Domine, quod Capitulum nostrum generale elegerat nostrates aliquot abbates, illosque constituerat commissarios ad invisendas atque etiam reformandas abbatias nostri Ordinis sitas in Hispaniarum regnis, apprimeque illas quae sunt in Portugalliae regno, verum cum iam in ... essent obeundae id genus provinciae, fuerunt addicti imperio suae Sanctitatis se conferre Tridentinum ad sacrum generale Concilium illic palam convocatum, cui cum tamdiu interfuissent, tandem visitarunt aliquot monasteria eiusdem Cisterciensis Ordinis in Italia sita, et sperabamus post eorum ad has partes reditum, celebrato tamen hoc generali Capitulo illos se accinturos itineri ad ipsas Hispanias, atque adeo ad perlocutum Portugalliae regnum. Sed mors inopinata felicis memoriae Rmi generalis nostri superveniens, non permisit illos abbates ad hoc munus deputatos se in praesentiarum subtrahere ab hoc Franciae regno, donec electio successoris illius a sua Sanctitate foret confirmata, cuius quidem confirmationem in dies expectamus. Ne tamen visitationem reformationemque ipsorum monasteriorum diutius remoremur, interim dum alii mitti possint, commisimus duos vestri regni abbates, nempe dominum Franciscum abbatem S. M. de Tamares,

et dominum Petrum abbatem S. M. de Sissa, visitaturos reformaturosque dicta monasteria, vestram illam Reverentiam cum omni reverentia et humilitate supplicantes, quatinus dignetur illis praestare auxilium et favorem in talibus ... id quod res facilius impetrare ab ea speramus, quod fama et rumore publico in toto christianissimo sparso cognitum intime esse affectum, honore divino et omni rei ipsum concurrenti, maxime huic sacro nostro Ordini Cisterciensi, certo nobis persuadentes, quod si sua Dominatio illustrissima reverendissimaque dignetur assistere atque adesse, sua maxima auctoritate eisdem abbatibus paucis diebus monasteria ipsius Ordinis sita in dicto regno resument suum splendorem pristinum, atque adeo istic restituetur disciplima monastica et observantia antiqua. Interim haec Cisterciensis synodus et quae ab ea dependent obnixe deprecabuntur optimum maximum Redemptorem nostrum, ut dignetur ad multos annos conservare suam Excellentiam in sanitate perfecta, cum maxima prosperitate incolumem, et tandem illi praestare iustorum mercedem in coelestibus tabernaculis.

105. Charissima nobis in Christo. Non possumus non magnopere laudare ac approbare oppositionem quam intermisisti contra auctoritatem domini episcopi vestrae dioecesis, qui contra privilegia a Summis Pontificibus nostro Ordini concessa et auctoritate sanctae Synodi Tridentinae confirmata, in primisque quoad exemptionum et libertatum Ordinum qui habent generalem et generale Capitulum, velut ab antiquo Cisterciensis noster Ordo habere dignoscitur, non veritus visitare monasterium tuum, attentare ac etiam corrigere personas regulares in eo degentes. Quare te obnixe in Domino exhortamur, quatinus in re tam sancta perseveres, nec permittas monasterium tuum visitari, nisi a vicariis et superioribus Ordinis nostri. Precamur autem aliquot nostrates abbates illic brevi ituros. Interea tamen scribimus ad vicarios qui sunt in ilis regionibus, ne intermittant visitationes solitas, tibique praestent auxilium et favorem quam maximum poterint. Te autem valemus exhortatam, quatinus te ac tuae religiosae vivatis iuxta sanctam nostram regulam et votum a vobis emissum, ut qui vobis detrectant, cogantur glorificare Deum ex vestris operibus bonis et sancta conversatione. Ille vos omnes conservet in sua sancta gratia, nostri memores in vestris sanctis precibus.

106. Charissima in Christo filia. Magnopere laudamus zelum quem geris erga sanctam religionem nostram, et ad perseverantiam iurisdictionis et libertatum Ordinis nostri, et ne tibi desit patrum Ordinis auxilium, scripsimus ad vicarios deputatos vestrae regionis de Populeto et Sanctarum Crucium abbates, ut eo negotio de quo nos tuis litteris admonuisti, tibi adsint, curentque diligenter visitare tuum monasterium, et quantum opus erit reformare. Quoad vero electionem tuam et sanctimonialium numerum, quem augeri cupis, mittitur ad te Capituli generalis concessio. Vicarii autem providebunt vobis de patre confessore, et ceteris quibus opus erit ; obsecramus autem vos, ut tam religiose versemini in vocatione, ad quam estis vocatae, ut qui vos perturbant, non habeant occasionem conquerendi de tua et tuarum conversatione. Dominus vos conservet in sua sancta gratia, nostri memores in sanctis vestris precibus.

107. Charissimi in Christo. Non sine magna molestia et gravi dolore intelligimus, esse aliquos qui contra Ordinis nostri libertates singulares personas ipsius corrigere attentant, quamvis non sint ipsius Ordinis professae. Qua in re non tantum sacris canonibus, sed et sanctae Tridentinae Synodo adversant. Quapropter ut vestram diligentiam, qui nos monitos esse voluistis, laudamus, sic dedimus operam, ut in partibus vestris nominarentur vicarii a nostro generali Capitulo, qui omnia utriusque sexus monasteria visitarent, ne forte sint in quibusdam aliqui dissoluti et insolentes, quorum scandalo excitati existimant, qui non sint nostrae professionis, sibi licere, quod per nos negligitur. Vestrum itaque erunt partes, ita religiose vivere, ut talibus tollatis omnem occasionem vos molestandi. Qui vos visitabunt, vobis auxiliabuntur pro sua virili, et consolabuntur. Dominus vos conservet in sua sancta gratia, nostri memores in vestris precibus.

108. Charissimi in Christo ac Rmi patres. Aegre admodum nec sine gravi molestia intelleximus plures dominos epsicopos ... aliosque saeculares sibi assumere auctoritatem visitandi monasteria Ordinis nostri, atque ipsorum regulares personas corrigendi, atque magis quo scimus certo illos non ignorare hunc nostrum Ordinem per Summos Pontifices specialiter legibus solutum, atque adeo sub eorum iurisdictione non comprehensum, quod et sancta oecumenica Synodus Tridentina sua auctoritate confirmavit. Nobis itaque visum est, ut huic malo aliquid tandem remedium apponamus. Interim dum electio Rmi D. N. Cistercii fuerit confirmata, et ipse seu aliquis quatuor primorum patrum possit illud ire, constituimus commissarios ad visitandum et reformandum vestra monasteria, iuxta decretum Concilii Tridentini, et ad id peragendum expedivimus commissionem, quam ad vos mittimus, una cum litteris ad Illustr. et Rmum dominum cardinalem Portugalliae, quibus suam Dominationem obnixe deprecamur, quatinus in re tam sancta dignetur vobis praestare auxilium, favorem et consilium opportunum. Speramus etiam dominum Vaccarensem vobis non defuturum. Tandem vobis commendamus ex animo duos nostri monasterii de Alcobatia monachos, qui ad nos pervenerunt, quatinus non permittatis illos aliquid incommodi recipere ex illa sua ad nos peregrinatione, cum etiam deprecatos vos velimus ut quamcitissime fieri poterit, visitetis omnia monasteria vestra, regnantes ad illa antiquam disciplinam et observantiam monasticam iuxta regulam S. P. N. Benedicti et antiquas Ordinis nostri diffinitiones. Interim vos Deo optimo maximo commendantes cupimus vestrarum precum participes fieri.

109. Madame de Pogliole. Ayant entendu par notre procureur général le bon traittement que feu de bonne mémoire Monsieur notre Révérendissime a receu de vous, et de quelle affection et vous et votre compagnie se sont comportés à lui faire service, nous n'avons pu mieux faire que de vous en remercier de toute notre affection, et vous faire entendre qu'en toutes les choses que cette compagnie en général et tous les pères en particulier vous pourront favoriser, ils le feront de très bon cœur, vous priant au reste à continuer de vivre de la façon qu'il nous a été rapporté par notre dit procureur, en quoi faisant Dieu sera servy et honoré, et si donnerez conten-

tement à ceux auxquels Dieu a commis la charge tant de vous que de votre petit troupeau, aux prières duquel et aux votres cette compagnie désire être recommandée. — Donné en notre définitoire ce 21e jour de may 1565. Les biens votres Définiteurs et abbés faisant le Chapitre général de Citeaux.

110. Nos, Diffinitores Capituli generalis ... *etc.* et est talis : Communis nostrae unitatis simplicitas tantis autem exposita est periculis et assuetis destituta subsidiis, ut nisi provide ante maiorem ruinam cautum fuerit remedio, ad interitum res nostrae publicae, privataeque inclinare videantur. Quocirca praesens generale Capitulum fratrem Nicolaum Boucherat, priorem monasterii de Recluso, de cuius zelo et experientia, morum probitate, ac in rebus agendis singulari providentia, confidit, procuratorem et sindicum, ac totius Ordinis procuratorem nominat, creat, instituit et ordinat. Omnesque alios dicti Ordinis sindicos et procuratores per provincias, etiam in Curia romana ac partibus Italiae constitutos, sub eiusdem fratris Nicolai auctoritate constituit, illique dat auctoritatem, *etc. ut in forma consueta.*

* * *

111. Cum propter agendorum multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1517, *n*° 72.

1567

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1567, die vicesima octava mensis aprilis apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, sedes vacat, de Theoloco, de Tribus regibus, monasteriorum abbates ; de Charitate loco domini de **Firmitate**, de Marciliaco, de Bona aqua, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco** de Insula, s. th. pr., de Stamedio, de Strata, monasteriorum abbates ; dominus de **Claravalle**, s. th. pr., de Valle clara, s. th. pr., de Leoncello, monasteriorum abbates ; dominus de **Morimundo**, s. th. pr., de Petra, de Gratia Dei, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Insula s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Cheseriaco, s. th. pr.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Bona aqua, coadiutor de Clarofonte.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Morimundo, s. th. pr., prior et subprior Cistercii.

NOTARII ABBATES : de Valle clara, s. th. pr. de Leoncello.

1567. *Fontes* : *L*^{7} : A, B ; *L*^{8} : 1-65.

Auditores computationum : de Insula, s. th. pr., de Stamedio, de Marciliaco, de Petra, monasteriorum abbates.

Promotor causarum : prior de Recluso.

Portarius diffinitorii : de Valle Beatae Mariae, s. th. pr.

Notarii ad pedes : fr. Franciscus de Normanvilla, fr. Nicolaus Censier, religiosi Cistercii.

B) Nomina abbatum praesentis Capituli : dominus de Claravalle, s. th. pr., de Morimundo s. th. pr., de Insula, s. th. pr., de Valle clara, s. th. pr., de Charitate, de Petra, de Stamedio, de Theoloco, de Tribus regibus, de Leoncello, de Strata, de Gratia Dei, de Bona aqua, de Marciliaco.

* * *

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... Pio Papa quinto ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIO DE ANTIQUO DEBITO ET CONTRIBUTIONIBUS

6. Nos, Diffinitores Capituli generalis ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc. ut in anno* 1562, *n*o 6.

7. Praesens generale Capitulum continuat commissionem datam domino abbati de Claravalle in praecedente Capitulo generali pro contributionibus levandis supra monasteria nominata in dicta commissione usque ad aliam Capituli generalis dispositionem ; quae quidem commissio transcripta est in registro praecedentis Capituli.

[DIFFINITIONES] GENERALES

8. Diffinitiones novissimo generali Capitulo anno Domini 1565, die 21 mensis maii factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate.

9. Cum multoties per Ordinis statuta prohibitum fuerit et detestatum proprietatis vitium tamquam statui monastico disconveniens et maxime pernitiosum, nihilominus tamen temeritate quadam et contumacia perversorum in omnibus ferme monasteriis viget adhuc et regnat, hinc est quod praesens generale Capitulum renovans antiqua statuta contra tale proprietatis vitium facta, ipsa vult habere totius

roboris firmitatem, et eisdem diffiniendo et ordinando adiicit, ne in posterum monachus aliquid separatim, *etc. ut in anno* 1565, *n*° 11 et 12, *deinde additur :*

Portio monachalis quae unicuique monacho per singulos annos assignatur a commendatariis pro victu et vestitu et ceteris necessitatibus, nullo pacto dabitur ad firmam personae regulari aut saeculari.

10. Priores aut superiores eorumdem monasteriorum non tractabunt praedictas communes pecunias, nec expensam aut receptam earumdem pecuniarum facient, neque de his quae ad communitatem pertinent aliquid vendent aut ement sine consilio et assensu seniorum. Ipsis denique prioribus monasteriorum commendatorum sub poena excommunicationis et depositionis iniungit praesens generale Capitulum, ut salutarem hanc ordinationem in monasteriis quibus praesunt observare faciant, in plenaria, etc.

11. Praesens generale Capitulum non sine magno animi dolore accepit, multos abusus hactenus commissos in nimia facilitate communicandi chartas seu titulos bonorum tam mobilium quam immobilium, sicut etiam et in faciendis contractibus et locationibus multi abutuntur sigillo conventus, omnino negligentes plures iam factas diffinitiones tales abusus prohibentes. Idcirco vult et iterum ordinat, statuit et diffinit idem generale Capitulum, ut omnes chartae et tituli bonorum quorumcumque monasteriorum deinceps asserventur in archivis monasterii sub tribus aut quatuor clavibus, quarum unam prior, ceteras primi seniores apud se retinebunt, ipsis omnibus et singulis iniungendo sub poena inhabilitatis, ne sine gravi et urgenti necessitate ipsos titulos seu chartas a dictis archivis extrahantur, ubi autem necesse fuerit pro conservatione iurium monasterii easdem chartas communicare et ab archivis extrahere, accipient *recepisse* ab eo cui dabunt. Sigillum autem conventus eodem modo observabitur sub tribus aut quatuor clavibus a senioribus custodiendis, quo quidem sigillo non utentur nisi pro evidenti commodo et urgenti necessitate, tam in monasteriis religiosorum quam monialium.

12. Cum in plerisque monasteriis Ordinis per horum temporum calamitatem multi libri deperditi fuerint, adeo ut divinum officium vel omittatur vel non sine magna difficultate persolvi possit, neglectumque sit iam factum super hac re statutum ab ultimo praecedenti Capitulo, idcirco praesens generale Capitulum dictum statutum renovans statuit, diffinit et dicit patribus visitatoribus et commissariis, ut iniungant abbatibus et abbatissis, ac commendatariis et prioribus et priorissis ipsius Ordinis, quatinus intra tres menses ab ipsa iniunctione numeratos, provideant suis monasteriis de omnibus libris ad divinum officium persolvendum necessariis, sub poena privationis et usus fructuum totius monasterii, et ipsos seu ipsas ad id compellant

per omnes iuris et iustitiae vias. Idem censet praesens Capitulum pro recuperandis ornamentis et ceteris dictis rebus ad divinum cultum et officium necessariis deperditis, in plenaria, etc.

13. Cum sufficienter sit instructum et certificatum praesens generale Capitulum, locationes de bonis et proventibus monasteriorum utriusque sexus nostri Ordinis ... contra constitutiones apostolicas, *Benedictinam* et antiqua statuta Ordinis ; hinc est quod idem generale Capitulum statuit et diffinit ne deinceps aliqui fiant contractus aut aliqua decernatur commissio informandi super commodo vel incommodo venditionis, alienationis et permutationis bonorum monasteriorum utriusque sexus, nisi prius consulto vel patre abbate vel Ordinis visitatore et commissario. Quod si aliter attentarum fuerit, id omne idem Capitulum cassat, irritat et annullat, in plenaria, etc.

14. Si semper noster et sacer Cisterciensis Ordo suis debite et integre gaudeat et utatur privilegiis quibus hactenus dotatus est a Summis Pontificibus, sacris Conciliis et Sede Apostolica, ideo praesens generale Capitulum insequendo statutum quod incipit *Perversorum temeritas*, statuit, diffinit et ordinat, ut nullus monachus quacumque ratione exemptus eligatur in abbatem cuiuscumque monasterii, quod si aliter factum fuerit, electio irrita et vana sit, declarans idem Capitulum omnes eligentes et electum ipso facto excommunicatos, in plenaria, etc.

15. Intellexit praesens generale Capitulum in plerisque monasteriis monialium presbyteros tantum saeculares esse, qui patrum confessorum exerceant officia contra antiquam formam Ordinis et praecedentium patrum instituta ; ideoque idem generale Capitulum praecipit et ordinat ac diffinit, ut deinceps abbatissae nullos habeant patres confessores in suis monasteriis, nisi tales qui dabuntur eisdem a patribus abbatibus vel commissariis Ordinis, cogeturque abbatissa illos recipere et eisdem providere de sufficienti victu et vestitu aliisque necessariis ; idque sub poena suspensionis a dignitate abbatiali, nisi forte accedente inevitabili et urgenti necessitate.

16. Novitii seu novitiae Ordinis anno probationis elapso, si quidem habeant aetatem legitimam et competentem, et idonei seu idoneae reperiantur, emittant professionem monachalem, si commode haberi possit abbas, qui eos vel eas possit ad dictam professionem recipere ; alioquin ubi eam noluerint profiteri, a monasterio expellantur, et in loco eorum alii subrogentur, qui possint rebus divinis in eodem monasterio inservire et ceteris regularibus institutis. Prohibet itaque idem generale Capitulum prioribus Ordinis sub poena excommunicationis et depositionis, ne permittant cuiquam novitio, et abbatissis seu priorissis cuiquam novitiae deferre scapulare nigrum vel cucullam ante emissionem voti religionis, ante quam tantum utentur habitibus in Ordine consuetis, in plenaria, etc.

DIFFINITIONES SPECIALES

17. Si communi cuiquam privatoque nostro negotio circumspecta attentione providendum sit, id recte nostro divi Bernardi apud Parisios collegio bonarum litterarum matri et origini debetur. Quapropter praesens generale Capitulum statutis antiquorum patrum inhaerendo, commodisque et utilitatibus in dicto collegio studentibus consulendo vult, statuit et praecipit bursario eiusdem collegii pro tempore existenti, ut in sexto quolibet mense coram tota commutate collegii computationes generales et rationem suorum debitorum tam activorum quam passivorum, sine ulla exceptione exhibeat, sub poena privationis suorum stipendiorum. Praecipit insuper idem generale Capitulum omnibus abbatibus et prioribus monasteriorum commendatorum, ne cum mittunt scolasticos in dictum S. Bernardi collegium, dent eisdem scolasticis pecunias imbursandas, sed ipsimet bursario aut priori eiusdem collegii eas mittant, inhibendo dicto bursario ne cuiquam scolastico gratiam faciat, nisi in quantum statuta collegii antiqua permittant, alioquin tenebitur idem bursarius persolvere pecunias, quae a scolasticis tempore dicto elapso debebuntur. Insuper ut in toto collegio sit semper numerus sufficiens ad divinum persolvendum officium, idem generale Capitulum vult ut omnes scolastici qui attigerunt vigesimum quintum annum, dummodo idonei et capaces reperti fuerint, ad sacrum ordinem persbyteratus promoveantur, gradum non adepturi aliquem in collegio quousque sacerdotes efficiantur.

18. Viso processu facto adversus fratrem Iosephum Guariguez, religiosum monasterii Vallisdignae, visis etiam instrumento publico quo constat dictum Guariguez renuntiasse brevi apostolico eiusdem nomine impetrato, ac submissione facta abbati de Populeto Ordinis vicario, per eumdem Guariguez, et remissione facta de dicto processu ad praesens Capitulum generale, et quia processus praefatus non est sufficienter instructus, illum idem generale Capitulum remittit ad Rdos patres dominos abbates de Claravalle et de Morimundo, qui pro visitatione monasteriorum Hispaniarum deputati sunt, quibus et eorum cuilibet in solidum dat ipsum generale Capitulum potestatem praedictum processum instruendi et perficiendi usque ad sententiam diffinitivam inclusive. Quod si per aegritudinem aut alia impedimenta non possent dicit Rdi patres de Claravalle et Morimundo ipsum processum facere et perficere, dat illis et eorum cuilibet in solidum idem generale Capitulum potestatem nominandi et substituendi duos Ordinis abbates in partibus Hispaniarum, qui ad eumdem processum faciendum et perficiendum usque ad sententiam diffinitivam inclusive similem vel limitatam habeant potestatem. Interea vero ordinat et

iniungit ipsum generale Capitulum dicto Guariguez sub poenis et censuris Ordinis, ut infra mense a die qua haec ordinatio ei nota facta fuerit computandum, se conferat in monasterium de Populeto vel in aliud eiusdem Ordinis monasterium, non tamen de Valle digna, sibi a Rdo patre de Populeto assignandum et in eodem resideat et sub abbatis eius obedientia regulariter ut ceteri vivat, tam dicto Guariguez quam patribus eius inhibendo ne directe vel indirecte praefatam causam extra Ordinem trahant, vel dictos commissarios et ab eis substituendos ab eodem processu conficiendo impediant. Dat insuper idem generale Capitulum eidem abbati de Populeto potestatem et speciale mandatum, dictum Guariguez et alias quascumque Ordinis personas ad praesentis mandati executionem per Ordinis et iuris vias et sententias compellendi, et ipsi Guariguez quam cito poterit significari seu significare faciendi. Omnibus igitur eiusdem Ordinis personis praecipit idem generale Capitulum, ut ipsis commissariis et ab eis substituendis in praedictis et ab eis dependentibus pareant et obediant. Datum, etc.

19. Frater Nicolaus Censier, religiosus Cistercii repraesentavit Capitulo generali processum fratris Pavizzae de Stafarda, quem acceperat a priore de Casanova. Itaque citat praesens generale Capitulum dictum Pavizzam coram eo ad duos menses post significationem citationis, ad audiendum ius eorum quae continentur in dicto processu ; et interim prohibet idem Capitulum omnibus monialibus Ordinis, ne dictum Pavizzam recipiant in suis monasteriis sub poena excommunicationis, quousque dictus processus terminatus fuerit. Citat denique praesens generale Capitulum fratrem Andream ab Ecclesia priorem de Stafarda ad futurum proximum generale Capitulum, ad requestam promotoris causarum Ordinis.

20. Audita controversia inter abbatem de Populeto ex una, et abbatem de Petra ex altera partibus, visis etiam antiquis registris Ordinis, praesens generale Capitulum declarat monasterium de Petra esse filiam monasterii de Populeto, atque iurisdictioni eiusdem monasterii de Populeto immediate esse subiectum, ut autem eo facilius reconcilientur duo dicti abbates, primam quidem visitationem faciat in eodem monasterio de Petra abbas de Populeto, sed cum adiuncto abbate, de quo ambo convenient simul cum conventu de Petra. Quod si abbas de Petra convictus fuerit de aliquo delicto, non poterit in illa prima visitatione abbas de Populeto agere in eum, sed negotium omne remittetur ad Rdum abbatem de Claravalle.

21. Ad requestam et supplicationem promotoris causarum domini Boucherat, qui visitavit monasterium de Bolbona, in Mirapicensi dioecesi, praesens generale Capitulum cassat, irritat et annullat omnes contractus factos a commendatario abbate et conventu eiusdem mo-

nasterii contra formam Ordinis et antiqua statuta et Ordinis diffinitiones.

22. Audito abbate de Insula, qui visitavit monasterium de Veterimonte in Germania, et cognita dissensione, quae erat inter abbatem et religiosos eiusdem monasterii, ordinat praesens generale Capitulum, quod deinceps abbas dicti monasterii de Veterimonte non tenebitur reddere computationes, nisi coram patre abbate vel visitatore commissario Ordinis.


23. Visa supplicatione et requesta abbatis de Populeto, ordinat et vult praesens generale Capitulum, ut dicto abbati de Populeto detur quittantia generalis pro omnibus contributionibus debitis a suo monasterio usque in hodiernum diem.

24. Audita remonstratione facta ab abbate de Stamedio de quibusdam terris a suo monasterio dependentibus, absolvit eum praesens generale Capitulum a manu mortua dictarum terrarum. Insuper dat eidem abbati potestatem testandi de bonis paternis et maternis, quae ei potuissent esse propria, si monachus non fuisset.

25. Praesens generale Capitulum confirmat chartam visitationis factam ab abbate de Sanctis Crucibus in monasterio de Valledigna, dum nuperrime illud visitaret, salva tamen auctoritate patris abbatis vel visitatoris aut commissarii Ordinis mittendi ad illas partes a generali Capitulo vel Rmo Cisterciensi.

26. Cum asserat apostolus duplici honore dignos qui bene praesunt, id est qui vitae exemplo et doctrinae verbo in Christi Ecclesia ceteris praelucent ; hinc est quod praesens generale Capitulum dilectis in Christo fratribus s. th. professoribus Claudio Bossu de Maceriis, Abraham de Longoponte, Ioanni Cougnu de Bonavalle, religiosis expresse professis dictorum monasteriorum respective ultra pensionem claustralem seu ordinariam octoginta libras super praefatorum monasteriorum annuis redditibus accipiendas et singulis annis tradendas, praecipit, ordinat et statuit, ea tamen lege et conditione, ut Ordinis negotiis non implicati suas dictis monasteriis respective intendent aperte in eisdem vel alibi, si vocati fuerint, concionando, legendo, ceteraque doctoris munera et officia sedulo obeundo. Eadem lege idem generale Capitulum vult ut frater Antonius Charisel, s. th. pr., recipiat a monasterio de Caroliloco octoginta libras cum sua portione monachali, pro tempore quo absens fuit et pro negotiis Ordinis impeditus in visitationibus monasteriorum cum priore de Recluso, Boucherat.

27. Praesens generale Capitulum dat potestatem prioribus monasteriorum de Ripalta et de Locedio, eisdemque committit ad informandum super causis contentis in supplicatione monachorum monasterii de Casanova praesentata ab iisdem monachis huic praesenti generali Capitulo.



ELECTIONUM SEU PROVISIONUM CONFIRMATIONES

28. Praesens generale Capitulum approbat cessionem abbatissae de Sancto Spiritu Astiensi factam de sua abbatia sorori Laurae Taparellae, cum retensione pensionis. Et confirmat idem Capitulum electionem et institutionem dictae sororis Taparellae in abbatissam dicti monasterii de Sancto Spiritu. Insuper idem Capitulum approbat translationem quarumdam monialium eiusdem monasterii factam et decretam a magistro nostro Cotton, religioso de Cheseriaco et Ordinis in hac parte commissario, idque usque ad aliam generalis Capituli dispositionem.

29. Item, idem praesens generale Capitulum confirmat electionem sororis ... in abbatissam monasterii de Rameya.

30. Item, idem Capitulum confirmat electionem factam de persona sororis ... in abbatissam monasterii de Valle benedicta.

31. Item, ad requestam domini a Morimundo confirmat idem generale Capitulum electionem factam de persona fratris ... in abbatem monasterii de Porta coeli.

REHABILITATIONES

32. Ad instantiam promotoris causarum Ordinis, praesens generale Capitulum sororem Franciscam Ronsart, monialem monasterii ab Argentacella Ordinis nostri, quae suadente diabolo in contagium carnis, puerperio inde secuto, incidit, tenore praesentium, servata tamen Ordinis disciplina, rehabilitat, et ab omni irregularitatis labe aliisque censuris et sententiis, quas praemissorum occasione et nostri Ordinis statutis et diffinitionibus incurrit, misericorditer absolvit, et ad omnes gradus, actus, voces et officia nostri Ordinis, abbatiali etiam dignitate inclusa, restituit, inhibens omnibus praedicti Ordinis personis, ne ei super his dicere praesumant, in plenaria, etc.

33. Ad instantiam domini a Morimundo, praesens generale Capitulum eodem modo et eisdem de causis quibus supra, rehabilitat sororem Iulianam de Dampierre, monialem monasterii de Virginitate.

34. Ad instantiam promotoris causarum Ordinis, idem Capitulum generale modo quo supra et iisdem de causis rehabilitat infra scriptas sorores, scilicet Isabellam de Paigne monialem monasterii de Fervac, Magdalenam Debrosse, monialem monasterii de Maloduno, Peronam de Courteville monialem monasterii de Cossme (?), Ludovicam Tilly monialem monasterii de Blandecque, Franciscam... monialem monasterii de Valle benedicta, Catharinam de Calende monasterii de Fervac, Claudiam de Pertinet monasterii de Fervac.

35. Item, ad instantiam domini de Claravalle, rehabilitat praesens

generale Capitulum fratrem Henricum Roylon, religiosum monasterii de Baudelo sacerdotem, qui in contagium carnis et incontinentiam incidit, servata tamen Ordinis nostri disciplina.

CONTRACTUUM INQUISITIONES ET CONFIRMATIONES

36. Contractum inter dominum abbatem commendatarium Claudium de la Baume et religiosos monasterii de Caroloco, Cisterciensis Ordinis in Bisuntinensi dioecesi, ex una, et Crispinum Guérin de Chevilly et Noela uxore dicti Guérin, ex altera partibus, initum et passatum de quodam molendino Dabatan, situm prope dictum monasterium de Caroloco, ut plenius continetur, etc. confirmat, visis informationibus factis a domino abbate de Morimundo.

37. Contractum initum inter abbatem de Albaripa et conventum ex una, et honestum virum Hugonem Leroux et Barbaram uxorem eius et haeredes eorum ex altera partibus, pro quadam firma seu grangia quae dicitur Laborde, praesens Capitulum confirmat etc.

38. Item, generale Capitulum confirmat et approbat contractum inter abbatissam monasterii de Fervac et Mariam Benoist, eiusdem monasterii pensionariam, in romana Curia etiam approbatum.

39. Praesens generale Capitulum committit priori de Recluso, Boucherat, et magistro nostro Natali Cossart, et eorum cuilibet in solidum, ut diligenter inquirant super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi inter abbatissam et conventum B. M. de Pratis prope Trecas ex una, et honestum virum Stephanum Cercuel ex altera partibus, de quadam domo sita in dicta urbe, prout continetur, *etc.* et referant *etc.*

40. Item, idem generale Capitulum committit coadiutori de Clarofonte, cum licentiato de Barbello, ad informandum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus praesentati praesenti Capitulo generali ex parte abbatis et conventus monasterii de Charitate.

41. Item, idem Capitulum generale committit abbati de Marcilliaco, cum magistro nostro Cossart, ad informandum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus praesentati eidem Capitulo ex parte domus Cistercii.

42. Abbati de Marcilliaco, cum priore de Pontigniaco, committit praesens generale Capitulum ad informandum, *etc. ut supra,* ex parte conventus monasterii de Fonte Iohannis.

43. Item, doctoribus Cossart, de Valle, et Antonio Charisel de Caroliloco committit idem generale Capitulum ad informandum, *etc. ut supra,* ex parte monasterii de Frigidomonte.

44. Item, praesens generale Capitulum confirmat contractum eidem Capitulo praesentatum ex parte domus monasterii Cistercii, cuius qui-

dem contractus facta fuit informatio super commodo vel incommodo ab abbate de Marcilliaco cum magistro nostro Cossart.

45. Prioribus de Montepetroso et de Bona aqua praesens generale Capitulum committit ad informandum, *etc. ut supra*, ex parte monasterii de Valle lucida.

46. Item, praesens generale Capitulum confirmat et ratificat duos contractus praesentatos eidem Capitulo ex parte monasterii monialium de Maloduno.

47. Item, praesens generale Capitulum committit abbati de Theoloco et abbati de Clarofonte, ad informandum, *etc. ut supra*, ex parte abbatis de Charitate.

48. Domino abbati de Morimundo, cum adiuncto secum quem voluerit Ordinis religioso, committit praesens generale Capitulum ad informandum, *etc. ut supra*, ex parte abbatis de Theoloco, cum potestate confirmandi eosdem contractus, si rationabile videatur eidem domino de Morimundo.

49. Item, idem Capitulum confirmat et ratificat contractum eidem Capitulo praesentatum ex parte monasterii de Bellavalle.

IUDICES

50. Domino abbati de Morimundo, cum duobus magistris nostris de Cheseriaco, Cotton, et de Maceriis, Claudio Bossu, cum sindico Ordinis, praesens generale Capitulum committit ad visitandum monasterium monialium de Loco Dei, in Cabilonensi dioecesi, usque ad depositionem abbatissae et translationem monialium eiusdem monasterii, si opus sit.

51. Idem generale Capitulum citat abbatem de Landavalle coram domino abbate de Claravalle, ad respondendum coram se super causis eidem proponendis a promotore Ordinis.

52. Abbati de Leoncello dat potestatem praesens generale Capitulum praecipiendi abbati de Valle crescenti, auctoritate Capituli generalis, ut sub poena excommunicationis accipiat habitum Ordinis intra tres menses numerandos a die dictae iniunctionis, aut dispensationem de habitu ostendat a Sede Apostolica.

53. Abbati de Valle clara dat praesens generale Capitulum permissionem ad informandum de processu et dissensione inter priorem de Barbello et religiosos eiusdem monasterii, et terminandum processum.

EXCUSATI ABBATES

54. De Loco S. Bernardi, de Valcellis, de Roseriis, de Laude, de Villari, de Molinis, de Camberone, de Clarofonte, de Alna, de Populeto,

de Sanctis Crucibus, de Sancta Fide, de Claromarisco, de Caladia, de Sancto Benedicto.

CONTUMACES

55. Abbates de Landavalle, de Barberio, de Belloprato in Lotharingia, de Pietate Dei, prior de Roseriis.

SUFFRAGIA

56. Sapientissimo ac in primis aequissimo supremae curiae Parisiensis Praesidi, viroque prudentissimo domino Christophoro de Thou, Diffinitores patres abbates Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, sinceram in Domino charitatem et sanctae devotionis suffragium. Tametsi divinarum legum testimoniis et nostri status monastici ratione exigente ad Deum omnipotentem pro quibuscumque Christi fidelibus *etc. ut in forma consueta*, requirente procuratore generali eiusdem Ordinis, vobis omnium bonorum spiritualium, videlicet, *etc.*

57. Eisdem suffragiis ac orationibus, associati sunt et adiuncti infrascripti ab eodem Capitulo generali requirente : dominus Michael [a Turre] episcopus Cenetensis nuntius apostolicus in Gallia ; dominus primus praesidens Parlamenti Tolosani, cum advocato regio eiusdem Parlamenti ; dominus Dux Sabaudiae cum domina uxore et domino eius filio ; domina abbatissa de Fontevraulx cum domina priorissa eiusdem monasterii, et domus dominorum de Bourbon.

COMMISSIONES

58. Quatinus generale Capitulum continuat, et in quantum opus sit renovat, generales commissiones datas a praecedenti Capitulo Rdis patribus abbatibus de Claravalle, de Morimundo, de Caladia, de Insula, de Valleclara, s. th. professoribus, pro visitandis omnibus et singulis utriusque sexus nostri Cisterciensis Ordinis monasteriis in quibuslibet locis et regionibus existentibus. Quae quidem commissiones scriptae sunt in registro dicti praecedentis Capituli, duraturae usque ad proximum sequens generale Capitulum, et iisdem commissionibus adiungit praesens Capitulum, dictis dominis abbatibus, dando potestatem procedendi ad novorum abbatum et abbatissarum monasteriorum vacantium electionem, et eisdem electionibus praesidendi, easque infirmandi vel confirmandi, defectusque in eis factos supplendi, et in eisdem faciendi, quae in Ordine nostro consueta sunt, salva semper remanente auctoritate patris abbatis superioris immediati vel mediati dictorum monasteriorum.

59. Dat insuper praesens generale Capitulum specialem commissionem Rdis D. de Claravalle, de Morimundo, et eorum cuilibet in solidum, ad visitandum omnia et singula utriusque sexus nostri Ordinis monasteria existentia et sita in regnis Hispaniae et Portugalliae, cum potestate assumendi secum quem voluerint s. th. professorem, et nominandi duos abbates illarum partium, qui eadem monasteria visitent, si opus sit, cum omni potestate contenta in supradictis generalibus commissionibus.

60. Abbati de Leoncello datur commissio a praesenti Capitulo ad visitandum monasteria existentia in Delphinatu, Provincia et comitatu Veniso.

61. Abbati de Laude datur commissio ad visitanda duo monasteria, scilicet de Pomerio et Vivario, in Atrebatensi dioecesi.

62. Reverendo abbati Camenicensis monasterii, Adamo Miricnium, dioecesis Vratislaviensis, dat praesens Capitulum commissionem visitandi et reformandi omnia et singula nostri Ordinis monasteria existentia in regno Poloniae, quae maior Polonia vocatur, et in Pomerania et in Prussia.

63. Doctoribus Claudio Bossu, priori monasterii de Grandi silva, et ... Dehante, dat commissionem visitandi monasteria dicti Ordinis sita in partibus Parlamenti Tolosani dumtaxat.

64. Item, praesens generale Capitulum continuat, renovat et in quantum opus est, confirmat generalem sindicatum datum a praecedenti Capitulo fratri Nicolao Boucherat, generali procuratori nostri Ordinis Cisterciensis. Qui quidem sindicatus conscriptus est in registro praecedentis Capituli.

* * *

65. Quoniam propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1517, *n*° 72.

Signatum in fine : Guido abbas Vallisclarae notarius cap. gen., et Alexander abbas Leoncelli notarius cap. gen.

1573

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

apud Cistercium celebrandi die 14 aprilis 1573

Nos, frater Nicolaus Boucherat, Cistercii abbas in Cabilonensi dioecesi, sacrae theologiae professor, dicti Cisterciensis et Capituli generalis eiusdem plenaria fungens potestate, praecharissimis nobis in Christo fratribus ac reverendis abbatibus etc. salutem per Christum. Cisterciensis Ordo noster, amantissimi fratres ac reverendi patres, ex tenuibus omnino principiis, per immensam Dei bonitatem in tantam monasteriorum copiam succrevit, ut ex uno Cistercio reliquorum omnium capite tamquam a fonte uberrimo quatuor pene monasteriorum millia a quadringentis septuaginta duobus annis derivata fuerint ; quorum quidem monasteriorum multiplicatio, et in eisdem monachorum Deo diu noctuque servientium fervor ac devotio Ecclesiae militanti non mediocre attulit fulcimentum. Quique successus non minus admirabiles quam felices, non alia ratione in ea sententia contigerunt quam spirituali et vere harmonico consensus capitis cum suis membris, cum et caput in suo officio diligentissime praestaret, et membra suo quoque loco et ordine contenta in obsequio suo permanerent. Qui certe consensus tamdiu per universum Ordinem perseveravit, quamdiu antecessores nostri pro debito pastoralis officii Capitulum generale singulis annis coegerunt, et reliqui abbates pro sua in Ordinem obedientia ad ipsum Capitulum convenerunt. At postquam Capitulum generale coepit in biennium, triennium atque etiam quinquennium differri, simul et obedientiae fervor coepit quoque refrigescere, et regularis observantia imminui, et reliqua monastici instituti statuta labescere. De qua quidem rerum inter piae memoriae illustrissimum ac reverendissimum Ieronimum de la Souchière Cardinalem, a Claravalle nuncupatum Dominum, et praedecessorem nostrum, et nos sermo saepius incidisset illudque persuasum haberet. Posteaquam Divino munere nobis concessum est, ut monachorum omnium Cisterciensium consensu in abbatem Cistercii eligeremur, nihil nobis conandum existivavimus quam in singulis annis Capitulum generale coegeremus vobisque persuaderemus ut ad ipsum alacriter conveniretis.

Itaque vos omnes et singulos obtestor atque obsecro, atque pro nostra in vos auctoritate, in virtute salutaris obedientiae praecipio ut ad diem 14 aprilis, quarta videlicet dominica post futurum proximum Pascha, apud Cistercium conveniatis, de communibus totius Ordinis negotiis tractaturi et deliberaturi in Capitulo generali eodem die celebrando. Hoc si feceritis, rem professione vestra dignam praestabitis, et insigne exemplum obedientiae vestris monachis exhibebitis. Quodsi mandatis nostris inobedientes

1573. *Fontes* : L^7 : B, 23 ; L^8 : 1-74 ; T^5 : A.

fueritis, certo sciatis nos more maiorum in vos tamquam in contumaces animadversuros, etc.

Datum Cistercii, die 3 ianuarii 1573.

* * *

B) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1573, apud Cistercium celebrati, die 21 mensis aprilis.

DIFFINITORES : Rmus dominus **Cistercii**, de Sancto Ambrosio, de Stamedio, de Leoncello, monasteriorum abbates ; de **Firmitate**, de Maceriis, de Bullione, de Fristorf, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco**, de Caladia, s. th. pr., de Alta sylva, de Loco Dei, de Sancto Remigio, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Valle clara, s. th. pr., de Monte Sanctae Mariae, de Marciliaco, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, s. th. pr., de Theoloco, de Villario, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : De Loco Dei, de Marciliaco, monasteriorum abbates.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : prior monasterii de Ursicampo, fr. Claudius Royer de Claravalle, s. th. professores.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Claravalle, de Leoncello, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : fr. Natalis Cossart, s. th. pr.

NOTARII ABBATES : de Valle clara, s. th. pr., de Leoncello, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Alta silva monasterii abbas, fr. Nicolaus Cotton, s. th. pr., fr. Claudius Royer, s. th. pr., fr. Claudius Le Roye, s. th. pr., fr. Ludovicus de Divione, Cistercii religiosus.

PORTARIUS DIFFINITORII : fr. Nicolaus Cotton, s. th. pr.

NOTARII AD PEDES : fr. Petrus de Salinis, fr. Sebastianus de Divione, professi Cistercii.

* * *

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... Gregorio XIII ... *etc.* et maxime pro Rmo cardinali Morono nostri sacri Ordinis in Curia protectore ... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo ... etc.

3. Insuper pro burgensibus ... etc.

4. Ceterum pro pace ... etc.

5. Demum pro felicis ... etc.

* * *

6. Praesens generale Capitulum confirmat et continuat ac renovat diffinitionem factam in praecedentibus Capitulis generalibus de antiquo debito et contributionibus, prout in praecedentibus registris continetur.

7. Item, reverendo abbati Lupino Lemire de Claravalle idem generale Capitulum dat commissionem levandarum contributionum super certa monasteria Ordinis, sicut et prout scripta eadem commissio in praecedentibus registris.

[DIFFINITIONES] GENERALES

8. Nos, frater Nicolaus Boucherat, Cistercii abbas, ceterique Diffinitores ... *etc.* et est talis : Diffinitiones novissimo generali Capitulo anno Domini 1567, die 28 mensis aprilis factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, etc.

9. Etsi per plurimas Capituli generalis nostri Cisterciensis Ordinis diffinitiones, patrum decreta et visitatorum ordinationes, infensissimum illud monasticae nostrae religioni proprietatis vitium a monasteriis nostris omnibus penitus excludendum esse, perpetuo sancitum sit ac statutum iuxta S. P. N. Benedicti censuram, quae illud a monasteriis amputari praecipit, maligna tamen et perversa consuetudine, seu potius quorumdam pseudo-monachorum contumacia adhuc in multis monasteriis ad maximam regularis observantiae perniciem ac dedecus possunt requiri. Propterea praesens generale Capitulum monasticam integritatem conservare cupiens, ne in religiosum eius corpus tam grave malum longius serpet, antiquis adhaerens statutis ac diffinitionibus, ordinat, diffinit ac statuit, ut in singulis utriusque sexus monasteriis totius Ordinis, cuiuscumque sint conditionis, monachi vitam apostolicam imitantes et paupertatis votum suae professionis essentiae annexum, Domino Deo, cui voverunt, fideliter reddentes in communi vivent. Et ne in posterum illa proprietariorum verba *meum, tuum, suum,* inter eos audientur, nullus eorum privatim sibi proprium quidquam possidebit, nec pro victu ac vestitu seorsim accipiet, sed cuique necessaria fuerint in rei essentia dabuntur. Quod ut fiat commodius, accedente patris abbatis auctoritate, in commendatis monasteriis fidelis quispiam religiosus presbyter ... *etc. ut anno* 1567, *n*o 9.

10. Omnes utriusque sexus regulares personae simul refectionem in refectorio seu aula communi sumant ; pariter in dormitorio seu regulari quodam et communi loco dormiant, neque privata extra dormitorium cubicula habebunt, nec commessationibus, ebrietatibus, ullisve dissolutionibus relinquatur locus. Quam quidem diffinitionem cum

praecedenti maxime utilem, ut priores, suppriores, cellerarii faciant in suis monasteriis observari, idem generale Capitulum eis sub depositionis et inhabilitatis ad quaecumque Ordinis officia poenis, praecipit. Monasteriorum autem visitatoribus iniungit, et in virtute salutaris obedientiae ac sub poenis Ordinis et censuris mandat, ut sint sollicti praedictas diffinitiones omnibus visitationis suae monasteriis diligenter significare, ac ut plenius sortiantur effectum, modis omnibus procurare, in plenaria, etc.

11. Praeterea ipsum generale Capitulum antiquas diffinitiones renovat, quod etiam a sacro Concilio Tridentino cautum est, prohibet abbatibus omnibus, ne ulli regulari personae de quibuscumque suorum monasteriorum aut quorumvis locorum redditibus et bonis temporalibus, sive mobilibus sive immobilibus et stabilibus, ad censam aut aliam quamvis mercenariam conditionem dent. Et ipsae regulares personae hoc ipsum nec facere, acceptare procurantes nullo modo audeant, sub poenis proprietariis debitis et a iure determinatis praecipit. Quod si aliqua eo conventionis genere data sint regularibus vel ab eis accepta, aut in posterum dantur, ex nunc prout ex tunc revocat et nullius roboris esse declarat, in plenaria, etc.

12. Quoniam vero per praecedentes haereticorum tumultus multi monachi et moniales metu quodam a suis monasteriis fugientes, ne a fidei hostibus interficerentur, ut suae professionis statum occultarent, regularum habitum reliquerunt, vel etiam cum catholicis militibus conscripti arma sumpserunt, praesens generale Capitulum meticulosis eorum conscientiis mederi volens, secundum diffinitionem in generali Capitulo anni Domini 1565 editam, ipsos omnes monachos et moniales a poenis et a censuris atque etiam irregularitate, quam propterea incurrerunt vel incurrisse suspicari possunt, absolvit et absolutos ac absolutas declarat ; quod tamen de his intelligit, qui professionis suae habitum resumpserunt, et in fidei catholicae confessione cum sancta Sede Apostolica communicaverunt. Si vero deinceps monachi aut moniales in saeculari habitu per saeculum devagantes reperientur, curent ipsorum abbates vel priores, aut ipsis negligentibus, Ordinis visitatores eos in monasteria, in quibus professi sunt, vel si magis expediet, in alia reducere, utque revertantur compellere, reversosque pro delicti qualitate et gravitate punire. Abbates autem vel priores et abbatissae monasteriorum, in quae tales monachi et moniales redient, sive pro aliocumque defectu et vitio mittentur, tenebuntur sub poenis et censuris Ordinis, et ipsae abbatissae sub depositionis poena easque recipere, pro tempore praefixo ab eo cuius auctoritate missi fuerint, in plenaria, etc.

13. Ut autem habitus servetur unitas et diversitas evitetur a nobis praesertim, qui sub uno et electo duce Christo militamus, praesens

generale Capitulum statuit et ordinat, tam circa monachorum quam monialium habitum, in primis abbates et monachos omnes debere in suis monasteriis maioribus tunicis indui albis, cum nigro scapulari et capucio super pileum posito. In locis autem regularibus cuculla alba indui; extra vero qui de sui superioris licentia res Ordinis vel sui monasterii procurabunt, parva tunica alba superinduta nigra in hieme induantur, et residentes in civitatibus cucullis nigris capileo super pileum posito vestiantur, plicaturae omnes tam in pannis laneis quam lineis, caligae ampliores, camisiae extra collum apparentes prohibentur.

14. Profitentes novitii Ordinis ab abbate non poterunt benedici nisi eos benedicendo cucullis induat. Moniales pariter regularem et simplicem habitum vestiendo sexui convenientem deferent tunicas oblongas, non scissas circa pectus cum manicis amplis, scapulari et velo, quod sericum non sit, depositis bustis et plicaturis omnibus, cum emittent professionem sub Ordinis abbate vel alio, id non valentes facere in dictis cucullis pallio relictis benedictionem accipient. In qua quidem benedictione et vocali professione, abbatis benedicentis nomen nomini abbatissae praeponetur. Annulorum usus monialibus omnibus prohibetur, et abbatissis solis conceditur, sicut non nisi uno uti possint, in plenaria, etc.

15. Cum notum sit omnibus quam mala multa evenerunt Ordini nostro, quod hactenus tituli seu chartae monasteriorum non satis diligenter custoditi sunt, unde pluraque illorum in summam reducti sunt pauperiem, praesens generale Capitulum ad bonorum iurium titulorumque ipsorum conservationem decernit eos esse custodiendos in monasteriorum archivis seu particularibus archis sub diversis tribus clavibus, quarum unam habebit regularis abbas, in commendatis autem monasteriis prior, supprior et cellerarius, ipsas tres habebunt. quod idem fiet et in monialium monasteriis. Quod si titulorum ipsorum originalia in iudicium producenda fuerint, dabuntur monachis procuratoribus, qui de acceptis scedulam manu propria dabunt subscriptam, quae reservabitur donec in pristinum locum restituta fuerint originalia. Idque observetur ab omnibus abbatibus et abbatissis sub poena suspensionis, et a prioribus sub de positionis poena, in plenaria, etc.

16. Cum sacrosanctae Synodi Tridentinae decreto statutum sit moniales in suo monasterio debere perpetuo claudi, nec ab eius regulari clausura nunquam exire, homines vero in ea ipsa monasteria nunquam ingredi, sicut et mulieres in monasteria virorum, praesens generale Capitulum ipsius Synodi vestigia insequens statuit, ordinat et diffinit ut tam abbatissae quam moniales in suis monasteriis sub perpetua clausura permaneant, adeo ut nulli earum liceat post emissam semel

professionem monasterium egredi, quocumque praetextu, nisi necessaria et maxime urgenti causa, patribus abbatibus aut eorum vicariis exposita et ab eis approbata. Ipsarum autem monialium claustra nemini permittatur ingredi, nisi obtenta superioris licentia, exceptis patre commissario, medico et artificibus, cum necessitas postulabit. Cui quidem diffinitioni si non paruerint tam abbatissae quam moniales, gravissima poena superioris iudicio mulctentur, praesertim si quae abbatissa in hoc transgrediatur, statim eam ab abbatiali dignitate privandam, et in eius locum aliam Ordini non rebellem eligendam esse subrogandamque, secundum Ordinis nostri ordinaria decreta et statuta, praesens generale Capitulum statuit in plenaria, etc.

17. Praeterea abbatissae singulis annis suas reddent computationes patri abbati aut eius vicario ; quod si, ut id faciant requisitae fuerint, et recusaverint, statim sua dignitate abbatiali et administratione suspendantur. Abbatibus vero ne novitios vel novitias alterius monasterii sibi non subditi admittant ad professionem, nec ut illis benedictionis munus impendant sine licentia patrum abbatum aut vicariorum aut commissariorum Ordinis, prohibet idem generale Capitulum, sicut statuit novitios in monasteriis commendatis non esse recipiendos auctoritate commendatarii, sed prioris et sanioris partis conventus. Caveant autem prior et conventus pro illis admittendis, quodque accipere donum, alioquin in simoniae poena plectendos esse declarat.

18. Ut autem collegio S. Bernardi Parisiis perlucet quod in eo est bonarum litterarum seminarium, in virtute salutaris obedientiae, praesens generale Capitulum praecipit omnibus abbatibus numerum religiosorum competentem in suis monasteriis habentibus, ut mittant aliquos iuvenes ad ipsum collegium cum iusta et sufficienti pensione. Prioribus commendatorum monasteriorum idem praecipit ut faciant, non tamen alias quam ex seniorum consilio et consensu. Qui quidem priores non instituentur nisi a patribus Ordinis aut eorum vicariis vel generalis Capituli commissariis. Abbates qui ad Ordinem nostrum assumuntur ex alio Ordine, sub ea conditione, quod Ordinis nostri habitum deferant, praecipit iisdem sub poenis et censuris Ordinis, ut ipsum habitum sumant, sumptumque semper et ubique deferant.

19. Quia vero ex alienationibus monasteriorum bonorum, maxime immobilium et stabilium, plurima gravissimaque mala noster Ordo perfert, atque in dies monasteria nostra ad maiorem inopiam rediguntur. Idcirco praesens generale Capitulum revocat, cassat et annullat omnes contractus alienationesque bonorum immobilium nostri Ordinis, in quibus non praecessit informatio superioris, et inde secuta est Capituli generalis confirmatio ; praecipitque omnibus abbatibus, eorum vicariis et commissariis Ordinis sub poenis et censuris eiusdem, ut per omnes iuris et iustitiae vias prosequantur revocationem talium

contractuum et alienationum, et omnes a iuramento super illis contractibus dispensat et absolvit praesens generale Capitulum, in plenaria, etc.

20. Cum plures olim ab Ordinis patribus factae fuerunt diffinitiones, quibus prohibetur, ne quis contra ipsum Ordinem eiusque personas ad saecularium principum favorem emerendum recurrat, easdem renovans diffinitiones praesens generaele Capitulum omnibus monachis et monialibus praecipit ne quovis praetextu ad ipsos principes saeculares, nec ad alios cuiuscumque status et conditionis saecularis recurrere audeant contra proprios abbates, praesides, commissarios dicti Ordinis, sed omnia quae in ipso Ordine fiunt, non extra propalari, sed intra eius claustra debere contineri, mandat contrafacientes conspiratorum poena puniri et per tres menses mancipari carceribus, per id tempus ieiunare, et omni sexta feria regularem disciplinam recipere. Si vero, ut canes, ad vomitum redeant, denique ad saeculares fugiant, tum perpetuis tradi carceribus, iubet ipsum generale Capitulum.

21. Praesumptionem quarumdam abbatissarum et monialium considerans praesens generale Capitulum, prohibet ipsis abbatissis et monialibus appetere quod pertinet ad officium patris confessoris aut capellani, ne videlicet in ecclesia horis canonicis in eorum praesentia dicant *collectas*, *Pater noster*, *Fidelium*, etc., legantque *evangelium* ; et ubi moniales grave aliquod crimen admiserint, ratione cuius auferendum sit velum, patribus abbatibus aut visitatoribus Ordinis significabunt abbatissae, quibus interdicitur, ne ipsaemet velum auferant. Quod si contra tentaverint, eas ab abbatiali dignitate suspendendas esse iubet idem generale Capitulum.

22. Quoniam propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1517, *n*° 72.

DIFFINITIONES SPECIALES

23. Pro [a] reformatione collegii S. Bernardi Parisiensis. Ut arbori luxurianti per amputationem succrescentium ramorum et novae terrae ad radices appositionem succurritur, ne putrescat et omnino sterilis efficiatur, ita quondam florentissimae arbori collegii S. Bernardi Parisiis ex suavissimis fructibus doctissimorum simul et piissimorum virorum, qui ex ea arbore prodierunt [b], per totum orbem cognitae per superfluorum ramorum, quos diuturna superiorum annorum tempestas excrescere fecit,

---

[a] *Apud L*[7] *leguntur sequentia* : Nota. quod in registro seu originali Capituli generalis de anno 1573, in diffinitione sub titulo *Speciales* pro reformatione collegii S. Bernardi Parisiis, tres raturae seu deletiones notabiles videantur, quam diffinitionem, ut eiusmodi deletiones melius percipiantur, integre hic transcribendam aestimari cum annotatione praedictarum raturarum seu deletionum (...). [b] produxerunt : *L*[8].

per succisionem et sinceram patrum admonitionem succurendum videtur, Itaque praesens generale Capitulum omnibus scolasticis eiusdem collegii, tam graduatis quam non graduatis, et omnibus abbatibus in dicto collegio residentibus praecipit, quod eiusdem collegii statuta sancta observent. Quibus provisor veluti bonus hortulanus per auctoritatem sibi ... a praesenti Capitulo concessam exemplo et verbo praelucebit, efficietque ut post haec privatis diebus custos eiusdem collegii more antiquo intersit divino officio, quod modestius et sine praecipitatione persolvatur, quem alter praesidentium quotidiana visitatione iuvabit; ceteros vero ad preces persolvendas cum socio ab eodem provisore praescripto excitabit, nec ullo modo sinent [c] baccalareos ad sextam usque in lectis oscitari [d], aut per parvum dormitorium sine habitu regulari incedere, aut post chorum dum maius sacrum perficitur, stare, sed eos ut assolet chorum cum ceteris ingredi compellet. Praeterea nulli scolasticorum missas per parochias celebrare permittat, ac sacristam ut ecclesiae supellectilem teneat mundissimam, horasque assueto more pulset, quasi calcare frequenti urgebit. Verum cum boni mores proximi sint devotioni, utrumque autem per frequentiorem et solitam urbis aditionem interrumpatur, praesens generale Capitulum omnibus eiusdem collegii scolasticis, tam graduatis quam non graduatis, prohibet sub poena eiectionis a collegio, ne sine habitu Ordinis per urbem incedant, aut quemquam saecularem in cubiculis maioris dormitorii iacere sinant, tam etiam ne cuiquam liceat iuvenes pensionarios retinere aut urgentibus etiam quibuscumque negotiis sine famulo aut religioso comite urbem adire, quos omnes scolasticos omni honore gradu et promotione praesens generale Capitulum privat, qui post primam monitionem diffinitionique factae de vanis et ridendis morionum caligis, aliisque indecentibus indumentis tollendis non obtemperaverint; quae diffinitio provisori a reverendis abbatibus notariis tradetur legenda omnibus scolasticis ab ipso provisore convocatis. Denique quia ex eadem arbore patres Ordinis non solum religionis, devotionis et pietatis fructum, verum etiam et studiorum ex eis ramusculis, quos eidem arbori inserendos Lutetiam mittunt expectant, necesse est ut modus adhibeatur promotioni grammaticorum ad dialecticam, qui attendentes tantum tempus et non profectum sine alis grammaticae volare ad philosophiam volunt, licet ignari et prorsus barbari. Hinc fit ut parum eruditi praeceptores sibi similia ova ponant [e] in damnum maximum et dedecus totius nostri Ordinis. Proinde praesens generale Capitulum seriosius provisori prohibet, ne precibus aut minis cuiusquam, etiam si magister regens et studentes convenirent, et tota classis a collegio abire deberet, quemquam ad dialecticam admittat, nisi quatuor partes grammatices, artemque rhetorices apprime noverit, et scribere, componere, loquive congrue valuerit; quod si inde tumultus aliquis ab improbis quibusdam oriatur, ipse provisor in sui auxilium ... Ordinis auctoritatem implorabit. Iam vero quantum detrimenti acceperit iuventus nostra, quod superioribus annis lectore in theologia orbata sit, omnes intellexere et videre, qui idem collegium frequentarunt. Quapropter prae-

---

[c] simul: *L*[8]. [d] visitari: *L*[8]. [e] similes omnes putant: *L*[8].

sens generale Capitulum utilitati publicae studens statuit, quod singulis annis ex eiusdem collegii redditibus lectori theologo procurator duodecim aureos solares dabit, quod autem supererit distribuendum erit ad theologos ... et a fructibus, qui proveniunt ex locationibus quorumdam locorum in usu scolasticorum concessorum assumetur. A cuiusvis lectione vel disputationibus publicis et theologicis, vel ab his quae fiunt in parvis scolis, qui abfuerit pro qualibet vice duos solidos solvet custodi pro recreatione communitatis in die Regum, et eo die erit in pane et aqua in loco respondentis, nisi per provisorem ab causam urgentem excusetur. Quorum scolasticorum praesens generale Capitulum consulens utilitati prorsus omnia prohibet convivia, quae magistris studentium et domesticis fieri solebant, ac pro labore praesidentis in qualibet responsione statuit, quod a respondente viginti quinque solidos, in singulis vero principiis quindecim solidos, communitas autem solitam recreationem accipiet, similiter in parvis tentativis, et in vigilia Nativitatis Domini, respondens dabit praesidenti viginti quinque solidos, et cuilibet theologo, qui disputaverit pintam vini. At in actibus tentativae maioris ordinariae et Sorbonae respondens solitam recreationem communitati dabit. Verum pro theologorum recreatione in aula communitatis facienda, centum solidos custos distribuet ; ex qua recreatione absentibus ab aula nihil omnino distribuetur. Laborum denique provisoris habens rationem, idem generale Capitulum statuit, quod centum librae eidem dabuntur singulis annis et eius successoribus a procuratore collegii, et a quolibet determinatore, antequam ultimum faciat principium viginti solidos accipiet, dabitque operam, ne fenestrae vitreae capituli et scolarum ita frangantur, ut ne scolastici eo tempore cum saecularibus quibuscumque per eclesiam et dormitorium deambulent, sed per scolas aut claustrum modeste sua tractent negotia. Cui tandem provisori sub poenis et censuris Ordinis, ac etiam sub sui officii privatione ut hanc praesentem diffinitionem ab omnibus et singulis, tam graduatis quam non graduatis, diligentissime observari faciat praesens generale Capitulum iubet ac praecipit, in plenar ia Ordinis potestate.

24. Reverendissimo domino Nicolao Boucherat, Ordinis Cisterciensis generali, ceterisque Capituli generalis abbatibus in Cistercio. — Rmo domino generali ceterisque Rdis abbatibus, frater Theophilus noncupatus abbas Claraevallis Mediolani, congregationis Lombardiae et Tusciae humilis praeses, ac ceteri nostri provincialis Capituli Diffinitores, salutem. — Cum per litteras Reverendissimae Dominationis tuae praescriptis diebus Capitulum generale nobis indiceretur, ac iisdem paterna admonitione hortaremur, ut aliquos congregationis nostrae dignitate insignitos, qui Capitulogenerali nomine nostro interessent iuxta concordatum mitteremus. Propterea nos, pro officio nostro fecimus, ut ad hoc tam celeberrimum frequentissimumque Dominationum vestrarum conventum, nomine nostro ablegaremus Rmum in Christo fratrem Cosmam abbatem monasterii S. Ambrosii Maioris Mediolani, de cuius discretione multum confidimus, cui amplam dedimus auctoritatem generali Capitulo adesse et interesse, et nomine nostro id agere, tractare et concludere, quae nos ipsi, si persona-

liter interessemus, agere, tractare et concludere possemus. Quem ut benigne recipiatis comprecamur. Bene valete, ac Dominus sit semper vobiscum. Datum in monasterio Morimundi die 4 mensis aprilis 1573. R. Dominationum vestrarum humilis frater Theophilus abbas et praeses.

25. Supplicatio abbatis S. Ambrosii Mediolanensis. Sunt quaedam bona intitulato nomine abbatiae de Boghera, quibus nullum est annexum monasterium, et redditus ipsorum bonorum non sunt tales, quibus possit contrui monasterium etiam in multis annis, nec est obligatio contruendi monasterii. Propterea ego, frater Cosmas de Plantanidis, abbas monasterii S. Ambrosii Maioris, Mediolani, mandatarius provinciae Lombardiae in Capitulo generali in Cistercio nomine patrum regiminis eiusdem provinciae, peto a Rmo domino generali ceterisque patribus Diffinitoribus abbatibus, quod illa bona uniantur monasterio S. Petri in Viridario prope Papiam, remanente tamen titulo abbatiali in suo robore. In quorum fidem hanc praesentem supplicationem egomet propria manu et scripsi et subscripsi, die 20 mensis aprilis 1573. — Ego fr. Cosmas de Plantanidis abbas et Diffinitor supra.

26. Diffinitio Capituli generalis responsiva ad supradicta. — Nos, frater Nicolaus etc. Visa supplicatione venerandi patris Cosmae de Plantanidis, abbatis monasterii S. Ambrosii Maioris Mediolani, qua nomine patrum regiminis Lombardiae provinciae Cisterciensis Ordinis, declarat nobis esse bona intitulata nomine abbatiae de Borghera, quibus nullum annexum monasterium, et redditus ipsorum bonorum non sunt tales, quibus possit construi monasterium, nec est obligatio contruendi monasterii. Quapropter rogabat nomine quo supra, ut placeret nobis et concederemus quod illa bona unirentur monasterio S. Petri in Viridario prope Papiam dicti Ordinis, remanente tamen titulo abbatiali in suo robore. Praesens generale Capitulum annuit dictae supplicationi, et concedit patribus dictae provinciae Lombardiae unionem dictorum bonorum eo modo faciendam, quo supra declaratum est, in plenaria, etc. Datum, etc.

27. Requisitio abbatissae de las Huelgas. — D. Francisca Manrique, abbatissa monasterii Regalis B. M. de las Huelgas, prope et extra civitatem Burgorum, vestrae Dominationis obedientialis filia, praesentibus litteris testificor vestrae Paternitati et propono meam et huius monasterii iurisdictionem in infrascripta dilatari et extendi. Primo, huic abbatiae subsunt duodecim monasteria filiationesque monialium, hospitale regium, tam in spiritualibus quam in temporalibus.

Praeterea viginti sacerdotes capellani, qui prope hoc regale coenobium in illius servitio degunt vitam. Insuper in illius vassallos incolas oppidorum in quos omnes et singulos supra contentos, tam venerabiles abbatissae quae me praecesserunt, quam ego, semper exercuimus iurisdictionem spiritualem et temporalem, et quasi episcopalem. In provisione officialium capellanorum et curatorum seu plebanorum, quos omnes in examinationem venire compellimus antequam munera et officia illis committamus et iniungamus. Exercuimus etiam semper iudicium ecclesiasticum et civile iuxta qualitatem negotiorum, etiam iudices creando illis diffiniendis, et hoc ab immemoriali tempore hucusque. Quapropter ut haec omnia, ut

antehac in posterum et efficacius exerceri possint a nobis, vestram Rmam Paternitatem deprecor, quatinus has litteras authentice sigillatas et signatas munitasque ad nos transmittere digneris, ut tanti pastoris auctoritate et nostri sacri Ordinis interposita, supradictam iurisdictionem exerceamus, tam in visitandis ecclesiis personisque huic regio monasterio subiectis, quam in examinatione personarum quas supradictis ecclesiis adegerimus. Petimus insuper, si necesse fuerit, in aliquas censuras iussu nostro intimare seu promulgare,id iussu nostro confessarii apud nos residentes exsequantur. Omnia denique ad ornamentum, confirmationem, auctoritatemque iuris nostri et monasterii huius expedientia tuo favore prosequaris, humiliter exhortemur. Vale. Ex tuo monasterio de las Huelgas, 3° kalend. ianuarii 1572.

28. Praesens generale Capitulum confirmat, approbat et ratificat omnia et singula quae in suprascripta supplicatione exponuntur, vultque ut his privilegiis et gratiis contentis in eadem utatur abbatissa de las Huelgas, cui etiam concedit, ut ubi opus fuerit, censuris in supradictos sibi subiectos, quas censuras pater confessarius illius monasterii nomine abbatissae promulgabit, in plenaria, etc.

29. Ratificatur a dicto generali Capitulo donatio facta per fratrem Iohannem Lambert, religiosum de Caroloco, ut continetur in contractu super eadem donatione facto.

ELECTIONUM SEU PROVISIONUM CONFIRMATIONES

30. Praesens generale Capitulum confirmat provisionem sive electionem sororis Philibertae Morin, in abbatissam de Brione, dioecesis Taurinensis.

31. Item, sororis Blesniae de Soleria, in abbatissam S. Antonii de Drogoverio, in dioecesi Saluciarum.

32. Item, sororis Victoriae, in abbatissam Sanctae Catharinae de Viella, in dioecesi Vercellensi.

REHABILITATIONES

33. Ad instantiam promotoris Ordinis causarum, praesens generale Capitulum rehabilitat et absolvit ab irregularitate fratrem Martinum Ponsio, religiosum de Escarlis, pro homicidio voluntario ab ipso perpetrato, servata tamen iuris et Ordinis disciplina.

34. Item, rehabilitat fratres Ioannem Dufour, Nicolaum Deslandes, religiosos de Mortuomari, propter contagium carnis.

35. Item, rehabilitat fratres Petrum Badoullet, Laurentium Dauberner, Iohannem Delatre, Guillelmum Robert, religiosos de Loco Dei in Pontino.

36. Item, rehabilitatur et absolvitur ab irregularitate Catharina de Guiarnet, religiosa de Pentemonte, propter apostasiam.

37. Item, soror Maria Loiset de Pentemonte dispensata est de illegitimatione.

38. Item, rehabilitatur et ab irregularitate solvitur soror Suzanna Vauldre, religiosa de Belmont. In omnibus supradictis, servata Ordinis disciplina, et prout in superioribus et praecedentibus registris forma rehabilitationis continetur.

CONTRACTUUM CONFIRMATIONES ET INQUISITIONES

39. Confirmatur contractus initus inter R. abbatem et conventum monasterii de Firmitate, in Cabilonensi dioecesi, ex una, et venerabiles religiosos priorem et conventum monasterii S. Petri, Cabilonensis dioecesis, Ordinis S. Benedicti, ex altera partibus, super quadam domo situata in suburbio S. Ionanis du Vieil-mas, et vocata vulgariter la Grande et Petite Ferté ; simul de quodam horto vocato La maison de Presses, situato ante praedictam domum.

40. Confirmatur contractus inter abbatissam et conventum monasterii monialium B. M. de Pratis, Trecensis dioecesis, ex una, et Ioannem Le Cornuat, mercatorem Trecensem, ex altera partibus, super quibusdam terris, vineis, pratis et domo cum suis dependentiis situatis in finagio appellé Sancti Lucae.

41. Confirmatur contractus initus inter abbatem commendatarium et conventum monasterii de Caroloco, Bisuntinensis dioecesis, ex una, et nobilem virum dominum Claudium de Gicourt, ex altera partibus, super quodam cambio de triginta tribus arpentis lignorum cum viginti quatuor mensuris granorum.

42. Confirmatur contractus initus inter venerandum abbatem et conventum monasterii de Morimundo, in Lingonensi dioecesi, ex una, et nobilem virum Antonium Du Chatelet, ex altera partibus, super quodam molendino pertinente ad dictum monasterium.

43. Confirmatur contractus initus inter abbatem et conventum monasterii de Regalimonte, in Belvacensi dioecesi, ex una, et Dionisium Lesourt, mercatorem Parisiensem, supra quadam domo.

44. Confirmatur contractus inter abbatem et conventum monasterii de Theoloco, in Lingonensi dioecesi, ex una, et Simonem Brunet, de quodam molendino.

45. Item, alterum contractum inter dictum abbatem et conventum ex una, et habitantes Daunet super limitatione quorumdam subsidiorum.

46. Confirmatur contractus inter abbatem et conventum de Morimundo ex una, et magistrum Iacobum Gentot, civem Lingonensem ex altera, de grangia et terris de Belfay et Ysonville pertinentibus ad dictum monasterium.

47. Item, confirmantur infra scripti contractus, scilicet inter abbatissam et conventum monasterii de Gaudio, Senonensis dioecesis, ex una, et nobilem virum Iohannem de Obrosles ex altera partibus.

48. Item, inter abbatem commendatarium et conventum monasterii de Eleemosina, in Carnotensi dioecesi, ex una, et Iacobum Clery ex altera partibus.

49. Item, inter abbatissam et conventum monasterii de Maloduno, dioecesis Parisiensis ex una, et dominum Claudium d'Orgemont ex altera partibus, super cambio quatuor arpentorum prati cum septem aliis arpentis prati.

50. Item, undecim contractus inter abbatem commendatarium Iohannem de la Brosse et conventum monasterii de Fonteneto, in Aeduensi dioecesi, ex una, et Patroclum Mestanier, Simonem Mortier ex altera partibus.

51. Item, quinque alii contractus inter eumdem de la Brosse et conventum eiusdem monasterii ex una, et Antonium Coquet, Nicolaum Denise, Iohannem Pigeon ex altera partibus.

52. Item, inter abbatem et monasterium de Villari ex una, et dominum ... ex altera.

53. Item, inter abbatem et monasterium de Lanneo ex una, et Martinum Bouliau ex altera, super quadam domo de Bellovaco.

54. Item, inter abbatem commendatarium et conventum de Frigidomonte ex una, et Iohannem Duchesne ex altera.

55. Item, praesens generale Capitulum cassat et annullat tractatum inter abbatissam et conventum monasterii de Ougnens, in Bisuntinensi dioecesi, ex una, et Oudinum et Antonium Roy ex altera partibus, de hortis, domo et furno bannali in oppido de Salino.

56. Item, cassat contractum monasterii de Bullione cum Petro, Antonio, Claudio Phtolomy, cum quibusdam aliis.

57. Abbati de Altasilva committit praesens generale Capitulum ad informandum super commodo vel incommodo contractus inter abbatem et conventum monasterii de Fristorf ex una, cum subiectis villae de Chamely, et etiam contractus inter dictum monasterium cum domino Habilium pro villa de Rhemelin.

58. Item, abbati de Marciliaco et baccalaureo de Escalariis, committit ad informandum super commodo vel incommodo contractus inter abbatem et conventum de Pontigniaco cum Francisco Duguet.

EXCUSATI ABBATES

59. Abbates Caesariensis, de Lucella, de Salem, de Populeto, de Petra, de Campo principum, de Septimo, de Rocamadoris, de Monte amiato, de Nisella, de Boneffia, de Villari, de Iardineto, de Valle Sancti Lamberti, de Ponte frigido, de Clarofonte, de Charitate, de Gratia Dei.

CONTUMACES ABBATES

60. De Regalimonte, de Valcellis, de Bona aqua, de Pietate, de Bullencuria, de Belloprato in Lotharingia, de Strata, de Castellione, de Sancto Benedicto.

NOMINA ABBATUM QUI INTERFUERUNT CAPITULO

61. Rmus a Cistercio, de Claravalle, de Caladia, s. th. pr., de Monte Sanctae Mariae, de Leoncello, de Alta silva, de Loco Dei, de Fristorf, de Marciliaco, de Firmitate, de Morimundo. s. th. pr., de S. Ambrosio Maiori Mediolani, de Maceriis, de Theoloco, de Bullione, de Stamedio, de Villario, de Sancto Remigio.

SUFFRAGIA

62. Associati sunt praesenti generali Capitulo suffragia totius Ordinis nostri qui sequuntur : Invictissimus princeps Lotharingiae cum christianissima domina uxore eius ; optimus dux d'Albe ; cardinalis Parmiensis ; cardinalis Caraffa ; dominus Wiglius praesidens Bruxellis ; dominus de Malleroye orator regius apud Summum Pontificem. Forma autem associationis ad dicta suffragia Ordinis invenitur in praecedentibus registris.

COMMISSIONES

63. Praesens generale Capitulum dat Rmo nostro a Cistercio specialem commissionem visitandi Sabaudiam et Delphinatum.

64. Rdo abbati a Firmitate dat generalem commissionem visitandi Pedemontanam regionem.

65. Rdo abbati de Claravalle generalem commissionem visitandi Campaniam, Normanniam, Britanniam inferiorem et superiorem, Andegavenum, Sanctonicam, Turoniam, Bituricam, Senoniam, Pictaviam.

66. Rdo abbati a Morimundo Guyennam, Averniam, Lemovicum, Linguam occitanam, Gasconiam, totam Hispaniam, et Portugalliam.

67. Abbati a Caladia, Lotharingiam et Barrum ducis.

68. Abbati de Valle clara, Briam, Picardiam, Tiraciam, Artesiam, Hannoniam, Flandriam, Hollandiam.

69. Abbati a Charitate, comitatum Burgundiae.

70. Abbati de Leoncello, provinciam Provinciae.

71. Item, continuatur vicariatus datus a praecedenti Capitulo abbati a S. Ambrosio.

72. Item, continuatur vicariatus datus a praecedenti Capitulo domino Dionisio de Lacheronis.

73. Item, continuatur commissio data a praecedenti Capitulo Rdis abbatibus de Sancto Iohanne, Caesariensi, de Salem et de Lucella.

74. Item, fr. Natalis Cossart, s. th. pr., est a praesenti generali Capitulo generalis sindicus et procurator Ordinis cum ea potestate quae in praecedentibus registris scripta est, in ordinatione sindici generalis.

Signatum ad finem : Guido abbas Vallis clarae, notarius Capituli generalis.

1578

A) Ordinatio Capituli generalis anno Domini 1578 apud Cistercium celebrati, die 28 aprilis.

DIFFINITORES : Reverendissimus dominus **Cistercii**, s. th. pr., de Bellavalle, de Bona aqua, de Maristella, de Sancto Urbano, monasteriorum abbates ; de **Firmitate**, de Villanova, de Belloprato, de Gratia Dei, de Feuillentiis, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, s. th. pr., de Strata, de Loco Dei, de Castellione, de Villari, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Caladia, de Marciliaco, de Albaripa, de Clarofonte, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Alta sylva, de Bitania, de Leoncello, de Fristorf, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : frater Natalis Cossart, s. th. pr.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : dominus de Claravalle, prior et subprior Cistercii.

CONFESSORES : de Loco Dei, de Marciliaco, et fr. Adrianus (Adamus); Germani s. th. pr.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Morimundo, de Alta sylva, monasteriorum abbates.

NOTARII ABBATES : de Bellavalle, de Villa nova, monasteriorum abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : fr. Iohannes a Querqui [a], s. th. pr.

NOTARII AD PEDES : fr. Petrus de Salinis, fr. Petrus de Divione, professi [b] Cistercii.

* * *

Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, die vigesima octava mensis aprilis, in Capitulo generali apud Cistercium celebrati, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

1578. *Fontes* : *L*[7] : A, 8, 25 ; *L*[8] : 1-99 ; *T*[3] : 17 ; *T*[5] : A, *Titulus*, 1-7 *(abbrev.)*, 8-31. [a] Suegni : *T*[5]. [b] receptor Cist. : *T*[5].

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... etc.

2. Praeterea pro serenissimo ... Rudolpho, Dei gratia imperatore ... necnon pro christianissimo domino nostro Henrico, Francorum rege, ac pro invictissimo principe domino Philippo, Hispaniarum rege catholico ... etc.

3. Similiter et pro Rmo Tristando de Bizet, Xanton. episcopo, scolasticorum Ordinis nostri in collegio nostro S. Bernardi Parisiensis benefactori munificentissimo.

4. Insuper pro burgensibus ... etc.

5. Fiant etiam orationes prc Flandriae religiosis, in singulis monasteriis Ordinis universi.

6. Ceterum pro pace ... etc.

7. Demum pro felicis ... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

8. Nos, frater Nicolaus Boucherat, ... *etc.* et est talis : Praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate diffinitiones in novissimo generali Capitulo factas anno Domini 1573 apud Cistercium celebrato die 21ª mensis aprilis.

9. Quoniam autem qui propius sequi Christum cupiunt, mundumque reliquerunt, nihil eis tam indignum est et contrarium quam ipsius mundi vanitas et rerum externarum curiositas, quae tamen inter multos hoc tempore irrepsit, ut ad eam cum primis exprimendam necessaria ac prudenti cautione mederi oporteat. Quocirca praesens generale Capitulum, patrum decretis adhaerens, statuit et ordinat, ut ne ullus Ordinis nostri religiosus, etiam si sit abbas, saecularibus vestimentis utatur, neminique liceat tam extra quam intra monasterium nigras tunicas ampliores, caligas aut aliud quodvis vestimenti genus in saecularium morem confectum habere, minusque gestare ; alias si transgressor fuerit, hebdomadis unius incarceratione punietur, eiusque vestimenta venumdabuntur, et eorum pretium in communitatis utilitatem convertetur. Omnibus autem et singulis ipsius Ordinis religiosis districte inhibetur, ne monachalem habitum ulla ratione deponant, sed continuo et ubicumque fuerint, ipsum gerant, caputiumque pileo superpositum habeant, duplicique zona, una videlicet alba et altera nigra praecingantur. Quae singula quorumcumque monasteriorum, et eorum maxime quae commendata sunt, prioribus ut suis religiosis observare faciant, sub poena depositionis ab officio praecipitur.

10. Ac ne personae sub eadem regula militantes sint dissimiles, praesens generale Capitulum eamdem in vestimentis conformitatem,

humilitatemque omnibus ipsius ordinis monialibus summopere commendat. Contra vero reprobat pravam illam consuetudinem statutis nostris omnino contrariam, quae in pluribus earum monasteriis viget et nonnullae tunicis albis et subtunicalibus penitus non utantur; aliae vero si utantur non eis albis quidem et regularibus sed nigris aut alterius coloris arteficio nimium exquisito confectis; aliae demum etiam cucullas gestare contemnunt in nostri Ordinis dedecus et scandalum. Quapropter ut omnes ipsius Ordinis moniales in habitus compositione, materia, forma et qualitate decenti et religiosa sint conformes eisdem omnibus, praesens generale Capitulum praecipit ut quocumque in loco sint, nullis aliis quam tunicis subtunicalibus albis et regularibus vestiantur. Cucullas locis et horis consuetis habeant, velo ceterisque vestimentis utantur, quae pudicas decent et dignas religiosas. Quae vero contrafecerint moniales, regulari disciplina punientur, et abbatissae eas ob id non punientes, aut id etiam eis permittentes, per triennium a sua dignitate suspendentur.

11. Ut occurratur abusui quibus monasteriis commendatis in grave disciplinae regularis et conventualis eorum nempe detrimentum invalescit, ob eam auctoritatem quam priores usurpant. Ipsi enim tamquam abbates praesumunt recipere grana, vina, pecunias, ceteraque eiusmodi,quae pro victu et vestitu religiosorum ordinata sunt ea quoque vendere, dare, atque etiam officiarios qui praedicta recipiunt et administrant, pro libitu suo instituere et destituere. Hinc est quod officiarii ipsi non curant reddere rerum receptarum et expensarum rationem, aut non nisi in ipsius prioris et eorum ipsi faventium praesentia reddunt, ex quo multa damna eisdem conventibus in dies eveniunt. Quibus ut succurratur, praesens generale Capitulum statuit et ordinat, quod monasteriorum commendatorum priores nullatenus deinceps sese immisceant administrationi earum rerum, sive sint redditus, sive pecuniae, quae pro victu et vestitu religiosorum et aliis ad conventum pertinentibus subministrantur, nec ipsi soli, sed cum sacerdotum aut saltem seniorum consensu instituant officiarios, qui administrationem praedictam gerant, in qua tamen nihil facere debebunt inconsulto priore. Verum si supradicti officiarii in suis muneribus obeundis parum se fideles et nimium delinquentes praebuerint, a dictis prioribus deponi poterunt. Qui interim receptarum et expensarum pecuniarum rationes quas officiales reddunt singulis mensibus coram monasterii praesidentibus et in fine cuiuslibet anni, patribus Ordinis seu eorum vicariis generalibus computationes referent, ab eisdem prout aequum fuerit approbandas vel etiam reprobandas. Quod si aliquid superfuerit computationibus factis, inter ceteros non distribuetur, sed in archa communi servabitur sub tribus diversis clavibus, quarum prior unam servabit, et duas alias duo seniores a conventu deputandi, nec

illud extrahetur nisi eisdem simul praesentibus, pro communi conventus utilitate. At ne praesens decretum ulla in parte infringatur, praecipit idem Capitulum generale prioribus eorumdem monasteriorum commendatorum sub poena depositionis ab officio suo, ut illud integre observent, et ab aliis observari procurent et exsequi iubeant. Quod si controversia aliqua in eis aut ad ea pertinentibus orta fuerit, nisi ipsi eam invicem composuerint, ad patres visitatores eamdem referant, cum eorum auctoritate terminandam, et omnia cum bona pace quiescant.

12. Cum secundum apostolum arma nostra non sint temporalia sed spiritualia, et auctore Ambrosio arma monachorum sunt orationes et lacrimae, nec liceat nobis uti vi armorum, praesens generale Capitulum prohibet omnibus et singulis monachis nostri Ordinis, ne penes se habeant aut in cellis suis aliqua arma, gladios, bombardicas vulgo pistoletos appellatas, aut alia huiusmodi habere praesumant. Sed si quis habere contingat, apud abbatem vel priorem reponantur, qui pro ratione et urgenti necessitate de iisdem armis disponere poterunt.

13. Consideratis praeterea quae ex praecipiti sacrorum votorum professione quotidie emergunt periculis, desiderans providere praesens generale Capitulum, districtissime omnibus abbatibus et abbatissis prohibet, ne moniales novitiae professionem faciant, intra manus eius obedientiam quae ad mortem fieri solet patri suo abbati et non alii promittere tenebuntur.

14. Praesens generale Capitulum non sine animi dolore accepit multos abusus hactenus commissos ob nimium communicandi chartas seu titulos bonorum *etc. ut anno* 1567, *n*o 11.

15. Conquestum est, et statuit Capitulum generale ne ullum deinceps recipere praesumant priores novitium absque sui conventus assensu, et si ideo aut aliqua quavis causa adimplendi taxati numeri negligentes fuerint, ab officio suo deponantur.

16. In recipiendis vero novitiis sive virorum sive virginum, prudens adhibeatur cautela, nam cum sanguis soleat pugnare pro sanguine, usu venire solet, ut qui eiusdem parentelae recipiuntur novitii aut novitiae, infractiones propius conspirent. Cui periculo ut medeatur a praefato Capitulo cautum est ne in posterum duo fratres aut duae sorores in idem admittantur coenobium religiosi futuri.

17. Audivit praeterea venerandorum Diffinitorum coetus non sine magna animi tristitia religiosorum permultos esse qui girovagorum more absque suorum praepositorum licentia et litteris commendatitiis vulgo nuncupatis obedientialibus, ex propriis monasteriis exeuntibus in sui perniciem et aliorum scandalum per civitates monasteria, oppida et pagos veluti profugi vagantur, et idcirco contra professam in regula stabilitatem ulterius discurrere pergant, iubet sanctio Capituli gene-

ralis religiosos quoslibet in propriis monasteriis, ubi fuerint professi, aut in aliis in quibus a patribus Ordinis aut eorum vicariis fuerint assignati, religiose commorari, et in quantum opus erit, ibi detineri; et si alicubi in longa peregrinatione aut diuturna circumambulatione sine dictis obędientialibus litteris quis inveniatur, postquam triduano carcere a viciniori abbate vel priore punitus fuerit, ad proprium remittatur monasterium.

18. Quoniam autem aliena sit ab hominum excellentia turpis illa ignorantia, quae omnium virtutum dicitur esse noverca, satis ostendit ille, qui hominem ad cognoscendum natum esse profitetur. Imo divinus omnium nostrum pedagogus Christus, qui scientiam inter Spiritus dona recenset, eo tamen progreditur nonnullorum abbatum maxime commendatariorum avaritia, imo et religiosorum privatorum, ut ne quos iuniores professos et prebyteros in suis monasteriis instrui curare, aut in nostro collegio instruendos mittere velint, unde infinita incommoda quibus ut occurratur, decrevit et iubet Capitulum, ut ex quolibet nostri Ordinis monasterio unus ad minus religiosus, qui maioris spei et prudentiae videbitur, ad nostrum S. Bernardi collegium Parisiis, studendi gratia, ante festum divi Remigii proximum committatur. Et nihilominus praeceptor sive regularis sive saecularis honestis tamen moribus et probatae fidei in singulis monasteriis ceteris iuvenibus religiosis instituendis habeatur.

19. Quoniam non ignorat praesens generale Capitulum quantum ex monialium monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius et maturius ubi collapsa est virtus et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est perseveret, praecipere, prout hoc decreto praecipit, ut novitiae omnes non in abbatissae domo aut camera, sed in dormitorio dormiant et pernoctent, nec non alibi quam in refectorio cum aliis monialibus refectionem accipiant. Quarum monialium una eligetur, quae novitiarum praedictarum curam et administrationem suscipiet. Abbatissa autem superioribus contraveniens per triennium poenam suspensionis patietur. Monet insuper idem generale Capitulum omnes et singulos patres superiores Ordinis, ut iuxta bullam SS. D. N. Papae Pii V et Gregorii XIII clausuras monialium servare procurent, et ne abbatissae possint aeri alieni ultra quam decem aureorum debitum sine conventus consensu et superioris ipsarum aut eius vicarii in his partibus instituti permissione contrahant.

20. Cum Cisterciensis Ordo proprium ab antiquissimis temporibus habeat officium, quod non minus est devotione dignum quam devotione plenum, idem praesens generale Capitulum omnibus abbatibus et abbatissis, prioribus et priorissis mandat, ut ne quidem in eorum et earum-

dem monasteriis praeter antedictum Cisterciensis Ordinis iam acceptum officium introducant, aut introducere permittant, nec in ecclesia novis suffragiis, responsoriisque horarum matutinarum aliquid nisi consulto prius generali Capitulo, sub poenis excommunicationis, superinducant.

21. Cum autem Rex regum Deus devotorum sibi famulantium delectatur multiplicatione, et piorum fundatorum benefactorumque, sine sufficienti religiosorum numero, vel in dictis celebrandis missis, vel in decenti divini officii persolutione, sancta non possit adimpleri intentio, praesens generale Capitulum firmissimo sanxit decreto, ut in omnibus et singulis dicti nostri Ordinis monasteriis religiosorum numerus, qui a patribus dicti Ordinis seu ab eorum vicariis determinatus est, integre et absque ulla dissimulatione recipient, etiam in commendatis commendatores indifferenter quos voluerint recipiant novitios quod a pluribus fieri conquestum est, statuit Capitulum generale, ne ullum deinceps recipere praesumant priores novitium absque sui conventus assensu, et si ideo aut alia quavis causa adimplendi taxati numeri negligentes fuerint, ab officio suo deponantur.

22. Considerans praeterea idem generale Capitulum quam periculosum sit occasionem diabolo dare, et quam alienum sit a religiosis viris cum mulieribus versari, districtissime prohibet, ne aliquae mulieres in servitium et famulatum abbatum aut religiosorum, intra loca regularia aut alia monasterii loca, ullo modo assumantur frequentissime et multo minus nunquam, si fieri possit, mulierum pedes monastica terant hospitia.

23. Quoniam autem multorum abbatum et maxime commendatariorum atque etiam nonnullorum religiosorum incuria, avaritia, seu profusione effectum est, ut bona Ecclesiae, etiam quantum ad fundum et possessiones spectat, non in pauperes, ut decuit, sed in alios nefarios transierunt usus, et pro magna parte a propriis monasteriis alienata fuerint, dat potestatem generale Capitulum imo et praecipit sub poenis excommunicationis et censuris omnibus abbatibus et abbatissis libere prosequendi restitutionem, cassationem et annullationem omnium et singulorum contractuum et conventionum in detrimentum suarum ecclesiarum habitorum, sive habitarum ; necnon religiosos absolvendi a quolibet iuramento in praedictis contractibus praestito ; et generaliter agendi et procurandi, et omnia quae ad dictorum contractuum cassationem et annullationem conducere poterunt.

24. Et ne haec nostra statuta, aut alia quae tam a praedicto Capitulo, quam a singulis patribus vel eorum vicariis ordinata sunt, aut deinceps ordinabuntur, non demendentur executioni, statuit generale Capitulum, quod in posterum in omnibus civitatibus, in quibus sunt supremae curiae seu Parlamenta, habebuntur procuratores et sindici, qui dictorum omnium statutorum et in futurum faciendorum execu-

tionem, nec non alia nostri Ordinis tam publica quam privata negotia per omnes iuris et iustitiae vias prosequentur.

25. Cum in nostro collegio S. Bernardi apud Lutetiam ex sapientum monitis nihil rerum praecipue arduarum sine consilio soleat fieri, non parum nostra interest, apud quos rei summa eiusdem collegii in maioribus saltem negotiis deferenda sit decernere, ne statum illius ignorantibus committentes deliberationem nostram litterariam naufragio exponamus naviculam. Hinc fit ut eius regimini providere magnopere cupiens doctissimus reverendorum consessus provisori, aut in eius absentia subpriori dicti collegii, mandat et praecipit, ne aliquem ad consilium habendum sive pro electione bursarii, lectoris sententiarum et biblici, sive pro aliis praecipuis collegii negotiis pertractandum vocet praeter magistrum regentem et alios doctores religiosos, qui tunc actu in eodem collegio degentes permanebunt, et de eorum consilio baccalareos, nisi forte essent abbates etiam in dicto collegio residentes, qui sic et non alias ad ea supradicta deliberanda et tractanda vocabuntur, sicut etiam vicarius Rmi domini a Cistercio pro Franciae provincia.

26. Omnes Ecclesiae ministros monet gentium Apostolus, omnia in aedificationem debere procurare, ne quod ab uno aedificatur ab altero labefactetur, et ne tandem ipsa discordia non tam magna dilabuntur quam parva aucta geruntur. Statuit et decreto firmat praesens generale Capitulum, ne quod a commissariis generalis Capituli ordinatum est in visitandis Ordinis monasteriis, ab aliis abbatibus licet visitatoribus commutetur, et sic non poterunt abbates quantumlibet vicarii patrum Ordinis destruere et annullare, aut in poenis commutare ea omnia et singula, quae facta et ordinata fuerunt a dictis commissariis Capituli generalis, sive supra numero religiosorum minuendo, sive super victu et vestitu aut aliis religiosorum et eorum conventus necessitatibus, alioquin pro nihilo habebitur.

27. Monente nos insuper eodem Apostolo, gratiam quae data est nobis veluti rem nihili spernamus, imo ut bonum depositum servemus, et privilegia, quibus nos et dictum nostrum Cisterciensem Ordinem cumulate donarunt summi sanctissimique Pontifices romani, nostra negligentia in auras evanescent permittamus, nostram a sanctis patribus fundatam et ab aliis discretam, integram prout poterimus conservare possumus hierarchiam, auditis nonnullorum episcoporum importunitatibus, quibus ipsi sanctorum Ecclesiae decretorum parum memores, nostros coabbates in pluribus locis ad sua synodalia comitia vocare, et in quantum possint allicere cogereque nituntur. Hac propterea diffinitione praesens generale Capitulum vetat, prohibet et interdicit omnibus et singulis quorumcumque monasteriorum abbatibus, prioribus et aliis regularibus personis nobis subditis aditum, ingressum et assistentiam ad praedicta synodalia comitia in quantum ab episco-

pis ibidem vocentur, quasi ad ea eosdem teneri praetenderent, nisi ob possessionem et curam in eorum iurisdictione existentem tenerentur, aut alia ratione quam voti obligatoria et obedientiali interesse illis opus esset.

28. Tantum esse obedientiae votum sciunt Capituli generalis Diffinitores, ut nullatenus ab eo solvi quempiam putent, qui vel semel id publice emiserit, quod fit ut ne eos qui curionis aut parochiae presbyteri funguntur officio, nec alias inferioris gradus beneficiarios, ut sunt titularii priores in nostro Ordine, et adhuc manentes a propriorum aliorumque superiorum abbatum nec non suorum priorum atque ceterorum praepositorum obedientia liberos et solutos vult praesens generale Capitulum, quinimo diffinit omnes eiusmodi beneficiarios dictis superioribus per omnia subiectos esse, et ideo non nisi petita et obtenta licentia eadem egredi sua monasteria licere, non suam quotidianam victus et vestitus pensionem ex monasterio posse repetere, quamdiu in suis beneficiis residebunt.

29. At vero Paulus clamat laborantem dignum esse qui manducet, et bovi trituranti maxillam prohibet alligari, cum eodem iudicans Capitulum generale dignum esse operarium mercede sua, vult honestum nostri Ordinis religiosis Deo inservientibus supra monasteriorum proventibus dari tam pro victu quam vestitu pensionem, non parata tamen pecuniarum summa, ne hinc cogatur relinquere verbum Dei ut si misceant se negotiis saecularibus, sed in certo numero vini, frumenti, pecuniarum lignorum, et ceterarum rerum, quae pro singulis religiosis et eorum famulis necessariis videbuntur a patribus Ordinis aut eorum vicariis assignandarum, maxime vero ubi haec in monasterio reperiri facile poterunt, et ne quidem omnia et sic ab abbatibus aut eorum villicis aut admodiatoribus suppeditari debeat, sic commendatis tamen abhorret et prohibet generale Capitulum manibus et opera quorumlibet saecularium et praesertim feminarum religiosis in mensa aut conventu administrari, ne ob status et morum dissimilitudinem, zelus et contentio aut aliud non minus incommodum in domo pacis oriatur.

30. Si tamen seorsum contentibus adiudicata pensio vel assignata, aequum est ut ex ea honeste religiosorum studentium, praecipue in collegio S. Bernardi Parisiis iuventur studia, nec ex ea tantum id etiam ex annuis redditibus et de supervenientibus donis, eleemosinis, aliisque supererogantibus, quae nonnulilis conventuum mensis accedere possunt, aut iam acquisitae sunt suis ob celebrationem missarum, anniversariorumque, sive ob bene administratam oeconomiam, dictis etiam religiosis studentibus Parisiis praesentes Capituli generalis Diffinitores favere cupientes, iubent et statuunt tam prioribus quam cellerariis singulorum conventuum dicti Ordinis, ut omnibus suis in collegio studentibus religiosis aequam et iustam distribui curent portionem.

31. Ratam denique habet et confirmat generale Capitulum antiquam praecedentium Capitulorum generalium diffinitionem de bonis mobilibus et peculiis decedentium religiorosum in monasteriis commendatis, credendis scilicet et convertendis in commodum et utilitatem conventus religiosorum, et maxime ad infirmorum subventionem in infirmario deponendis et conservandis, ne abbates commendatarii aut eorum firmarii et vicegerentes sibi non debitam surripiant successionem, quae propriis monasteriis acquisita in eisdem iure debet remanere.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

32. Nos, frater Nicolaus Boucherat, abbas Cistercii, et in sacra theologia professor, dilecto nobis in Christo fratri Balthazar Begamo, presbytero expresse professo in Stafarda, priori monasterii de Ripalta in dioecesi Taurinensi, in Pedemontana regione vice vicario, salutem in Domino. Visa supplicatione tua, qua nobis exposuisti quod per aliquot annos Romae, in Gallia, aliisque in locis operam dederis studio iuris pontificii et canonici, ac ne sine laudabili tuo labori in eiusmodi studio impensi aliquod desit proemium quoque deinceps honestiori titulo et qualitate commisso tibi vice vicarii nostri officio fungi, reipublicaeque et rebus nostri Ordinis commodius inservire valeas, nobis humiliter supplicasti, quatinus tibi permitteremus ad gradum doctoris in ipsius iuris canonici Facultate promoveri. Nos, faculate quae nobis ... concessa est, ut possimus permittere viginti quatuor nostri Ordinis religiosis praedictum doctoris gradum in ipso iure canonico adipisci, considerantes tua bona illa mente, confisique de tua eruditionis capacitate ipsius canonici iuris peritia, morum probitate, ceterisque ad praedictum doctoris gradum assequendum meritis, tibi concedimus et permittimus ut valeas in qualibet Universitate ad eumdem doctoris gradum in canonico pontificioque iure promoveri, concedentes in iisdem privilegiis et honoribus gaudeas, quibus per nostra privilegia conceditur iis, qui ad eumdem gradum promoti sunt. Te vero monemus et hortamur, ut te in eo gradu geras, quatinus ista tua promotio Ecclesiae Dei et Ordini nostro usui sit et ornamento. Datum ultima aprilis.

33. Quia teste Apostolo omnes qui charitatis vinculo uniuntur, christiani unius corporis mystici membra sunt, qui sese invicem mutuis officiis et auxiliis iuvare debent atque alter alterius onera portare; Nos, qui per votorum nostrorum professionem primo illi vinculo, secundum quos monasticae professionis est, audierimus quantumvis terra marique seiuncti, sumus tamen in unumcumque Dei Ecclesiae non extremum Ordinem velut in unum corpus, Deo disponente, collecti et adunati sumus, duplici quoque obligatione ad mutua illa charitatis opera et officia devincti sumus, quo videlicet publicis et communibus totius

religiosi corporis rebus et necessitatibus provideatur et succurratur. Quod Pius II, Benedictus XII, Sixtus IV, Innocentius VIII, et aliquot alii summi Pontifices attendentes voluerunt, et decretis suis ordinaverunt et in nostro generali Capitulo, omnia et singula Ordinis nostri monasteria ad haec communia charitatis subsidia, quae contributiones vocantur, taxarentur, quod etiam a subsequentibus Pontificibus et novissimis et SS. DD. nostro Gregorio ratum et confirmatum est. Unde praesens generale Capitulum eisdem summorum Pontificum decretis ordinationibus innixum, consideratis computatisque magnis impensis et sumptibus, qui faciendi sunt in procurandis omnibus Ordinis nostri negotiis, ut pro Capituli generalis celebratione, protectorum nostrorum recognitionibus, procuratoris in Curia romana generalis stipendiis, et pluribus aliis in dies emergentibus rebus, infrascripta sequentia Ordinis nostri monasteria per Hispanias existentia, sicut et singula alia, quae in aliis christiani orbis regionibus extant, habita facultatum suarum ratione, ad certas pecuniarum summas in libris Barchinonensibus singulis annis contribuendas taxavit. Sequuntur nomina monasteriorum. ... Nobis autem charissimo in Christo reverendo coabbati nostro de Populeto, nostro generali per easdem Hispanias vicario, potestatem committit, easdem contributiones singulis annis colligendi ex monasteriis pertinentibus, ad eamdem solutionem per omnes iuris et iustitiae vias compellendi.

34. Viso processu quem Rdus D. a nobis commissus dominus coabbas monasterii nostri de Populeto fecit in executione cuiusdam brevis apostolici sibi commissi et emanati ab illustr. et eminent. Carolo cardinali S. Praxedis, SS. DD. nostri b. m. Pii V poenitentiario, super rehabilitatione fratris Francisci Olivet de Boteller, religioso presbytero expresse professo eiusdem monasterii nostri de Populeto, ad quascumque dignitates, officia et praelaturas dicti Ordinis nostri, etiam abbatiali dignitate inclusa, praesens generale Capitulum, consideratis rationibus eumdem Rdum abbatem ad praedictam executionem faciendam moventibus, praefatum eius processum et executionem validam esse declarat, eumdemque approbat, ratificat et confirmat, et pro quanto opus est, praedictum fratrem Franciscum Olivet rehabilitat, et cum eo de irregularitate quam per natalium defectum incurrit, dispensat, eumque ab ea absolvit, habilem, capacem et idoneum reddit, qui promoveatur ad quaslibet Ordinis nostri dignitates, officia et praelaturas etiam abbatiales, prout supra dictum est, et in dicto brevi continetur.

35. Nos, frater Nicolaus Boucherat ... *etc.* charissimo nobis in Christo magistro Sardonino Mauchien, clerico Andegavensi, sinceram in Domino charitatem et sanctae devotionis suffragium. Tametsi divinarum legum ... *etc. ut in forma consueta pro suffragiis.* Exigentibus itaque

pene innumeris beneficiis in dictum Ordinem et nominatim in nostrum collegium S. Bernardi Parisiis tua diligentia, favore et industria collatis, quandoquidem amplissimae fundationis Rmi D. Xantonensis in eodem collegio factae, initia, progressio et effectus, consilio, hortatu et aliis favoribus, quibus apud eumdem Rmum episcopum non parum valere iuvisti et ad felicem partum perduxisti, id etiam iuste requirente generali nostri Ordinis procuratore, tibi omnium bonorum spiritualium, videlicet ... *etc.* Datum, *etc.*

36. Nos, frater Nicolaus Boucherat ... *etc.* Rmo in Christo patri ac domino Tristando de Bizet, Xantonensium episcopo, necnon divi Nicolai in Nemore abbati, nostrique collegii S. Bernardi Parisiis benefactori munificentissimo, sinceram in Domino charitatem et sanctae devotionis suffragium. Divinarum legum testimoniis ... *etc. ut supra.* Exigentibus incredibilibus ferme beneficiis, quibus non solum nostrum S. Bernardi collegium Parisiis, verum etiam totum nostrum Ordinem abunde piis affectibus quibus adhuc ipsum complecteris, cumulasti, collatis in quantum potes in dictum collegium et aequaliter Claraevallensem domum largitionibus, eleemosinis et oblationibus, id etiam iuste requirente nostri Ordinis procuratore generali, tam ob praedicta, quam ex eo quod ex nostro Ordine ad sublimiorem gradum evectus quondam fueris, tibi omnium bonorum spiritualium, videlicet... *etc.* Datum, *etc.*

37. Nos, frater Nicolaus Boucherat... *etc.* et est talis : Religioso nostri Ordinis, qui ad executionem praesentium ex parte nostra vocatus fuerit, salutem per Christum. Cum in nobis in Christo filiam priorissam Mariam Brigard, monialem expresse professam in monasterio B. M. de Argentea sella, in Suessionensi dioecesi, contra suae professionis habitum in mundo et maxime in quadam domo vocata Les Bouleaux cum saecularibus in suae animae perniciem et proximi scandalum ausa est degere et conversari; hinc est quod generale Capitulum mandat et praecipit in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis statim incurrendae poena, ut dicta Maria Brigard iterum sese in proprium reddat monasterium, continuo vivat, deflensque in amaritudine vitae suae, quod indignum perpetravit facinus, contra suae professionis decretum. Datum et actum in diffinitorio, *etc.*

38. Capitulum generale visa supplicatione venerabilium prioris, sindici, religiosorum et conventus abbatiae ac monasterii de Bolbona Ordinis Cisterciensis, statuit, diffinivit et ordinavit, iubet et ordinat, quod pro causis in dicta supplicatione contentis et pluribus aliis ipsum Capitulum generale moventibus praedicti venerabiles prior, sindicus et conventus habebunt et recipient tertiam partem ab omni onere exemptam omnium bonorum ad dictum monasterium et conventum pertinentium quocumque in loco existant, in censibus, redditibus,

vineis, pratis, nemoribus, terris, et in omnibus iuribus seu iurisdictionibus consistentium. Ut ea tertia parte dictorum bonorum praefati prior, sindicus et religiosi gaudeant et utantur libere et pacifice; et hoc pro omnibus quae ipsi et singuli praetendere et expostulare possunt pro vino, carne, vestimentis et aliis rebus quibuscumque ad praebendam et portionem illorum pertinentibus; obtestantes in Domino Rdum abbatem commendatarium dicti monasterii, mandantesque priori et aliis quibuscumque nostri Ordinis sint, ne huic nostrae diffinitioni detractent ac relaxantur, imo vero ut executioni demandetur consentiant et permittant, in plenaria, *etc.*

* * *

39. Pro Astensi episcopo. — Reverendissime Domine observantissime. Si semel Dominatio vestra Rma me monere dignata est ac de unione monasteriorum Sancti Spiritus et Sanctae Annae, hoc certe tam gratum mihi extitit perindeque necessarium visum est, ut officii mei fuerit nihil praetermittere eorum quae videbantur ad eam concludendam necessaria. Unde expositis Capitulo nostro generali iisdem rationibus, quibus ad eam decernendam D. V. Rma movebatur perfici, ut de ea facienda decretum ferretur; itaque decretum est, ipsam debere sortiri effectum per cessionem vel decessum praesentis abbatissae cum ceteris clausulis ad id necessariis; atque ut solemnius executioni demandetur, delegabitur talis aliquis, qualem requirit D. V. Rma qui etiam disponet et ordinabit de regimine monasterii Sanctae Annae donec vacaverit, curabitque omnia fieri, ut et scandalis occurratur, et coeptum unionis ipsius opus ad extremum usque perducatur, prout nos omnes in hoc ipso generali Capitulo congregati praeoptamus cum Rma D. V., cui propterea ingentes agimus gratias, quod hoc nobis suggesserit, quod ad Dei gloriam, Ordinis nostri commodum et personarum in monasteriis illis existentium salutem, populique aedificationem verturum fore speramus. Deus optimus D. V. Rmam salvam et incolumen diu feliciterque conservet.

40. Rme D. nobis observ. episcopo Saluciarum. — Litterae D. V. Rmae mihi pergratae fuerunt, quibus erga me suam benevolentiam aperte testatur, ut non possim qui in eam quoque vicissim erga illam observantiam et ad obsequia sua promptitudinem ei significent, cum dum lubens facio simul etiam in testificationem ipsius animi. Iis omnibus quae Rda abbatissa Cellae novae postulat tantum apud me potest D. V. Rma ut nihil a me requirere possit, quod facile non concesserim persuasus non mihi quod iustum aequumque ab ea requiri posse. Quod autem attinet ad Montis frigidi abbatissam, certe nunquam permisi, ut ipsa aut alia monialis claustro suo exiret, quin potius id omnino contra mentem meam semper fuit, et propterea in superiori nostro Capitulo generali volui decretum fieri de clausura servanda conforme illi, quod in Concilio Tridentino et Sanctissimi nostri bulla continetur, cum clausula quod omnes in Ordine nostro iurisdictionem habentes et vicarii nostri observari facerent, clausuram ispam tenacius, caverentque diligenter, ne qua occasione id quod de ea observan-

da constitutum esset transgrederetur. Sed quando minus in hoc hactenus provisum est, mihi gratum fuit ex V. D. Rma intelligere, cui propterea magnam habeo gratiam, eam enim ob causam in hoc nostro generali Capitulo renovari feci decretum illud, provideboque ut deinceps melius observetur. Sed interim illam rogo, ut cogitet monasteria non ita facile statim posse redigi ad strictam hanc regularis disciplinae observantiam ; instantiusque precor, ut earum infirmitati mecum compatiatur, praesertim cum illis in Marchionatu putent se maiorem habere agendi libertatem, quam aliis, quam tamen minime habent, has hac vice absolvi secundum quod Sanctitas mihi commisit, si quis exiisse comperirem, et ad nostrum vicarium scribo, ut eis ipsam absolutionem declaret, moneatque sub gravioribus poenis, ne in posterum egredi ulla ratione praesumant. Si quid autem posthac occurrerit, in quo officii mei partes requiri putet D. V. Rma, me sibi magis ac magis devinctum habebit, si ita benevole me monere dignabitur, sibi vero persudeat, me ad iusta sua omnia capescenda fore promptissimum, Deo favente, quem precor ut D. V. Rmam. salvam et incolumem diu feliciterque servare velit.

41. Commissio absolvendi moniales de Monte frigido. — Nos, frater Nicolaus, dilecto nobis in Christo fratri Andreae ab Ecclesia, priori monasterii B. M. de Stafarda, in dioecesi Saluciarum, nostro in Pedemontis regione vicario, salutem. Cum intellexissemus dilectas nobis in Christo abbatissam et moniales monasterii nostri B. M. de Monte frigido in eadem dioecesi, extra monasterium ... contra sacri Concilii decretrum Tridentini et SS. DD. N. bullam, et propterea eas excommunicationis sententiam incurrisse ; ne animarum nobis commissarum saluti deesse videamur, hinc earum periculis quantum in nobis est ut debemus mederi cupimus. Itaque auctoritate nobis a SS. D. N. commissa, primum praedictas abbatissam et moniales absolvimus a sententia excommunicationis, quam exeundo extra monasterium, ut supra dictum est, incurrerunt. Deinde ut vere sese absolutas intelligant, mandamus ut eis capitulariter congregatis declares, condignamque pro sua transgressione poenitentiam imponas, et ne in posterum quavis occasione monasterium ipsum egredi praesumant, omnibus et singulis prohibeas, ne deinceps monasterium egrediantur sub poenis sententiae excommunicationis, quam ipso facto incurrerent, ad arbitrium nostrum remittendae. Cuius decreti et aliorum in dicto Capitulo ad reformationem editorum tenorem illis, prout dictum est, congregatis volumus a te legi et explicari.

42. Decretum unionis monasteriorum Sanctae Annae et Sancti Spiritus, in civitate Astensi. — Nos Diffinitores notum facimus universis ... *etc.* et est talis : Cura et sollicitudo omnium Ordinis nostri monasteriorum nos praecipue sollicitat et admonet, ut ea omnia per quae salutari ipsorum regimini rebusque necessariis consulere possumus, paternae nostrae considerationis et providentiae dirigamus intuitu quatinus illorum personae valeant Altissimo debitum monasticae suae professionis exhibere famulatum, religiosamque disciplinae nostrae regularis observantiam, cum integra votorum suorum redditione custodire, ac divini nominis gloriam sacri cultus incrementum et ipsius nostri Ordinis decus et ornamentum.

Quapropter praesens generale Capitulum certe pleneque informatum duo Ordinis nostri monialium monasteria in Astensi civitate, Pedemontanae regionis, existere, unum sub invocatione Sancti Spiritus, alterum vero sub Sanctae Annae titulo, et ipsum quidem quia rerum penuria et aegestate premitur, competentem et perfectum numerum monialium nec habere nec fovere nutrireque posse, proindeque divinum officium ibidem non rite celebrari, nec clausuram regularem servari, minusque ceteras Ordinis nostri observantias custodiri, quod tandem in gravem Dei offensam, religionis monasticae opprobrium et populi christiani scandalum cedere possit, nisi de opportuno remedio huic urgenti malo provideremus. Quod certe nec permelius nec utilius, adeoque nec magis necessarium esse potest, quam eiusdem monasterii Sanctae Annae ad praedictum monasterium Sancti Spiritus unio tam quod propter quam ipsius monasterii S. Spiritus ampliores sunt fructus, ambo etiam sub eodem nostro Ordine et professione constituta, itaque in contigua, ut uno solo simplicique pariete separantur, cum ipsae moniales simul unitae ad decentem honestumque numerum redigentur, ibidemque commodius divinum officium celebrabunt; quia ubi maior numerus, ibi quoque maior praesumitur zelus, maiorque in eo viget regularis observantia, sed et earum facultates sic adunatae et bona coniuncta non modicum sufficient augmentum, eoque facilius et abundantius ad victum necessaria sibi ministrabuntur, quae nunc sic separatis vix sufficiunt. His itaque et aliis rationibus inductum generale Capitulum, in plena potestate composuit, adunavit, univitque praedictum S. Annae monasterium cum omnibus bonis eiusdem, tam mobilibus quam immobilibus, monasterio S. Spiritus, statim atque vacaverit per cessum vel decessum praesentis abbatissae, et ex nunc pro tunc statuit, diffinit et declarat ipsum eidem perpetuis temporibus unitum esse, ut ex duobus coadunatis unum solummodo fiat, quod in utriusque et S. Spiritus et S. Annae invocatione permaneat; et ne propterea ulla diminutione aut in divino cultu ulla monialium numero evenire queat, praesens generale Capitulum decernit et ordinat, quod in ipso monasterio ita constituto triginta moniales professae habebuntur eruntque perpetuo. Quodque singulis diebus duae missae celebrabuntur, una videlicet privata submissa voce, alia vero conventualis, cui moniales omnes aderunt, sicut et ceteris divini officii horis, cum debito cantu et cerimoniis in Ordine solitis. Quia vero multo sumptus erunt faciendi, ut ipsa ambo monasteria in unum commode coeant et adunentur, nimirum pro muris, claustris ceterisque regularibus aedificiis construendis, concedit idem generale Capitulum, ut a die quo ipsa unio effectum sortietur ad quadriennium usque postea numerus monialium viginti quatuor excedat. Eam ob rem prohibet dictae abbatissae S. Annae nunc existenti, ne moniales ullas deinceps recipiat, sub poena privationis a sua dignitate abbatiali ipso facto incurrendae. Monialibus vero quando contigerit ipsam abbatissam decedere, ne ad electionem procedant sub poena nullitatis ipsius electionis et excommunicationis latae sententiae ipso quoque facto incurrendas, a qua non poterunt quam a Rmo N. D. abbate Cisterciensi, aut generali Capitulo, absolvi. Omnibus igitur utriusque dicti monasterii personis idem Capitulum generale praecipit sub poenis

praedictis et aliis rebellibus constitutis ne sine decreto unionis ipsorum monasteriorum faciendae et omnibus ad eam perficiendam necessaria publicandam et exsequendam conducentibus, pertinentibus et necessariis, acquiescent, pareant et humiliter obediant. Easdem quoque in Christi visceribus hortatur et admonet, ut cum Deus concesserit unionem ipsam ad effectum reduci, executionique mandari, ipsae quoque conveniant simul in unitate spiritus, mutuaque charitate ita uniantur, ut tandem in futura vita unitae sint cum Deo in aeternum, et in praesens huius unionis decretum publicari et exsequi possit idem generale Capitulum, committit dilectis nobis in Christo fratribus Petro de Salins nostri monasterii de Cistercio religioso presbytero, monasterii de Bullione coadiutori, et fratri Andreae ab Ecclesia, priori monasterii nostri de Stafarda, nostro in regione Pedemontana vicario, et eorum cuilibet in solidum, promulget et exsequatur. Datum, etc.

43. Litterae ad reverendum abbatem monasterii nostri de Salem. — Multum, Reverende pater, desiderassemus, ut praesens generale Capitulum tua praesentia decoratum fuisset, quod quidem Dei in nos benignitate et clementia nulla celebrius fuit quam quae antea viderimus. Sed cum praeadversa valetudine et occupationibus et impedimentis, nobis a te expositis, ipsi interesse non potueris, praedicti patres Diffinitores te excusatum habuerunt. Quantum vero ad reliqua attinet per domnum virum conventualem tum nomine tuo nobis significata curavimus expediri, in primis mittimus patentes pro alienatione cuiusdam possessionis ad monasterium vestrum pertinentis, idque in ea forma quae nobis tradita est ab ipso viso, et super qua iam binas a nobis acceperas litteras. Deinde scribimus Rdo abbati Caesariensi, ut moniales de Loinga habitantes in monasterio de Neidingen in aliud monasterium transferat, et in quo quidem monasterio incorporabimus bona mobilia et immobilia monasterii de Loinga statim atque nobis expressum fuerit a domino Caesariensi nomen monasterii in quod iudicabit esse transferendas, et hoc tanto melius quanto citius, nam comes erit semper infectus et perpetuo, et id quidem nos semper ita iudicavimus. Demum non mediocri laetitia fui affectus cum narravit mihi idem Vittus te velle duos ex tuis conventualibus Lutetiam, ut dent operam litteris in collegio nostro S. Bernardi. Rogamus te in Christi visceribus, ut quamprimum hanc piam intentionem et voluntatem executioni demandes, illosque recte ad Cistercium venire, curabimus deinde ut Lutetiam perveniant, quantum ad sumptus, modo minores sunt pro annonae caritate et abundantia, sed credo unicuique quadraginta coronatos galicos singulis annis, excepto primo anno, quoniam in ingressu collegii oportebit eos emere supellectile necessarium pro illorum cellis, sed quod per eos emptum erit, sive magnum sive parvum fuerit, discedentibus ipsis in eorum quoque erit commodum. Ceterum contributiones Capituli generalis debitas pro quinque annis a tuo monasterio accepimus, sicque tam te tuumque monasterium per praesentes absolvimus a dictis contributionibus pro toto tempore praeterito usque ad praesentem annum 1578 inclusive, Deum optimum, maximum, rogantes ut te pro nostri Ordinis monasteriique tui incolumitate diutissime conservet. Datum 2 maii.

44. Litterae ad Rdum abbatem monasterii nostri de Lucella. — Multum, Reverende pater, desiderassemus, ut tua praesentia decorasset nostri Capituli generalis comitia, quod equidem a te certificatum eo sperabamus quod tuum monasterium non longe distet a nostro Cistercio, et hac quidem ratione vix a patribus Diffinitoribus obtinere potuimus ut excusationem tuam gratam habeant, tandem tamen acquieverunt, nihilominus mandaverunt Rdo abbati de Claravalle ut te officii tui moneret, significaretque ut quando contigit te ad Capitulum citari, venire in posterum non te pigeat. Nobis autem a dictis patribus commissum est, ut tibi eiusdem Capituli auctoritate praecipiamus, ut contributiones Capitulo generali debitas quam profuturo solvas abbatesque de Porta coeli et de Novo castro ut id faciant compelles. At cum a multis annis neque per te neque per tuos praedecessores de dictis contributionibus satisfactum fuerit, melius est quod pro praeterito liberaliter velis offerre, et iubeo tibi dare generalem absolutionem. Idem quoque ut faciant de Porta coeli et de Castro novo abbates monebis. Ceterum mittimus ad cassationem venditionis et alienanationis prioratus, cuius mentionem in tuis litteris bonis facis, ac confirmationem electionis Rdi abbatis monasterii Castri, quem et abbatem quoque de Porta coeli excusatos habuit Capitulum generale. Interea si quid in gratiam tui petiveris, semper libenter praestabimus, Christumque servatorem rogamus, ut te diutissime conservet, prout tuis tuorumque, etc.

45. Litterae ad Rdum abbatem monasterii nostri Caesariensis. — Multum, Reverende pater, mirum in modum tristor, quod tua reverenda Paternitas non potuerit interesse nostri Capituli generalis comitiis,quae, etsi multo celebriora fuerint quam unquam viderimus, tua tamen praesentia plurimum eidem decoris addidisset, sed quia non permiserunt tot occupationes et impedimenta, quae tibi in dies superveniant, posse adesse, Rdi patres Diffinitores te excusatum habuerunt, magnopere tamen in futuro Capitulo tuam praesentiam desiderantes. De his quae acta sunt in monasterio Alderspach, iam antea certiores facti sumus a Rdo abbate Hebracensi, et nobis gratissimum quod electus fuerit vester bursarius, a bonis nominatus serenissimo duci Bavariae. Ceterum accepimus pecunias nobis missas pro contributionibus, de quibus tibi gratias agimus, mittimusque tibi et ceteris generalem acceptationem. Interea gratum habemus quod tot novitios ad professionem receperis, quodque tres ad studia miseris, sed desideraremus, ut saltem unum Lutetiam mitteres cum duobus, quos prope diem ad nos est missurus Rdus abbas in Salem. Clementissime autem Deus te pro nostri Ordinis tuique monasterii utilitate et incolumitate diutissime servet incolumem, nos tuis tuorumque precibus plurimum commendantes.

46. Capitulum generale nobis commisit ut tibi praeciperemus, quatinus moniales de Loinga,quae sunt in Neidingen ad aliquod aliud monasterium transferas, cui bona mobilia et immobilia eiusdem monasterii de Loinga incorporabit statim atque ipsius monasterii nomen a te nobis expressum fuerit.

47. Multum Reverende pater, litteras accepimus Rdae Paternitatis, quibus rogas excusari a Capitulo nostro generali, tum propter morbos qui-

bus affligeris, tum propter itinerum pericula et difficultates. Quam excusationem gratam habuerunt Rdi patres Diffinitores, ea tamen lege, quod quando continget Capitulum generale celebrari, tuam Rdam Paternitatem non pigebit ad illud venire. Ceterum quantum ad abbatem de Loco Sanctae Mariae, mittimus litteras contra fratres rebelles eiusdem monasterii. Sed quantum ad molestias quas patitur Rdus abbas illius monasterii, non videt Capitulum, quomodo ab illis posset liberari, nisi speciali quadam Dei gratia et auctoritate Imperatoris et Principum Electorum. Si quid tamen noverit, quod in suo negotio possimus super eo, libenter praestabimus, Christum interim servatorem nostrum rogantes, ut te diutissime servet incolumem.

48. Item, generale Capitulum statuit ut monasterium conversarum prope et extra Confluentiam Ordinis nostro Cisterciensi uniatur et incorporetur.

DISPENSATIONES

49. Cum Rda domina abbatissa nomine Maria Maternis, pro monasterii sui situ et aliis in sua supplicatione moventibus rationibus, praesens generale Capitulum dispensavit misericorditer, ut eiusdem abbatissae moniales dominicis diebus et feria tertia ac quinta Septuagesimali tempore carnibus vesci possint.

50. Idem generale Capitulum, consideratis fratris Antonii Charisel, prioris monasterii de Caroliloco, in sua supplicatione expositis rationibus, maxime propter eius ingravescentem senectutem, continuum oculorum et calculi dissoluti dolorem, quo vexatur in dies, adeo ut per horam in ecclesia aut alio in loco vix quiescere possit, suam in matutinis, vesperis et vigiliarum horis excusandam praesentiam censuit et excusat, regulari tamen observantiae continuandae sedulo semper incumbat.

REHABILITATIONES

51. Ad instantiam promotoris Ordinis causarum praesens generale Capitulum rehabilitat et absolvit fratrem Nicolaum Thomam, presbyterum religiosum de Caladia, pro multis contra suae professionis statum simul et Ordinis Cisterciensis statuta perpetratis, servata tamen iuris et Ordinis disciplina.

52. Item, rehabilitat fratrem Iacobum Luguet de Ergilio, monachum, propter contagium carnis et non servatam continentiam.

53. Item, rehabilitat Annam ab Urceto, monasterii de Ponte Leonis religiosam, propter incestum et non servatam continentiam.

54. Item, ab eodem generali Capitulo ad instantiam antedicti promotoris, soror Philiberta Mora, professa monasterii B. M. de Pogliola, dioecesis Montis regalis, ob laesam virginitatem, rehabilitata est.

55. Idem factum est erga sororem Franciscam Roujet, monialem de Argentea sella.

56. Item, rehabilitatus frater Ioannes Adam professus in monasterio Altae silvae, post acceptam poenitentiam, quod adversa valetudine pressus in seipsum manus violentas iniicere, imo vero occidere se voluerit.

PROCESSUUM DIFFINITIONES

57. Praeter supra allegatas processuum ab eodem generali Capitulo resolutas quasdam diffinitiones, non est omittendum quod idem generale Capitulum processum contra Thomas Buissium, priorem monasterii et conventus de Casa nova, visis actis et exhibitis, nullum declaravit et irritum velut inceptum et instructum contra formam Ordinis, ita tamen quod dictus prior in monasterio de Ripalta postea resideat, vivatque cum omni modestia et secundum Ordinis nostri formam, assignata eidem triginta aureorum summa sibi a conventu supradicto de Casanova singulis annis persolvenda.

CONFIRMATIONES ELECTIONUM SEU PROVISIONUM

58. Praesens generale Capitulum confirmat electionem Iacobi Willem, in abbatem monasterii de Novo castro electi anno 1578, in plenaria, etc.

59. Item, electionem sororis Constantiae de Cena, in abbatissam monasterii B. M. de Pogliola, Montis regalis, anno 1574 factam.

60. Item, electionem sororis Paulae Caperille, in abbatissam monasterii de Cellanova, Montis regalis, factam anno 1574.

61. Item, electionem fratris Wolfgangi Diget, in abbatem monasterii B. M. Sturzelbrunn.

CONTRACTUUM CONFIRMATIONES

62. Generale Capitulum alienationis seu venditionis contractum initum inter Rmum D. Nicolaum Boucherat, in th. pr., et abbatem Cisterciensem, necnon inter priorem, religiosos et conventum eiusdem Cisterciensis abbatiae et monasterii ex una, et amplissimum dominum Leonardum Chabot, regii ordinis equitem, comitem de Charny, etc., ex altera partibus, de domo seu grangia vulgo dicta de Toutenan, cum suis iuribus, appendiciis et dependentibus, ratificat pro rationibus in praedicti contractus litteris contentis, et auditis prius Rdis abbatibus de Loco Dei et de Alta silva, in quorum manibus contrac-

tus ipse, informationes super commodo vel incommodo factae proclamationes et alia omnia, quae ad contractus ipsius solemnitatem referenda posita fuerant.

63. Item, confirmatam habet praesens generale Capitulum alienationem factam sub annuo censu per Rmum episcopum Trecensem, abbatem sive perpetuum commendatorem abbatiae seu monasterii de Aceyo et priorem et religiosos et conventum eiusdem loci factam domino Claudio de Sautans de Mornay, prout amplius in litteris et informationibus super commodo vel incommodo eiusdem contractus factis continetur.

64. Contractus permutationis inter nobilem virum Leonardum Duplan, actu serenissimo principe Pedemontano servientem, tamquam procuratorem specialem R. D. Caroli Maximiliani de Crilleto abbatis de la Chassagne in Bressia, ac religiosorum capituli et conventus eiusdem abbatiae ex una, et nobilem Iacobum de Bellefin loci de Crenvacy in Delphinatu, ex altera partibus, initum et transactum, prout in litteris super eo confectis continetur, visis informationibus legitime factis, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, etc.

65. Contractum transactionis inter nobilem et scientificum dominum Nicolaum Bollin, prout abbatem commendatarium abbatiae seu monasterii de Vaulx la Douce, Ordinis Cisterciensis, necnon priorem, religiosos et conventum ipsius ex una, et dominum Philibertum Vanglurre ordinis regii equitem, dominum de Guyonville, Bonnecoux, Bizay, etc., ex altera partibus, prout in litteris super eo confectis, prius visis informationibus etc. ut supra.

66. Contractum venditionis in censum et annuam praestationem perpetuam inter illustr. et Rmum cardinalem Borbonium, et priorem, religiosos et conventum abbatiae de Signiaco, Ordinis Cisterciensis, ex una, et Carolum dominum temporalem de Cezanne in Campania, ex altera partibus, initum et passatum, prout in litteris, *etc.* approbat *etc.*

67. Contractum inter abbatem et religiosos monasterii B. M. de Ioyaco initum, ex una, et Alexandrum de Ioncourt ex altera partibus, de terra seu villa vulgo nuncupata Delaborde ; et contractum alium factum et laudatum inter supradictum abbatem, religiosos et conventum ex una, et Brixium Bonnevoy, de quodam molendino vulgo nominato le Moulin Jovillard, ex altera partibus, Capitulum generale apud Cistercium habitum loco, anno et die supradictis, dictos duos contractus multis iustis rationibus motum cassavit et annullavit, cassat et annullat, tum maxime quod in ecclesiae detrimentum facti et initi sunt, absolvendo antedictos abbatem et religiosos omnes et sin-

gulos praedicti monasterii a iuramentis per eos praestitis ratione ipsorum.

68. Contractum inter abbatem commendatarium, priorem et religiosos de Pontigniaco, in Antissiodorensi dioecesi, initum ex una, et Franciscum Dugonet de Sancto Florentino, dioecesis Senonensis, ex altera partibus, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

69. Contractum inter abbatem, religiosos et conventum de Regny, Antissiodorensis dioecesis, ex una, et Genovefam Roussel, viduam defuncti nobilis Francisci Le Guay, ex altera partibus, ratione domus Parisiis sitae in vico de Clervault vulgariter nuncupato iuxta suos confines, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

70. Contractum fundationis factae per fratrem Petrum abbatem de Chaloché, in utilitatem communitatis et conventus eiusdem abbatiae, cui praesentes annectuntur, approbat, *etc.*

71. Contractum initum inter Rdum D. Franciscum de Benseré, abbatem monasterii de Firmitate super Grenam, priorem, religiosos et conventum ipsius monasterii ex una, et nobilem dominum Carolum Desevivilles, regii equitem, dominum de Pouilly, etc. ex altera partibus, approbat, etc.

72. Contractum cessionis, alienationis et translationis factam per nobilem virum Renatum Fediau, dominum de la Panetière, ex una, et priorem, religiosos et conventum B. M. de Chalocheyo in dioecesi Andegavensi, ex altera partibus, de quadam domo sita in urbe Andegavensi, approbat, *etc.*

73. Contractum traditionis in censum perpetuum et emphiteoticum inter Rmum abbatem Cistercii et religiosos et conventum ipsius abbatiae ex una, et Philibertum Cornet mercatorem, ex altera partibus, ratione cuiusdam loci et cursus aquae ad construendum molendinum in pago de Gilley aptorum, et eiusdem contractus amplificationem, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

74. Contractum traditionis in censum et annuum redditum perpetuum inter venerabiles religiosos et conventum divi Bernardi collegii, ex una, et Ioannem Mauritium ex altera partibus, ratione dicti agri in territorio de Buret siti in loco vulgariter Le Closmosy, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

75. Contractus donationis in censum et redditum annuum perpetuum inter abbatem et conventum monasterii de Regalimonte, dioecesis Belvacensis, ex una, et Iacobum Merieu agricolam in vico de Belledylia, in loco vulgariter dicto Le Bieunirry, de cuiusdam portione terrae modicae continente sitae in eodem territorio, initos et laudatos, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

76. Contractum venditionis inter Rmum abbatem, religiosos et conventum Cistercii, ex una, et Odetam viduam Yvard urbis Belnensis,

ex altera partibus, ratione cuiusdam domus sitae in dicta urbe in vico vulgo Des Tonneliers, cum suis dependentibus, approbat, *etc.*

77. Contractum donationis in emphiteosim inter dominum abbatem commendatarium abbatiae de Rigniaco, priorem, religiosos et conventum eiusdem, ex una, et Robertum Retinet mercatorem Lutetiae manentem, ex altera partibus, super certae domus sitae in urbe Parisiensi in vico S. Martini, initum et laudatum, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

78. Contractum dationis in censum perpetuum inter abbatissam, religiosas et conventum monasterii B. M. de Ponte dominarum, ex una, et Damianum Perriot ex altera partibus, ratione certarum vinearum in territorio de Charny sitarum, initum et laudatum, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

79. Contractum donationis in censum seu emphiteosim cum facultate perpetua redimendi inter abbatem et conventum abbatiae de Valle B. M. in Parisiensi dioecesi, ex una, et nobilem virum Ioannem de la Combe de loco Villeradam, ex altera partibus, ratione cuiusdam domus, horti et dependentiarum ibidem sitorum, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

80. Contractum locationis ad aliquos annos inter abbatem et conventum monasterii de Valle B. M. in Parisiensi dioecesi, ex una, et Ioannem et Adrinaum Jacquin et eorum coniuges, ex altera partibus, ratione cuiusdam grangiae, vulgo la Ferme de Coquessalles vulgariter nuncupatae, in parochia de Villeradam sitae, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

81. Contractum locationis ad aliquos annos inter abbatem et conventum B. M. Virginis in Parisiensi dioecesi, ex una, et Ioannem Lebreton agricolam manentem in vico Maret vulgariter nuncupato, ex altera partibus, ratione quarumdam terrarum in territorio Dumesnil sitarum, factum, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

82. Contractum donationis in censum perpetuum inter abbatissam et conventum monasterii B. M. Pontis dominarum, ex una, et Reginaldum Fontanier Loemum, et eius uxorem, in loco de Couilly commorantem, ex altera partibus, ratione cuiusdam grangiae et terrarum ac pistrini et molendini, vulgariter le Moulin de la Talme nuncupati, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

83. Fundationem unius missae alta voce singulis diebus mercurii per priorem et religiosos abbatiae de Belloprato, in dioecesi Tullensi, perpetuo decantandae, per abbatem ipsius abbatiae in praesenti generali Capitulo factam, approbat, etc.

84. Contractum transactionis initum inter Ludovicum Dutertre abbatem abbatiae et monasterii Bellae vallis ex una, et nobilem virum Ioannem Baptistam Dandelot equitem, dominum de Nyon, etc., ex

altera partibus, praesens generale Capitulum confirmat. — Ad marginem huius diffinitionis haec scripta sunt. Sequitur tenor eorum quae ordinata fuerunt mihi abbati de Clarofonte, connotario Capituli generalis celebrati Cistercii anni a Nativitate Domini 1584 adiici debere in margine praesentis diffinitionis. Quaquidem confirmatione petita Stephanus abbas monasterii B. M. de Gratia Dei sese eidem confirmationi opposuit dicens fuisse venditum in emphiteosim, datam abbati et conventui de Bellavalle per abbatem et religiosos monasterii de Gratia Dei pro pensione undecim librarum Stephaniensium singulis solvendorum, et ideo dictum contractum non esse confirmandum tamquam suae abbatiae damnosum, et omnibus non obstantibus tamen idem Capitulum generale approbavit dictum contractum transactionis, salvis tamen et reservatis actionibus, iuribus et praetensionibus dicto abbati et suo monasterio de Gratia Dei competentibus et pertinentibus, et sine eorum praeiudicio.

* * *

85. Super supplicatione fratris Ioannis Lebret, religiosi Ordinis nostri Cisterciensis, petentis relaxationem iuramenti per eum praestiti in contractu donationis factae Ioanni Senostren eius nepoti praedefuncto ad eiusdem donationis revocationem, considerans idem generale Capitulum allegatam eius in qua nunc est necessitate, et alia quae in sua continentur supplicatione, eumdem absolvit a iuramento in dicta donatione praestito, concedens eidem potestatem agendi in quocumque foro ad eius donationis cassationem et irritationem, et ad suas eius actiones quascumque prosequendas.

86. Super supplicatione pro parte fratris Pontii Willem, religiosi in abbatia de Roseriis, Ordinis nostri Cisterciensis in dioecesi Bisuntina, petentis auctoritatem et licentiam sibi concedendam, de bonis tam paternis quam aliunde ex affinium et consanguineorum successione sibi obvenientibus, disponendi in favorem suorum matris et fratrum, non obstante professione per eum emissa in dicto monasterio de Roseriis. Idem generale Capitulum de bonis supradictis per successionem ipsi obvenientibus in favorem parentum suorum disponere facultatem et licentiam permisit, in plenaria, *etc.*

87. Visa supplicationefratris Francisci Crinelet a tribus annis officia novitii servantis in abbatia de Aceyo, praesens generale Capitulum committit et tradit potestatem primo abbati per eamdem abbatiam transeunti, aut illic iter facienti, debite requisito professionis habitum iuxta Ordinis nostri formam et regulam eidem Crinelet concedere in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES

88. Abbatibus de Bellavalle et de Bitania coniunctim, praesens generale Capitulum committit quatinus, super contractibus quibusdam initis per abbatem de Charitate, religiosos et conventum eiusdem abbatiae ratione annuae praestationis et census super commodo et incommodo eorumdem contractuum inquirant, et clausas super ipsa re factas inquisitiones ad Rmum D. abbatem Cisterciensem mittere tenebuntur, quod iustum fuerit et rationis ordinare dignetur.

89. Abbatibus de Bellavalle et de Charitate praesens generale Capitulum committit, quatinus super transactione facienda inter abbatem de Theoloco, priorem, et religiosos eiusdem abbatiae ex una, et habitantes de Pieron le Grand ex altera partibus, ratione parvarum decimarum de quibus contrahitur, informant, et informationes super commodo, *etc. ut supra.*

90. Abbatibus de Bellavalle et de Charitate praesens generale Capitulum committit, quatinus super incommodo resultante super alienatione facta de pistrino seu molendino loci vulgariter nuncupati de Fias, per abbatem, priorem et religiosos de Caroloco Simoni Prunet inquirant. Et si contra utilitatem ecclesiae alienationem supradictam factam esse compererint, permittit dictum Capitulum generale eidem abbati et religiosis de Theoloco, non obstante iuramento, a quo eos absolvit, ad nullitatem eiusdem contractus agere citra conscientiae scrupulum.

91. Abbatibus de Claravalle et de Bitania idem generale Capitulum committit, quatinus inquirant super commodo vel incommodo contractus initi de Grangia vulgariter la Grange Romain, nuncupata, et aliis alienationibus in supplicatione illustr. ac Rmi cardinalis a Baumo archiepiscopo Bisuntinensi et abbatis eius monasterii de Caroloco perpetui commendatarii, et religiosorum et conventus eiusdem loci descriptis et commemoratis, et si quid iustae rationis inveniatur, permittit idem generale Capitulum dicto Rmo D. et religiosis et conventui, ut non obstante iuramento per eos praestito ad nullitatem alienationum per contractum huiusmodi agere, a quo quidem iuramento per eos praestito idem Capitulum supradictos absolvit.

92. Abbatibus de Loco Dei et de Fristorf praesens generale Capitulum committit, quatinus coniunctim super contentis in contractu emphiteotico inito per Rmum abbatem et conventum Cistercii ex una, et Petrum Donat militem, ex altera partibus, ratione certae terrae infructiferae, et super commodo vel incommodo ex eodem resultante inquirant, relaturi ad proximum generale Capitulum quidquid invenerint utilitatis vel incommodi.

93. Fratri Ioanni abbati de Fullenciis et promotori Ordinis in illis

partibus, priori de Bolbona, praesens generale Capitulum committit, quatinus super criminibus et delictis atrocibus et gravibus commissis per fratrem Antonium Galletas, religiosum Bonaevallis, de quibus iam inquisitum fuerat, denuo inquirant, processumque contra eumdem prout iuris erit in criminalibus, faciant et instruant usque ad diffinitivam sententiam exclusive, eademque sententia Rmo abbati Cisterciensi reservata ; cuius quidem Galletas bona mobilia ubicumque existentia distribuentur, et in ipsius prioris Bonaevallis manibus reponentur fideliter custodienda, donec aliter fuerit iudicatum. Et quia praefatus Galletas in eodem generali Capitulo existere tamquam criminis in ipsum obiecti reus et conscius, muros Cistercienses concendit et fugam arripuit, sicque quasi de eodem crimine convictus praefatum Capitulum generale decrevit, ac omnibus et singulis eidem Ordini Cisterciensi subiectis abbatibus et prioribus stricte praecipit, ut ubicumque locorum praefatum Galletas reperierint, eumdem intercipiant, et in carceres detrudant, debitas pro criminibus per eum perpetratis poenas passurum, in plenaria, *etc.*

94. Fratri Carolo de Menoisio priori Quinciaci et fratri Claudio Dedelles priori Rigniaci, praesens generale Capitulum committit, quatinus coniunctim super traditione in emphiteosim perpetuam cuiusdam masurae dependentis ab abbatia de Pontigniaco et prope portam ipsius abbatiae existentis, per Rdum abbatem dicti loci et priorem et religiosos et conventum faciendam inquirant de commodo vel incommodo ipsius abbatiae, et factis informationibus visisque, clausae et sigillatae praefato Rmo D. Cisterciensi referentur, ut possit ordinare prout iuris fuerit et rationis, in plenaria, *etc.*

VISITATIONUM COMMISSIONES

95. Rmus noster Cisterciensis abbas generalis, annuente [Capitulo generali], visitationem Campaniae, Franciae et Parisiensis regionis sibi reservavit.

96. Pro abbate de la Ferté a generali Capitulo commissa est Sabaudiae, Pedemontani, Marquisatus de Saluces et Monteferrato, necnon status Genuensis visitatio.

97. Pro abbate de Pontigni tota ... ac Italia ad visitandum ab eo-eodem generali Capitulo.

98. Rdo domino abbati de Claravalle, Gasconia, Hispania et Portugallia.

99. Rdo domino abbati de Morimond, Lotharingia, Burgundia et Germania. Et in fine sic signatum : Du Tertre abbas Bellae vallis, generalis Capituli notarius.

1584

A) DENUNCIATIO CAPITULI GENERALIS

Nos, frater Nicolaus Boucherat, Cistercii abbas, in Cabilonensi dioecesi, sacrae theologiae professor, ac christianissimi Galliarum Regis consiliarius, totius dicti Cistercii Ordinis ac Capituli generalis eiusdem plenaria fungentes potestate, venerabilibus et charissimis nobis in Christo coabbatibus ubicumque constitutis, salutem per Christum.

Capituli generalis nostri celebrandi statutum tempus cum in superiorem annum incidisset, vehementer quidem cupiebamus pro officii nostri ratione ad ipsius convocationem incumbere. Verum cum bellici tumultus in quibusdam regni huius provinciis nondum plane sopiti constarent, tum etiam institutae monasteriorum nostrorum visitationes tam per nos ipsos quam commissarios nostros in variis et longinquis regionibus requirebant, ne prius ad celebrandum ipsum animum intenderemus quam ad optatum finem illae perductae fuissent. Quod cum Domini in nos clementia satis feliciter obtigerit, huic nostrae sollicitudini deesse non possumus nec debemus, maxime vero cum Ordinis nostri necessitas (qua memoria nostra maior fortasse non extitit) id a nobis postulet. Ita enim comparatus est totius religionis adversarius, ut quo magis ad eam iuvandam augendamque vires intenduntur, eo acrius insurgat ac reluctetur. Quod magnis sane cum difficultatibus experti sumus toto tempore, quo nos, minime licet dignos, huic Ordini Dominus Deus praeesse voluit. Dum enim continue studia nostra, facultates omnes et si quid aliud in nobis situm est, conferimus quo, ea monasteria quae superiorum temporum iniquitati ab ipso Ordine tamquam membra a proprio capite avulsa videbantur, restituantur, et in eis disciplina nostra regularis fere extincta excitetur, tot tantaeque difficultates bonis nostris conatibus refragantur, ut si Ordinem ipsum aliquo meliore loco quam sit reponere, imo si ipsum ab adversariorum atque adeo a falsorum fratrum molitionibus integrum servare necesse sit, rebus eius in certis provinciis periclitantibus, communibus consiliis et auxiliis succurramus. Neque est quod ab hoc charitatis ac obedientiae officio se excuset; nam per Dei gratiam praesens regni huius status tranquillus est, spesque bona eum ita perduraturum affulget, ac proinde itinera secura. Neque vero quidquam piis vestris principibus gratius facturi estis, quam si hoc tempore quo ecclesiasticum et praesertim religiosorum reformationem omnes expetunt, eius a vobis vestrisque religiosis suscipiendae ac ad alios transmittendae gratia ad ipsum generale Capitulum conveneritis. Itaque vos omnes et singulos obsecramus et per Ordinis ipsius quam professi estis salutem obtestamur, et si quos haec nostra petitio non commoverit, eis

1584. *Fontes* : *Co* : A, 1-32, 34-42, 87 ; L^7 : B, L^8 : 1-96 ; T^6 : 77 ; *Va* : 1-32, 34-40, 42, *brevis mentio de* 41.

in virtute salutaris obedientiae praecipimus, eosque citamus ut dominica quarta post Pascha proximum in nostro Cistercii monasterio compareatis, omnes praefatum generale Capitulum nobiscum celebraturi, sane qui Ordini suo tantopere afflicto bene consulturi esse cupiunt. Qui ad hoc ipsum praesentem tranquillitatis ac securitatis occasionem efficiendum praetermittere nolunt,qui denique piis omnibus, re ipsa testatum esse nolunt, sed nihil ad reformationem stabiliendam promovendamque pertinet, neglecturos in re tam salutari ac sibi suisque monasteriis necessaria,prompti quidem et obsequentes nobis esse debent; si qui tamen, quod Deus avertat, huic citationi parere recusaverint, contra eos inobedientes tamquam contumaces et apertos sacrorum Conciliorum contemptores per Ordinis nostri poenas et censuram maiorum nostrorum more procedemus. Ut autem praesens nostrum citationis mandatum ad notitiam reverendorum abbatum de Novo Castro, de Porta coeli et aliorum comitatus Pherretae et Alsatiae provinciae abbatum perveniat, Rdo D. abbati Lucellensi in virtute salutatis obedientiae mandamus quatinus hoc ipsum mandatum per seipsum aut per alium praefatis abbatibus intimet, ac de ipsius intimatione et quid quisque illorum ad ipsam intimationem responderit, nos in Capitulo generali certiorem reddat.

Datum Parisiis in nostro S. Bernardi collegio 10 mensis novembris anno Domini 1583, sub appensione maioris nostri sigilli et signi manualis secretarii nostri subscriptione.

* * *

B) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1584, die vero ultima mensis aprilis apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES : Rmus dominus noster **Cistercii**, s. th. pr., de Sancto Martino Parmensi, de Charitate, de Theoloco, de Clarofonte, monasteriorum abbates ; dominus de **Firmitate**, de Insula, de Fristorf, de Gratia Dei, de Maceriis, monasteriorum abbates ; dominus de **Morimundo**, de Loco Dei, de Sancto Benedicto, de Bullio in Hibernia, et coadiutor de Villario, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco**, de Lucella, de Morimundo Mediolanensi, de Cella Dei in Bavaria, de Tribus regibus, de Alta sylva, monasteriorum abbates ; loco domini de **Claravalle**, de Valle clara, s. th. pr., de Bullione, de Marciliaco, de Albaripa, de Barberio, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Loco Dei, de Marciliaco, monasteriorum abbates ; prior de Regalimonte, s. th. pr., et fr. Nicolaus Profit.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Morimundo abbas, prior et subprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : Natalis Cossart, s. th. pr.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : fr. Edmundus a Cruce et Iohannes Morlan, s. th. professores.

NOTARII ABBATES : de Clarofonte, de Gratia Dei, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : prior de Pietate, fr. Ysembertus Le Tellier, s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : fr. Ysembertus Le Tellier, s. th. pr.

NOTARII AD PEDES : Ludovicus de Divione, fr. Petrus de Divione, professi Cistercii.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, die ultima mensis aprilis, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato, sunt diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc.* et maxime pro illustr. et Rmo cardinali d'Estensi nostri sacri Ordinis in Curia protectore benevelo ... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1578.

3. Similiter et pro Rdo domino Tristando de Bizet, *etc. ut in anno* 1578.

4. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

5. Pro pace etiam ... *etc.*

6. Postremo pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES ORDINIS PRAEFATI CISTERCIENSIS

7. Nos, frater Nicolaus Boucherat, ... *etc.* et est talis: In primis illud a praesenti generali Capitulo statuitur, ut Ordo non aliter vocetur quam Cisterciensis Ordo ; sic quidem merito denominatus ab insigni monasterio Cistercii, matre et fundatrice totius Ordinis quo eodem nomine cuncta eiusdem Ordinis privilegia concessa esse leguntur.

8. *De abbatum residentia.* — Quoniam adversus malos suique negligentes officii pastores Ecclesiae quidem sunt graves et horrendae divinae comminationis denuntiationes passim in omni Scriptura reperiuntur, cumque Apostolus eos qui praesunt serio moneat, ut in sollicitudine praesint, sibique et suo gregi non indiligenter attendant, praesens generale Capitulum in eiusmodi comminationis profundiori cura intendens, divinisque et apostolicis praeceptis insistens nimis perniciosae oscitantiae, qui tamquam omnis pastoritiae curae expertes suum gregem perfide deserunt, eumdem spiritualium luporum voracitati expositum relinquere parvipendunt, mederi succurrendumque ma-

[a] *Titulus apud Co Va.*

turius esse statuit. Itaque praesenti minimeque violando decreto sanxit, ordinat et diffinit, uti de cetero abbates et abbatissae, necnon quivis alii gerendarum animarum praepositi, suis in monasteriis constitutisve locis, fixam residentiam servent et habeant, ibi concreditas pascendi gregis partes delegatumque sibi munus omni diligentia ac sedulitate expleat districte. Insuper praecipiens ac sub interminatione divini iudicii dictos quoscumque Ordinis superiores obtestans, ne ab iisdem suis monasteriis seu constitutis locis, nisi legitima de causa, eaque per superiorem approbanda, et id ad modicum tempus dumtaxat, citra tamen urgentem necessitatem et notabile impedimentum abesse in posterum praesumant. Si in dicto decreto, quod absit, contravenerint, abbates quidem, si antea moniti fuerint, a dignitate abbatiali per tres menses suspendentur, priores vero claustrales, si per mensem, ut supra dictum est, a suo conventu abfuerint, ab officio deponantur.

9. *De confidentiariis* [b]. — Miserrima omnino ac detestanda est quarumdam Ordinis nostri personarum ambitio, qui in fraudem animarum suarum ac in grave totius dicti Ordinis nostri scandalum, fucum Sedi Apostolicae facientes, se interim et alios decipientes monasteria aliave Ordinis loca in confidentiam, pro saecularibus et inidoneis plane personis, tenere non verentur, qui cum perdendam aliorum insatiabilem avaritiam sui nominis umbraculo contegere nituntur, non

---

[b] *Apud* L^7 *haec leguntur* : Nota. quod in hoc Capitulo generali, sive registro eiusdem, frequentes videantur raturae seu deletiones. Ut sub titulo *de Confidentiariis*, p. CXLVI post verba « vult iubet et decernit prioribus eiusmodi monasteriorum a generali Capitulo », deletum est quod sequitur : « vel a Rmo D. generali seu aliis superioribus constituendis in plenaria, etc.

Item, p. CLII sub titulo « de Scolasticis ad collegium mittendis », videtur ratura post verba « Malorum cum quibus conflictamur acerbitas ostendit ... ad conficiendum itaque tam pestilentem, etc.

Item, sub titulo *Speciales*, p. CLIII, videtur ratura post verba « inconsulto generali Capitulo »... a S. D. N. Gregorio Papa XIII in eiusdem perpetuitatis bulla nonnulla sunt quae in Ordinis praeiudicium vergunt, etc.

Item, p. CLIII, ratura videtur post verba : « semper ad reddendum ipsi Capitulo generali » ... obedientiam. Praesens generale Capitulum, etc.

Item, p. CLVIII, in articulo : Posteaquam placuit, etc. post verba : « hae autem taxae per, est ratura ... commissarios iis partibus, etc.

Item ibidem post verba : « vel alio meliori modo... habita praeditorum proventuum, etc.

Item, ibidem post verba : « Romam perferri curabunt, est ratura... quatuor et dimidiae linearum ; ac ne qua in hac re fraus aut dolus interveniat, etc.

Istae autem ac similes raturae seu deletiones, a quibusdam anticisterciensibus, per quorum manus registrum Capitulorum generalium ab anno 1560 usque ad annum 1584 transiit, temere factas fuisse, praesumuntur. — *In nostro textu restituta sunt verba pridem deleta.*

vident caeci homines duplici iam poenali catena constricti, in quantum perditionis gurgitem se et alios immergunt. Tanti mali labem penitus ex Ordine sublatam esse cupiens, inustamque Ordini turpissimam maculam eluere, praesens generale Capitulum omnes eiusmodi confidentiarios anathematis execrationi subiacere praesentis sanctionis tenore declarat et denuntiat ; eorumdem praeterea confidentiariorum auctoritati seu obedientiae monachos omnes in dictis monasteriis in confidentiam acceptis et retentis degentes, eadem hac constitutione exemptos esse vult et decernit, prioribus eiusmodi monasteriorum a generali Capitulo vel a Rmo domini generali seu aliis superioribus constituendis in plenaria Ordinis potestate eosdem monachos subiiciens.

10. *Abbates non confirmati non praesumant regere sua monasteria, cum secundum canones sint intrusi.* — Quia in Ecclesia Christi, in qua cuncta ordinate fieri decet,nemo temere sibi honorem usurpare debet, et sola eligentium vota haud sufficiunt ad constituendum quemquam in dignitate seu praelatura ecclesiastica, sed de hiis praeterea necesse est ut confirmatio a superioris potestatis culmine accedat. Hinc est quod praesens generale Capitulum inhaerendo antiquorum canonum decretis, omnes abbates, abbatissas, et quoscumque animarum praelatos quantumvis canonice et legitime electos, ad regendum praetensa sua monasteria nisi a Sede Apostolica vel a superiore Ordinis, electionis confirmationem obtinuerit, inidoneos censet, eosdemque pro intrusis habet.

11. *De abbatum negligentia in aedificiis reparandis.* — Religiosae domus cunctae pietatis illustria monumenta, putatis eximia decora et ornamenta, cum in ea existimatione etiam apud ethnicos imperatores olim fuerint ut promulgatis constitutisque in hoc peculiariter legibus caverint, ne a quoquam temerarentur. Quanto studiosius posteros ad quos eius pietatis haereditas gloria imitatioque pertinet curare convenit, ut eiusmodi domus seu sancta aedificia integra et sarta tecta conserventur, quo etiam damnabiliter quorumdam abbatum et abbatissarum, necnon aliorum Ordinis nostri superiorum hac in parte ratio censenda est, qui monasteriorum quibus praesunt, fructus quidem et amplos proventus belle percipere norunt, sed reparationi conservationique suorum aedificiorum nullam sollicitudinem curamque impendunt. Unde ea passim ingenti piorum omnium dolore caduca ruinosa de antiquo suo splendore denudata, quaedam etiam ignominiose prostrata conspiciuntur. Qua in re non modo in Deum impii, verum etiam in alios maiores ingrati existere censendi sunt. Quocirca praesens generale Capitulum praesenti constitutione diffinit ac iubet ut patres visitatores diligentius etiam in eiusmodi damnandam negligentiam

[c] *deest apud* L^{8}.

deinceps inquirant, et abbates seu quosvis Ordinis praelatos hac in re negligentes suo arbitrio pro ratione delicti puniant et castigent.

12. *De victu et vestitu monachorum, et quod pro vestiario non dabuntur pecuniae sed vestimenta perfecta.* — Dignus est operarius sua mercede, et qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edant, inquit Scriptura ; ad haec largissimus est Dominus idemque liberalissimus ; indignum est avaros sordidosque esse eius dispensatores ac servos. Coercenda proinde permultorum abbatum,abbatissarum, aliorumque Ordinis superiorum stolida nimisque tenacitas est, qui ita parce tenuiter ac restricte sibi subditis religiosis victum, amictum, ceteraque necessaria dispensant, ut illi aegre se tolerare possint ; quae res propterea quod statui monastico non parum dedecoris conciliat, secum etiam innumera vitia attrahit.Sed neque tolerandi sunt,qui iisdem sibi subiectis religiosis pro vino, cibo aut vestimentis certam viritim pecuniae summam attribuunt ; ii dum temporarium compendium se facere putant, non leve animarum suarum dispendium patiuntur, quandoquidem nihil aeque disciplinae monasticae primaevae religionis institutioni et antiquorum decretis patrum inimicum et adversum existit. Quare praesens generale Capitulum graviter monet itemque serio praecipit, supradicta victum, amictum cunctaque necessaria ab his quorum interest subditis sibi religiosis prompte, liberaliter et in propria qualitate deinceps nulla rerum eiusmodi in nummarias particulatim assignatas summas facta commutatione suppeditari et administrari.

13. *De eleemosinis erogandis.*— Sancte idem monet ac iubet praesens generale Capitulum frequentes pro modo faculatum in Ordinis monasteriis eleemosinas ac pias largitiones ex eo quod victui ceterisque necessariis rebus supererit, fieri. Plane enim convenit eos qui largitate piorum hominum maiorumque laboribus sustentantur, in egena Christi membra magnificentiores ac benigniores existere tamquam sine flagitio id ipsum negligi aut amitti nequit, paupertatem enim professis nihil superflui reliquum esse debet, usque illud Prosperi verissimum, Ecclesiam Christi quod habet cum nihil habentibus habere commune.

14. *Ne abbates aut abbatissae ad audiendum terminandumve computationes in suis monasteriis officiarios principum aut deputatos admittant.* — Monasteriorum religiosorumque locorum bona cultui divino semel dicata, in profanos et alienos usus convertere, non modo non licet sed etiam impietate non caret ; ob idque iuxta piorum fundatorum minime frustrandas aut invertendas intentiones, eadem bona per regulares dumtaxat personas et administrari et legitime expendi debent. Unde praesentis sanctionis diffinitione, abbatibus et abbatissis accurrate inhibetur ne posthac quod perverso more in nonnullis monasteriis Ordinis inolevit, quocumque praetextu etiam conservationis seu advocatiae, ut vocant, quam in eiusmodi monasteriis praetendunt officiarios prin-

cipum ac commissarios ad audiendum computationes admittere praesumant, sub poena arbitrio patris visitatoris aut alterius superioris ipsis imponenda ac sub censuris Ordinis ipso facto incurrendis.

15. *De habitu abbatum et quorumvis monachorum immodesto.* — Christianae paupertatis nuditatem perfectiorisque statum pietatis nuncupato voto professos, et qui quo securius expeditiusque Christum nudum nudi ipsi consequentur mature, ad exemplum prudentissimi Ioseph saeculi pallium in manibus dominae aegyptiae reliquerunt, ita quidem in omni cultu ac exteriori corporis ornatu ad modestiam, simplicitatem, frugalitatemque attemperatos esse debet, nulla ut in eis species, nullum vestigium luxus, fastus humanaeque ostentationis argumentum appareat, quod quidem pater prudentissimus D. Bernardus haud dubie voluit, cum iubet, ita se habeant, ita se exterius componant monachi, nihil in eis ut sit quod intuentium oculos merito offendat. Quare cum promotore deferente graviter acceperit praesens generale Capitulum complures monachos existere, in quibus et abbates, quos regularis conversationis exemplo ceteris praelucere oportuit, qui levitate mundana induti haud convenientem suae professioni habitum gerant, collaria et brachialia in indusiis saeculari more rugata circumferant eaque petulantius in exteriores vestimentorum oras reiiciant et replicant. Quin etiam quod multo gravius est, impudenter monachali habitu reiecto totos se in modum saeculares componant et vestiant. Eam impudentem vanitatem volens idem generale Capitulum a quibuscumque Ordinis personis longissime abesse, superioris generalis Capituli constitutionem, qua eadem damnata est vanitas, renovat, ordinat et statuit, ut si quis monachorum, ut supra dictum est, sese componere vestireque praesumpserit, eo ipso facto excommunicationis censuram incurrisse censeatur.

16. *Nemo habitum seu in forma seu in colore distinctum ab eo qui ab antiquo hucusque in Cistercio fieri consuevit gestare praesumpserit.* — Multo minus licebit novam habitus formam seu colorem in Ordine inducere, siquidem nihil temeraria et propria praesumptione innovandum, et uniformitas, in qua vinculum pacis concordiaeque fraternae continetur, a patribus et iam olim constituta et iniuncta violanda non est ; ob idque is color et vestimentorum forma ab omnibus citra exemptionem retineatur, quae a vetustis temporibus ad haec usque tempora in monasterio Cistercii inviolabiliter conservata reperitur.

17. *Abbates in Ordine neophiti a visitationis munere abstineant tantisper, dum Ordinis statuta et cerimonias probe calluerint.* — Ea est conditionis humanae imbecillitas, ut nemo magister sit antequam fuerit discipulus, nemoque alios docere queat quod prius non didicerit. Abbates igitur et qui ad Ordinem noviter recepti sunt, plane instructi in cerimoniis et statutis Ordinis haud praesumant visitationis officio

fungi, donec eiusmodi cerimonias seu Ordinis constitutiones perfecte didicerint et calluerint.

18. *Monachi extra monasteria sua stare non permittantur.* — Et stabilitatis promissae et nominis quo appellantur ratio postulat ut suis in monasteriis monachi contineantur, ubi debitum ex suae professionis obligatione officium Deo persolvant. Quo fit ut praesens generale Capitulum districte omnibus abbatibus et quibuscumque animarum praelatis inhibeat, ne suos monachos extra monasteria degere, curam animarum exercere, et alia munera seu officia statui monastico non congruentia administrare, nisi forte ea monasteria habeant ecclesias parochiales aut grangias sibi incorporatas, quas per dictos suos monachos regere poterunt.

19. *Commissarii et deputati a Capitulo generali ad supplendam patrum abbatum negligentiam, administratae a se provinciae rationem reddere non omittant.* — Ne malum correctum augescat ac potius ut quisquis expleti legitime sui muneris promeritam reportet laudem, statuit praesens generale Capitulum, ut commissarii et deputati ad supplendam patrum abbatum negligentiam, de administrata a se provincia de actis seu gestis in suis commissionibus rationem reddere non negligant neque omittant.

20. *Abbatissae patrem confessarium Ordinis, cui moniales soli confiteri teneantur habeant.* — Paterna generalis Capituli sollicitudo in monasteria sanctimonialium hac impensiore cura intendit, quod hic sexus infirmior lapsuique magis obnoxius existat, ob idque propter cetera quae hactenus in commune quibuscumque animarum rectoribus Ordinis observandum constituit, illud specialiter abbatissis praecipit et iniungit, ut suis in monasteriis perpetuo patrem confessarium habeant prudentem virum, moribus et doctrina maturum, qui dubias conscientias solerter excutere, turbatas sedare, prostratas erigere, infirmiores confirmare optime noverit ; isque non nisi de Ordine sumatur, cui etiam sibi omnes moniales et regulares eorumdem monasteriorum personae confiteri teneantur.

21. *Nemo in claustra monialium ingrediatur.* — Post crebras easdemque saepius iteratas de sanctimonialium clausura, et vetito quarumcumque personarum in claustra earumdem sanctimonialium ingressu sanctiones, tum a Sede Apostolica tum patribus Ordinis constitutas, cogitur etiam nunc praesens generale Capitulum ob ingentem earum neglectum hac diffinitione statuere, sicut etiam statuit et diffinit, ut deinceps abbatissae omnes suas moniales diligenter in suis claustris contineant, neque quemquam in eiusmodi claustra ingredi permittant aut patiantur. Quod si secus faxint, ad triennium eaedem abbatissae a sua dignitate abbatiali suspendentur, ac in aliud monasterium sui Ordinis transferentur.

22. *Abbatissae non permittant in suis monasteriis, ut quaeque monialis suam habeat ancillam.* — Ad haec numerosa illa pedissequarum familia, quae damnanda consuetudine in nonnulla monialium Ordinis nostri monasteria introducta est, in quibus moniales suas habent famulas et ancillas, cum non exiguas in domibus pacis et silentii turbas saepe numero excitet, ac inde etiam non leve gravamen dictis monasteriis incumbat, et quantum istud accedit, tantum piis egenorum eleemosinis decedat. Praesens generale Capitulum desiderans cuncta quae ad suam sollicitudinem pertinent, in meliorem formam restituere, hortatur abbatissas et eisdem praecipit, ut tantum famularum examen diutius in suis domibus residere non patiantur, sed illud satis esse debet si in commune conversarum suarum aut saecularium ancillarum ministerio utantur.

23. *Monachi non frequentent saeculares, aut cum eisdem ludant.* — Levium personarum saeculi et eorum qui adhuc mundo militant conversatio seu frequentatio monachis semper damnosa existimata est, ab antiquis etiam patribus gravissime reprehensa; illi enim cum dissimili plane studio sint, aegre fit, quin eorum crebra cum dictis monachis colloquia et consortia, tamquam si picem tractes, aliquid imprimant, quod mores simpliciores et modestos avertat et coinquinet, atqui quod non citra gravem dolorem praesens generale Capitulum intellexit, non desunt monachi in illustrioribus etiam monasteriis Ordinis, qui fastidio suorum confratrum et modestorum hominum sodalitio, intimas potius levissimo eiusdem saecularium hominum genere familiaritates ineunt, unde eos in illa ipsa monasteria alliciunt, cum quibus et ludere audent et praesumunt. Eum errorem seu abusum eo studiosius quo gravius inde personis religiosis totique Ordini periculum imminet, idem generale Capitulum supprimere cupiens praesenti diffinitione statuit et ordinat ut nemo dehinc monachis quocumque officio fungatur cum praefatis levibus personis saecularibus familiarius quam par sit conversetur,aut etiam seu in monasterio seu alio loco ludere cum eisdem audeat, qui secus, quod absit, faxit, praesentisque decreti violator extiterit, disciplinae regulari subiaceto, et incarcerationis poena arbitrio superioris proroganda et terminanda plectetur.

24. *Monachi et moniales non capiant victum a saecularibus, sed a regularibus.* — Prohibita iam regularibus Ordinis personis saecularium hominum conversatione, multo minus praesens generale Capitulum permittit ut eaedem personae seu monachi seu moniales a saecularibus victum accipiant, quem a regularibus solis accipere debebunt.

25. *In monasteriis commendatis monachorum pensio per cellerarium ministretur.* — Perversus abusus et omnino regulae nostrae contrarius in quibusdam monasteriis commendatis invaluit, ut pensio seu assignata bonorum portio pro sustentandis monachis duobus vel pluribus ex

dictis monachis detur ad censum vel ad firmam, ut vocant, quam de cetero vult generale Capitulum et iubet ut per cellerarium,a quo tamquam a patre monasterii cuncta necessaria petere et sperare monachos oportet, dispensetur et administretur.

26. *Prior et subprior non sint bursarii communitatis, nec curam habeant vestiarii.* — Ne extranea cura abstrahantur prior et subprior, quominus legitime et expedite crediti sibi spiritualis muneris partes exsequantur, nunquam instituantur bursarii communitatis, neque cura vestiarii eisdem committetur, in quibuscumque Ordinis monasteriis, et si quidem instituti in huiusmodi officiis fuerint, ab his absolventur, ac in eorum locum alii a communitate subrogentur, qui per dictos priorem et subpriorem compelli liberius poterunt, ut quod sui erit officii rite expleant et prosequantur.

27. *De scholasticis ad collegium mittendis* [d].— Inscitia cum omnium hominum generi damnosa, tum vero homini monacho, concinendis laudibus divinis, rerumque coelestium contemplationi destinato, maxime perniciosa existit, neque enim abs re tam diligenter prudentissimus noster legislator D. Benedictus tunc etiam temporis cum monachi labori manuum erant intenti, in eoque plurimum occupabantur, certas diei horas deligi voluit, quibus iidem monachi sacrarum litterarum lectioni operam navarent et incumberent. Sed quantum hoc teterrimum monstrum et in singula Ordinis monasteria et in universum Ordinem detrimenti importavit, non tam praeteritorum quam praesentium malorum cum quibus conflictamur acerbitas ostendit, ad conficiendam itaque tam pestilentem hydram, suumque Ordinis pristinum nitorem, quo olim tamquam lucidissimum astrum toto pene orbe collucebat, restituendum, praesens generale Capitulum omni quo potest studio intendens praesenti constitutione decernit, statuit et ordinat, ut ex unoquoque Ordinis monasterio unus ad minimum iuvenis religiosus, qui prae ceteris modestus et bonae expectationis existat, ad collegium nostrum quod est Parisiis, impensis eiusdem monasterii mittatur, ubi quaecumque ad eius studia fovenda pertinebunt liberaliter et prompte ab eodem suo monasterio ei suppeditabuntur. Et nihilominus in singulis suis monasteriis institutor vir bonus seu regularis seu saecularis habebitur, qui religiosis in monasterio remanentibus instituendis desudabit.

28. *Monachi non recipiant ordinem presbyteratus ante annum vigesimum quintum.* — Sacrosanctis ac tremendis quae in christianorum altari tractantur mysteriis idoneos, et qui per aetatis immaturitatem eorum dignitatem maiestatemque assequi non possunt promovere, non impium modo, sed etiam execrandae blasphemiae specie haud

---

[d] *Cf. nota b.*

carere videtur, quo studiosius hic abusus nimis licenter hactenus in monasteriis Ordinis grassatur, extinguendum est. Quocirca praesens generale Capitulum, decretis sacri Concilii Tridentini sese conformans hac perpetua sanctione diffinit, ut nemo ex personis Ordinis posthac ad presbyteratus ordinem recipiendum mittatur, antequam vigesimum quintum aetatis suae annum attigerit, sub poena excommunicationis ab abbate seu loci superiore incurrenda.

29. *De spuriis non admittendis ad Ordinem Cisterciensem.* — Praetereaquam quod vetus Scriptura monet ut manser non ingrediatur in Ecclesiam Dei, variae tumultuationes in compluribus Ordinis monasteriis ortae faciunt, ut praesens generale Capitulum spurios omnes et natalium defectu laborantes iubeat ac praesenti diffinitione statuat, non esse deinceps ad Ordinem recipiendos aut admittendos.

30. Praesentis etiam generalis Capituli auctoritate renovatur diffinitio, quae incipit *Perversorum*, ut constituta in Capitulo generali celebrato anni Domini 1562.

31. Quia notarii abbates non expediunt communiter acta Capituli generalis ante diem sui recessus, hinc est quod idem Capitulum communem cum ipsis potestatem tribuit secretariis Rmi domini generalis, ad expediendum et signandum quaecumque in eo conclusa fuerint, quibus etiam expeditis et signatis non minorem fidem adhiberi vult, quam si per dictos notarios abbates expedita et signata essent.

32. Nulli nostri Ordinis licet accedere principes, magnates vel alios, qui de Ordine non sint, ad rogandum superiores pro obtinendo aliquo officio in Ordine, idque sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda et inhabilitatis ad quaecumque dicti Ordinis officia.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

33. Delata est querimonia praesenti Capitulo generali ex parte promotoris Ordinis, quod patres congregationis Tusciae et Lombardiae, Ordinis nostri in Italia, non ita pridem perpetuitatis in praelatura gratiam obtinendo inconsulto generali Capitulo [e], vel Rmo D.N. generali, a SS. D. N. Gregorio Papa XIII, in eiusdem perpetuitatis bulla nonnulla sunt, quae in Ordinis praeiudicium vergunt. Primum. Capitulum suarum provinciarum Generale vocant, cum tamen in toto Ordine nullum vocari debeat nec sit generale Capitulum, quam quod in Cistercio ab omnibus Ordinis abbatibus ex omnibus provinciis convocatis generaliter celebratur. Praeterea quod in eadem bulla expressa sit clausula quae talis est : « Quod si contigerit aliquem commendatarium monasteriorum Ordinis praedicti monasterium sibi commendatum

[e] *Cf. nota b.*

reformare et mansas peculiares et separatas in bonis assignare per litteras apostolicas iuxta consuetudines congregationis talia monasteria sub regulari observantia esse per totam Italiam praedictae congregationis et annexa provinciae viciniori censeatur, prout litteris Alexandri et Iulii praedecessorum praedictorum desuper confectis continetur. » Quae sane clausula aperte repugnat concordatis inter ipsum generale Capitulum et praedictas congregationes per D. N. Pium IV approbatis et confirmatis quibus omnes clausulae in ipsis Iulii II litteris contentae contra communem Capituli generalis auctoritatem facientes cassantur et revocantur. Denique quod in eisdem concordatis continetur, quod nuntii seu procuratores praedictarum congregationum deinceps singulis quadrienniis quaecumque acta quae in suis congregationibus pro tempore determinata forent, per ipsum generale Capitulum approbanda vel reprobanda offerre tenerentur, et si hoc cessante legitimo et inevitabili obstaculo, de quo nihilominus fidem eidem Capitulo facere tenerentur, adimplere differrent, et ipso absque alia declaratione poenam triplicae contributionis totius summae unius anni monasteriis congregationum huiusmodi impositae ipsi generali Capitulo applicandam incurrerunt. Cui concordiae et conventioni praedictus promotor praedictas congregationes contravenisse asserebat, eo quod in praesenti Capitulo generali neque in alio nuntii vel procuratores illarum obtulerunt praefatam perpetuitatis bullam, neque in ea quae acta fuerunt in earum capitulo provinciali anni 1583, ut quod in eis esset Capitulum generale approbaret vel reprobaret, iuxta praedicta concordata. Propterea requirebat declarari per praesens Capitulum generale, praedictas congregationes incurrisse poenam triplicatam contributionis per praedicta concordata contravenientibus imposita. Verum auditis abbatibus S. Martini Parmensis et Morimundi Mediolanensis, praedictarum congregationum nuntiis et procuratoribus ad ipsum Capitulum delegatis, quod nihil eorum quae obiecta sunt, factum fuerit malo animo neque dolose, neque in Capituli generalis contemptum, neque in praefatorum concordatorum fraudem, sed se et alios earumdem congregationum patres paratos esse semper ad reddendum ipsi Capitulo generali Rmoque D. generali obedientiam. Praesens generale Capitulum benevole cum his agens, poenam praedictam triplicatae contributionis, quam incurrerunt aut incurrere potuerunt praedictis concordatis contraveniendo, illis indulget et condonat. Nihilominus per eos admonet praesidentem aliosque patres regiminis praedictarum congregationum, ut infra annum sub eadem triplicatae contributionis poena procurent apud Sedem Apostolicam ea emendari, quae in praedicta suae perpetuitatis bulla praefatis concordatis repugnant ; suumque capitulum

---

[f] *Cf. nota b.*

non iam *Generale* sed *Provinciale* adscribant. Quae vero acta fuerunt in suis capitulis provincialibus praedictorum annorum 1579 et 1583 communicent et exhibeant procuratori generali in Curia, qui quae in eis iudicaverit approbabit vel reprobabit absque perpetuitatis eorum praeiudicio, habita in omnibus disciplinae nostrae regularis ratione, servataque cum ipsis congregationibus fraternae charitatis unione atque concordia. Porro eidem procuratori generali praesens generale Capitulum committit et mandat, ut ad praesentis statuti executionem, si opus fuerit, illustr. ac Rmi domini cardinalis protectoris favorem et auxilium imploret.

34. *De monasteriis Belgii dirutis.* — Exposuit praesenti generali Capitulo abbas Camberonensis, Vicarius Rmi abbatis Cistercii in partibus Belgicis, per suum assessorem, complura Ordinis monasteria in dictis partibus Belgicis bellorum ibidem grassantium furore penitus collapsa et diruta esse. Unde humiliter idem petiit ab eodem Capitulo constitui, quid de huiusmodi monasteriis, reddita per Dei optimi maximi gratiam superiorum temporum tranquillitate, fieri debebit. Quare praesenti diffinitione idem Capitulum ordinat et statuit, ut quorum monasteriorum sufficientes erunt proventus ad commodam reparationem, ea reaedificentur. Quorum vero minus sufficientes erunt proventus, ea vel duo vel tria uniantur, ut ex illis unum restituatur; idque tam de monasteriis virorum quam mulierum constitutum putetur. Nihil tamen fiat inconsulta regiae catholicae Maiestatis auctoritate, vel Illustr. principis eiusdem regiae Maiestatis in dictis partibus vicegerentis Celsitudine.

35. Item, praesens generale Capitulum considerans quam non sit contemnendum sed necessarium rei familiaris vectigal diligens nemorum conservatio, prohibet omnibus religiosis consensum ut dicta nemora seu silvae alienentur profusiusque detrahantur, deinceps praestare praesumant.

36. Porro quia tot negotia alia super aliis emergentia brevi tempore expediri non possunt, praesens generale Capitulum reliqua eiusdem generalis Capituli eiusmodi negotia remittit Rmo abbati Cistercii et quatuor filiabus, necnon ceteris abbatibus qui proximis diebus erunt Divione decidenda et expedienda.

DIVIONE DIFFINITA

37. Audita supplicatione abbatis de Populeto et diligenter ponderatis rationum gravissimarum momentis, quibus eiusdem abbatis piis erga Ordinem amicitiis ad eam supplicationem praesenti generali Capitulo praesentandam motus fuit, idem Capitulum aequissime eiusmodi petitioni favorabiliter inclinans, praesenti decreto statuit

ut aedificetur et erigatur collegium in urbe Valencia, ubi dicta abbatia de Populeto domum habet, in qua dictum collegium impensis monasteriorum provinciae Hispaniae erigatur, iisdem regulis et constitutionibus, quibus S. Bernardi collegium apud Parisios, regatur et constituatur, in plenaria, etc.

38. *Abbatum electiones.* Abbates et abbatissae iuxta antiquam formam eligendi sacris canonibus et antiquorum patrum constitutionibus comprehensam deinceps eligantur, non per schedulas, sed viva voce, et si quidem electio fiat via scrutinii, eligentium nomina non publicentur.

39. Ad notitiam Capituli generalis pervenit, in nonnullis monasteriis Ordinis sacerdotes in fine missae dicere varias orationes, omissa lectione evangelii divi Ioannis *In principio*; quam ob rem idem Capitulum ordinat, ut de cetero priusquam sacerdos albam deponat, dictum evangelium pronuntiet.

40. *Pro abbatibus defunctis.* — Rationi consentaneum est, ut qui plus ceteris in vinea Domini laborant, majorem accipiant retributionem, non solum a Deo sed etiam ab hominibus, qui secundum Apostolum duplici honore digni sunt. Quare praesens Capitulum decernit, ut pro una missa, quae consuevit pro religioso simplici dici, in morte abbatis dicantur tres missae, una de Spiritu Sancto, altera de B. V. Maria, postrema pro defunctis; ac in fine anni etiam tres aliae missae celebrabuntur. Campanae item omnes pulsabuntur, et luminaria aliquantulum copiosiora quam pro ceteris ponentur.

41. Posteaquam placuit Illmo ac Rmo D. N. domino Ludovico cardinali d'Estensi, tituli S. Mariae in Via lata, nostri Ordinis protectionem apud Sedem Apostolicam suscipere, pro insigni sua pietate animum adiecit ad ea quae afflictis rebus ipsius Ordinis aliquo meliore loco constituendis, maxime necessaria sunt, et probe intelligens quas quantasque difficultates erudiendae iuventutis in plerisque monasteriis non modo in his Galliae partibus, verum etiam in aliis provinciis, praesertim vero in Italia, commendae attulerunt. Huic tam pernicioso malo Ordinem nostrum propemodum opprimenti nullum hoc tempore remedium efficacius nec opportunius adhiberi posse iudicavit, quam si in alma urbe Roma publicum et generale totius Ordinis seminarium erigatur. Unde delegare dignatus est ad praesens generale Capitulum tamquam nuntium suum dilectum in Christo filium Edmundum de Cruce, monasterii Claraevallis religiosum, s. th. pr., in Italia tunc Ordinis commissarium, qui Illustr. et Rmae D. S. nomine ipsi Capitulo exposuit, eam ad eiusmodi seminarii erectionem petendam moveri, quod in tali seminario ex omnibus omnium provinciarum partibus et monasteriis iuniores monachi ad capescendas litteras idonei in omnibus pietatis et bonarum artium

studiis observantiisque nostris regularibus diligenter instituentur cum magno ipsius Ordinis fructu et decore, in publica totius Ecclesiae luce, in conspectu Apostolicae Sedis, sub fidelium omnium communi Parente, ac velut communi omnium patria Roma, ad quam omnibus nationum omnium monachis nostris liber ac securus semper patebit aditus, et in quam Pontifex maximus suprema sua auctoritate ad ipsum seminarium, quos in eo institui expediet, undequaque facile vocabit, compelletque ad mittendum quorum intererit; et his vero quos recte institutos viderit, ut spes est, promovebit eorum opera in Ecclesiae servitiis utetur et monasteriis Ordinis praeficiet. Atque inde incitatus ipsum Ordinem maioribus gratiis et favoribus prosequetur; distracta ab eo monasteria restituet, iuraque nostra, immunitates et privilegia illaesa integraque conservabit. Praeterea cum Romae non sit locus peculiariter ad hoc destinatus, ut in ea regulares Ordinis personae habitent et hospitentur, sed in privatis et conductitiis aedibus, quod est indecens, ea erit ipsius seminarii commoditas et amplitudo, ut intra eius clausurae ambitum praeter alumnos scolares eorumque praeceptores, officiarios et famulos, procurator generalis Ordinis in Curia, et si qui alii procuratores et sindici monasteriorum eiusdem Ordinis ibidem morari debuerint, residebunt. Aliae vero personae Ordinis cuiuscumque nationis, abbates, praelati et monachi, qui vel ex mandato vel ex licentia suorum superiorum illuc se conferent hospitio excipientur. Denique eiusdem seminarii publica commoditate et generalitate veluti medio quodam et vinculo aliarum nationum monasteria in huius Cisterciencis corporis compagine, unione et communione, sub obedientia sui capitis aliorumque superiorum certius et facilius continebuntur; unde tam pium et necessarium institutum ut ad effectum quamprimum perducatur, referebat praedictus nuntius Illustr. ac Rmum dominum protectorem iam a Pontifice maximo monasterium Sanctae Suzannae in eadem alma Urbe ipsi seminario erigendo aptissimum impetrasse, ac ipsum de proventibus ad praeceptores, ministros, aliosque famulos, aedificiorum reparationes, ceteraque ad communem ipsius monasterii usum pertinentia duarum abbatiarum ipsius Ordinis unione eidem seminario auctoritate apostolica facienda, dotare constituisse. Quia tamen praeter ecclesiam nulla in eo monasterio sunt regularia aedificia, idcirco requiri ex communibus Ordinis sumptibus ea loca, videlicet claustrum, dormitorium, refectorium, infirmitorium, aliaque regularibus observantiis et supradictis omnibus in eo commoraturis hospitaturisque aedificia necessaria, quae quia multa, magna, solida et decentia esse debent, peritorum aestimatione non minori quam viginti millium aureorum summa extrui perficique posse compertum est. Verum Sanctissimum Dominum Gregorium XIII summam

eam duobus aureorum millibus iuncturum. Item, congregationes Tusciae et Lombardiae quatuor millia capituli sui provincialis decreto contribuere statuisse. Tandemque ad complenda praedicta viginti millia, quatuordecim millia quae restant ex singulis monasteriis Ordinis esse colligenda. Itaque iis et aliis iustissimis rationibus a praedicto nuntio propositis, ac mature consideratis prudentissimo Illustr. et Rmi domini cardinalis protectoris iudicio eximia quadam erga ipsum Ordinem benevolentia plenissimo, praesens generale Capitulum ea qua decet submissione morem ferens, salutare illud communi totius Ordinis seminario Romae erigendo institutum reverenter complectitur, ac pro novo hoc et illustri beneficio, quo Illustr. et Rma D. S. cum immortali sui nominis memoria et gloria Ordinem ipsum vult demereri, quantas potest maximas ei agit gratias, sanctaeque suae intentioni acquiescens inhaerensque laudabili consuetudini antiquitus in Ordine receptae, secundum quam totus pro publico et communi Ordinis beneficio, quale istud futurum est, insignis summa aliqua facienda fuit, charitativum, ut vocatur, pro ea subsidium contributio a singulis Ordinis monasteriis et Capituli generalis decreto exigenda fuit, statuit, diffinit et ordinat, praedicta quatuordecim aureorum millia distribuenda esse, colligenda et exigenda eo modo quo sequitur ; videlicet ex monasteriis quae sunt in hoc Franciae regno, in Lotharingia, Sabaudia, comitatu Burgundiae, Leodio, et quae in Flandriae provinciis praesentibus bellorum oppressa tumultibus non fuerunt, octo aureorum millia. Ex his quae sunt in Hispaniis et Portugallia, octo aureorum millia. Ex his quae sunt in Austria, Bavaria, Franconia, Suevia, Helvetia, Alsatia et aliis Germaniae provinciis, duo millia. Ex his quae in Polonia, Bohemia, Moravia, Silesia et Lusatia, mille. Ex his denique quae in Italia provinciis extra dictas Tusciae et Lombardiae congregationes, mille. Hae autem taxae per [g] Rmum dominum generalem, vel per commissarios iis in partibus delegandos distribuentur super omnia monasteria, etiam commendata et unita, non super mansas conventuales ubi constitutae sunt, sed super reliquos monasteriorum proventus, et id quidem vel per multiplicationem contributionum cuiuscumque monasterii annuatim ipsi Capitulo generali debitae vel alio meliore modo, qui [h] praefato domino Rmo Cisterciensi videbitur, habita praedictorum proventuum cuiuscumque monasterii ratione ; comprehensis monasteriis monialium, in quorum etiam commodum illud seminarium cedet, quibus de idoneis et bene instructis confessariis providendum est. Quae tamen tenues habebunt redditus, a contribuendo excusari poterunt, ab aliis vero minus quam a religiosorum monasteriis, licet

[g] *Cf. nota b.* [h] *Cf. nota b.*

fortasse pares haberent redditus, exigatur. Harum autem sic distributarum taxarum summas et earum praefati commissarii intra praefixum tempus colligent, et collectas pecunias per viam banchariam Romam perferri curabunt [i]. Ac ne qua in hac re fraus et dolus interveniat, iidem illi receptores cautiones de eiusmodi receptis summis praebebunt. Ceterum praesens generale Capitulum committit patri procuratori generali in romana Curia, ut cum favore et gratia Illustr. ac Rmi domini cardinalis protectoris, a sancta Sede Apostolica praedictum ipsi seminario destinatum monasterium cum eius ecclesia, domibus et aedificiis, hortis aliisque pertinentiis incorporari Ordini eique perpetuo uniri, modo, forma et conditionibus quibus necesse fuerit, eiusdem vero seminarii dispositionem officiariorum eius institutionem, omnia denique ad eius regimen spectantia committi ac reservari Rmo domino generali, aliisque quatuor primis eius filiis abbatibus, prout in collegio S. Bernardi Parisiensis idem illis commissum ac reservatum est. Et quatinus ad praesentis decreti executionem, si qui huius tam utilis et necessariae rei consideratione, aut etiam Ordinis auctoritate non movebuntur, quo per censuras et alia iuris remedia cogi possunt, praesentis decreti confirmationem obtineat. Alii autem commissarii, sicut praefertur, deputandi et eorum quisque in suis provinciis, ubi expediens fuerit, a serenissimis regibus, ducibus, principibus, magistratibus, in primis vero a christianissimo rege, huius Cisterciensis monasterii, omnium aliorum ipsius Ordinis monasteriorum matris fundatore ac tutore, idem decretum litteris suis patentibus et Parlamentorum suorum edictis approbari confirmarique, cum potestate compellendi omnes et singulos quorum intererit, ad impositae sibi taxae solutionem, etiam per proventuum sequestrationem procurent, efficiantque quantum quisque pro virili sua poterit, ut debitae executioni realiter cum effectu demandetur. Quia vero ea omnia sine sumptibus fieri nequeunt, si qui fient procedendo contra solvere recusantes, ipsi ad eosdem integra refundendum erunt cogendi. Alii autem qui in ipsius contributionis collecta fient, ex eadem contributione proinde ad eorumdem sumptuum rationem augenda fuerit, deducentur. Admonentur tamen ipsi commissarii, ut in his quanta poterunt moderatione utantur, officiumque istud fideliter ac prudenter administrent. Quamprimum autem in eodem seminario habitandi fuerit commoditas et praeceptores habebuntur, ex triginta fratribus singulorum monasteriorum tres, ex viginti duo, ex sexdecim similiter duo, ex decem vero unus, atque etiam plures, si videbitur, ubi eorum numerus excreverit iuniores fratres professi ad studia sine quavis tergiversatione in pietatis

---

[i] *Cf. nota b.*

et optimarum litterarum studiis, cultu divino, ritibusque et cerimoniis Ordinis, secundum institutum, modum et formam praedicti collegii S. Bernardi Parisiensis, educandi et instituendi cum sufficientibus pensionibus mittantur, ad quod atque ad omnia et singula in praesenti decreto contenta et ab his dependentia. Quod ut executioni cum effectu demandentur, abbates tam regulares quam commendatarii, aliique monasteriorum priores et praefecti ac omnes Ordinis personae per Rmum dominum generalem aliosque superiores per procuratorem generalem in Curia commissarios et visitatores et alios auctoritatem Ordinis habentes, per omnes iuris et iustitiae vias et remedia, invocato in omnibus et per omnia, ubi opus fuerit, saecularis brachii auxilio, consilio et favore, compellantur, in plenaria, etc.

42. Diffinitiones novissimo generali Capitulo anno 1578, die vero 28 mensis aprilis factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

43. Cum totus Ordo noster Cisterciensis universaque membra tam in communi quam in particulari iuste domino abbati et conventui Cisterciensi teneatur et sit obligatus in summa 23000 florenorum de antiquo debito, sicuti constat per litteras patentes desuper die 13 mensis aprilis anno Domini 1390 confectas, dictas litteras praesens generale Capitulum ratificat et approbat in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES

44. Cum generali Capitulo summo suo dolore relatum fuerit, multa monasteria in partibus Belgicis vastata et diruta esse praecedentibus bellorum tumultibus, ex quo tam abbates quam religiosi, abbatissae et moniales maximis urgentur necessitatibus, neque his succurri posse vident, nisi per alienationem aliquorum bonorum mobilium vel immobilium, quod fieri tuto minime posset, nisi huius generalis Capituli auctoritas interveniret, proindeque humiliter requisierint dicto Capitulo generali, ut super his de opportuno illis provideretur remedio, ut ipsi abbates et religiosi, abbatissae et moniales possint Deo sedulius inservire, illisque tollatur devagandi occasio, praesens generale Capitulum eidem incommodo succurrere cupiens, et ut dicti abbates et religiosi, abbatissae et moniales commodius Deo inservire possint, regulariaque statuta observare, committit abbati de Camberone, ut de praefatorum monasteriorum necessitatibus diligenter informet et inquirat, quibus cognitis ipsis concedendo vendendi, alienandi ad censum, dandi seu impignorandi quaedam dictorum monasteriorum bona immobilia, et contractus super praedictis venditionibus, alienationibus aut impignorationibus factos aut faciendos auctoritate dicti Capituli generalis confirmando, approbando et ratificando. Et ut ad id facilius

et commodius dictus de Camberone vacare et intendere possit, dictum generale Capitulum confirmat et approbat vicariatum antea per Rmum abbatem Cisterciensem eidem abbati de Camberone concessum, in plenaria, *etc.*

45. Communis nostrae unitatis simplicitas tantis nunc est exposita periculis et assuetis destituta auxiliis et subsidiis, ut nisi provido cautum fuerit remedio, ad interitum res nostrae publicae privataeque inclinare videantur. Quo circa praesens generale Capitulum fratrem Thomam Buss, religiosum professum praefati monasterii nostri de Cistercio, de cuius zelo, experientia ac morum probitate confidit, promotorem et sindicum Ordinis Cisterciensis nominat, creat, instituit et ordinat in partibus Flandriae, Brabantiae, Frisiae, Namurci, Leodii, Arthesii, Gueldriae, Hollandiae, provinciisque adiacentibus, illique dat auctoritatem, potestatem omnes et singulas causas in universis litibus ... *etc. ut in forma consueta.*

46. Propositum fuit Capitulo generali, multa praeter Ordinis instituta et contra officium pastorale commissa fuisse hucusque per abbatem monasterii S. Bernardi prope Scaldim, qui pro intruso ab omnibus habetur, praesens generale Capitulum cupiens superbis provideri, committit abbati de Camberone ad informandum de omnibus et singulis, quae sibi adversus dictum intrusum proponentur, factaque diligenti omnium inquisitione, procedat contra dictum intrusum usque ad sententiam diffinitivam inclusive, in plenaria, *etc.*

47. Committitur abbatibus de Morimundo et de Fristorf ad informandum de omnibus et singulis quae sibi adversus abbatem et religiosos Vallis Sanctae Mariae de Stultzbrun proponentur, et procedant ad reformationem dicti monasterii tam in capite quam in membris, secundum statuta, regulas et constitutiones Ordinis nostri, in plenaria, *etc.*

48. Abbati de Theoloco et priori de Bullione praesens generale Capitulum committit, quatinus super alienatione facta per quondam Rdum D. Guillelmum de Roupet, Sanctae Sedis Apostolicae protonotarium, abbatem commendatarium abbatiae de Balerna et religiosos eiusdem, defuncto Hugoni de Canoz dum viveret scutifero, cuius domicella Philiberta de Albamey eius vidua haeres extitit, cuiusdam stagni vulgariter dicti l'Etang des Mortes, mediante censu annuo quatuor francorum annuatim die divi Martini hiemalis receptori dictae abbatiae solvendo, sub poena trium solidorum stephaniensium, et de commodo vel incommodo ex eadem resultante se diligenter informent, et dicta informatione facta in manibus Rmi D. abbatis Cisterciensis remittant approbaturi vel improbaturi dictam alienationem, prout illi expedire de iure videbitur.

SUPPLICATIONES

49. Supplicationi abbatissae et religiosarum monialium abbatiae divae Mariae du Trésor vulgariter nuncupatae, in Rothomagensi dioecesi, petentium sibi licere in die festivo sanctorum Iacobi et Christofori post decantationem maioris missae, aliam missam celebrari facere in favorem viatorum ibidem affluentium, ratione indulgentiarum a Pontificibus dictae ecclesiae ea die concessarum, citra tamen divini officii in eadem ecclesia celebrari soliti praeiudicium. Praefatum generale Capitulum eamdem petitam licentiam supplicantibus praedictis concessit et permisit, in plenaria, etc.

50. Supplicationi abbatissae de Fontaine Gérard vulgariter nuncupatae, in Rothomagensi dioecesi, qua petit sibi licere quinquaginta libras turon. ex suis propriis non autem dictae abbatiae bonis, in redditum annuum dare, et ex eodem redditu tam confessori monialium, quam etiam dictis moniliabus in eadem abbatia commorantibus, persolveretur pensio annua eorum et non abbatissae pro tempore existentis, ea tantum conditione ut singulis annis missam solemnem pro defunctis cum suffragiis solitis devote dicere et decantare teneantur. Praesens generale Capitulum dictam licentiam concessit et permisit, eamque approbavit et ratificavit, in plenaria, *etc.*

51. Super propositione facta per abbatem de Gratia Dei dicentem quod licet in praesenti generali Capitulo cum de confirmatione contractus transactionis initi inter abbatem de Bellavalle et dominum Ioannem Dandelot equitem, dominum de Mionillans, de quadam grangia vulgariter la Grange de Morchamps dicta, cum vicinis terris, pratis et aliis bonis adiacentibus ageretur, dictus abbas de Gratia Dei petiisset expresse talis contractus transactionis confirmationem a dicto Capitulo concedendam non esse, cum dicta grangia et bona adiacentia ex eadem abbatia de Gratia Dei provenirent, dataque fuissent olim in emphiteosim abbati et conventui de Bellavalle per abbatem et conventum de Gratia Dei. Non obstantibus tamen praedictis, Capitulum generale approbavit dictum contractum transactionis, salvis tamen et reservatis iuribus, praetensionibus et actionibus dicto abbati et monasterio de Gratia Dei competentibus et pertinentibus, et sine eorum praeiudicio. Cumque idem abbas pro bono suae abbatiae eamdem grangiam iuris mediis repetere et recuperare praetenderet, nihilominus tamen de dicta petitione seu contradictione nihil penitus in libro diffinitionum scriptum reperiebatur, quod tamen dictus abbas de Gratia Dei detegere non potuit, cum in praecedenti Capitulo dictus abbas de Bellavalle fuisset deputatus unus ex abbatibus notariis, qui dictarum diffinitionum librum penes se retinuisset, nec Rmo abbati Cisterciensi remisisset nisi a duobus mensibus a die praesentis Capituli generalis com-

putandis, quo factum erat ut dictus abbas de Gratia Dei exemplar dictae diffinitionis habere non potuerat. Quapropter ne ob temporis lapsum dicta abbatia de Gratia Dei damnum pateretur, sed ut facti veritas elucesceret, humiliter petebat per dictum Capitulum ordinari abbati de Clarofonte ad praesens abbati connotario per idem Capitulum deputato, eidem confirmationis diffinitioni contradictionem et petitionem praedictas addi et adiungi, ac tam de dictae confirmationis diffinitione quam contradictione praedicta sibi dicto abbati de Gratia Dei extractum decerni ubi, quando et quoties opus fuerit valiturum. Quod quidem Capitulum generale debite per plures coabbates tam in praecedenti quam in praesenti Capitulo congregatos talis contradictionis memores certius factum censens requisitionem huiusmodi fore iustam praecipit et ordinavit eidem abbati de Clarofonte, praesentis Capituli connotario, actum dictae contradictionis et aliorum praementionatorum super libro diffinitionum et in margine diffinitionis huiusmodi adiungere extractum seu exemplar per dictum abbatem de Gratia Dei petitum ipsi tradere ubi, quando et quoties opus fuerit valiturum, idque in plenaria Ordinis potestate.

52. Sequitur tenor confirmationis dicti contractus. Nos, frater Nicolaus Boucherat, ... *etc.* et est talis : Contractum transactionis initum inter Ludovicum Dutertre abbatem abbatiae et monasterii Bellaevallis ex una, et nobilem dominum Ioannem Baptistam Dandelot equitem, dominum de Myonillans, etc., ex altera, praesens generale Capitulum confirmat et approbat.

53. Sequitur tenor eorum quae ordinata fuerunt mihi abbati de Clarofonte, connotario Capituli generalis celebrati Cistercii die ultima aprilis anni a Nativitate Domini 1584, adiici debere in marginam praesentis diffinitionis. Qua quidem confirmatione petita, Stephanus abbas monasterii B. M. de Gratia Dei sese eidem confirmationi opposuit dicens, grangiam de qua agebatur fuisse in emphiteosim datam abbati et conventui de Bellavalle per abbatem et religiosos monasterii de Gratia Dei pro pensione undecim librarum stephaniensium singulis annis solvendarum ; et ideo dictum contractum non esse confirmandum tamquam suae abbatiae damnosum ; quibus non obstantibus, idem generale Capitulum approbavit dictum contractum transactionis, salvis tamen et reservatis actionibus, iuribus et praetensionibus dicto abbati et monasterio de Gratia Dei competentibus et pertinentibus sine eorum praeiudicio.

54. Viso supplici libello pro parte fratris Ioannis Bel, religiosi monasterii divae Mariae Loci d'Acey, cui praesentes annectuntur, auctoritatem vel facultatem agendi bona sibi quoquomodo spectantia repetendi, ac propterea procuratores constituendi, necnon de dictis bonis in favorem parentum suorum quandocumque voluerit disponendi,

cum approbatione eorum quae iam ex ratione facta sunt, praesens generale Capitulum concedit, ratificat et consentit in plenaria, *etc.*

55. Super requisitione facta pro parte fratris Iohannis Lambert, presbyteri prioris abbatiae de Rosières, eiusdem Ordinis, petentis diffinitionem ipsi in praecedenti generali Capitulo concessam pro revocatione, cassatione et annullatione cuiusdam donationis per eum quondam Iohanni Senostey eius nepotis factae in omnibus et per omnia innovari, confirmari et approbari, seu si necesse foret denuo concedi. Visa dicta diffinitione et supplicatione adiuncta, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum eamdem innovat, confirmat et approbat, in quantum opus sit de novo concedit, in plenaria, *etc.*

56. Pro contractu habito et inito inter defunctum Rdum D. Humbertum de Canoz, abbatem monasterii de Bullione, et D. Petrum Gallet dictae abbatiae coadiutorem, Petrum et Iacobum Piconteaul de Salinis, die tertia mensis septembris anni a Nativitate Domini 1579. Et audito domino Iacobo de Montrichard, nunc abbate dicti monasterii de Bullione, praesens generale Capitulum decrevit et statuit dictum de Montrichard et bona dictae abbatiae nullo modo teneri aut obligari ex dicto contractu, quem si apparuerit et constiterit religiosos dicti monasterii de Bullione non libere et sponte dicto contractui consensisse, pecuniasque in eo contentas in commodum vel utilitatem ecclesiae conversas non esse, irritum fore voluit. Et quatinus pro ipsius contractus cassati et annullati dictae cassationis habenda declaratione ulterius litigandum foret, eosdem religiosos a iuramentis per eos in laudatione dicti contractus praestitis absolvit, ac eis plenam concedit litigandi facultatem, non obstantibus quibuscumque consensu et approbatione, idque in plenaria, *etc.*

57. Visa supplicatione honorabilis viri Stephani Nicolai procuratoris Lingonensis, qua narravit se quibusdam anni diebus missas in monasterio Albaeripae nostri Ordinis per eiusdem monasterii coenobitas celebrandas decrevisse; sed ut iidem religiosi possint in annos posteros satisfacere piae supplicantis intentioni, a nostra auctoritate humiliter exigere, ut eleemosinae eisdem religiosis divini illius officii quotannis celebrandi gratia seu in pecunia aut aliis in redditibus contulerit, eorum conventui separatim assignatur, quo eisdem in futuros annos gaudere possint. Cuius piis votis annuentes, et pari ceterorum diffinitioni diffinimus et statuimus, ut tum dictus Nicolaus tum alii seu religiosi et saeculares possint cum dicti conventus religiosis de divinis officiis in eodem monasterio celebrandis contrahere, et dicti religiosi eleemosinas in mobilibus et immobilibus sibi laborum gratia concessas et assignatas percipere possint, nec abbatis eiusdem loci, aut in publicos monasterii proventus referre, nec praetextu eiusdem redditus

quidquam de annona ceterisque necessariis minuere poterunt, sed in superiorum considerationem eidem conventui rata perpetuo sint, in plenaria, *etc.*

58. Praesenti generali Capitulo abbas de Marciliaco proposuit praecedentibus civilium bellorum tumultibus ab haereticorum militibus omnia pene vastata fuisse atque diruta in suo monasterio, et in his maxime loca regularia, quae restaurari posse non videbat propter exiguos dicti monasterii redditus, nisi ex indulgentia dicti Capituli generalis sibi permitteretur nonnulla de bonis sui monasterii ad censum dare vel alienare. Cumque in his esset quidam boscus vulgariter dictus Le Tailly dicto monasterio pene inutilis, humiliter petebat sibi licere dictum boscum fratri Stephano Joubart, dicti monasterii religioso professo, concedere ea conditione ut claustrum dirutum de novo aedificaret, censumque centum solidorum singulis annis dicto monasterio solveret. Cui petitioni tamquam iustae et dicto monasterio perutili annuens Capitulum generale permittit dicto abbati dare et concedere usum dicti bosci dicto fratri Stephano, conditionibus praedictis, idque ad vitam tantum dicti fratris Stephani, in plenaria, *etc.*

SENTENTIAE

59. Visa et attentius pensata sententia abbatum de Morimundo et Belloprato, de S. Benedicto, de Altasilva, de Villario et de Pontefrigido, dicti Cisterciensis Ordinis, lata et per eos prolata Nancey, die 8[a] mensis aprilis anni a Nativitate Domini 1576, in causa mota et vertente coram ipsis ad instantiam illustris principis de Vaudemont, locum tenentis altissimi et potentissimi ducis et principis Lotharingiae, et per quam ratione diversorum delictorum in eadem sententia memoratorum commissorum per fratrem Desiderium Coloni abbatem de Fristorf, ipsum declaraverunt inhabilem ad honores et beneficia per eum obtenta et obtinenda, eumdemque privaverunt dignitate abbatiali dictae abbatiae de Fristorf qua insignitus erat, approbando ea omnia, quae super huiusmodi negotio sententia provisionali ordinata fuerunt ad eodem domino abbate de Morimundo, praesens generale Capitulum eamdem sententiam ratificat, confirmat et approbat in omnibus et per omnia, in plenaria, *etc.*

60. Visis informationibus per abbatem S. Martini Parmensis et earum relatione per eumdem abbatem generali Capitulo facta contra fratrem Paulum Jason, priorem Casae novae, audito fratre Balthazare substituto vicario in partibus Pedemontis, qui dictum priorem citavit ad Capitulum generale, nec comparuit, Capitulum generale eumdem officio prioris privat et deponit, et nihilominus committit priori de Stafarda ut eum denuo citet, ut compareat in monasterio Cisterciensi

intra duos menses a die citationis computandos coram domino Rmo Cisterciensi et abbate de Firmitate.

61. Visis informationibus et aliis munimentis causae suscitatae contra fratrem Hieronimum Marillet, religiosum monasterii Altaecumbae in Sabaudia, Genevensis dioecesis, praesens generale Capitulum condemnat eumdem ratione delictorum per eum commissorum ad carceres per tres menses in dicto Cisterciensi monasterio immoraturum, et per spatium dictorum trium mensium diebus mercurii et veneris in pane et aqua ieiunabit, accepta disciplina regulari in ingressu et egressu carceris, relicta tamen Rmi abbatis Cistercii auctoritate remittendi de dicta poenitentia quod illi videbitur, in plenaria, *etc.*

REHABILITATIONES

62. Ad instantiam promotoris Ordinis causarum, praesens generale Capitulum rehabilitat et absolvit ab irregularitate fratres Iacobum Sauvage et Balthazarem a Recio, religiosos de Crista ab homicidio in eorum praesentia commisso a quodam religioso fugitivo, ea tamen conditione ut sese offerant abbati de Morimundo, ut illis poenitentiam condignam iniungat, et puniantur ut aequum videbitur, in plenaria, *etc.*

63. Visa supplicatione fratris Nicolai Lapin, presbyteri religiosi de Morimundo, qua petiit absolvi a delictis et peccatis contra regulam Ordinis per eum commissis, necnon abbatiam seu monasterium ipsius Ordinis, in quo Deo deserviens, alimenta et alia victui ipsius necessaria sibi congrue ministrentur, assignari. Praesens generale Capitulum misericorditer eius supplicationi annuens eumdem humiliter petentem absolvit, eique domum abbatiae de Altasilva de ipsius domini abbatis in dicto generali Capitulo praesentis consensu assignavit, a qua egredi eidem fratri Nicolao prohibuit sine ipsius Rmi D. abbatis Cisterciensis aut Rdi D. a Morimundo expressa licentia, idque sub poena excommunicationis et irregularitatis, necnon privationis status et habitus Ordinis praedicti, quam praesens generale Capitulum in dictum eventum ex nunc prout ex tunc declaravit in plenaria, *etc.*

CONFIRMATIONES

64. Visis litteris creationis et institutionis in coadiutorem abbatis Montis S. M. cuius ad praesens Rdus D. Guillelmus de Vaultravers abbas extitit, in favorem venerabilis domini Simonis Froissard, clerici rectoris et administratoris domus de Foeta ... dioecesis, iuris utriusque doctoris, facientibus per Rdum D. Guillelmum Demandres, abbatem de Theoloco vicarium generalem Rmi D. Abbatis Cisterciensis, eidem concessis, quibus ipsum dominum Froissard dicti domini abbatis

Montis S. M. coadiutorem etiam cum futura successione creavit et instituit, praesens generale Capitulum creationem et institutionem huiusmodi, quibus praesentes annectuntur, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate, ea tamen conditione, ut antequam dictus Froissard se huiusmodi coadiutoris officio immisceat, habitum regularem per ipsius Ordinis religiosos gestari solitum suscipere teneatur.

65. Visis litteris nominationis regiae Maiestatis catholicae regis Hispaniarum, comitis Burgundiae, etc., in favorem domini Petri de Albame facientibus, quibus praefata regia Maiestas ad requisitionem Rdi D. Ludovici Dutertre episcopi Nicopolitani et abbatis de Bellavalle, ei dictum de Albame in coadiutorem per religiosos eiusdem abbatiae de Bellavalle eligi et deputari etiam cum futura successione, consensu et acceptatione ipsius abbatiae religiosorum, litteris creationis et institutionis Rdi D. Guillelmi Demandres abbatis abbatiae seu monasterii de Theoloco, vicarii generalis Rmi D. abbatis Cisterciensis, necnon concessione et permissione supremae Parlamenti Dolani curiae, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum creationem, institutionem et alia omnia dependentia confirmat, ratificat et approbat in plenaria, *etc. ut supra nº* 64.

66. Viso instrumento adeptionis possessionis coadiutoriae abbatiae seu monasterii B. M. V. de Alta silva, in favorem domini Nicolai Perrini, praepositi prioratus saecularis S. Laurentii de Hessen, Metensis dioecesis, faciente cum spe futurae successionis in eventum cessus vel decessus, aut alterius amissionis domini Iohannis Perrini ad praesens eiusdem abbatiae abbatis, cui praesentes annectuntur, Capitulum approbat, *etc.*

67. Visis litteris donationis et fundationis factae per dictum Rmum D. Cisterciensem 25 mensis martii anni praedicti de molendino sito in terra et dominio de Tillyaco cum suis pertinentiis vulgo vocato le Moulin Chevalier, priori et conventui dicti monasterii Cistercii pro fundatione anniversarii perpetui in ecclesia eiusdem monasterii singulis annis celebrandi die 7 mensis decembris, ut latius in dictis litteris donationis et fundationis continetur. Visa etiam remissione per dictum Rmum facta eidem priori et conventui de decem libris turon. annui census, quibus dictum molendinum oneratum erat erga dictum monasterium Cisterciense, praesens generale Capitulum dictas litteras donationis ac etiam fundationem in eisdem contentam, simulque praedictam remissionem decem librarum turon., sicut praefertur, a praenominato Rmo D. Cisterciensi factas, homologat, ratificat et approbat, statuens, decernens et ordinans, quod dictae litterae donationis, fundationis et remissionis plenum suum sortiantur effectum, in plenaria, *etc.* Datum, *etc.*

68. Societatem, quam vulgo confrariam vocant, per Rdum D.

abbatem, religiosos et conventum de Morimundo in dicta abbatia erectam et institutam, ad decus et honorem Dei et illibatae Virginis Mariae, necnon undecim millium virginum, sub modis et conditionibus in articulis, quibus praesentes annectuntur, declaratis, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, in plenaria, *etc.*

69. Voluntatem, ordinationem et statuta domini Guillelmi Poincaul abbatis de Villa nova, circa regimen et administrationem religiosorum eiusdem abbatiae, tam praesenti quam futuro tempore, in sua abbatia observandum, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, suumque plenum et integrum sortiri debere effectum decernit atque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicit, in plenaria, *etc.*

70. Fundationem, donationem, ordinationes, dispositiones, legatum et translationem factas per dominum Guillemum Poincaul, abbatem de Villa nova, priori, religiosis et conventui eiusdem abbatiae, tam in praesenti quam in futuro tempore perpetuo observandas, prout in contractu desuper facto, cui praesentes annectuntur, latius constare potest, praesens generale Capitulum ratificat, *etc. ut supra.*

71. Visis litteris vicariatus per Rmum abbatem Cisterciensem concessis fratri Augustino Guillemotte, priori monasterii de Bolbona, sub data die sexta mensis februarii anni 1579, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat, *etc.*

CONFIRMATIONES CONTRACTUUM

72. Visis et bene examinatis litteris contractus facti et transacti inter Rmum D. N. Cisterciensem ex una, et Franciscum Brugnot, maiorem de Villebichot, ex altera partibus, super certa quadam portione terrae vacuae continente circiter duo iornalia sitâ apud dictum pagum de Villebichot, per dictum Rmum D. et conventum eiusdem ad censum emphiteoticum quinque solidorum turon. in Nativitate S. Iohannis Baptistae persolvendorum, sub poena seu emenda septem solidorum turon., easdem litteras contractus tamquam bene et decenter factas eidem monasterio utiles et omnino profuturas ratificavimus, approbavimus et confirmavimus, in plenaria, *etc.*

73. Contractum initum, factum et transactionis consensum inter Rmum D. N. Cisterciensem eiusque conventum ex una, et Claudium Linet, procuratorem in curia Parlamenti Divionensis, ex altera partibus, secundum causas et circumstantias in dicto contractu contentas et expressius declaratas, praesens generale Capitulum approbat, *etc.*

74. Contractum inter Rdum D. abbatem, religiosos et conventum monasterii de Firmitate, in Cabilonensi dioecesi, ex una, et nobilem dominam Catharinam de Montservier, viduam defuncti domini Iacobi

Beugre, dum viveret domini de Darcictio, ex altera partibus, ratione venditionis quorumdam nemorum, viso dicto contractu, informationibus desuper factis, et confirmatione Rmi abbatis Cisterciensis, praesens generale Capitulum approbat, *etc.*

75. Contractum permutationis factae per Rdum D. abbatem, religiosos et conventum B. M. de Firmitate, in Cabilonensi dioecesi, cuiusdam domus sitae in angulo magni vici Cabilonensis et stabuli siti vulgo en la rue de la Poullardrie, eiusdem civitatis, ex una, et honorabilem virum Guidonem Regoux mercatorem in civitate Cabilonensi commorantem, et Margaretam Girod eius uxorem, erga quindecim iugera terrae, tria iugera pratorum, et redditum annuum sexdecim coronatorum auri solis, et duarum tertiarum partium unius coronati, ex altera partibus ; viso dicto contractu, necnon confirmatione Rmi abbatis Cisterciensis, quibus praesentes annectuntur, Capitulum confirmat *etc.*

76. Contractum venditionis in censum et redditum perpetuum per Rdum D. abbatem, religiosos et conventum monasterii de Firmitate, in Cabilonensi dioecesi, nobili Petro Burignol militi, centum iugerum terrae vulgariter de cent arpens de terre, nommez Bois de la Cheronnière et un quartier y joignant dit Le Bouchet ; viso dicto contractu, commissione ad inquirendum eadem inquisitione, confirmatione Rmi abbatis Cisterciensis subsecuta, quibus praesentes annectuntur, Capitulum approbat, *etc.*

77. Viso contractu his praesentibus annexo inter abbatem et conventum monasterii Claraevallis, eiusdem Ordinis, in Lingonensi dioecesi, ex una, et Leonardam de Chenenoys, viduam Petri Oudert Parisiis commorantem, ex altera partibus, pro alienatione et venditione cuiusdam domus sitae in vico dicto de la Huchette Parisiis, quae vulgo vocatur domus Angeli, pertinentis ad dictum monasterium de Claravalle, et venditae praedictae viduae Leonardae de Chenenoys cum conditionibus expresse contentis et memoratis in dicto contractu, praesens generale Capitulum committit abbatem de Loco Dei et fratrem Ysembertum Letellier, doct. theol., ad informandum super commodo vel incommodo praedicti contractus, et informatione diligentique inquisitione facta, Capitulum generale vel Rmus D. Cisterciensis procedet ad confirmationem vel infirmationem eiusdem contractus, in plenaria, etc.

78. Super propositione facta pro parte Gabrielis de Saint-Belin, abbatis Morimundi, et alti ac potentis domini Girardi de Livrond, domini de Bourbonne, ut ratione permutationis dominii vulgo nuncupati dela Prie de Romain, ac bonis eidem domino de Bourbonne pertinentibus, in favorem ipsius abbatiae Morimundo cessi et permutati, necnon medietatis portionis decimarum dicti loci de Bourbonne, ex sim-

plici permutationis causa per dictos abbatem et religiosos de Morimundo eidem domino de Bourbonne datarum, concessarum et relictarum, postquam dictum generale Capitulum domino abbati de Theoloco munimenta omnia eidem permutationi et alienationi servientia diligenter videnda, et eidem generali Capitulo referenda tradidit, eodem domino abbati de Theoloco ad plenum audito, et visis pluribus et diversis documentis de vero annuo valore utrorumque permutatorum bonorum et rerum aperte testificantibus, necnon informationibus solemnibus desuper habitis consensibus potentissimi et christianissimi regis Franciae, necnon celeberrimi ducis Lotharingiae pro extinctione fundi dicti dominii de Romain, aliisque scripturis et munimentis, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum eamdem alienationem seu permutationem ratificat, approbat, *etc. ut supra.*

79. Visis litteris cambii facti inter abbatem et religiosos monasterii de Vallibus Cernaii, dioecesis Parisiensis, cum nobili et potentissimo domino Nicolao de Neufville, domino de Villa regis, equite et consiliario regis, et eiusdem primo secretario, quibus dicto Capitulo constitit, dictos praedictos abbatem et religiosos cambiisse seu permutasse villam vel grangiam aut firmas, ut vocant, de la Barville, sitam prope oppidum vulgo nominatum Corbeil in vicecomitatu Parisiensi, a praefato monasterio de Vallibus Cernaii dependente, contra terram et dominium de Venant prope oppidum vulgo nominatum Dordam in baillivatu Stemparum, gallice Estampes, ad dictum dominum de Villa regis pertinentem vel pertinens, dimensurationem dictae firmae seu grangiae de la Barville, et dicti dominii de Venant commissione decreta et data per Rmum abbatem Cisterciensem fratribus Ioanni Huon, provisori collegii S. Bernardi Parisiis, et Ysemberto Letellier, religioso presbytero monasterii de Voto, Rothomagensis dioecesis, s. th. pr., processu verbali et informatione super commodo vel incommodo dicti cambii factis a praefatis Huon et Letellier in vim dictae commissionis. Qua quidem informatione praefato generali Capitulo constitit, dictas litteras cambii factas fuisse in evidentem utilitatem praefati monasterii de Vallibus Cernaii, dictum Capitulum generale ipsas litteras seu ipsum cambium aut permutationem, sic, ut praefertur, factum seu factam, homologat, ratificat et approbat, statuens, decernens et ordinans quod dictae litterae cambii seu permutationis suum plenum sortiantur effectum, in plenaria, etc. Datum, etc.

80. Contractus inter Germanum Vere urbis de Saint-Germain Laval en Foretz ex una, et abbatem et religiosos abbatiae de Benedictione Dei in Lugdunensi dioecesi, ratione alienationis cuiusdam terrae vacuae sterilis et virgultis plenae. Visis dictis contractibus, commissionibus, informationibus et aliis documentis super dicta alienatione factis, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum dictam alie-

nationem sub conditionibus in ea appositis, confirmat, ratificat et homologat, in plenaria, etc.

81. Contractum initum inter quondam Rdum Guillelmum de Roupet, Sanctae Sedis Apostolicae protonotarium, abbatem commendatarium abbatiae de Balerna, in Bisuntina dioecesi, a religiosis dictae abbatiae postea approbatum, Simoni Coulon loci de la Chaux notario, quarumdam decimarum in terris grangiae de la Marche nuncupatae, mediante certo censu annuo. Viso dicto contractu, informationibus desuper factis, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum approbat, etc.

82. Contractum venditionis factae per abbatem, religiosos et conventum abbatiae Dalva [*Dei vallis ?*] in Leodiensi dioecesi, nobili Natali Taboulet, dominii, censuum, reddituum, iuriumque et dependentiarum de Graw. Viso dicto contractu, necnon attestatione status temporalis dictae abbatiae per abbatem de Cambron in fine dicti contractus descripta, praesens generale Capitulum approbat, *etc.*

COMMISSIONES VISITATIONUM

83. Rmus D. N. Cisterciensis, consentiente Capitulo generali, visitationem comitatus Burgundiae sibi reservavit, eidemque monasteriorum dictae provinciae visitationem et reformationem reverenter committit.

84. Abbati de Firmitate visitationem Sabaudiae, Pedemontis, Marquisatus Saluciarum et Montis ferrati, necnon status Genuensis, praesens generale Capitulum committit.

85. Abbati de Claravalle, dioecesis Rhemensis, Laudunensis et Noviomensis visitandas commisit.

86. Abbati de Morimundo, Linguam occitanam, Aquitaniam et Lotharingiam.

87. Abbati de Lucella commissa est per dictum generale Capitulum visitatio provinciarum sequentium ; Ferretae, Alsatiae, Sueviae, provinciae Helvetiorum, Bavariae, Franconiae et dioecesis Augustanensis et Bambergensis, necnon et comitatus Tirolis [1].

88. Abbati de Aula regia in dioecesi Pragensi, Bohemia, Moravia et Silesia.

89. Abbatibus Alderspacensi et de Cella Dei, Austria.

90. Abbati Valcellensi, monasteria utriusque sexus in Italia.

91. Abbati de Loco Dei, Normannia et Cenomania.

92. Abbati de Villa nova, Britannia.

---

[1] *Huius commissionis tenor integer legitur apud Co.*

93. Abbati de Leoncello, Delphinatus, provincia Provinciae et comitatus Avenionensis.

94. Praesens generale Capitulum renovavit commissionem pro recipiendis contributionibus abbati de Claravalle dari solitam.

* * *

95. In favorem abbatis de Populeto praesens generale Capitulum misericorditer agens, fratrem Alphonsum Sals, religiosum monasterii Sanctae Fidis in Hispania, natalium defectum patientem dispensat, ut non obstante defectu praedicto sit habilis ad quascumque Ordinis dignitates, in plenaria, etc.

* * *

96. Sic signatum in fine : Ponsot abbas Clarifontis generalis Capituli notarius. Et Gerard abbas de Gratia Dei Capituli generalis notarius.

Et [k] ego, Thomas Buss, promotor ac procurator Ordinis, quia has diffinitiones collationatas cum suis originalibus concordantes inveni, Rdo domino abbati de Laude transmisi hac 3 iunii 1584. Quod attestor signo meo manuali et contrasigillo inferius affixo et scripto.

Buss. *l. s.* Procurator Ordinis in Belgio.

1601

A) ORDINATIO PRAESENTIS CAPITULI GENERALIS celebrati Cistercii diebus 21, 22, 23 et 24 maii anno 1601.

QUINQUE PRIMI DIFFINITORES ABBATES. *Primus Diffinitor :* Rmus

---

[k] *Apud Va* : Et nos, Thomas Buss, promotor ac procurator Ordinis in Belgio, quia has diffinitiones collationatas cum suis originalibus concordantes inveni, et eas in Capitulo generali audivi, ideo signo meo manuali et contrasigillo signavi, et Rdo in Christo patri et domino abbati Vallis S. Lamberti emisi hac quinta augusti 1585. — locus sigilli appositi.

1601. *Fontes* : A^2 et A^4 : Cap. I, 1 *(abbrev.)*, 2-XXXV, *demptis* XIX : 5, 6, XXV : 2, 8, XXIX : 21, XXX : 42, 43 ; P^3 : Cap. I-XXXV ; T^3 : cap. I-XXV ; T^5 : A in foliis typis impressis, Cap. I-XXXV ; T^6 : Cap. XXX : DE MONIALIBUS, gall. translatum iuxta stat. 2 huius cap. XXX. — Cf. insuper ms. 531 Bibl. abbatiae de S. Cruce in Austria. — Nota quod pro anno 1601 duplex habetur huius compilationis textus : unus prolixior, alter vero brevior qui ex praecedenti compilatus fuit anno 1604 et promulgatus, (cf. infra n° 15 cap. XXXV ; posteriorem tantum edimus textum in hocce volumine.

D. N. Edmundus a Cruce, s. th. d., abbas **Cistercii.** Praeses Capituli generalis. — *Secundus :* R. de **Firmitate** s. th. d., Yvo Sauvaiotius. — *Tertius :* R. de **Pontiniaco** s. th. d. Claudius Boucheratius. — *Quartus :* R. de **Claravalle** s. th. d. Dionysius Argenterius. — *Quinus :* R. de **Morimundo** s. th. d. Claudius Masson. — *Abbates quatuor Diffinitores cum primo :* de Salem, Suevus, Petrus Nillec, Vicarius in Super. Germania ; de Ebrach, Hieronymus Holinus Vicarius Franconiae ; de Petra, Hispanun, Petrus Luzon ; de Monte Sanctae Mariae, Philibertus Chareton, Burgundus. — *Abbates quatuor Diffinitores cum secundo :* de Charitate, Burgundus, Claudius de Grammont ; de Gratia Dei, Burgundus, Stephanus Pierad ; de Raithenhaslach, Germanus, Mathias ; de Petris, Gallus, Ioannes de Mominet, s. th. d. — *Quatuor abbates Diffinitores cum tertio :* de Wancosco, Polonus, Stephanus Solla Horoschi ; de Alna, Belga, Henricus Velpen ; de Strata, Gallus, Stephanus Dubois, Vicarius Turcniae ; de Lesinis, Gallus, s. th. d. Nicolaus Profit. — *Abbates quatuor Diffinitores cum quarto :* de Aureavalle, Belga, Remaclus Cerfay ; de Villari in Brabantia, Robertus Henrion, Vicarius in Belgio ; de Bullione, Burgundus, Iacobus de Montrichard ; de Villa nova, s. th. d. Anthonius Bouguier, Gallus, Vicarius Britanniae. — *Abbates quatuor Diffinitores cum quinto :* de Bellavalle, Burgundus, Petrus d'Harbanne, Vicarius in comitatu Burgundiae ; de Lucella, Germanus, Christophorus Pirr ; de Theoloco, Burgundus, Guillelmus de Mandre ; de Villario Betnach, Lotharingus, Mathias Durrus.

Confessores : Coadiutor abbas de Bodelot, Belga ; Prior prioratus conventualis de Marcilla, Hispanus, s. th. d. ; prior de Populeto, Hispanus, s. th. d. ; Prior de Voto, Gallus, s. th. d. Normanniae Vicarius.

Abbates receptores excusationum : de Novo Castro, Germanus ; de Claro fonte, Burgundus.

Auditores computationum : de Stamedio, Nicolaus de Rides, Vicarius Sabaudiae ; de Insula Barrensi.

Abbates examinatores contractuum : D. Coadiutor Rmi Cisterciensis, abbas de Valcellis, s. th. d., Gallus, Nicolaus Boucherat ; de S. Urbano, Helvetius ; de Maris stella, Helvetius ; de Fristrofz, Lotharingus.

Magistri caeremoniarum : R. de Pontigniaco ; prior et supprior Cistercii.

Promotores causarum : Xantius Columquanus, th. d. in Gallia ; Vicentius Longue-espée, in romana Curia.

Notarii abbates : Loco crescenti, Burgundus, Ludovicus Boutechoux ; de Alta Sylva, Lotharingus, Petrus Buerard.

Portarii diffinitorii : prior prioratus conventualis de Monciaco,

Michael Hesselin, Gallus, Vicarius Picardiae ; Stephanus Balnot, s. th. doctores.

Notarii ad pedes : Prior de Directa valle, Claudius de Calvomonte, professi Cistercii.

Abbates : de Veteri campo, Germanus, Vicarius Infer. Germaniae ; de Lankein, Franco ; de Esterbach, Germanus ; de Sancta Trinitate in Nova Civitate, Austriacus ; de Schontal, Franco ; de Valle clara, Gallus. — *Pro Congregatione Tusciae et Lombardiae :* de Cerreto ; de Sancta Maria Rousiliani, Itali.

— De Bitania, Burgundus ; de Calercio, Vasco ; de Clarofonte, Hibernus ; de Castellionè, Lotharingus ; de Campo B. Mariae, Germanus ; de S. Sulpitio, Sabaudus ; de Albaripa, Gallus ; de Ponte Tiefrido, Metensis ; de Stultzebron, Germanus. — *Sex abbates venientes ad Capitulum in itinere per aegritudines remanserunt :* R. de Bona aqua, Ioannes de Montoux, Vicarius in Arvernia ; de Fulcardimonte, Gallus ; de Castro Aquilae, Germanus ; de Bredelaria in Westfalia ; de Pietate Dei, Campanus ; de Claromarisco, Belga.

— Procurator generalis in Curia romana pro aliis qui ex Italia venire debuerunt.

— *Serenissimi Principes qui scripserunt ad R. Patrem generalem pro excusandis a Capitulo abbatibus suarum ditionum :* Sacra Caesarea Maiestas Imperatoris. — Archidux Albertus Belgiae, etc. — Archidux Maximilianus Styriae, Carynthiae, Carniolae, etc. — Archidux Mathias Austriae, etc. — Dux utriusque Bavariae, etc.

— *Reverendissimi archiepiscopi :* Treverensis Elector Imperii. — Gnesnensis Primas Poloniae. — Leopoliensis in Russia. — Rmus episc. Cracoviensis. — R. abbas Alcobatiae Praeses Congregationis Cisterciensis in Portugalia — et prior Militiae de Montesia in Hispania se excusarunt.

— *Priores monasteriorum ;* F. Petrus Sensac, d. th. Vicarius Aquitaniae ; Rector collegii Avinionensis, Vicarius in Provincia ; de Frigidomonte, th. d. in Gallia ; Adamus de la Fontaine, prior de Valentia, th. d. ; Franciscus Bourgois prior de Valle lucenti, doctor et magister regens ; Michael Triguel, de Fonte Danielis, d. th. ; Petrus Guarier, prior de Villonga, d. th. ; de Marcillia, Hispanus, th. d. ; de Bolbona, Petrus Conardi, d. th. ; de S. Cruce in Austria ; de Veteri monte in Germania ; de Emeraude in Germania ; de Oliva in Polonia ; de Valle Beatae Mariae in Gallia ; de Vallibus Cernay, bachalaureus th. in Gallia ; de Ursicampo in Gallia ; de Karoliloco in Gallia ; de Barbello in Gallia ; de Escalariis, bac. th. in Gallia ; de Buxeria Eduensis ; de Fonte Ioannis in Gallia ; de Feneriis in Arvernia ; de Valle lucida in Arvenia ; de Alto fonte in Campania, bac. th. ; de Bosco cavo ; de Tribus fontibus in Campania ; de Pinu, Vicarius Pictaviensis ; de Theo-

loco ; de Aceyo ; de Balerna ; de Pratea, bac. th. ; de Fonte Maurum ; de Rigniaco ; de Oliveto ; de Petris ; de Loco regio, bac. th. ; de Claro loco ; de Albaripa ; de Bello prato in Lotharingia ; de Boqueam in Britannia ; de Begario ; de Reliquiis ; de Buzayo ; de Precibus ; de Rupibus ; de Mazan ; de Chambons ; de Valle benedicta ; de Toroneto ; de Alta comba ; de Chassania ; de Cheseriaco ; de Alpibus, de Savigniaco ; de Bonoportu ; de Alneto ; de Trappa ; de Barberio ; de Valle Richerii, de Torigniaco ; de Loco Dei ; de Valloriis ; de Fusniaco ; de Veteri villa ; Supprior de Longo vado.

— *Studentes Parisiis :* F. Claudius Ancel, de Escureio, lector Sententiarum ; Modestus Cottereuil, de Persenia, lector Bibliorum ; Ioannes de Landrodie, de Bona aqua, bacc.; Daniel Palliot, de Claravalle, bacc.; Anthonius Goyetus bacc.; Stephanus de Ruptis magister artium ; Ioannes Antenna, de Alta comba, magister artium.

Mandatarii Indictionis Capituli : F. Carolus Tibonarius, de Voto ; F. Petrus Barinconius, de Grandisilva.

— *Procuratores abbatum absentium* : Utriusque Germaniae, Hispaniae, Poloniae, Belgiae, Austriae, Franconiae, Styriae, Carinthiae et Carniolae. Et de Alberiis, de Tennenbach, de Bona aqua, de Albaripa ; Ioannes Salines, Hispanus, d. th. de Sanctis Crucibus ; Petrus Xaveri, de Regali Maiorica, d. th. ; de Sancto Albino, de Reliquiis, de Coronovia, Polonus ; de Bono fonte, de Bonavalle, de Boucheto ; Guillelmus Sirandus Syndicus in Delphinatu.

— *Secretarii abbatum :* F. Humbertus, de Firmitate ; F. Iacobus Griffon, de Pontigniaco ; F. Vincentius Desforges, de Claravalle ; F. Claudius Renault, de Morimundo ; F. Valentinus Pathesius, de Bella valle ; P. Ioannes Chruelneval, de Lucella ; F. Ioannes Richard, de Monte S. Mariae ; F. Ioannes Peneveillet, de Gratia Dei ; F. Claudius Jordanus, de Bullione ; F. Edmundus de Cunffin, de Alba ripa.

— *Patres confessarii monialium ;* F. Stephanus Bernet, de Thesauro, bac. th. ; De Seyen in civitate Coloniensi ; de Tardo ; de Molesia ; de Loco Dei.

— Praeter supradictos R. abbates et Priores adfuerunt praesenti Capitulo religiosi Cistercii ad numerum quinquaginta quinque et plures alii ex diversis monasteriis eiusdem Ordinis centum sexaginta quatuor.

— Famuli abbatum, priorum, procuratorum, doctorum et aliorum religiosorum, necnon nobilium saecularium fuerunt supra mille cum equis.

— D. D. a supremo Divionis in ducatu Burgundiae senatu et commissi ad dictum Capitulum generale, Regis Francorum christianissimi nomine : D. D. Claudius Bourgeois eques, Consiliarius dicti Regis, necnon in curia dicti Parlamenti Praeses Ill. Baro Dorigni Crespi, etc.

— D. Petrus de la Grange, etc. D. Ioannes Quarré nobil. et clariss. Consiliarii Regis christ. et Syndici pro hoc anno in dicta curia.

— Guillelmus Legouz, scutifer ac dominus de Vallepelle, Regis eiusdem christ. Consiliarius et Actor catholicus primarius seu fisci generalis Advocatus.

Dicti Domini stipati quatuor ostiariis seu apparitoribus, in dicta curia cum uno Actuario et cum latrunculatore seu Praefecto a Mareschalibus armato suis quindecim commilitonibus, aut ut aiunt arcuariis et sagitariis.

CAP. I. — **1.** Nos, frater Edmundus a Cruce, abbas Cistercii totius Ordinis caput, s. th. pr., ceterique Diffinitores Capituli generalis notum facimus universis reverendis nostris confratribus, abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, ceterisque personis regularibus nostri Ordinis, quod anno Domini 1601, die vero 21 mensis maii, in eodem generali Capitulo, apud Cistercium celebrato, ut vera et legitima Ordinis nostri reformatio instituatur, et in omnibus eius monasteriis stabiliatur, atque adiuvante divina gratia, a nobis singulis eiusdem professoribus, inviolate et absque varietate aut dissimilitudine, sed in summa animorum, rituum ac observantiarum regularium consensione et uniformitate, eodemque modo conservetur. Diffinitiones praesentes, ex regula sancti Benedicti secundum quam profitemur, ex *Charta charitatis, Clementina, Benedictina,* et statutis ipsius Ordinis sacrisque decretis desumptae, instituto nostro consentaneae, ordinatae fuerunt, sequuntur.

2. Primum statuitur ut Ordo noster non aliter vocetur quam Cisterciensis, siquidem merito denominatur ab insigni monasterio Cistercii, matre et origine totius Ordinis, cuius nomine communia eiusdem privilegia concessa esse constat.

CAP. II. DE VOTIS REDDENDIS. — **1.** Omnis monasticae religionis professio et observantia regularis eo maxime tendunt ut perfectionem, quae charitas est, nobis acquiramus, et quotidie magis ac magis adaugere studeamus. Itaque hoc unum primum viribus omnibus adniti debemus, ut Dominum Deum toto corde diligamus et mandata eius operibus adimpleamus, ad quod praeceptum christiani omnes obligantur, cum vero nos qui ad hanc obligationem nobis cum illis communem, secundam votis nostris adiunximus nos totos Deo devovendo, et propter eum omnibus quibus licuisset renuntiando, ut expeditius in via mandatorum eius curramus.

2. Regulam sancti Benedicti secundum quam professi sumus, omnes prout a sanctissimis nostris primis patribus tradita est et a Sancta Sede Apostolica approbata et moderata, accurrate et integre quilibet nostrum observet, maxime vero vota quae distinxerunt labia nostra videlicet promptam obedientiam, perpetuam castitatem et paupertatem voluntariam, quanta namque eorum reddendorum professis omnibus incumbat necessitas

certa pariter et tremenda divi Benedicti sententia professionis nostrae formam continens, declarat. Tunc, inquit, suscipiendus in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, et conversione morum suorum et obedientia coram Deo et sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit ab eo se damnandum sciat quem irridet.

3. Praeter illa tria vota solemnia religiosis, non debet alia religiosus facere, ut peregrinandi, orandi, ieiunandi et similia, quae sine superioris consensu et permissione compleri non possunt, et quorum imprudenter factorum occasione, multa saepe contingunt, quae fratrum congregationem perturbant.

CAP. III. DE OBEDIENTIA. — **1.** Regulares personae omnes, superioribus tamquam ipsi Deo perfecte obedire tenentur; superiores autem sunt vel abbates proprii, et post ipsos, ubi non sunt, priores et suppriores, abbates patres aut eorum vicarii et commissarii Capituli generalis. Ipsorum vero iussa, praecepta aut scripta, sunt, ut Ordinis statuta, diffinitiones, decreta, ordinationes, et alia huiusmodi litteris consignata aut voce aut etiam motu solum dantur. Quae omnia cuiusvis momenti sint, monachus statim sine mora, relictis omnibus cum humili inclinatione, ubicumque sit, suscipere et continuo exsequi quantum quisque potest, debet. Si quis se tardum ac difficilem praebuerit, severe punietur, atque humilietur.

2. Nullus sub inobedientiae poena convenire audeat deputatum sibi vicarium sine sui superioris claustralis licentia, vel patrem immediatum, vel aliquem ex quatuor primis, vel etiam Rmum Cisterciensem, sine praefati vicarii permissione, quae scriptis constabit.

CAP. IV. DE PROPRIETATE. **1.** Regulares omnes utriusque sexus, per votum paupertatis, non tantum facultates, sed etiam voluntatem possidendi, reliquerunt, ideoque nulla omnino bona sive mobilia sive immobilia, cuiuscumque qualitatis et quovismodo acquisita fuerint, tamquam propria, aut etiam conventus nomine, possidere vel tenere, sed ea statim superiori tradere debent, ut incorporentur conventui, non autem licet ulli superiori bona stabilia alicui earumdem personarum regularium concedere, etiam ad usumfructum, administrationem et commendam, nisi officialibus, qui eorum dumtaxat administratores et procuratores sunt, ad nutum amovibiles.

2. Mobilium vero usus qui conceditur non sit superfluus, nec a voluntaria paupertate alienus, nec nisi causa rationabili et cum proposito reddendi, quod concessum fuerit, ad superioris beneplacitum.

3. Abdicatio proprietatis sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nullus superior licentiam possit indulgere, atque adeo omni sanctimoniae contraria est, ut sit eiusdem pestis et indubitata pernicies. Quapropter qui privatim pecunias apud se servant, retinent et congregant, qui iura possessionis, redditus pensionis, animalia et alia huiusmodi emunt, vendunt, alienant, permutant et de eis negotiantur, aliquando proprio, saepe alieno nomine, et super his figmentis adhibitis tradunt ipsa animalia nutrienda, et cum augmento vel lucro sibi vel

alteri reddendo eorum nomine seu pro seipsis, et alios multos contractus tamquam negotiatores exercent; qui pecunias sive alia bona quibuscumque mutant, sive debere se fingunt quae non debent, qui resistunt vel impediunt per se vel per alios aperte vel occulte, quominus praedicta et alia eiusdem generis bona in utilitates monasterii per superiores convertantur; qui etiam peculium suum occultant, non declarantes annuatim ante diem Resurrectionis Dominicae suo superiori specifice quae in suo usu habent, additam quantitatem debitorum activorum, et passivorum una cum nominibus debitorum atque creditorum; illi omnes religiosi, moniales, conversi et conversae excommunicationem maiorem Dominica Palmarum contra proprietarios latam incurrunt, praeterea in carcere detineantur per mensem et sint ab ordinum suorum executione et sacramentorum susceptione suspensi, voce activa et passiva priventur, et sint ad quaecumque officia Ordinis, administrationes, gradus et dignitates incapaces et inhabiles, praemissa omnia restitutioni aliorum non subiaceant iuxta Benedicti XII constitutionem, sed monasterio acquisita sunt. Permittimus tamen superioribus super praedictis poenis dispensare, prout eis videbitur expedire cum eis, qui illis talia revelaverint.

4. Quod si aliqua persona Ordinis nostri, quod Deus avertat, in hoc detestando crimine, dum vivit et occultat, antequam e vita migraverit, de eo vero poenitens non fuerit, et quod in se erat pro satisfactione non fecerit, quia maiori excommunicationi innodata satanae tradita est, exemplo antiquorum patrum ad ipsius proprietatis maiorem detestationem ecclesiasticae non tradatur sepulturae, nec preces et officia defunctorum pro ea fiant, nec aliis piis suffragiis publico ritu iuvetur.

5. Caveant igitur omnes ne pecunias quantumvis parvas apud se retineant, nec de his quae ad usum suum permissa sunt vel fuerint, disponant, nisi cum licentia proprii superioris.

6. Bursarius vero, cellerarius, procurator, granatarius et ceteri officiales qui ratione commissarum sibi administrationum pecunias apud se retinere coguntur..., sed [a] prior, subprior ac alii nullas habere debent. Licebit autem procuratoribus generalibus atque doctoribus theologiae et studentibus theologiae et philosophiae in collegiis Ordinis vel seminariis eas habere pecuniarum summas, quae eis assignantur.

Quae autem eis conceduntur, qui adhuc humanioribus litteris dabunt operam, servabuntur vel ab eorum regentibus, vel ab eis quos provisor collegii vel rector deputaverit, qui illas non distribuent nisi pro libris emendis et aliis eorum necessitatibus, et earumdem rationem, quoties opus fuerit, reddant. Itinerantibus vero, pecunia quidem eis pro viatico dabitur, nec aliud omnino ex monasterio secum auferre audeant, nisi cum licentia superioris, sub poena furti.

7. In emolumentis et honorariis, quae in monasteriis commendatis assignabuntur prioribus, supprioribus et officiariis aliis, visitator in sua visitatione aut quoties opus fuerit, de illis ordinabit, habens discretam eorum

---

[a] proprias pari obligatione: A^2T^5.

officiorum considerationem et onerum, quae ab eis commendatariorum loco supportare debent, ne ipsi inviti et cum tristitia munia sua obeant [b], et iuxta Apostolum, qui bene praesunt duplici honore digni sunt, cumque in officiorum suorum executione laborant propter Dei amorem, ab eo mercedem copiosum aeternae gloriae in coelis, non retributionem pecuniae in terris expectare debent.

8. Eisdem officiariis sub poena privationis ab officiis suis, et vocis activae et passivae, prohibetur ne tam pro victu quam vestitu et aliis quibuscumque rebus etiam necessariis viritim et particulariter distribuant pecunias fratribus, sed res ipsas in essentia et natura pro ea, quam Ordinis ferunt instituta, quantitate, et prout opus fuerit, convenienter distribuant. In quo abbas vel alii superiores nulli connivebunt, ne quidquam in contrarium fieri patiantur sub poena suspensionis a sua dignitate abbatiali vel ab officiis suis, donec statutum ipsum exsequi fecerint.

9. In arca communi conventus pecuniae omnes, eleemosinae piorum pro celebrandis missis, confessionibus audiendis et aliis ecclesiasticis officiis et pensionibus, personis utriusque sexus concessis, et ex aliis quibuscumque rebus et undequaque ad earumdem personarum manus aut quomodocumque pervenerint, servabuntur. Ipsa vero arca in tuto loco custodiatur, claudaturque sub diversis tribus clavibus, quarum unam abbas, secundam prior, tertiam senior a conventu deputatus, et in monasteriis commendatis abbatis loco, alter senior deputabitur. Pecunia vero non extrahatur, nisi in eorumdem trium praesentia vel pro minutis rebus fratrum infirmorum solatiis vel officiariorum functionibus vel pro comparandis ecclesiae ornamentis, vel pro urgentibus monasterii necessitatibus. Qui contra ausus facere fuerit, puniatur ut proprietarius.

10. Quidquid a quacumque persona in monasterium allatum fuerit, aut alicui donatione, legato, ab intestato, vel quacumque iuris dispositione undequaque obvenerit, id omne, non illius proprium, sed communitatis esse statuitur ; nec ille in illo possidendo, vel utendo plus iuris quam quivis alius habeat.

11. Denique superiores omnes et singuli admonentur, ne per ullam negligentiam, dissimulationem aut indulgentiam patiantur unquam hanc exitialem luem nostri Ordinis in ipsis monasteriis serpere eaque ipsorum personas regulares infici, sed, ut est in regula, radicitus extirpari procurent [c] ne voluntariae paupertatis proemium perdant, et centuplo repromisso aeternae vitae possessione priventur, sint potius vere pauperes sponte, quia ipsorum est regnum coelorum.

CAP. V. DE CASTITATE. — **1.** Castitatis votum sancte reddendum est Domino Deo, cui nihil displicet magis in persona sibi dicata quam carnis immunditia, per quam, quia violatur vas illi consecratum, enorme sacrilegium committitur ; propterea curent ut huius angelicae virtutis candorem, ab omni labe purum et intactum quam diligentissime conservent.

---

[b] *Hic desin.* A^2A^4. [c] *Hic desin.* A^2A^4.

2. Quia turpissimi incontinentiae flagitii gravitatem, quam multi non attendunt, nec fortasse satis censura et correctione in eis animadvertitur licentia, sive immundas et detestandas carnis passiones et spurcitias sectantur cum maxima Dei offensa piorum scandalo et Ordinis vituperio.

3. Quare ut tam enorme crimen asperius coerceatur ac puniatur hoc statuto decernitur quod, si quis votorum suorum immemor deinceps incontinentiae crimine convictus fuerit, per sex hebdomadas carceri mancipetur, ieiunetque omni quarta et sexta feria in pane et aqua, in iisdem sextis feriis regulari disciplina vapulet in capitulo. Si quis relapsus fuerit in idem sacrilegium, duplicata poena supra ordinata punietur, et ultra caputio exuitur. Si usque tertio reciderit, imo illi detruncabitur scapulare, ac per annum integrum praedictas poenas luet, et praeterea sexta feria torstitium aut cereum accensum cuculla exutus et nudis pedibus in supplicatione septem psalmorum poenitentialium feret, et deinceps inhabilis in perpetuum ad quaecumque officia dignitatesque remanebit. Priores in monasteriis commendatis ea omnia exsequi conentur contra huiusmodi impudicos incontinentes, tenenturque sub poena depositionis ab officiis suis ; abbates vero negligentes per suos visitatores acriter corripiantur.

4. Abbates qui in suis dominbus, praediis, aut in quibuscumque locis etiam extra monasterium concubinas seu mulieres suspectas et turpis famae quascumque tenuerint, aut eas frequentaverint, si iuxta *Chartam charitatis* moniti eas non abiecerint et expulerint, contra eos tamquam incontinentiae reos pater abbas vel eius vicarius sine ullo respectu procedat.

5. Ut pravis suspicionibus praecludatur via, omnisque impudicitiae tollatur occasio, in [d] Ordinis nostri privilegiorum confirmatione Pii V, et Gregorii XIII decretum est, cuius tenor sequitur : Mulieribus omnibus cuiuscumque qualitatis, dignitatis et aetatis ingressus claustri et aliorum locorum regularium etiam aedium partis, quae ab abbatibus commendatariis, prioribus aliisque ministris possidentur, sit penitus interdictus, si tamen intra clausuram regularium aedes ipsae sint. Si secus factum fuerit, tam ingredientes quam recipientes excommunicationem incurrunt. Ne per decreti huius ignorantiam peccent, ipsum hoc statuto declaratur, ut ab omnibus servetur, tantum cum insigni persona,cum ingressus negari non potest, pater monasterii vel eius vicarius, urgente necessitate, dispensare poterit.

6. Frater qui fuerit de ipsa incontinentia suspectus, et qui cum mulieribus suspectis aut diffamatis colloquium aut commercium habuerit aliquod, ne peius aliquid ei contingat, statim cum suspicio orta et probata fuerit, in aliud monasterium procul transferatur, et in eo usque ad sui abbatis revocationem moretur, et alter eius loco recipiatur, vel saltem sua pensio monasterio ipsum recipienti solvatur.

---

[d] *Hic incip.* A^2A^4.

CAP. VI. DE DIVINO OFFICIO.— **1.** Quoniam [e] praecipuum pensum nostrum est ut in sanctitate Deo Domino serviamus, divinum officium tam diurnum quam nocturnum, integre, devote et reverenter et septies in die horis propriis quotidie celebretur in choro secundum ritum, usum et formam Ordinis nostri, cum religiosis inclinationibus aliisque cerimoniis regularibus, ut in libro *Usuum* et *Ordinarii* diffuse expressum est. Eidem officio divino religiosi omnes cucullis albis induti semper intersint, demptis existentibus in collegiis Ordinis et seminariis atque in urbibus, qui nigris utantur, et a principio ad finem usque perseverent, nec ullus eorum interim a choro egredi aut absens esse audeat sine praesidentis licentia, contravenientes pro ratione culpae puniantur. Abbates et officiarii quotidie praecipuis divini officii horis intersint; diebus vero dominicis et festis saltem vigiliis, tertia ac missa maiori, nisi detineantur a iusto impedimento.

2. Ad *Salve Regina* semper omnes conveniant fratres tam officiarii quam claustrales, conversi, donati et ipsi servitores, si fieri possit, quod in iudicio superioris erit ; sed si venire non possint, ad minus aquae benedictae aspersioni non desint.

3. Ne quid dedecoris aut etiam scandali amplius in divini officii celebratione accidat, chori praesides, prior, supprior, cantor et succentor observent, ne quis sit somnolentus, male compositus et praeceps, attendantque diligenter, ne cursum oscitanter, praecipitanter, tumultuarie et elatiori voce, sed distincte, clare ac cum intermediis pausis, punctis, gravi moderatoque cantu omnia legantur aut cantentur [f]. Studeantque omnes et singuli quam maxime ut eorum voce conveniant, ne exprobet eis Dominus : populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

4. Ingressus in chorum cantato primo psalmo alicuius horae officii post primum *Gloria Patri* interdicitur, nisi satisfactione facta ad gradum maioris altaris, ad quem stabit inclinatus orando, donec ei a chori praeside signo aliquo permissum fuerit ingredi. Satisfactiones pro erratis in cantu, prout est in sancta regula fiant.

5. Vigiliae pulsabuntur solemnioribus festis hora prima post mediam noctem ; dominicis vero et festis duarum missarum, hora secunda ; privatis tertia, ut decenter et absque praecipitatione divini officii horae celebrari possint, et post ipsas religiosi habeant quaedam intervalla, in quibus studiis, meditationibus aut aliis exercitiis spiritualibus vacare, aut missas celebrare possint. In minoribus congregationibus, vel ubi alia legitima est occasio, praesertim in hyeme, visitatoris discretioni facultas disponendi super hoc relinquitur.

6. Post primum pulsum vigiliarum, aut saltem statim post secundum sub poena per praesidem deficientibus imponenda, fratres [g] ad gradum altaris conveniant, et flexis genibus usque ad ultimum pulsum orent pro publicis Ecclesiae et eorum, quos suis precibus commendatos habent, necessitatibus, ad id devotius praestandum, seniores exemplo suo iuniores hortabuntur.

---

[e] A^2A^4 *incip.* : Statuitur ut divinum officium, quod est praecipuum pensum, tam diurnum.. *etc.* [f] *Hic desin.* A^2A^4. [g] iuniores : P^3T^3.

7. In choro nullus privatim dicat officium suum, aut aliud quidquam legat, quo suas horas canendi partes in ipso choro debitas subtraheret, et alios canentes offenderet et turbaret. Sed si quis, urgente causa, officium in choro prosequi non poterit, petita et accepta praesidis licentia, egrediatur et officium suum in loco qui conveniat et evagationi animi occasionem non praebeat, orando persolvat.

8. In ipsius officii divini celebratione sit moderatus organorum usus, quibus nullum responsorium, graduale, offertorium, nullusque versus et antiphona, nec symbolum fidei modulari, sed viva [h] voce ab utroque choro eaque singula cantari debent. Id vero quod in hymnis et ad cantica *Magnificat* et *Benedictus*, *Te Deum laudamus*, *Gloria in excelsis*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, *Salve Regina* et aliis, organa concinnant, nihilominus [i] a duobus fratribus in medio choro, alta voce legantur, ne quid divini officii omittatur, neve ulla confusio in eo interveniat et caveatur ne organorum modulationi soni impii vel lascivi, misceantur, et praeter organa cetera instrumenta excludantur.

9. Probihetur singulis abbatibus et prioribus ne in divini officii horis cantu [k] figurato, quem musicum vocant, in ecclesiis monasteriorum suorum cantari permittant, si quis ex religiosis contrarium praesumpserit ipso die vel sequente, vini et pitantiae privatione disciplinaque regulari puniatur.

10. Omni feria sexta, vel si impedimentum fuerit, proxima, conventus, finito capitulo, per ambitum claustri more processionis eundo in ecclesiam dicat septem psalmos poenitentiales ; et in chorum regressus ante maius altare ordinate prostratus in latus paululum in terram flexus perficiat litaniam cum collectis et precibus, quae sunt in rubrica *Breviarii* et in libro *Usuum* notatae, repetendo id totum quod a praeside dicitur.

11. In festis solemnioribus, in vigiliis, religiosi bini incipient responsoria et versus eorum integre cantent, quod etiam in utrisque vesperis et maiori missa induti pluvialibus cantor et succentor in medio chori stantes divina officia gravius et lentius quam aliis diebus celebrabunt.

12. Stationes quae extra stalla fieri debent certis diebus in antiphonis et hymnis observabuntur, prout *Breviarii* rubrica post hymnos indicat.

13. Praesenti etiam statuto decernitur, ut quando festum patroni deinceps et urbis in qua monasterium existit, occurrit, officium de illo fiat, nisi eodem die fuerit festum B. M. V. aut SS. Benedicti et Bernardi. Quod si festum duarum missarum eodem die occurrerit, transferatur, uniusque missae solum fiet commemoratio.

14. Stricte et serio mandat Capitulum generale omnibus Ordinis religiosis, ut officium SS. Sacramenti altaris uniformiter et per totum Ordinem celebretur, ut in impressis voluminibus notatu cantu habetur, et in octavis ipsius et festivitatum B. M. V. propter maiorem eorum solemnitatem officium defunctorum intermittitur.

---

[h] unica : T^3P^3. [i] solemnioribus tantum diebus et festis apostolorum : A^2A^4. [j] intermittatur : A^2A^4 *qui sic desin.* [k] cantu... suorum : *omitt. apud* A^2A^4.

15. In vigilia Natalis Domini vesperae ante refectionem, sicut in Quadragesima, celebrabuntur.

16. Deinceps tantum cantetur Alleluia usque ad Septuagesimam, ne a romana Ecclesia discrepemus, et [l] quia tempus tristitiae incipit, carmine laetitiae cessare debet. Ideoque antiphonae ad Cantica, laudes, primam, tertiam, sextam, nonam, convenientes accommodabuntur, ac diebus Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae cantabuntur, privatis diebus illius temporis in secundo nocturno ; eaedem antiphonae quae in Quadragesima dicentur.

17. Ut in divinis officiis ceterisque ad regularem observantiam spectantibus Cistercio almae matri Ordinis, perpetuo et ubique sint conformes, iuxta Eugenii III papae, SS. P. N. Bernardi discipuli, constitutionem, nulla alia officia, nullae orationes aut collectae, nullae antiphonae, nullaque responsoria, quam quae ab Ordinis initio et progressu eidem propria sint usuque recepta habeantur. Neque cerimoniae novae et ab institutis, moribus et usibus Ordinis aliena, disparitatis vitandae gratia, in hanc familiam nostram introducantur, quin potius omnia imitatione perpetua, similitudinem et conformitatem exprimant, quae sacri Ordinis nostri Cisterciensis professis ubique est communis.

18. Dies festus sancti Francisci de Paula, Minorum Ordinis institutoris, 2 aprilis, sicut de sancto Francisco, f. m. Gregorii XIII in constitutione indictus celebretur. Festum quoque sancti Roberti cum proprio officio celebrari conceditur in Cistercio.

CAP. VII. DE MISSARUM CELEBRATIONE. — **1.** Quotidie cantetur missa conventualis in singulis monasteriis, et praeter hanc celebrentur privatim duae aliae, videlicet de B. V. M. et pro defunctis, aliaeque piarum fundationum et pro benefactoribus quae celebrari debent, exceptis diebus dominicis, quibus nullae missae de *Requiem* celebrabuntur, nisi praesens defunctus fuerit, sed loco illarum dicatur missa festi occurrentis [m] cum collecta pro defunctis.

2. Ante missae conventualis, vel cum duae erunt [n], ante prioris introitum, conventus cantet antiphonam *Sub tuum praesidium*, sacerdos celebraturus unicam collectam dicat scilicet *Pietate tua*.

3. In elevatione eucharistiae cantetur devote *O salutaris hostia*, etc., *Uni trinoque Domino*, aut alia devota oratio. Immediate post dominicam orationem sacri canonis, dicat conventus psalmum *Laetatus*, sacerdos versiculos et collectas in missalibus descriptas pro indulgentiis consequendis a Ioanne XXII Pontifice concessis.

4. In ecclesiis monasteriorum ubi plures missae dici solent singulis diebus, ipsarum celebrandarum ea series servetur, et in monasteriis minoris congregationis, in quibus pauciores celebrantur, prima diluculo sit pro defunctis fratribus, benefactoribus, cui conversi, donati, aliique operarii

[l] et quia ... debet : *omitt. apud* A^2A^4. [m] accedentis : A^2A^4.
[n] duxerunt : T^3.

monasterii intererunt. Quae vero de B. V. est, usque ad horam decimam [o] differatur, ut hospites aliique peregrini missam audire [p] cupientes eam paratam inveniant. Reliquae vero successive, ne sacerdotes a divini officii horis avocentur. Ubi vero prae multitudine missarum plures eodem tempore celebrari convenit, celebrantes altiori voce non invicem legendo se perturbent.

5. Nulli pro celebratione missarum extra monasterium ire concedatur, nisi ad proprias parochias aut grangias monasteriorum, aut nisi insignes personae, quibus hoc officium pietatis honeste negari non potest, aliquem ad celebrandum pro devotione postulaverint, statimque qui mittetur, post celebrationem redeat ad monasterium, prandii refectionem cum aliis sumpturus; qui contra fecerit, legitima cessante excusatione, de qua priori constabit, ipse per medium annum egrediendi monasterium licentia privabitur. Nec ullus pro missis aut aliis officiis ecclesiasticis quidquam exigere aut pacta inire, aut aliquid expectare audeat, quod simoniae crimen esset. Sed si quae pecuniae in eleemosinam pro missis illis aut pro officiis dabuntur, in arca conventus reponentur, aliter facientes, ut proprietarii, simoniaci pro delicti qualitate puniantur graviter.

6. Quia [q] monente sacra scriptura, septies in die cadit iustus, etiam si non mortaliter, celebraturus tamen nisi necessitas urgeat, eadem die se probet per sacramentalem confessionem, iuxta nostri Ordinis statutum.

7. Sacerdos celebraturus decenter composito corporis habitu, totus in tanti mysterii cogitatione sit defixus, ut tantam rem in oculis Dei et hominum absque culpa et scandalo perficiat, accurrate legens, intente consecrans, devote offerens, reverenter tractans et non indigne sumens corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi.

8. Et si religiosi sacerdotes a mundi sollicitudinibus liberentur, nihil tantopere curare debent, quam sic vivere ut quotidie celebrare possint, tamen humanae imbellicitati consulendo, illi qui ad missas ordinarias non fuerint ascripti, ter saltem aut bis ad minus in hebdomada celebrent; idque in spatiis et intervallis horarum divini officii, ne ipsius celebrationi desint, devotione tantum moti, et non lucri causa inducti.

9. Hebdomadarius a quotidianae missae conventualis celebratione non abstineat, et alii nunquam diebus dominicis et duarum missarum festis, sine expressa et legitima praesidis claustralis indulgentia, alias tamquam nimis negligentes et in amore Dei tepidi, inutiles Ecclesiae et suae dignitatis penitus obliti, integrae portionis perceptione priventur aut punientur quoties defuerint.

10. A SS. Trinitatis festo usque ad Natale Domini, omni quinta feria vacante, missa de Spiritu Sancto vel de Venerabili Sacramento alternatim cantetur cum duobus ministris.

11. In omnibus missis in quibus dicuntur plures collectae, dicatur *Deus a quo* ante collectam *Ecclesiae tuae*, quae intermittitur certis diebus in

---

[o] nonam : T^3. [p] audire possint : A^2A^4. [q] Sacerdos non celebret nisi urgente necessitate sine praevia confessione, iuxta Ordinis statuta, etiam si non peccaverit mortaliter : A^2A^4.

ordinario descriptis. In collecta contra paganos, deinceps semper legatur, *ut gentes paganorum et haereticorum extirpentur*.

12. Nullus celebret super altare non consecratum, aut in ecclesia polluta aut coram interdicta aut excommunicata persona, sub poena suspensionis trimestris a celebratione missae, quia gravis culpa est, nec nisi in ecclesia aut oratorio dedicato; in casu necessitatis licentia super hoc a superiore habita et in loco convenienti, et super altare in quo saltem sit tabula lapidea consecrata, et de huiusmodi omnibus priusquam ad altare accedens sacerdos informari et diligenter praeparari curabit.

13. Sacerdos celebrando missae officium in libro legat, nihilque sine eo, quantumcumque sit peritus, propter animi distractionem et alia impedimenta quae saepe occurrunt, nullos etiam ritus et orationes de suo sensu faciat, sed has tantum, quae in missali Ordinis descriptae sunt, dicat, ne diversitas ubi summa rituum et cerimoniarum consensio et conformitas esse debet, appareat; sacrumque canonem emendatum legat, ad formam Concilii Tridentini.

14. Cavendum summopere, ne in missae celebratione ullus defectus accidat, cui ut occurri possit, nulli sacerdoti permittitur primam missam celebrare, nisi prius sciverit bene cerimonias et articulos super hos scriptos in magnis Ordinis missalibus et a sua consecratione non ultra tres menses eiusdem missae celebrationem differat.

15. Qui fuerit ebrius, tremulentus, scandalosusque aut aliud crimen notum admiserit, praeter punitionem quam meruerit, sequenti die missam non celebret, nec qui usque ad mediam noctem comederit aut biberit. Nec ullus illam incipiet sine ministro, qui nomine Ecclesiae respondeat, et antequam duo luminaria praecipue in maiori missa accensa fuerint.

16. Canonem missae usque orationem dominicam submissa voce pronuntiet et omnia canonis verba maxima cum veneratione, praesertim infra actionem cum intentione actuali consecrandi, quantum fieri potest, reliquas missae partes reverenter alta voce intelligibili et distincta absque festinatione et prolixitate, sed cum devota saeculari mediocritate proferat.

17. Nulli vago et ignoto sacerdoti sive regulari sive saeculari sine testimonialibus litteris missam celebrare, nec qui publice et notorie criminosus sit sacro altari ministrare et sacris interesse, permittatur. Cetera in celebratione missae observentur et vitentur, quae Concilium Tridentinum, tota 22 sessione decernit.

18. Qui die Nativitatis Domini tres missas celebrabunt, ablutionem non sumant, nisi in ultima, ut sint in aliis duabus ieiuni, nec celebrent illas, nisi prius monasterii superiorem consuluerint.

19. Corporalia non sint de alia materia quam de lino, quia [r] Christus sepultus fuit in sindone munda, propterea debent esse alba et munda teneri, et si eorum extremitates sint cum aliquo ornatu, isdem sit simplex absque dissectionibus [s] et huiusmodi ornatibus, quibus sacrarum hostiarum fragmenta vel particulae retineri possint.

---

[r] quia... esse: *deest* A^2A^4. [s] disreptionibus: A^2A^4.

20. Erigatur crux super unumquodque altare, ubi non est imago sculpta aut ad minus picta Domini nostri Crucifixi. Altaria vero quae corrupta et absque sigillo consecrationis et sanctorum reliquiis, nec necessaria sunt, demoliantur, dummodo tot consecrata remaneant quot pro missarum celebratione opus fuerit.

21. Cum missa celebranda fuerit, altare tribus mappis cooperiatur seu pallis benedictis, quae postea complicare quo mundius,et ubi necesse fuerit, tutius a periculo serventur in proximo altaris armario vel in sacristia. Et ipsum altare aliquo decenti tapete protegatur a pulverum sordibus.

22. In dextro latere cuiusque altaris extruantur piscinae seu lavacra, in quibus post sumptionem sacramenti ablutio calicis et manuum celebrantis et alia similia rebus sacris servientia, quae in terram tamquam profana minime abiicienda, deponantur.

23. In unoquoque altari seu sacello sit campana, quae paulo ante elevationem sacrae hostiae pulsabitur, ut qui fuerint in ecclesia vel proximis locis, de adorando augustissimo Sacramento admoneantur.

24. Abbates benedicti, diebus in missalibus Ordinis praescriptis, abbatiales missas solemniter celebrent ; ceteris autem diebus curis sepositis, quam saepe poterunt, celebrent, quod frequentius debent pro animarum sibi commissarum salute, iuxta Apostolum dicentem « Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constitutitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificet pro peccatis. »

25. Abbates benedicti cum ornamentis debitis et mitrati cum pontificalibus diebus solemnibus possunt in choro in sua sede in utriusque vesperis praesidere, ut scilicet in Nativitate Domini, in die Sancto Paschae, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M., SS. P. N. Bernardi et Omnium Sanctorum. Praeterea in hebdomada sancta debet officio hebdomadarii fungi vel cantori committere secundum laudabilem Ordinis nostri consuetudinem.

26. Iuniores, non sacerdotes omnibus solemnioribus festis, in Quadragesima et Adventu singulis dominicis, aliis vero temporibus, quindenis singulis ad minus confiteantur et communicent.

27. Credimus et adoramus in SS. Eucharistiae sacramento, D. N. I. C. verum et unicum Dei Filium; ideoque ante [t] tabernaculum, ubi est D. N. I. C. corpus, lampas continuo ardet, ut vel hoc signo unusquisque tanto Sacramento cultum quam maxime potest cum profundiori inclinatione exhibere admoneatur.

28. Tabernaculum praedictum non alibi quam in eminentiori loco super maius altare, si fieri possit, collocetur, quod, ut [u] sit velut gloriosum corporis Christi monumentum, quam decentissime ornetur exterius, et si fieri potest decoretur interius auro et serico panno, et in eo extendatur corporale super quod reponatur sanctuarium, sive vasculum quod ciborium vocatur, quod aureum vel argenteum esse debet mundissima sindone inte-

---

[t] *Hic incip.* A^2A^4. [u] ut sit ... monumentum, quam : *deest* A^2A^4.

rius circumcinctum [v], ut in eo dignius quinque aut septem sacrosanctae hostiae omni die dominico renovandae consecrentur. Sanctum vero chrisma et oleum infirmorum in alio decenti atque separato armario, maiori altari proximo, recondantur.

CAP. VIII. DE ECCLESIA [w] — **1.** In ecclesia, quae domus [x] orationis est, nihil profanum, nec quod inhonestatis et irreverentiae speciem habeat aliquam, eiusque suppellex, in sacris vasis, vestibus, libris, ornamentis, paramentis, aliisque similibus ad divinum cultum rite celebrandum necessariis, singulis annis augeatur, quousque illis ornamentis instructa fuerit.

2. In his omnibus sedulam suae ecclesiae curam quisque abbas habeat, et quantum decorem domus Dei diliget, ipso facto ostendat, negligentem compellat. Pater abbas vel eius vicarius, ut inter visitandum certam convenientem pecuniae summam in pios illos usus exponendam sub certa mulcta praescribat.

3. Indecorum est, ut omnibus indifferenter pateat ingressus in chorum praesertim mulieribus, quibus non licet loca regularia ingredi monasteriorum. Ideoque ubi ingressus ecclesiae est extra regularem clausuram, sit more Ordinis clausura ubi non est, separans a reliqua ecclesiae parte ipsum chorum, extra quem devotae personae devotioni suae satisfacere poterunt. Illius autem clausurae ostia, non nisi urgente necessitate et multitudine eorum qui ad visitandas sanctorum reliquias, quae ibi coluntur et servantur, abbate permittente, aperiantur.

4. Canes et alia bruta, ne in ecclesiam ingrediantur, caveatur infixis ante ipsius fores cratibus ferreis, et si forte fuerint ingressa, ab aliquo ad id deputato tamquam ostiario statim eiiciantur. Nihilque demum in ea toleretur, quod speciem aliquam turpitudinis aut irreverentiae prae se ferat. In illis et similibus ecclesiae munditiam concernentibus culpabiles repertos, abbas vel claustri praesides severe puniant.

5. Sacrista ecclesiae ornamenta, sacra vasa, calices, purificatoria, corporalia, sive mappas altarium, tersoria, manutergia, aliaque generis missae sacrificio inservientia saepe lavet ; munda, pura et integra honeste conservet ; nihilque in eis turpe, aut immundum patiatur, curetque sedulo ab ipsis ecclesiasticis utensilibus amoveri sordes omnes et immunditias, quae piorum, imo etiam divinae Maiestatis oculos offendunt. Porro omnium sacristiae mobilium faciat inventarium coram abbate, vel claustri praeside, quo ab ipso sacrista subscriptam in archivo servetur, singulisque sex mensibus, vel quoties opus fuerit, examinetur.

6. Reliquiae sanctorum ubicumque extiterint, cultu et honore suo non priventur, proinde in festis suis, cum decore debito, afferentur ad maius altare vel ad aliud illis peculiariter dedicatum, lucente coram illis continuo lumine, sacrista eas in scripto habeat, nec huic officio desit.

---

[v] circumamictum : *A^4T^5*.
[w] aliisque ad ipsam pertinentibus : *P^3T^3*.
[x] domus Dei : *A^2A^4*.

7. Sanctuarium, iocalia, ornamenta vel mobilia pretiosa ecclesiae, cum propter bellorum pericula extra monasterium tranferenda fuerint, abbates et seniores monasterii ea loco securo et convenienti recondi sub tribus clavibus diversis, quae sicut archivi claves conservabuntur.

8. Occurrente festo alicuius sancti in cuius memoria capella aliqua vel altare consecratum est, ipsum altare specialius ornetur, et a primis vesperis usque ad finem diei sequentis ibi continuo lampas vel cereus ardeat.

9. Ecclesiae altaria et eorum tabulae superiores et inferiores, capellae, oratoria, monumenta et sepulcra singulis hebdomadibus a iunioribus fratribus simul et a conversis ac famulis, nisi necessariis manuum operibus occupentur, a pulveribus aliisque sordibus emundentur.

10. Post *Salve Regina,* ter tribus ictibus pulsetur maior campana, et ab omnibus ubicumque fuerint, cum sonum audiverint, flexis genibus et manibus terram contingentibus inclinando se, ter dicant *Ave Maria.*

11. Quia constat in monasteriis nostris singulares confraternitates communitatem quae inter eiusdem monasterii et professionis fratres esse debet, divisione quadam exturbare, dum alii in eis recipiuntur, alii vero ab eis excluduntur et pro sustinendis illis conferendae sunt pecuniae, quas religiosi habere non debent, et alia quaedam agenda sunt et gestanda, quae singularitatem sapiunt, diversitatem inducunt et repugnant monasticae paupertati, ut quod tenentur ferre cruces, cingula, vestimenta et alia insignia portare; quare confraternitates huiusmodi, in eis quae Ordinis nostri uniformitati et professioni nostrae contrariae sunt, abrogantur et prohibentur. Laudamus vero et approbamus alia omnia pietatis opera quae in eis fiunt, ut celebrare missas de sanctis, orare peculiarius pro vivis et defunctis, aliaque religiosa exercere officia, gestare cruces, rosaria et simila, non autem vestimenta aliqua, et modo illud sit ex devotione non ex obligatione, cui nullus religiosus adiungere potest sine permissione sui superioris, quod ut vitetur abusus et dissimilitudo, non facere nec nisi pro maiori bono concedere debet. Sunt et aliae saecularium confraternitates in eorum ecclesiis extra monasteria, quibus nonnulli ex nostris inscribi curant et ordinant certis conditionibus obedientiae voto contrariis, ex qua multa oriuntur inconvenientia; propterea ipsis, ut a talibus confraternitatibus desistant, ac ne ulli postea inscribantur sub inobedientiae poena praecipitur.

CAP. IX. DE PROCESSIONIBUS. — **1.** Solemnes processiones in ambitu claustri vel in ecclesia certis diebus festivis debent fieri, et praeter eas etiam dominicis diebus et festis duarum missarum, tempore necessitatis singulis diebus, si commode fieri possit, aut saltem bis ad minus pro pace et tranquillitate Ecclesiae eiusdem necessitatibus et post cantatam antiphonam *Exurge Domine,* aliquod responsorium devotum vel loco illius litaniae, cantabitur cum versiculis et collectis competentibus.

2. In festo SS. P. N. Bernardi solemnis fiat processio cum tribus stationibus per ambitum claustri, cum duobus responsoriis *Beatus Bernardus,* et *Felix namque,* cum antiphona *Benedictus Dominus Deus Patris nostri.*

3. Ad effectum indulgentiae plenariae a Summis Pontificibus Gregorio XIII et Clemente VIII Ordini nostro in festo Patris nostri Bernardi con-

cessae maiori cum debito consequendum, omnes utriusque sexus Ordinis nostri personae in vigilia praedictae festivitatis ampliorem ob devotionem ieiunabunt, et orationes in eis in praedicto brevi commendatas facient.

4. Quando vero fiunt supplicationes in festo alicuius sancti, possunt cantari aliqua responsoria vel antiphonae festo convenientes. Nulla fiet supplicatio aut processio, nisi crux praeferatur cum duobus cereis accensis et aqua benedicta quam subdiaconus fuderit.

5. Quando [y] contingit per dioecesim supplicationes publicae celebrari, processiones aut orationes pro quibusdam necessitatibus occurrentibus, fient, secundum formam Ordinis, abbas, captat oseniorum consilio, supplicandi modum instituat.

CAP. X. DE SPIRITUALIBUS EXERCITIIS. Religiosis personis, quae velut Maria sedent secus pedes Domini audientes verbum illius, non cum Martha satagentes circa frequens ministerium, meditatio in primis necessaria et maxime salutaris, ipsa enim parit maiorem notitiam beneficiorum Dei erga nos, ut eorum maior notitia vicissim, ad frequentiorem meditationem nos provocat, unde tanto amplius illa cognoscuntur quanto attentius considerantur et frequentiori meditatione expenduntur, quapropter omnes [z] monastici ordines hoc tam utile meditandi studium ardenter amplectantur, quo in charitate Dei concalescat cor eorum, et ignis devotionis in eis exardescat. Ordo vero noster qui in illo spirituali exercitio olim inter primos, ne modo sit postremus maxime convenit ut in eo excitentur et magis ac magis accendantur qui ipsum profitentur. Quamobrem horae divinorum officiorum et aliarum necessitatum sic disponantur ut singulis diebus diligenter se recolligentes per exactum suae conscientiae et actionum quotidianarum examen, quolibet tempore et accommodato loco, quotidie in spatio matutino, saltem per mediam horam et tantum idem temporis post completorium ; in cellulis omnes utriusque sexus personae regulares vacare possint meditationi [a] alicuius mysteriorum redemptionis nostrae, vel vitae aeternae, vel etiam operis vel beneficii divini, vel alicuius virtutis et gratiae, et contra aliquod peccatum vel vitium, prout Dominus in lege sua et sanctis eloquiis meditantibus inspirabit et suggeret lectio piarum meditationum S. P. N. Bernardi, vel divi Augustini, vel aliorum doctorum. Quod quidem ut nunquam intermittatur, cunctis abbatibus, praesidentibus claustri et senioribus, huius exercitii spiritualis et aliorum similium cura et sollicitudo vehementer commendatur, ne animae suorum fratrum hoc suo alimento destituantur, quod gravius esset crimen quam si illis corporis alimenta subtraherentur.

CAP. XI. DE CONFESSIONE. — **1.** Quoniam potissima pars verae pietatis comparandae ac retinendae constituta est in bonitate et sinceritate conscientiae, propterea quo melius aedificetur ipsa et instruatur et insti-

---

[y] Quoties : P^3T^3. [z] A^2A^4 incip. : Quia religiosis personis meditatio est necessaria et maxime salutaris, ideo omnes monastici... *etc.* [a] vacent. Cunctis abbatibus : A^2A^4.

tuatur a confessariis, necesse est, ipsis casus conscientiae notos et perspectos esse, canones poenitentiales intelligere, ut de poenitentia quam cuique peccato ipsi prescribunt, confitentes admoneant. Probatam vero aliquam confessionis formam sciant, ex qua peccatorum differentias, circumstantias, magnitudines, causasque discant, ut poenitentibus condignas satisfactiones iniungere valeant.

2. Nulli instituentur confessarii, nisi prius approbati sint idonei et capaces, qui tam religiosorum quam domesticorum et famulorum confessiones audire poterunt.

3. Confessionem peccatorum suorum qui facturus erit, prius discutiat et examinet diligenter conscientiam de commissis, pro viribus conteratur et humilietur et integre confiteatur peccata sua cum omnibus eorum circumstantiis, non tantum in genere sed specie, credens remitti a Deo quae sacerdotum ministerio remissa fuerunt.

4. Sacerdotes promiscue sibi invicem sacramentalem confessionem non faciant, sed his tantum quos abbates in iis monasteriis digniores deputaverint ad confessariorum officium probos et idoneos, qui cum magna discretione bonos et malos poenitentes monere, hortari et docere, ac ad veram poenitentiam adducere valeant.

5. Confessio fiat non in loco profano, sed in capitulo dumtaxat, secundum Ordinis consuetudinem, et casu occurrente, in aliquo ecclesiae oratorio, et graviter infirmi in infirmitorio.

6. Omnis persona professa Ordinis tenetur semel in anno, idque in Quadragesima, confessionem generalem facere abbati proprio vel alteri ab eo deputato, qui si non possunt per se ipsos, aut videant aliter expedire pro securitate conscientiae sibi subditorum, potestatem quam habent absolvendi a casibus reservatis, aliis confessariis idoneis committant.

7. Caveant autem confessarii ne verbo aut signo quovismodo prodant peccatum confessi, nam qui peccatum in iudicio poenitentiali detectum revelat gravissime peccat, et hunc non solum ab executione sui officii sacerdotalis suspendendum, sed etiam detinendum esse in arctiori carcere ad agendam poenitentiam, ut iura canonica statuunt.

8. Non licet personis Ordinis utriusque sexus confiteri saecularibus presbyteris aut aliis alterius Ordinis, sine proprii praelati permissione, prout Ordinis statuto prohibitum est, propter multa inconvenientia quae insequi possunt ; id tantum licebit viatoribus in itinere, ubi confessarius Ordinis defuerit, dummodo id non faciant ad declinandum Ordinis confessarium.

9. Et si omnes sacerdotes aequalem habeant potestatem ordinis, non tamen iurisdictionem nec aequalem Ecclesiae clavium usum. Proinde nullus, sacerdos ex nostris sine auctoritate sui superioris et episcopi concessione, et plebani requisitione, saecularem non subditum absolvere potest ; eorum enim confessiones audire nostris prohibitum est, exceptis monasteriorum familiaribus, nisi in extrema necessitate, aut mortis articulo constitutorum, nec etiam deputati confessarii poterunt absolvere confitentes a casibus reservatis, quorum alii Summo Pontifici, alii Capitulo generali, ipso non sedente Rmo D. Cistercii et quatuor primis cuilibet in generatione

sua, alii etiam propriis abbatibus vel superioribus monasteriorum reservari consueverunt.

10. Casus reservati Summo Pontifici hi sunt, qui illi tum per bullam *Coenae Domini*, tum per canones specialiter reservantur, omnesque habent annexam excommunicationem, quales sunt haeresis, homicidium voluntarium, symonia realis, falsificatio litterarum papalium, delatio prohibitorum ad partes infidelium, excommunicatio papalis, et omnis irregularitas contracta ex his vel aliis capitibus Sedi Apostolicae reservatis, de quibus et eorum numero confessarii ex manualibus et aliis piis libris ad hoc conscriptis plenius instrui debent.

11. Capitulo generali, et ipso non sedente Rmo D. Cistercii et quatuor primis abbatibus cuilibet in generatione sua, reservantur sequentes casus : occisio, mutilatio membrorum, enormis sanguinis effusio, abbatis vel clerici saecularis percussio, abortus, veneficium, incantationes, sortilegia, exercitium artis magicae, sacrilegium, iuramentum falsum in iudicio adversus famam alterius, conspiratio seu specialis contra Ordinis disciplinam et maiorum instituta confederatio, seu violatio privilegiorum, immunitatum, iurisdictionum Ordinis patrum vel abbatum vel visitatorum, falsificatio ordinationum, expeditionum, seu quarumlibet litterarum Capituli generalis, eius commissariorum vel patrum abbatum, usura, exercitium mercaturae, emptio bonorum immobilium proprio vel alio quam conventus nomine et utilitate facta, voluntaria cuiuslibet loci vel aedificii incensio, incestus, vel sacrilegii commissio, apostasia per sex menses habitu sive demisso sive retento, bigamia vera vel interpretativa, denique perpetratio cuiuslibet criminis non aliter quam capitaliter in saeculo puniendi.

12. Proprii demum superiores casus aut pauciores, si ita videatur, non autem plures reservare debent. Hi sunt nocturna et fugitiva a monasterio seu conventu egressio etiam animo non apostatandi facta, proprietas ultra votum paupertatis quae sit peccatum mortale, procuratio seu auxilium sive consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto ; falsificatio manus aut sigilli abbatis vel officialium monasterii vel conventus, voluntarius lapsus carnis cum secunda persona opere consummatus, malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores, et e contra.

13. A supradictis casibus inconsultis illis quibus reservantur et sine eorum licentia generali vel particulari poenitentes absolvere, nisi in casu extremae necessitatis, integrum non erit confessariis ; si quis contra facere praesumpserit, adire poenitentem et ei dicere debet se gravem errorem commississe in confessione, si ei placeat iterato redeat ad confessionem aut facultatem ei det de confessione loquendi et si concesserit, deteget tunc errorem suum et ita abunde satisfaciat pro suo errore praeterito, tunc poenitens tenetur ad confessionem redire, alias si renuerit, culpa in illum transfunditur. Ante omnia caveat confessarius absolvere ab excommunicatione, suspensione vel interdicto in iure positis, alias excommunicationem incurreret Papae reservatam.

CAP. XII. DE LEVI CULPA ALIISQUE POENIS ET CENSURIS ORDINIS. — **1.** Fratres qui in levi culpa sunt, de labore manuum maneant propter satisfactionem, in inferiori choro omnium ultimi stent, qui dum satisfacient toto corpore prosternantur ad gradum presbyterii ante *Kyrie eleison ;* donec dictum fuerit *Deo gratias*, omnibus diebus, quibus conventus prosternitur super formas. Ceteris vero diebus ibidem stantes incurventur. Extra mensam aliorum, loco quo abbati visum fuerit, comedant, omnibus intervallis et spatiis solitariis in claustro permaneant. Prior vel supprior, si in levi culpa fuerint, officia sua in ecclesia cantando vel legendo vel benedictionibus dandis non exsequentur.

2. Dum vero aliquis gravi culpa subditur, accipiat in ipso iudicio disciplinam, deinde iniuncta sibi poenitentia gravis culpae statim ponat caputium in capite, exiens de capitulo, in locum quem ei competere viderit superior ; deputetur ei senex ad solatium, qui eum consoletur et provocet ad humilitatem, ne ampliori tritistia absorbeatur, et sicut dicit regula, oretur pro eo ab omnibus, iniungaturque pro eo in capitulo oratio specialis [b]. Debet autem superior corporis valetudinem attendere et culpae modum, nam secundum hoc debet minui poena vel gravari. Refectionem solus accipiat, mensura et hora qua providerit abbas ei competere, ante fores oratorii prostratus iaceat in terra, dum completur opus Dei, non habens caputium in capite, quod tamen habere solet in eundo more solito. Quoties autem missa vel officium defunctorum sine intervallo sequitur horam canonicam non prosternatur, donec conventus exeat de ecclesia; omnes non coguntur exire propter eum, sed qui exierint ante eum transeant.

3. Cum vero in capitulo recipiendus fuerit, ad superioris iussionem usque ad ingressum capituli, habeat caputium in capite sicut prius, quo deposito, veniat ante abbatem vel praesidem ante cuius pedes super genua et articulos manuum ipse se prosternat, eo modo ante pedes singulorum, illis non inclinantibus nec ipsum adiuvantibus, sed sedentibus in quiete. Deinde ante priorem supercurrens chorum prioris, si prior affuerit, vel aliquis abbas loco illius. Quoties ante abbatem transierit, inclinet se et sic veniens stet ante analogium non petens veniam donec ad abbatis vel superioris imperium est sessum. Nec ponatur eo die in ordine suo, nec usque ad iussionem abbatis vel superioris aliquod officium exsequatur, sed dum completur opus Dei tam in ecclesia quam in labore, prosternat se in terra, in loco quo stat, donec iussus a superiore ab huiusmodi satisfactione conquiescat.

4. Praeter supradictas poenas sunt imprimis excommunicatio solemnis in dominica Palmarum quotannis in omnibus capitulis fieri solita. Aliae etiam in diffinitionibus et statutis comprehensae, seu quae a iudicibus feruntur, incarceratio, ieiunia in pane et aqua, inhabilitas ad dignitates et actus legitimos, hoc est ad accusationem et testificationem, et quod non possit eligere vel eligi in priorem, confessarium, cellerariumque promoveri, translatio vel eiectio ex proprio monasterio, vel ad tempus vel

---

[b] spiritualis : *A*[2]*A*[4].

absque spe reversionis, eliminatio ab Ordine, perpetui carceres. Aliae omnes pro quibus et a quibus, quando et quomodo inflingantur et applicentur per totam fere distinctionem septimam *Libelli Diffinitionum* fuse explicantur, ad quam pro illis convenienter explicandis, in casibus occurrentibus recurrere oportebit, hoc in universum notato quod sola poenarum inflictio non infamat, nisi crimen vel excessus tantus praecesserit, ut ex sui natura infamiam secum trahat.

CAP. XIII. DE CAPITULO. — **1.** In capitulo corrigendi emendandique sunt defectus, et quae ad spirituale fratrum regimen pertinent, cum servata custodia tractanda. Quapropter quotidie hora in Ordine solita fratribus cum praeside convenientibus, lecto capite Martyrologii, quod ad usum romanum in omnibus Ordinis nostri monasteriis ipsi Ordini accommodatum, deinceps legetur diei sequentis, convenienter cantetur *Pretiosa in conspectu Domini*, etc. Postea regulae caput recitetur, quod a praeside capituli pro instructione fratrum exponetur. Praeterea a singulis diligenter ac privatim ipsa regula legatur, ideoque eius exemplar unusquisque habeat.

2. Deinde fiant pro more Ordinis spontaneae proclamationes culparum, et delictorum occurrentium correctiones absque simulatione et personarum acceptione. Si quis iniunctam sibi poenitentiam superbe recusaverit, aut sine praesidis licentia loqui ausus fuerit, in carcerem mittatur, nisi ante exitum Capituli resipiscat, iniunctamque poenitentiam acceptet et praesidi satisfaciat. In ceteris ad praescriptum libri *Usuum* in eodem capitulo se quisque gerat et componat.

3. Correctiones fiant cum charitate paterna, non ex prava passione, sed misericordia ita temperet iustitiam superior, ut qui corrigit alios eorum conditiones attendat. Mites et patientes, ut in melius proficiant, admoneat et obsecret, negligentes vero et renuentes increpet et durius puniat. In omnibus autem non exorbitet ab ea naturae regula : quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Fraternae correctionis officium non praetermittatur, propterea erga gravius delinquentes, primus qui animadverterit fratrem delinquentem semotis arbitris eum secreto moneat, modum accommodatum ad emendationem ei adhibens, si persistat in peccato coram uno aut altero vocatis, iterum moneat, ut eorum una commonentium consentiente iudicio vel auctoritate vel etiam testimonio moneatur ut poeniteat ; quod si necdum fecerit, tunc palam in capitulo vel ad superiorem separatim eum deferat, ut qui monitis obdurescit, cum debita suae culpae poena superioris arbitrio ei infligenda corripiatur ut resipiscat.

4. Si quis autem, quod Deus avertat, ea pertinacia fuerit et animo in peccato obstinato nullius remedii vel lenitate vel acerbitate poenae emendari velit, tamquam membrum insanabile et damnosum sit, priusquam ferro abscisionis iuxta regulam abbas vel pater immediatus utatur, huius rei diffinitio ad Rmum D. Cistercii et ad alios quatuor primos abbates deferatur.

5. Non licet religioso pro quacumque correctione capitulari appellare a sententia proprii abbatis aut praesidis, ad superiorem vel eius vicarium

vel primos superiores vel etiam ad D. Cistercii, sed huiusmodi praesumptio et inobedientia ad aliorum exemplum et terrorem severe puniatur.

6. Si quispiam tamen voce activa et passiva privandus vel ad perpetuos carceres condemnandus est, permittatur ei ad superiorem cum omni modestia et humilitate appellare et interim incarceratus maneat, donec eius causa decisa fuerit.

7. Capituli praesides exhortationes spirituales saepius habeant ad fratres, praesertim quando ex occasione proponitur argumentum arguendi et corrigendi ad sui ipsius abnegationem, mortificationem et ad alia spiritulia exercitia et in lege Domini meditentur die ac nocte, et per votorum suorum redditionem et regularis disciplinae districtiorem observantiam salutem suam, quae prima cura omnibus esse debet, sollicite operentur.

8. Legantur ab uno praeside claustrali, dominicis et festivis diebus, aliquod capitulum *Usuum, Ordinarii* vel *Diffinitionum* Ordinis fratribus in locutorio vel capitulo congregatis, ut intelligant quomodo in divini officii celebratione et observantia regulari se gerere debeant.

9. In utroque festo sancti Benedicti, singulis annis, in capitulo inchoatur lectio regulae, quam propterea privatim fratres legere et secundum eam, sicut professi sunt, vivere teneantur, et si opus fuerit, debitis poenis compellantur.

10. Dominica Palmarum, praeses capituli pronuntiet sententiam excommunicationis contra proprietarios, conspiratores, fures et Ordinis secreta revelantes, aliosque casus in dicta sententia contentos, et forma excommunicationis praedicta iuxta antiquum tenorem qui talis est.

11. Auctoritate Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, Beatae Mariae et omnium Sanctorum et totius Ordinis et nostra, in his scriptis excommunicamus conspiratores, proprietarios, fures, visitationes, electiones et correctiones, ordinationes seu executiones impedientes, vel ipsis visitatoribus aut patribus abbatibus procaciter aut proterve se opponentes, istaque facientibus consentientes vel per se vel per alios, litteras, preces, minas, insidias, auxilia potentium et saecularium procurantes, nisi intra [c] octo dies se duxerint corrigendos, item illos qui secreta Ordinis revelaverint saecularibus, videlicet quando contributiones fiunt in Ordine pro ipsius Ordinis libertatibus aliisque iuribus defendendis, procurantes a baronibus, principibus, regibus quod huiusmodi contributiones tam Ordini nostro necessariae non solvantur, vel si solutae fuerint, procurent ut ab ipsis potentibus [d] habeantur; praedictos proditores Capitulum generale excommunicat in his scriptis. Item, illos omnes qui propriis abbatibus in eorum correctionibus regularibus temere obviare praesumpserint, vel qui litteras, minas, preces pro promotione officialium aut receptione personarum in Ordine impetraverint, aut impetratis usi fuerint eadem sententia se noverint innodatos, a qua non nisi a R. D. Cistercii vel a quatuor primis abbatibus, quolibet in generatione sua, beneficium absolutionis obtinere possint. Fiat, fiat.

---

[c] diem Iovis. (olim octo dies): A^2A^4. [d] poscentibus: A^4.

12. In capite Quadragesimae iuxta regulam a cantore distribuuntur libri ex bibliotheca fratribus ad praesidis capituli nutum, quos cum legerint, restituant incorruptos et incontaminatos, et alios per ordinem recipiant, idque sub scedulae recognitione, ne libri dispereant. Disciplinas pro devotione saltem omni sexta feria Quadragesimae, Domino Iesu Christo compatiendo in memoriam et venerationem eius passionis in tempore et loco ecclesiae convenienter more Ordinis suscipiant.

CAP. XIV. DE CLAUSTRO. — **1.** In claustro fratres contineri debent in piis studiis, lectionibus aliisque exercitiis spiritualibus, in eo non discurrere, nec loqui, nihilque facere quod religiosum silentium ibidem continuo servandum interrumpat, alias tamquam insolentes puniantur.

2. Ne per claustri portam extra loca regularia pateat egressus, et in ipsa loca bruta et personae non necessariae passim ingrediantur, nec fratres praesertim iuniores sine praesidis licentia eius ostium egrediantur, clausum teneatur cui appendatur campanula, qua ipsius aperiendi dabitur signum ianitori, qui nemini ingressum debet concedere sub poena, quam suae transgressionis qualitas merebitur.

3. Et ne fratres liberius quam par sit divagentur, et in usum deambulandi ecclesiam convertant, quae domus orationis vocatur, prohibetur omnis in ecclesia deambulatio.

4. Ad illud ostium claustri vel portae regularis pro ratione et commoditate loci constituatur religiosus sapiens, maturus moribus, qui sciat, secundum sanctam regulam, responsum dare et accipere.

5. Ad maiorem fratrum quietem et regularis disciplinae conservationem, saecularium conversatio inter eos et accessus sine abbatis vel unius superioris claustralis licentia interdicitur, et fratres conversi vel saltem donec prospectum fuerit de conversis, famuli probi et honesti non coniungati ad ministralia claustralia assumi poterunt.

6. In parte claustri ecclesiae contigua, quae ad lectionem aliaque claustralia officia, sedibus, vitreis fenestris, ubi non sunt, accomodabuntur necessaria. Ante completorium habebitur lectio quae collatio dicitur, in qua sub praeside fratribus sedentibus per mediam horam legatur aliquid ex piis libris et auctoribus vel operibus SS. P. N. Bernardi aut alicuius probati Ecclesiae doctoris, unde auditores aedificari possint ; cui lectioni omnes intersint, et cum silentio attente audiant, corripiaturque severe qui abfuerit.

7. In altera parte claustri, vel in schola capitulo proxima, vel etiam in bibliotheca singulorum monasteriorum sint aliquot boni studii libri et contemplationi utiles, quorum lectioni fratres spatiorum tempore debebunt incumbere ; maxime habeatur sacra biblia, catechismus sanctae Sedis Apostolicae auctoritate editus ; SS. P. N. Bernardi opera, historiae, vitae sanctorum patrum, sancti Benedicti regula cum commentario, martyrologium, liber usuum, ordinarii, qui omnes et alii ad communem lectionem parati cathenis alligentur ne auferantur.

8. A feria quinta hebdomadae sanctae usque ad festum Exaltationis sanctae Crucis, singulis diebus sabbatinis ante praedictam collationem fiat in claustro mandatum.

CAP. XV. DE DORMITORIO. — **1.** In dormitorio, fratres se componant et dormiant secundum regulae praeceptum, finito Completorio, accepta a chori praeside aqua benedicta, statim in ipsum dormitorium ascendant, et singuli in suis cellulis se recipiant, in eisque partem unius horae supra ordinatam meditationem vel studiis, lectionibus, aliisque exercitiis spiritualibus vacent. Prior vero utrumque dormitorii ostium fratribus ingressus claudat et postea per fenestellas videat, quandocumque voluerit an omnes adsint, si singuli honeste et composite in suis cellis resideant et quiescant, postea cellarum ipsarum ea ratione claudenda ostia, ut ab earum ingressu non superiores sed saeculares et alii prohibiti excludantur.

2. Hyemali tempore, in regionibus frigidioribus, poterit concedi media hora fratribus ut se calefaciant, priusquam cellas suas ingrediantur, calefactorium dormitorio in parte proxima sit, in quo etiam spatiis horarum praedicto tempore, servando silentium semper, ob frigoris rigorem calefieri poterunt. Cellas praedictas saltem singulo quoque mense abbas vel prior visitet et videat, si lectisternia more Ordinis singuli habeant. Non habentibus etiam rebus ad quietem necessariis indigentibus suppeditari curet, caveatque diligenter ne religiosi prohibitos libros, arma, vestes, aut aliquid aliud nostro Ordini indecens aut minus conveniens habeant, ne vel aliquid cibi vel potus asservent ; si quid tale apud aliquem repertum fuerit, ei auferatur et detur pauperibus aut vendatur, et pecunia inde proveniens in arca conventus reponatur, et ille ita puniatur ut ceteris cedat in exemplum. Ad eum effectum abbas habeat communem clavem, et prior similem alteram vel eamdem, qua omnes et singulas fratrum cellas quando voluerint ingrediantur ; eadem quoque clave vel altera omnes eorum arculas aut scrinia aperient et scrutabuntur.

3. Nullus alterius cellam ingrediatur praeter praesides, quod iunioribus sub regulari disciplina, sacerdotibus sub gravis culpae poena prohibetur. Ne, si qui fuerint parum timorati, magis confabulationibus aut similibus actibus valde indecentibus aliorum studia et quietem turbent ob eamque causam et sub iisdem poenis nullus saecularem in dormitorium sine superioris licentia ex aliqua necessitate introducet.

4. Lampas paulo antequam fratres exeant a Completorio accendatur, ut cum in dormitorium veniant, lumen ibi reperiant, ipsumque tota nocte usque ad mane iugiter luceat et illuminet, ut quid agatur appareat et improvisis necessitatibus occurri possit.

5. Fenestellae cellularum ipsius dormitorii muniantur, ubi opus fuerit, cancellis vel virgulis ferreis, ne improbis aliqua per eas transgrediendi occasio relinquatur, et caminae, ubi fuerint, diruantur.

CAP. XVI. DE REFECTORIO. — **1.** Communem vitam servare debent fratres, propterea in refectorio, omnes sumant refectionem in uno latere mensae, cantetur benedictio ante initium refectionis ; ipsa durante continuetur lectio ; lectione finita, dicantur gratiae maiores per formam processionis eundo in ecclesiam, et ut in Breviarii rubrica habetur, cantent psalmum quinquagesimum, *Miserere*, ceteraque ibi notata.

2. Post laudes, hebdomadarii culinae ingredientes benedictionem accipiant, ut est in regula, quae studiose quoque servanda est in his quae ad refectionem pertinent.

3. Dentur fratribus competentes et honestae portiones cibi et potus, habita semper ratione temporum, dierum et locorum, si alicubi defectum aliquem repererit visitator vel vicarius, de eo convenienter ordinabit, maxime in monasteriis, ubi mensa conventualis separatur a commenda, certos et sufficientes redditus, quibus onera fratribus convenientis ferre possint, assignabit, graves poenas abbatibus et praelatis id negligentibus infliget. Servent in omnibus fratres sobrietatem et temperantiam, sine quibus castitas custodiri nequit.

4. Visitatores vel procuratores Ordinis per iuris et iustitiae vias cogant eos, qui monasteria in commendam recipiunt, quod necesse fuerit, iuxta Pii V constitutionem, ut commendae a ditionibus a Concilio Lateranensi praescriptis ac aliis singulis litteris apostolicis et huiusmodi commendis confectis ad specialem cuiusque rei necessariae significationem appositis integre satisfaciant. Eaque de causa procurent praelati vel visitatores, ut quisque commendatarius coram iudice competenti exhibeat suae commendae provisionem apostolicam, quatinus iuxta tenorem, eius et quae ad monasterii commendati statum et ad fratrum victumet vestitum aliasque necessitates ad ipsorum quoque nostrorum divinorum officiorum celebrationem sufficientem spectant, quaeque pro eleemosinis in Ordine solitis erogandis et pro hospitalitate exercenda, pro infirmorum medicamentis, pro reparationibus aedificiorum, aliisque ordinatis a visitatoribus aut superioribus omnino exsequantur.

5. Refectiones ordinariae ultra praescriptum horae terminum fratres non protrahant, nec ad eas personas saeculares admittant et, quod prohibet sanctus Benedictus, nemo praesumat ante statutam horam vel post ipsam quidquam cibi vel potus sumere, sed post utramque refectionem abstineant omnes ab intermediis diurnis nocturnisque compotationibus et commessationibus, ne eorum corda graventur crapula et ebrietate. Qui ebrius fuerit, vel contradicta fecerit, tota die sequenti nihil ei nisi panis et aqua detur in sua refectione, quam in subsellio coram refectionis praeside sumet.

6. Abstineant tam abbates quam fratres a carnibus omni feria secunda et quarta ac toto Domini Adventu et tempore Septuagesimae, nec eisdem diebus ulli concedatur usus carnium, facultate tamen et auctoritate concessa visitatoribus ac Capituli generalis commissariis, secundum exigentiam et necessitates locorum, dispensandi, feria quarta omnino manente indispensabili cum toto Adventus tempore.

7. Abbates et praelati qui sine necessitate diebus praefatis carnes comederint, tenebuntur ieiunare die sequenti et septem psalmos poenitentiales orando dicere, super quod conscientiam eorum onerantes ; fratres in eodem delinquentes deprehensi disciplina vapulent regulari, sequentique die ieiunent; quod si recidivi fuerint, duplici eadem poena corrigantur.

8. Denique prohibetur omnibus monasteriis Ordinis nostri, ne de cetero hebdomadae sanctae, feria quinta convivia ante vel post Completorium

parentur, nec usus piscium feria sexta, in qua omnes in pane et aqua ieiunare debent ; tamen propter stomachi debilitatem modicum vini poterit eis concedi, maxime vero senioribus.

9. Abbas, quoties commode fieri poterit, cum suis fratribus refectionem in conventu sumat, nisi hospitum praesentia vel alia legitima causa impediatur ; occurrente autem rei necessitate praesertim divini cultus occasione, sese subtrahat abbas hospitibus, qui si probi fuerint, non scandalizabuntur, sed aedificabuntur, cum viderint illum servire potius Deo quam hominibus.

10. Abbatis mensa cum hospitibus et officiariis monasterii honesta, frugalis et religiosa sit, non ministrentur carnes eis, diebus quibus abstinemus, et ita tractentur ut inde monasteria non ingraventur, viteturque propterea omnis excessus, nec ipsi quemquam ad immoderate bibendum invitent, imo vero non patientur ullos sermones indignos ibidem misceri, sed tantum qui honesti sunt et ad aedificationem.

11. Sumptuosa et dissoluta convivia, quae in diebus vesturarum et professionum, primitiarum et installationum abbatum, cum magno parentum aut monasteriorum gravamine, et incredibili disciplinae regularis iactura fieri solent, penitus abolenda decernimus, omni excusatione postposita ; abbates et abbatissae quae id toleraverint, visitatoris arbritrio corripiantur.

12. Non liceat fratribus quidquam cibi aut potus seorsim conservare, sed reliquiae a portario vel servitore coquinae colligantur et reponantur, vel pauperibus erogandae, vel in aliquem monasterii usum expendendae, nec etiam cubicula aut alia diverticula petere permittatur, cuiuscumque refectionis captandae gratia ; sed omnes cogantur, qui legitime impediti non fuerint, ad unum simul refectorium convenire.

13. Nemini fratrum concedatur hospites etiam propinquos vel consanguineos seorsim in privata mensa excipere, sed omnes in communi cella hospitum vel in mensa abbatis vel in alio loco ad hoc deputato reficiantur, non ad commune fratrum refectorium, nisi forte eis superior id propter insignem conditionem praesertim virtutis et religionis esse tribuendum censeat.

14. Nemo cum hospite extraneo loqui praesumat, neque ei commune vel eorum quae gesta sunt aut gerenda in monasterio, nisi communia et quae ad aedificationem conferunt.

15. Abbatibus et aliis monasteriorum superioribus districtius praecipitur ut per se vel per alios exercere faciant hospitalitatem erga personas Ordinis pro cuiuscumque conditione et qualitate, provideantque ne de hoc charitatis officio neglecto occasionem conquerendi nullus habeat. Qua de re visitator inquirat diligenter si servetur; ut quos repererit negligentes contra eos cum rigore procedat, ipsi autem hospites sint contenti uno aut altero die commensari in monasterio, nisi necessitas diutius morari eos cogat.

16. Sanctum Quadragesimae ieiunium et alia quae de praecepto Ecclesiae sunt, sub poena peccati mortalis observent, nisi infirmitatis bene prospecta necessitate dispensandi rationem praelatus dederit, nec eisdem diebus lacticiniis aliisque quam Quadragesimae cibis uti cuiquam liceat,

habita tamen provinciarum consideratione, quarum nonnullae carent oleo, butyro uti cogantur, quae indulgentia ad arbitrium patrum abbatum vel vicariorum ordinationibus compensabitur.

17. Ieiunia Ordinis et regulae praeceptum observentur, sed si quando rationabili causa dispensanda videbuntur, nunquam tamen feria quarta et sexta ab idibus septembris usque ad caput Quadragesimae ; nam a sancto Pentecoste usque ad idus septembris, ut est in regula, abbatis discretioni dispensanda relinquuntur, nisi praecedenti aut sequenti die ieiunium de praecepto evenerit.

CAP. XVII. DE ELEEMOSINIS. — **1.** Ad ea quae superfuerint ex cibo et potu, adiungatur eleemosina pro modo reddituum monasterii cuiusque et portiones eorum qui in poenitentia fuerint, et ea omnia per portarium vel per dispensatorem conventus pauperibus in porta monasterii palam distribuentur. Per triginta dies solemnis tricenarii tres integrae portiones pro defunctis fratribus et benefactoribus cum portionibus eorum, qui in poenitentia fuerint, pauperibus distribuentur.

2. Praeter hanc eleemosinam distribuatur alia generalis, secundum Ordinis statuta, singulis annis, in die Coenae Domini, secundum cuiusque monasterii laudabilem consuetudinem.

CAP. XVIII. DE INFIRMITORIO. — **1.** Abbates iuxta regulae praeceptum valde solliciti sint, ne infirmi aliquam patiantur necessitatem, sed eis omnibus sicut Christo inserviatur, provideat qui de omnibus necessariis tam medicinis quam de cibo et potu aliisque solatiis, et ut commodius omnia eis praestentur, in monasteriis ubi non sunt infirmitoria, praecipitur districtius abbatibus ut infra semestre curent infirmitoria vel cubicula parari, ubi caminae construantur et cetera necessaria praeparentur.

2. Infirmus antequam cellam infirmorum ingrediatur, praemittat confessionem peccatorum, ut statim commode fieri poterit, sacram communionem sumat, et gravius aegrotanti videat diligenter infirmarius ut extremae unctionis sacramentum mature ministretur.

3. Infirmitorio praeficiatur religiosus timens Deum, diligens et sollicitus, qui infirmis fratribus quanta poterit cum charitate et munditia serviat.

4. Quod si visitator in sua visitatione negligentiam erga infirmos committi repererit et intellexerit, moneat abbatem qui, si tertio admonitus huic negligentiae conniveat, aut consensum praebeat vel saltem emendari non curet, assignabitur per visitatorem praesertim in monasteriis commendatis aliqua certa pecuniae summa, quae servabitur in arcula tribus serris obserrata, quarum claves prior et alii duo religiosi a conventu deputati servabunt, ex eaque pecunia comparabuntur necessaria pro infirmis et aliae res minutae in fratrum usus, quibus congregatis expensarum ratio bis in anno reddatur, ut si quod superfuerit, servetur in eadem arcula in usus supradictos ; et si summa illa excreverit consilio fratrum expendatur in usus ornamentorum altarium vel alios similes, auctoritate abba-

tis ex consilio fratrum; nihil tamen propterea distrahatur de praedicta summa annua per abbatem danda nisi ex visitatoris ordinatione.

CAP. XIX. DE HIS QUAE AD COMMUNEM STATUM PRAEDICTORUM LOCORUM REGULARIUM PERTINENT. — **1.** Omnia supradicta loca regularia, ecclesia, sacristia, bibliotheca, capitulum, claustrum, dormitorium, refectorium, infirmitorium et omnes eorumdem locorum partes quoquoversus claudantur, ubi opus fuerit, sedulo reparentur, in bono decentique statu detineantur, portae non necessariae obstruantur, nihil profani patiatur, nec in eis quidquam reponatur, sed illis soli religiosi utantur, prout ad divini officii celebrationem et regularem observantiam fuerint instituta.

2. In iisdem omnibus locis, secundum regulam, omni tempore silentium servetur, et ubique post Completorium usque ad egressum capituli diei sequentis.

3. Sint locutoria, unum in maiori claustro aut prope ipsum, et ubi non est in loco maiori proximo et si fieri potest prope infirmitorium, ubi loquantur fratres, quando licentia datur, eaque locutoria sint aperta et sine ostio, et colloquia sint pia et religiosa.

4. Caveant omnes ab eo defectu, quo plerique solent de suae nationis provinciaeque hominibus quam praeclare sentientes et loquentes in alienae nationis homines procaciter invehi et loqui; id propterea sub poena gravi prohibetur, complectantur potius omni fraterna charitate se ipsos mutuo laudibusque prosequantur alienas nationes de sua tacentes, atque ut occasio in hoc genere peccandi tollatur, nullus inter ipsos fratres de bellis aut contentionibus principum christianorum sermo inducatur.

5. Nulli [e] liceat in ulla parte regularis clausurae alere aut habere canes aut aliud animal quod ecclesiam vel claustra aut alia loca regularia immunditiis contaminet. Qui contra fecerit in ieiunio panis et aquae continuo remaneat donec eiusmodi animalia eiecerit.

6. Sabbati vero diebus ac in vigiliis praecipuarum solemnitatum, eadem loca a iunioribus fratribus emundentur ut munditiies, quae religiosos maxime decet, in eisdem locis ubique appareat, nil autem, ibi sit quod possit offendere intuentes.

CAP. XX. DE FONDATIONIBUS, SEPULTURIS ET ANNIVERSARIIS. — **1.** Quoniam pleraque monasteria multis variisque fundationibus anniversariorum, missarum et aliorum officiorum gravata sunt, nullae deinceps a quoquam abbate et conventu, nisi expresso Capituli generalis vel Rmi D. Cistercii aut abbatum consensu et approbatione, recipiantur. Earum vero quae iam receptae sunt et quibus ipsa monasteria subiecta sunt et obligata, quaedam reperiuntur pro quibus celebrandis eleemosinae sunt adeo tenues, ut ex illis vix eis satisfieri queat, nihilominus nullus praesumat sua privata auctoritate sub gravi conscientiae suae onere easdem

[e] N° 5, 6: *desunt apud* A^2A^4.

fundationes diminuere, et earum missas ad minorem numerum reducere; haec enim omnia praesens Capitulum generale commisit discretioni commissariorum, qui diligenter praemisso examine circa multitudinem anniversariorum et missarum quibus monasteria gravata sunt, id statuant, quod ab eis expedire videbitur pro qualitate retributionis et numero sacerdotum, ut non tantum conscientiae exonerentur, sed etiam quoad fieri potest, piorum fundatorum intentioni respondeatur.

2. In ecclesiis nostri Ordinis nemini concedatur sepultura praeterquam aut illud ius habentibus aut his benefactoribus quibus abbas vel superior cum seniorum consilio eam petentibus tribuendam esse duxerit, id tamen non nisi ob pias maximique momenti causas faciant.

3. Fundatores, parentes, fratres, sorores, nostrique Ordinis benefactores et protectores in societatem meriti omnium bonorum operum, quae divino munere in ipso Ordine fiunt, fientque perpetuo ab omnibus fratribus assumuntur, et pro eis in vita pariter et in morte iuxta statutum Ordinis oretur. Pro exequiis autem eorum, quibus in ecclesiis, claustris vel cemeteriis nostris tumulari conceditur, pro eorum sepultura et celebratione et aliis pietatis officiis quidquam pascisci aut exigere non liceat, aut aliud committere quod simoniae labis aut sordidae avaritiae suspicionem habeat, sed quae eleemosinae nomine et in suscepti laboris gratitudinem ultro data fuerint ea in arca conventus servabuntur.

4. Nullum monumentum erigatur nec tumulus ullus fiat in circuitu maioris altaris, aut in choro aut in aliquo sacello, unde divinorum officiorum celebrationi aliquando aliquod impedimentum oriatur. Provideatur etiam ne post sepulturas terra tumuli in ecclesia vel claustro remaneat, sed solo statim aequentur et solito pavimento obtegantur.

5. Cemeteria sepulturis fratrum et aliorum fidelium consecrata diligenter ubique clausa sint, nec pecoribus in eis pateat ingressus, negotiisque indecentibus aut aliis profanis actibus polluantur in eis aliisque monasteriorum nostrorum locis nec haeretici, nec excommunicati, nec alii de iure prohibiti tumulentur, nam in ipso facto illa sacra loca violantur et interdicto subiacent, nec ante reconciliationem eorum divina in eis officia peragi liceret.

6. In unoquoque cemeterio erigatur crux, ubi non est, deputetur etiam locus honestus pro reponendis mortuorum ossibus et vas cum aqua benedicta et aspergillo semper adsit. Ubi vero ex fundatione lampas nocte lucere debet, sacrista sit sollicitus, ut debito tempore accendatur ut luceat.

7. Cum frater aliquis morti penitus fuerit proximus, pulsat crebris ictibus tabula in claustro, pulsatoque signo in ecclesia, fratres ad morientem accedant, psalmos poenitentiales, litanias et alias orationes dicant. Cum obierit, eius corpus a deputatis fratribus lavetur et involvatur, vestibusque regularibus induatur et in ceteris de eo et pro eo et pro quacumque Ordinis persona fiat, sicut in libro *Usuum* continetur. Videatque superior, ut priusquam expiret, generalis absolutio iubilaei, ut notatur in *Breviario*, ei conferatur.

8. Renovatur diffinitio qua praecipitur ut in omnibus monasteriis Ordinis nostri officium celebretur pro Rmo D. Cistercii defuncto, et pro

quatuor primis abbatibus in generationibus suis, et eorum obitum annuntiare tenetur prior monasterii vicariis, ut in singulis provinciae monasteriis hanc diffinitionem observari curent. Quilibet sacerdos pro fratre defuncto tres missas privatim dicere tenetur. Alii unum psalterium ; conversi 150 *Miserere*, et qui ipsum ignorant, totidem *Pater noster* et *Ave Maria*.

9. Si quis nostri Ordinis ad quodvis monasterium pervenerit et ibi obierit, pro eo agatur solemne officium defunctorum et eius obitus denuntietur suae professionis monasterio, ut quod supra ordinatum est, ita observetur ac si in eodem obiisset.

10. Quolibet anno in festo sancti Lamberti, cantore postulante, fiat absolutio generalis in capitulo, quod Tricenarium more Ordinis appellatur ; primo pro animabus fratrum, familiarium et benefactorum Ordinis nostri, deinde pro animabus patrum, matrum, fratrum, sororum et omnium consanguineorum nostrorum hoc anno defunctorum. Praeses vero capituli, habita exhortatione, iniungat singulis sacerdotibus 20 missas pro defunctis illis per annum dicendis, iunioribus 10 psalteria orando repetenda, et conversis 1500 *Miserere mei Deus*, vel toties *Pater noster* et *Ave Maria*, ipsum psalmum nescientibus.

11. Occurrente obitu patris, matris, fratris, sororis alicuius religiosi, debet ipse pro unoquoque ipsorum absolutionem in capitulo petere ; praesesque iniungat unicuique sacerdotum dicere collectam specialem pro defuncto in missa, aliis septem psalmos poenitentiales, conversis septies *Miserere*, vel totidem *Pater* et *Ave*.

12. Praeter generalem commemorationem, quae fit in crastino festi Omnium Sanctorum, quatuor alia anniversaria solemnia celebrentur. Primum, undecimo ianuarii pro summis pontificibus, cardinalibus, episcopis, abbatibus et abbatissis nostri Ordinis ; secundum, 22 maii pro omnibus personis regularibus ipsius Ordinis ; tertium, 18 septembris pro eius benefactoribus ; quartum, 22 novembris pro eorumdem religiosorum parentibus.

13. In illis quatuor [f] solemnioribus, et in anniversario cuiuslibet mensis pro defunctis unam missam et tres alias de Spiritu Sancto per annum quilibet sacerdos celebrare debet. Haec omnia officia pro defunctis debita complere debemus omnes, nec quidquam de his minuere, sed potius augere, memores quod qua mensura fratribus et proximis mensi fuerimus, remetietur et nobis.

CAP. XXI. DE ABBATIBUS. — **1.** Abbates, qui eo magis trium votorum vinculis tenentur, quod in regulari conversatione debent esse, secundum Apostolum facti forma gregis studeant diligenter, ut religiosis suis pietate, continentia, sobrietate, religionis zelo, ceterisque virtutibus quae praelatos decent, reluceant, eosque tamquam patres filios ament, ac in omni charitate, exemplo vitae, verbo doctrinae, rerumque necessariarum subventione tamquam boni pastores pascant.

---

[f] quinque : T^3T^5.

2. Ut igitur talis abbas eligatur, ubi facultas eligendi conservatur, debet eligi de proprio monasterio, vel de altero eiusdem lineae et filiationis, spectatae virtutis et religionis qui iam dudum professus sit, quod sacri Concilii Tridentini decretis est sancitum, et Summorum Pontificum privilegia Ordinisque nostri statuta requirunt, contra quae qui electioni praefuerit, aliter non faciat sub poena animae et suspensionis a sua dignitate et officio.

3. Abbate igitur defuncto, prior et conventus statim eum obitum patri suo visitatori immediato, vel eius vicario significabunt, eumque rogabunt, ut ad novi abbatis electionem venire festinet, et interim prior cum aliquibus magis idoneis a conventu deputatis vacantis monasterii curam habebit, donec ille venerit. Ubi vero protectores monaster iorum occurrente eorum vacatione in eis praetextu custodiae et protectionis ministros suos, milites praesidiarios, cum maximis incommoditatibus et damnis collocare solent, pater abbas vel eius vicarius de convenientiori remedio opportuno provideat, quod si non faciant, viciniorem abbatem ad praesidendum electioni, religiosi in hoc casu advocare poterunt.

4. Professionem fidei suae orthodoxae, iuxta Concilium Tridentinum, et iuramenta consueta facere tenetur; et ante susceptionem abbatialis benedictionis quam obtenta sua confirmatione ultra tres menses sine magna necessitate differre non debet; quod si ab episcopo suscipiat cum ista consueta clausula *Salvo iure Ordinis nostri*, id fiat.

5. Nullus muneribus aliisque corruptionibus aut pollicitationibus et sollicitationibus procuret se eligi in monasterii vacantis abbatem, alias praeterquam electio de ipso per symoniam facta, ipso iure irrita est et nulla; talis electus et sic eligentes excommunicati et ad futuram electionem activa et passiva voce declarantur privati.

6. Confidentiarii [g] qui se praetendunt esse abbates, de iure sunt excommunicati, et omni potestate privatos tales esse declarantur et monachi monasteriorum ab omni eorum iurisdictione eximuntur, nec quidquam de spolio fratrum decedentium sibi vendicare permittatur; ut si constiterit fratribus eos vere esse confidentiarios his praesentibus tamquam excommunicatis divina officia intermittant.

7. Quia proprium est abbatis officium animarum sibi commissarum curam gerere et in ipso potissimum occupari, religiosos habeat officiarios quibus temporalium sollicitudinem committat, si tamen tales in monasteriis reperiantur, qui huiusmodi onus sustinere valeant, videlicet cellerarium, bursarium, granatarium, dispensatorem aliosque qui fratribus ministrent et monasterii negotia tractent, et ab eis quoties voluerit, expensae et receptae rationes repetat, et quos infideles dispensatores invenerit, deponat ac puniat, et alios loco illorum instituat.

8. Ex istis religiosis duos, si fieri potest, eligat quos in suo famulatu habeat continuo, unum secretarium cuius opera utatur in regularibus rebus scribendis et tractandis, his praesertim quae fratrum correctiones,

---

[g] Commendatarii : *A²A⁴*.

S'ensuyvent les Statutz et diffinitions du Chap. Gnal de l'ordre de Cysteaux, congregé audict Cysteaux au Mois de May l'an 1605, touchant les Moniales dudict Ordre.

Ex Archivo Insulensi 27 H, 71; ann. 1605.

Ordinis disciplinam ceteraque huiusmodi claustralia concernunt, quae cum secrete agenda sint a saecularibus cognosci non conveniant; alterum sacellarium, qui secum preces horarias dicat, et ad eius mensam quidpiam legat, unde ipse et alii convivae, si adfuerint, possint aedificari.

9. Cum abbas vel alter superior alicui quidquam denegaverit, ab alio id petere vel recipere non praesumat; si quid etiam cellerarius recusaverit et id a priore postea postulaverit, caveat ei celare cellerarium istud sibi renuisse; similiter quod unus ex superioribus vel officiariis non concesserit, si ab altero petierit, nullatenus omittat ei dicere, quam ob causam et quando illius rei ab eo petitae repulsam tulerit, se doli esse reum noverit.

10. Abbates deferant habitum et tonsuram regularem, et quando subsignant, subscribant fratres ut vel humilitatis signo non iam saeculares sed religiosi esse dignoscantur.

11. Luxum omnem in vestibus, mensa et famulis fugiant, et considerent bona quae piorum fundatorum charitas et Ecclesiae benignitas eis suppeditat, non tantum ad moderatam vitae suae sustentationem, verum etiam ad communem monasteriorum suorum utilitatem collata. Proinde summo studio caveant, ne bonis illis tamquam Christi crucifixi patrimonio abutentes, non praelati sed elati, non pastores sed depastores videantur.

12. Non habeant famulos uxoratos, nec alios saeculares nisi bonos catholicos, recte institutos, moribus probatos, cultu et vestitu moderatos, qui apud eos qui foris sunt certum disciplinae monasticae indicium prae se ferant, qui religiosos non contemnant, sed honorent, nullos animo haereticos sub excommunicationis poena quam de facto incurrunt, qui cum talibus conversantur.

13. Dominicis diebus et festivis nullos ex suis famulis et subditis ad laborem cogant, nec eosdem subditos extraordinariis subsidiis et exactionibus onerent, aut a suis ministris opprimi patiantur.

14. Abbas ad longam profectionem iter suscepturus, non committat temporale regimen monasterii sui saeculari, nisi ei adiungat priorem vel alterum religiosum de seniorum consilio et consensu, ut si quis casus evenerit, conventus de rebus monasterii informari possit.

15. Cum potestas abbatum in aedificatione et non in destructione sit, non faciant quidquam aut fieri consentiant quod in Ordinis et monasteriorum suorum incommodum aut etiam in suorum religiosorum vituperium et perniciem cedat, non solum, ut ait Apostolus, digni sunt morte qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.

16. Cupiens Sancta Sedes Apostolica privilegiis nobis concessis providere, quatinus omnes ipsius Ordinis personae in charitatis et obedientiae vinculo se cum suis superioribus contineant et conservent, et impunitas maiorem delinquendi licentiam non praebeat, statuit omnes apostolica vel alia quavis auctoritate ad abbatialem dignitatem promoti, patribus et superioribus Ordinis subiiciantur, ut alii in ipso Ordine promoti, similiter prohibuit iisdem abbatibus et abbatissis et quibuscumque Ordinis personis, ne ab iisdem patribus visitatoribus vel ab eorum reformationibus et punitionibus quovismodo appellare extra ipsum Ordinem audeant, sub poena excommunicationis latae sententiae, perditionisque iuris quod praetende-

rint. Praeter ea omnibus praecipitur visitatoribus, vicariis, syndicis, aliisque superioribus, ut si quos abbates aut abbatissas praefatarum provocationum vel appellationum praetextibus debitam obedientiam in visitationibus, correctionibus, punitionibus et depositionis casibus praestare et parere recusantes invenerint; nihilominus ad suarum contra eos sententiarum excommunicationem vigore dictorum privilegiorum procedere non desistant. Si quis autem eorum abbatum vel abbatissarum, priorum et priorissarum officii sui immemor pastoralem curam neglexerit, improbae vitae suis exemplum praebuerit, praeter eas poenas quas iudicio divino incurrit cum suae administrationis curam Deo rationem reddet, Clementis IV decreto pro casibus in sua *Clementina* expressis, a patre abbate vel eius vicario de aliorum trium abbatum consilio, re diligenter discussa, deponatur.

CAP. XXII. DE PRIVILEGIIS ORDINIS. — **1.** Cum Ordo noster ab episcoporum iurisdictione exemptus sit, Sanctaeque Sedi Apostolicae immediate subsit, quotiescumque quid eo maioris potestatis auctoritate constituendum fuerit, id non ad episcopum dioecesanum, sed ad Capitulum generale vel ad Rmum D. Cistercii vel ad abbates superiores referatur.

2. Indulgentias, libertates, exemptiones, immunitates et privilegia, tam a Summis Pontificibus quam ab Imperatoribus et Regibus nobis concessas et sacri Concilii Tridentini decreto confirmatas, singuli nostri Ordinis professi, et maxime abbates observent ac observari faciant, ac contradicentes, impedientes et impugnantes efficaci defensionis praesidio etiam Sedis Apostolicae et eorum qui potestatem habuerint auctoritatem implorando tueri curent, ac aliquo alio praeiudiciari non permittant. Liber eorumdem privilegiorum omnium imprimendus nullique alii quam personis regularibus Ordinis nostri communicandus in monasteriis habeatur. Praedictus autem liber non imprimetur nisi de auctoritate Rmi D. Cistercii, revisus et approbatus a quatuor primis abbatibus.

3. Archivum in monasteriis, si non est, instituatur, in eoque omnia privilegia Ordinis, iura quoque et monumenta, documentaque, chartae, tituli et alia instrumenta fundationum vel dotationum, clenodia, iocaliaque pretiosiora cuiuscumque monasterii, libri computationum aut rationum recepti aut expensi singulorum annorum bursarii, cellerarii, granatarii, pistrinarii, vinitoris, et aliorum quibus temporalium cura commissa est, diligenter conservetur sub tribus clavibus vel quatuor diversis, quarum unam abbas, alteram prior, alteram seniores a conventu deputati apud se retineant, ipsis iniungendo, ne sine gravi et urgente necessitate ipsa privilegia, iura, documenta, chartas, titulos, ceteraque instrumenta a praedicto archivo extrahant quod numquam faciant, nisi sub scedula eius qui ea vel eorum aliquot recipiet, promittatque talis recipiens quamprimum fieri poterit, se illud reportaturum, vel eorum tantum transumptum a notario publico authentice confectum exhibeatur; ubi vero ea omnia in monasterio propter bellorum aut aliorum fortuitorum pericula servari tuto non poterunt, extra ipsum in securiori custodiantur.

4. Quia non sufficit custodire ea praedicta privilegia et iura monaste-

riorum, nisi ab impugnatoribus tueantur, idcirco si ulla saecularis aut ecclesiastica persona ipsa privilegia et iura Ordinis in toto vel in parte infringere vel quovis modo molestare tentaverit, abbates provinciae ubi hoc contingeret, diligenter ac prudenter simul iunctis viribus ac sumptibus apud Summum Pontificem, reges, principes, protectores Ordinis et alios iudices ea defendant, procuratoremque generalem, ubi agendum erit, moneant, ut quod officii sui fuerit, praestet in eadem defensione quam etiam suscipient superiores Ordinis, ubi quod ab eis requiratur intellexerint.

CAP. XXIII. DE OFFICIARIIS. — **1.** Quoniam in domo Dei omnia ordinate debent fieri, officiariorum praecipuorum officia diffuse in his statutis descripta sunt, ex quibus et primum ex regula et aliis constitutionibus facile quisquis eorum intelliget quid sui officii sit, ne in eius administratione per ignorantiam haesitet, sed omnia prompte et expedite exsequatur.

2. Officiarius quisquis monasterii simul ac susceperit res suae fidei commissas, facto earum inventario, accipiat, ut cum discedet ab officio vel quandocumque abbati vel superiori visum fuerit, fides eius in eis rite conservandis et reddendis appareat. Abbas autem vel superior habeat omnia officiariorum inventaria separatim descripta, ut ea nostris ministris et officiariis tradat ac diligenter excutiat, si quid desit aut dissipatum sit, aut etiam novi accesserit, vel instauratum fuerit.

3. Procurator regularis monasterii nullam litem alicuius momenti cuiquam intentet per saecularem procuratorem, inscio abbate, et si opus fuerit, de consensu conventus curamque maximam habeat ne quid de iuribus monasterii depereat.

4. Officiarii rerum temporalium administratores computa et rationem accepti et expensi pecuniae, videlicet grani et vini et alterius cuiuscumque rei, item creditorum debitorumque semel in anno abbati vel superiori simul et communitati vel senioribus, ac saepius si petierint, fideliter reddant, quae etiam patri abbati aut eius vicario in suis visitationibus discutienda, approbanda et corrigenda exhibebuntur.

CAP. XXIV. DE PRIORIBUS. — **1.** Priores titulares prioratuum conventualium in suos religiosos iurisdictionem exercere, eosque ad professionem admittere et in casibus propriis abbatibus reservatis eos absolvere possunt.

2. Priores non eligantur a fratribus, sed ipsos abbas vel in monasteriis commendatis pater abbas aut eius vicarius eliget et constituat. Cellerarius vero et procurator monasterii non nisi ex consensu seniorum constituatur.

3. Ne extranea cura distrahantur prior et supprior quominus legitime et expedite concrediti sibi in nulla parte exsequantur, nunquam instituatur bursarius communitatis, neque cura vestiarii seu administratio cuiusque rei temporalis ei committatur, et si quidam instituti sunt in huiusmodi officiis, ab eis absolventur, ac in eorum locum alii subrogentur, qui per ipsos priorem et suppriorem compelli liberius poterunt, ut quod sui officii fuerit, cum debita fidelitate et sedulitate expleant et exsequantur.

4. Cetera vero, quae in libro *Usuum* Ordinis officia sua concernunt, ex integro faciant et observent.

CAP. XXV. DE PRAEPOSITIS CURAM ANIMARUM HABENTIBUS. — **1.** Quia pleraque [h] nostri Ordinis monasteria praeposituras vel parochias habent sibi annexas, eisdem non praeficiantur praepositi sive parochi, nisi probi et docti, et quamvis huiusmodi ecclesiarum visitatio pertineat ad RR. DD. episcoporum iurisdictionem, eas tamen visitent abbates, in quibus ius patronatus habent, eo saltem fine ut eas bene ornari et reparari curent.

2. Ipsi [i] praepositi et parochi a casibus reverendissimis episcopis reservatis parochianos suos non absolvant, sed ipsos pro eis ad illos vel ad illorum poenitentiarios remittant.

3. Studeant ipsi sic religiose vivere ut sint irreprehensibiles et iuxta Apostolum nemini dent ullam offensionem, ne vituperetur eorum ministerium ; et si populo scandalum ex sua conversatione dederint, statim ab ea praepositura et animarum cura amoveantur, et digna suis delictis poena corripiantur.

CAP. XXVI. DE FRATRIBUS PROFESSIS. — **1.** Fratres, qui seipsos in solemni professione obtulerunt Deo, ut mundo mortui ipsi viverent, ad pietatis aratrum manum miserunt, si retro aspexerint non erunt apti regno Dei, hoc ergo in primis caveant, ne suggerente diabolo ad mundum redeant, quia seipsos Domino Deo, ad quem pertinet per detestandum sacrilegium auferunt et iniuriam faciunt, primamque fidem divinae Maiestati et Ecclesiae datam irritando et vota sua perfide violando, aeternam sibi damnationem acquirant.

2. Cum per charitatem, quae inter eos continua esse debet, dicantur fratres, fraternam in Domino charitatem et pacem servent, et illis sit cor unum et anima una, quod, ut fiat seniores eos moribus suis et exemplis doceant, eorumque defectus amore Dei et salute ipsorum cum charitate et modestia corripiant. Iuniores vicissim seniores suos revereantur et honorent ; et qui eorum in verbum contentiosum et iniuriosum inciderint, cogantur ante solis occasum invicem reconciliari ; qui si recusaverint vel postmodo verbo tantum et non reconciliati apparuerint, suspendantur a divinis, ac in pane et aqua ieiunent, sedeantque omnium ultimi, tam in choro quam in mensa, donec reconciliati fuerint, qui si ultra dies duos distulerint, mittantur in carcerem in eoque detineantur, quousque reconciliationem humiliter petierint et suae proterviae poenas luant.

3. Qui Deo militat, implicare se negotiis saecularibus prohibetur, ut illi soli placeat, cui se praebere debet. Et proinde nullus se immisceat rerum saecularium negotiationibus, tractatibus et similibus publicis actibus, nec administrationem habeant bonorum monasterii, nisi id eis a superiore iniunctum fuerit ; qui contra praesumpserit, poenalitate elationi contraria humilietur.

---

[h] aliqua : A^2A^4. [i] N° 2 : *deest apud* A^2A^4.

4. Nullus, secundum Concilium Tridentinum, promoveatur ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum annum, et nisi prius a suis ordinariis superioribus de vita et moribus ordinandus testimonium habuerit.

5. Quando erit aliquis promovendus denuntiabitur palam in capitulo ab eo qui praesidet, ut si quis labem aut vitium aliquod in eo sciat, propter quod ordinari debere non videtur, indicet non quidem publice, sed pri-privatim uni superiori vel alicui seniorum.

6. Examinetur etiam a superioribus ordinariis vel per idoneos fratres ab eis deputatos, quantis in litteris et doctrina profecerint, priusquam praesententur R. D. episcopo sacros ordines celebraturo, examinaturi autem rationem a Concilio Tridentino scriptam in eo teneant et ordinandi moneantur, uno mense antequam ad ordinem quem sunt suscepturi, dimittantur, ut ad eum digne suscipiendum se praeparent.

7. Qui ante requisitum aetatis tempus promotus fuerit ad sacros ordines irregularis est, ideoque suscepti ordinis executione suspensus sit, donec dispensationem obtinuerit, vel poenae pro tali transgressione satisfecerit. Qui vero praedictum tempus compleverit, vel per defectum studii vel doctrinae non fuerit capax ordinis quem suscepturus esset, omni sexta feria non detur ei nisi aquae potus in utraque refectione, donec maiori studio et diligentia ordinis suscipiendi se capacem reddiderit. Sacerdotes praecedent diaconos et ceteros in minoribus constitutos, licet ipsi sint maiores professione, qui tamen postquam sacerdotis ordinem adepti fuerint, suae professionis locum obtinebunt.

8. Iuniores [j] fratres non aequentur sacerdotibus, sed his magis quam illis deferatur, nec se invicem compellant cognominibus, uti saeculares, nec in secunda persona singulari, sed in plurali et propriis nominibus cum praefatione reverentiae secundum regulam adhibendae, ut seniores vocent suos iuniores fratres, et ipsi vicissim illos domnos.

9. Sigillum officiarii parvum habere poterunt, ut securius negotia monasteriorum tractare valeant. Sigillum vero magnum conventus, quod diversum erit ab abbatis sigillo, servabitur in eodem loco vel modo, quo iura vel privilegia monasterii.

10. Singulis quindenis diebus omnes rasuram tam capitis quam barbae faciant, nisi quis sit cui medici ipsam rasuram nocere testabuntur, singulis diebus usque ad cutem nudabitur, alii qui rasuram praedictam neglexerint, in gravi culpa manebunt, donec obedierint. Erit autem circulus tonsurae latus mensurae pollicis.

11. Cum monachorum vagatio tam per vicos et ruralium domos tam per urbes sit periculi damnique plena, fratres non egrediantur monasterium sub poena contra fugitivos statuta, sine licentia praesidis et monasterii superioris, quam ipse dare cavebit, nisi officiariis et conversis pro monasteriorum commodis. Quod si rationabili de causa danda sit claustralibus, non nisi semel in anno et pro brevi temporis spatio in scriptis deter-

---

[j] N° 8 : *deest apud A^2A^4*.

minando, concedatur, nunquam autem ut intersint nuptiarum conviviis, publicis spectaculis, paganorum festis, nec ut infantes in baptismate suscipiant.

12. Qui cum licentia egressi fuerint, cum omni modestia et honestate se gerant et conversentur. Iuniori semper adsit senior comes, qui suarum actionum testis esse possit. Ad hospitia publica nisi necessitate itineris cogente non divertant, nec in tabernas compotandi aut bibendi, aut aliquid aliud turpe agendi causa ingrediantur, ex his enim et aliis similibus actibus indignis et indecoris nostra professio despectui habetur et ecclesiastica dignitas plurimum vilescit, ideoque tamquam pro apostasiae crimine plectantur qui secus fecerint.

13. Arma clericorum sed magis monachorum sunt preces et lacrimae, idcirco prohibemus arma cuiuscumque generis, exceptis cultellis ad domesticum vitae usum Ordinis more accommodatis et simplicibus absque ornamentis argenteis. Vestes quoque saeculares et alia indecentia religioso statui, quae si apud aliquem reperta fuerint, ex his fiat quod in alio statuto ordinatum est, et delinquentes ex locis regularibus per tres menses exire non licebit.

14. Nullus cuiuscumque dignitatis, gradus et officii fuerit, audeat ludere aleis, chartis, taxillis vel quibuscumque ludis prohibitis, nec aliis concessis, pro pecunia, trangressores puniantur ieiuniis, disciplinis et officiarii praeterea officiorum suorum privatione prima vice, secunda vero, si in eamdem culpam relabantur, poenae proprietariorum, ut puniantur abbatibus eorum et aliis super eos auctoritatem habentibus, in virtute salutaris obedientia praecipitur.

15. Admonentur demum fratres, ut non tantum ab omni malo abstineant, et ab his quae speciem mali habent, sed etiam ne sint in actibus insolentes, in moribus impuri, sordidi in vestibus, tepidi in bonis operibus, ut citra reprehensionem vitam degentes ex eorum religiosa conversatione Deus laudetur et populus christianus aedificetur.

CAP. XXVII. DE SERMONIBUS, LECTIONIBUS ET ALIIS STUDIIS FRATRUM. — **1.** Singulis diebus sermonum habeatur sermo in capitulo alternatim a fratribus, qui si possint concionari ad aedificationem populi, id in ecclesia vel in alio loco publico, prout superior ordinaverit, interdum faciant.

2. In ecclesiis monasteriis nostris non subditis, nullus praesumat praedicationis munus exercere, nisi prius sui superioris permissionem, episcopi quoque vel eius, qui ecclesiae curam habuerit, licentiam obtinuerit; ipse vero studeat ut sine offensione ad Dei gloriam et auditorum aedificationem salutare ministerium adimpleat.

3. In singulis monasteriis, ut fieri poterit, sit praeceptor regularis, si fieri commode non possit, sit saecularis probus et eruditus, qui certa diei hora lectionem faciat sacerdotibus vel eis casus conscientiae exponat semel per hebdomadam; qui lectionibus defuerit, si sacerdos sit, portione pitantiae in proxima refectione privetur, alius vero non sacerdos, praeter eam poena disciplinae corrigatur.

4. Iuniores vero in pietate, bonis moribus et litteris erudiat eisque quotidie duas lectiones in ea arte et scientia, cuius erunt capaces facere non praetermittat praeceptor, nisi aliquod impedimentum obstiterit. Et si quis eorum aliquam suorum studiorum partem neglexerit, vel in addiscendo et memoria firma retinendo suas lectiones, a praeceptore si regularis sit, corripiatur, a saeculari vero deferatur superioribus qui eos frequenter de suis studiis examinabunt et accusatos negligentes rigide castigabunt.

5. Qui professionem emiserint, non aliter quam ieiuniis aut disciplina aut regularibus poenis corripiantur, ubi deliquerint, non tamen praesentibus saecularibus, et in eorum correctionibus pium et discretum zelum habeant.

6. Ad otiositatem fugiendam omnes honestis illis litterarum studiis et sacris lectionibus aliisque spiritualibus exercitiis spatiorum tempore occupabuntur, et si qui rudes sint et ad litterarum studia inepti, aliqua eis opera aut ars iniungatur, ut scribendi, pingendi, texendi, consuendi ornamenta ecclesiastica, ligandi libros et alia similia exercitia, semperque aliquid operis faciant, ne diabolus quaerens quem devoret eos otiosos inveniat.

7. Cogantur iuniores fratres latine loqui, ut illius locutionis necessariae sibi usus parent, ad quod eos exemplo suo sacerdotes inducent, si cum eis latine loquantur, ut debent, ac ne aliter faciant, admoneantur.

8. In unoquoque monasterio fiat inventarium omnium librorum eius, et in prima pagina cuiusque libri scribatur nomen monasterii cuius est, a superioribus et a cantore monasterii quandoque visitentur et a pulveribus excutiantur ; catenunlisque, si fieri possit, in libraria affigantur, provideaturque ne dispereant.

9. Praesides monasterii, quos huc illuc, hinc et inde per claustra, viridaria aut alia loca discurrentes repererint, acriter puniant. Conceditur tamen, si quando superiori expedire videatur, certis diebus solatii gratia in hortis monasterii deambulare et spatiari cum modestia et honestate, ut inde magis ad laudata studia et exercitia spiritualia excitentur.

10. At quando captandae aurae, recreationis [k] gratia, extra monasterium exire expediat, id non fiat procul, nec diutius quam per duarum vel trium horarum spatium, nec nisi etiam totus cum priore conventus exeat, a quo si quis recesserit, huius recreationis gratia privetur per tres menses et disciplinae subiiciatur.

11. Quoniam lectio librorum ~~spiritualium~~ prohibitorum non solum simpliciores, verum etiam saepe doctos in varios errores et a fidei veritate alienas opiniones inducere solet, propterea ab omnibus Ordinis nostri personis regularibus sub poena excommunicationis latae sententiae a iure inflicta prohibetur, ne libros apud se habeant, teneant aut legant, ex quibus religio, amor et timor Dei moresque boni corrumpi aut languescere possint, quales sunt ne dum haeresis, verum etiam qui lascivia, scurrilia aut inhonesta et impura contineant, quique superstitionem, magicam artem et divinatio-

cf INDICES sub „Libri"

[k] recentioris gratia : T^{E}.

nem docent, ne illorum librorum lectione seipsos et alios corrumpant, sed qui tales libros habuerint, sub eadem poena eos statim comburere tenentur. Nulli vero licet alios habere libros aut legere, nisi bonorum et piorum auctorum, qui a theologis doctoribus vel a pravitatis haereticae inquisitoribus approbati et a praelatis monasteriorum concessi vel permissi fuerint. Quicumque libros haereticos aut reprobatos, damnatos, reservare compertus fuerit, si abbas fuerit, contra eum visitator vel eius vicarius, si vero monachus, contra eum abbas ut suspectum de haeresi, praemissa informatione procedere teneatur, alias ipse et quivis alius, qui tali crimini connivere repertus fuerit, quisquis sciens ipsum non revelaverit, ac coram proprio superiore talem suspectum non accusaverit, similis suspicionis reus habeatur.

CAP. XXVIII. DE VESTITU. — **1.** Singuli monasticae religionis ordines, quorum varietate circumdata est Ecclesia, distincti sunt certis institutis, ritibus et vestibus. Noster autem Cisterciensis Ordo eam recipit vestium formam, qua velut nota externa eius professores ab aliorum Ordinum professoribus distinguerentur, ut videlicet sint aliae cucullae, tunicae sive vestes, femoralia, tibialia et pedules, cingulum quo supercingitur et eorum caputia, quibus qui abbates non fuerint vel doctores bireta vel pileos regulares supponant; extra monasteria propriae professionis cucullas nigras gestare, ne ulla inter fratres sit discrepantia, prohibitum est.

2. Cucullae usque ad talos protendantur, manicae quoque satis longae et amplae sint ultra manum extensae duos palmos ad minus. Vestes sive tunicae super collum pendeant circumquaque clausae, nec in anteriori parte apertae, manicae ipsarum complicatae super manus in latitudinem unius palmi et largae, ut possint capere alterum pugillum.

3. Superhumerale soli abbates in suae dignitatis signum gestare possunt, illud vero non sit ex serico panno, sed de laneo vel rasia aut sergia, quae in usu recepta est.

4. Omnes itaque hoc regulari habitu utantur, si quis sine eo incedere aut ipsum occultare ausus fuerit, nullo praesertim imminente periculo, tamquam Ordinis contemptor excommunicationem incurrit. Similiter qui sunt in via, caputio tegant caput, vel ipsum extra collum super pallium extendant, et qui sine caputio ex itinere ad monasteria divertunt, dantur eorum praefectorum arbitrio puniendi.

5. In habitu regulari nihil sit neque appareat, quod a simplicitate monastica sit alienum, aut contra laudabilem Ordinis observantiam et statuta; ideo nullus lineis camisiis utatur, sed laneis, quod ab omnibus regularibus ita observetur ut nullus excipiatur, nisi hi cum quibus dispensandum ex causa aegritudinis vel alia ratione abbati videbitur, et qui collaria rugata et complicata gestaverint, in poenam insolentiae ac damnatae vanitatis suae per mensem omni sexta feria disciplinetur, in subsellio pane et aqua reficiatur.

6. Unusquisque duas cucullas et duas tunicas, cum aliis necessariis indumentis pro suo usu habeat, propter rationes expressas in regula, tum

etiam pro solemnioribus diebus et aliis occasionibus melioribus si honestioribus utatur, quae in vestiario servabuntur ; et abbas vel superior in his fratribus indigentibus vel peregrinis vel etiam pauperibus ea distribui curabit. Si quis aliquod eorum indumentorum sibi concessorum alicui dederit, vendiderit aut quavis ratione distraxerit, aliud loco illius non detur in proximo termino quo habiturus est, et poena proprietariorum puniatur, quam etiam occurret frater qui dederit pro eorumdem vestimentorum emptione.

7. Nullus pelliceis nisi propter infirmitatem aut necessitatem, non autem ad ostentationem aut luxum utatur et tunicis superinduatur, cum maxime ad chorum aut ad refectorium accedet. Prohibetur usus pellium caprarum aut camelorum aliarumque huiusmodi in thoracibus et femoralibus. Indignum namque est pro religiosis uti huiusmodi pellibus, quae improbis Ordinem fugiendi, regularem habitum deponendi et alia mala committendi facilius occasionem praebere possunt.

8. Curent superiores fieri vestimenta fratrum ex honesto panno decentique materia, ne laceri, pannosi et sordidi appareant, indeque a saecularibus contemnatur, et de nimia tenacitate eorum, qui de illis providerint, conquerantur.

9. Si contingat aliquem abbatem suos religiosos ita negligere et contemnere, ut eis de victu, vestitu, aliisque necessariis solatiis, prout convenit, vel ordinatum fuerit a superiore, non bene provideat, duo primi seniores tenebuntur ad petitionem conventus sub poena excommunicationis illum humiliter et reverenter monere sui officii ; quod si non emendaverit, scribant ea de re ad patrem abbatem, ut vel coram, vel per litteras, vel si maluerit per subdelegatum eidem poenae astrictum praedictae sufficienter administrari mandet.

10. Quoniam prudens et fidelis dispensator pluris facere debet animas sibi commissas quam pecunias, imo quam universum mundum, ideo abbates videant ne tenacius victum, vestitum, ceteraque necessaria religiosis suis dispensent, quia inde eorum plurimi impatientia victi murmurant, proprietariique fiunt indignaque multa committunt et pereunt.

11. Sunt etiam ex ipsis fratribus, qui non audientes Apostolum monentem, ut habentes alimenta et quibus tegamur contenti his simus, tantum abest, ut necessariis quin etiam vix expleantur superfluis ; ut in utroque defectus et excessus vitetur, provideatur illis secundum regulam communitatis apostolicae, nimirum dividatur singulis prout cuique opus erit, nec quisquam egens sit inter ipsos, non luxuriantur, nec etiam necessariis destituantur.

CAP. XXIX. DE NOVITIIS. — **1.** Cum salus et integritas, vel ruina aut pernicies nostri Ordinis sit in novitiis recipiendis, magna cura adhibenda est, ut ipsi in omni pietate, disciplina et observantia regulari recte instruantur et formentur, qui tales evadent quales requirit professio ad quam aspirant ; propterea in eorum susceptione et institutione regulae praecepta in omnibus serventur.

2. Nulli suscipiantur ad novitiatum ante duodecim aetatis annum, nec

nisi ex honestis, probis et catholicis parentibus procreati, qui fidei rudimentis edocti fuerint, qui latine loqui aut ad minus principia grammaticae et legere ac scribere sciant, nec noti ut spurii seu illegitimi aut notabile vitium habentes in corpore aut valde deformes, aut in eodem monasterio duo fratres aut duae sorores, quae omnia prohibentur.

3. Suscipiendus aetatem ac legitimam nativitatem suam authentice ac iuridice ante probabit ex libro et catalogo baptismorum in parochia unde exivit, cuius desumptum confirmabit auctoritate plebani, nec nisi de consensu maioris partis seniorum in quovis monasterio suscipiatur.

4. Praeterea litterae testimoniales pro conditione eius qui ad novitiatum recipi petierit, requirantur, ut constet si praeter praedicta nulla alia impedimenta eius receptioni obstent, ut si aliquando fuerit haereticus, aut de haeresi probabili suspectus, si alieno aere obstrictus aut aliquarum personarum egestati subveniret teneatur. Si qua infirmitate laboret, quae austeritatem Ordinis ferre non possit, de quibus si fuerit interrogatus et mendacio fefellerit, veritate comperta, in fraudis huius poenam, aut nondum professum dimittere, aut si professus fuerit sacris ordinibus interdicere licet, usque ad alicuius superioris ordinationem.

5. Sunt etiam alia observanda, ut si humana ratione non divini honoris aut animae salutis studio adductus ad religionem sit, conferat, si pertinaci, superbo aut elato animo sit, si diuturna peccandi consuetudine obduracerit, si parum mentis compos aut fatuus videatur, quod utilitati monasterii magis congruit nec charitati repugnabit, id faciendum erit.

6. Nihil exigat abbas, prior vel quivis alius pro ingressu novitii, sub poena symoniae ; si quae vero paramenta vel ornamenta novitius vel eius parentes vel aliquid in eleemosinam dederint pro necessitatibus monasterii sublevandis, vel ne ipsi ex eius susceptione graventur vel studiorum gratia ad quae mitti poterit, si capax sit, id recipi poterit et in arca communitatis servari, et ne quid in hoc contra Concilii Tridentini decreta fiat, caveatur.

7. Susceptis ad novitiatum imprimis oportet praefici magistrum qui morum probitate, prudentia et docendi peritia praeditus, illos studiose religioseque instruat, eis regulam integram exacte ter in anno legat et interpretatur, et quam sit arcta via quae per votorum observantiam ducit ad vitam, diligenter exponat. Quilibet novitius exemplar ipsius habeat, eamque legat, ut de his quae profitebitur melius informetur.

8. Vestiantur vestibus albis, cappisque, sed priusquam novitiorum regularis habitus concedatur, per duos vel tres menses, si ita videatur superiori, in novitiatu probentur spiritus eorum, an ex Deo sint, ne si aliter venerint, postea sint inutiles, instabiles et recedendo piis vivendi institutis detrahant.

9. Cellam habeant peculiarem vel domum prope claustrum, in qua omnes sub magistri sui directione maneant, studeant et ex ea nunquam exeant, nisi ad horas divini officii in ecclesiam vel ad refectionem sumendam in refectorio cum aliis fratribus licebit, eorum magistro recreandi animi causa ad spatiandum eos educere, ubi abbas vel superior concesserit, verum rarius ne indoles eorum nimia indulgentia corrumpantur

10. Non conversentur cum aliis fratribus professis, nec eis loqui praesumant, minus autem cum saecularibus, sive alieni sint, sive propinqui, aut perraro aut cum gravis causa postulaverit. Quod cum eis concedatur, magister eorum vel alius ab eo deputatus, colloquio intererit, ne quiquam a sancto proposito illos revocet.

11. Illis inter seipsos liberam consuetudinem et familiaritatem habere non permittatur, contineantur in novitiatu et quod conventi et quod officii sui est, faciant; et si quominus bene servaverint, inquirant et seipsos emendent.

12. Quia Deo et Ecclesiae prius scire debent servire secundum formam et ritum ecclesiarum Ordinis nostri, quam aliud addiscere dum in novitiatu erunt, mandent memoriae, quantum fieri poterit, totum psalterium, cantica, hymnos et antiphonas quae toto anno cantantur, bisque in die, tam mane quam sero, priusquam ad refectionem accedant, lectionem quam didicerint memoriter magistro suo referant, qui simul etiam curabit ut latine, quantum eorum feret capacitas, loquantur cavebitque ne ullas scribant litteras nisi de sua permissione, et nisi prius eas viderit, nec alios libros quam qui sint suae vocationis legant, donec ipsos sciverint.

13. Illorum confessiones ipse audiat et conscientiam sollicite ac prudenter instruat. Initium sapientiae timorem Domini illis inculcet, utque se in omni puritate et innocentia custodiant, invigilet, ac nisi quid obstiterit, curet in eadem missa maiori quoties professi toties et novitii confessi post eosdem professos communicent.

14. Non admittantur ad professionem, nisi consultis et consentientibus senioribus, annoque probationis completo, nec ante 16 aetatis annum, nec antequam diversis vicibus in capitulo supplices petierint in congregationem fratrum accipi, pariterque de illorum moribus libera piaque voluntate constiterit. De his omnibus abbas vel is cui commiserit illum in capitulo coram toto conventu diligenter examinabit. Ad professionem admittendi ante professionem omni rerum suarum cura et administratione se expediant, cumque de bonis suis dispositurí erunt, nihil eis nec nutu quidem significetur quo libertas eorum in hac dispositione facienda possit impediri.

15. Dies professionis mensis et annus in libro ad hanc rem deputato describentur a professo et a praelato eius professionem recipiente, qui servabitur in tuto loco, velut in archivo simul et scedula professionis, ut casibus saepe emergentibus et requirentibus exhiberi possit.

16. Professio vero non fiat nisi die dominica vel alio festivo, praesertim si nulla requirat necessitas et semper sine conviviis, ut superiori statuto cautum est. Nec nisi a proprio abbate, et in monasteriis commendatis a patre abbate aut eius commissario, prout Sixti IV fert constitutio, recipiatur.

17. Meliorem partem diei quo professus est, in deputato ecclesiae oratorio intendat orationibus et piis meditationibus, attendatque diligenter suae professionis obligationem et oret Deum ardenter, ut qui sibi dedit velle et incipere, det quoque salutarem progressum in reddendo, quod ei promisit ; eodem die parentibus non loquatur, nisi praesente magistro, aut

alio seniore, ne devotionis suae fervorem possit minuere. Refectionem in refectorio sumat.

18. Qui probationis suae annum impleverit et conditiones requisitas habuerit, professionem emittere poterit, praelatusque eam suscipere non differat, cessante legitimo impedimento, ne ille postea discedat, et sit tantum oneri monasterio, quo in casu ipse vel eius parentes tenentur refundere sumptus quos fecerit ab eo die quo professionem emittere debuerat, quod illis opportune notificabitur, ne ignorantiae occasionem praetendant.

19. Si quis novitius dimittendus fuerit, id magna cautione adhibita diligenter fiat, ut ea res neque dimissi animae aut famae, neque monasterii et Ordinis existimationi detrimentum afferat ; dimitti autem debent propter has causas : si quis autem ingenio aut natura ad aliquod votorum praestandum ineptus compertus fuerit ; si sit iis moribus quibus conventus concordia et tranquillitas turbari aut infirmior ad peccandum impelli facile possit ; si sit in eo aliquando notabilis deformitas ; si denique Ordini nostroque instituto congruere minime videatur. Quod si novitius sponte sua discedere voluerit, post benignam ei adhibitam exhortationem nemo sit ei molestus, nec invitus retineatur ; qui semel dimissus aut qui voluntarie discessit, denuo recipi petat, nullatenus, nisi in magni momenti causa a superiore discussa, de seniorum consilio recipiatur.

20. Dimisso restituantur quaecumque attulerit, excepto quod in usum suum sumptum fuerit, aut si quid forte monasterio legitime dederit, quod est tamen restituendum fuerit prior vel visitator iudicabit.

21. In unaquaque provincia, ubi commodius fuerit, monasterium aliquod novitiorum institutioni destinetur, quod erit velut seminarium, in quo omnes aliorum monasteriorum novitii ab uno aut altero magistro pro multitudinis eorum ratione pariter in regula, in statutis Ordinis, in divinorum officiorum celebratione, in ritibus, cerimoniis, observantia regulari, ceterisque ad uniformitatem Ordinis servandam spectantibus, et in his omnibus quae scire debent, antequam profiteantur.

22. Abbas vel superior eiusdem monasterii curam geret regiminis eorum vel eis provideat de victu et vestitu aliisque necessitatibus quae omnia recipiet a monasteriis a quibuscumque fuerint missi, pro pensionis parte, quae eis, si praesentes essent, ministrarentur.

23. Porro monendi sunt continuo ipsi novitii, ut sedulo cogitent ac meditentur, ad quid in monasterium venerint, videlicet ut probent, sciant et intelligant quae vota facturi sunt, ut postquam Domino voverint, reddant, quia Deo displicet stulta et infidelis promissio.

CAP. XXX. DE MONIALIBUS. — **1.** Quaecumque statuta sunt et statuentur, praesertim vero de reddendis votis, de divinorum officiorum celebratione, deque omnibus ad regularem observantiam suis locis, temporibus et modis retinendam, de novitiorum receptione, deque aliis omnibus ad quae omnes utriusque sexus personae Ordinis nostri professae, pari obligatione astringantur.

2. Pater abbas vel eius vicarius ipsa statuta in vulgari sermone translata in omnibus et per omnia ipsis monialibus tradat et ab eis observari curet. Utrumque monasterii earum regimen spirituale scilicet et temporale bene administrari, et illis de necessariis rebus debet provideri, officioque suo fungi erga illas satisfieri diligenter conetur.

3. Nulla debet in capitulo proponi ad habitum suscipiendum, nisi de consensu seniorum monialium; si qua vero reiecta fuerit, non amplius proponetur, nisi concesserit pater abbas, et nisi ob iustam causam ab eo approbatam recipiatur.

4. Quando vestiendae erunt habitu novitiatus, ad vitandum tumultum et conservandam earum devotionem, vesperi introducantur monasterium et mane induantur habitu in interiori ecclesia et sine pompa saeculari.

5. Non multiplicentur novitiae ultra numerum quo vel ex redditibus monasterii, vel ex consuetis beneficiis commode sustentari possunt; eleemosinas vero quae pro earum receptione dantur, recipiat abbatissa vel bursaria in communitatis utilitatem convertendas, prout iudicaverit visitator, et de receptis illis et expensis abbatissa vel bursaria rationem reddent.

6. Nihil autem de bonis novitiae monasterium recipiet, ne ea occasione ab eo discedere nequeat, eo praetextu quod totum vel partem maiorem suae substantiae monasterium possideret, et ne facile si discederet, recuperare possit, quod propterea, ne fieret, sancta Synodus Tridentina sub anathematis poena dantibus et recipientibus prohibuit.

7. Nulla etiam recipiatur, quae prius sacro confirmationis chrismate insignita non fuerit, ne tali modo et occasione cogantur moniales introducere episcopos et aperire monasteria saecularibus, et ut virtute illius adversus demonium tentationes puellae minuantur.

8. Novitiae monialium suscipiantur, probentur et instituantur ut religiosorum novitii, in dormitorio unaquaeque cellam habeat, in eaque pernoctet, et in refectorio cum aliis utramque refectionem sumat.

9. Ut nullam puellam ad novitiatum, nisi qualitatibus requisitis recipiant, vel semel receptam dimittant, sine auctoritate et consensu patris abbatis vel eius mandato speciali, abbatissis iniungitur sub poena suspensionis, ad arbitrium illius propter inconvenientia quae inde contigerunt.

10. Confessarii monialium sint religiosi senes Ordinis professi et monasteriorum, quorum abbates supradictarum monialium monasterio immediatam habent paternitatem, inculpatae vitae, boni consilii et in singulis dictarum monialium monasteriis, si facultates tulerint, alter frater etiam Ordinis religiosus, qui confessarium in celebrandis missis, ceterisque ad divinum officium pertinentibus iuvet, non tamen confessiones audiat, nisi ei a visitatore commissum fuerit. Ipsi religiosi, qui confessario adiuncti fuerint, non vocentur aliis nominibus quam primi, secundi, tertii capellani. Ipsis missas celebrantibus non moniales vel puellae, sed aliquis famulus respondeat et ministret.

11. Offeratur confessarius extraordinarius praeter ordinarium bis aut ter in anno, qui earum confessiones audiat, et ipse sit Ordinis nostri, ut sciat examinare conscientias earum, de his quae sunt suae professionis et

Ordinis, de casibus circa vota et similibus in quibus magnam cautionem et prudentiam adhibebit et ei confiteri abbatissa et omnes aliae nulla excepta, teneantur, nec alicui earum vel etiam ipsi confessario malae suspicionis datur occasio.

12. Religiosis illis competens victus et vestitus, qualem in monasteriis, unde assumpti fuerunt, haberent, ab abbatissis administrabitur. Vigiliis vero, praecipuisque horis divini officii intererunt, in suo choro, et homilias et evangelia et collectas cantabunt, unus etiam eorum semper in monasterio residebit.

13. Si pater abbas non habeat religiosos idoneos quos monasteriis monialium sibi subditis in confessarios praeficiat, requiret ab aliis nostri Ordinis abbatibus ex eorum fratribus idoneis quot opus habuerit. Ipsi vero abbates omnes in hoc et in ceteris rebus occurrentibus et ad regimen monasteriorum spectantibus sese mutuo iuvent.

14. Unicuique monasterio monialium praeficiatur peritus religiosus, vel si commode non possit fieri, saecularis aliquis sine defectu bonus catholicus, maturo iudicio, circumspectus et timoratae conscientiae, qui temporalis regiminis administrationem suscipiat, et priusquam ei committatur, tenebitur iuramentum fidelitatis praestare et singulis annis suae administrationis rationem reddere abbatissae et conventui, in confessarii praesentia et visitatoris in visitatione sua, vel quando ipse necessarium esse iudicaverit.

15. Religiosi qui pie et laudabiliter sine reprehensione monasteriis monialium confessarii vel procuratoris officium diu exercuerint, postquam senuerint, non possunt ad sua monasteria remitti ob suam senectutem, sed qui monasterio profuerint cum valuerint, per aetatem iam senio confecti, ab eodem, si facultates commode fieri possint, usque ad mortem foveantur et alantur.

16. Nulla monialis eligatur in abbatissam, minor 40 annis, vel si talis haberi non possit, saltem 30, quam ad minimum quinque annos post professionem in Ordine vixerit.

17. Abbatissae sint monialibus suis vere matres earumque necessitatibus benigne et cum charitate subveniant ; infirmis compatiantur, errores corrigant et in spiritu lenitatis instruant, atque in sua conversatione humilitatis exemplum praebeant.

18. Eaedem filias suas moniales saepissime conveniant et ad observantiam regulae et disciplinae monasticae exhortentur, de illarum conversatione diligenter inquirant, frequentissime, si continuo nequeant, cum eis simul in refectorio, utramque refectionem sumant, quae omnia ad religionem et concordiam plurimum sunt non vacet.

19. Moniales vicissim uti obedientiae filiae matrem suam abbatissam ament et revereantur, propterea ei obedientiam reddant ; sine eius scitu nullae personae saeculari loquantur aut scribant litteras, nec munera a quopiam accipiant, aut quidquam dent, et in omnibus voluntati eius cui suas resignarunt, se subdere studeant. Vanitatis vero, singularitatis ac diffidentiae vitandae causa, non alio quam eius cui omnia sua aperta esse

debent sigillo utantur, quod illis sicut fratribus proprium habere interdictum est.

20. Ipsae vero inter se, ut esse et dici mereantur sorores, mutuam charitatem conservent, et in omni tempore, loco et actione auxiliis et suffragiis paribus se mutuo iuvent. Singulis autem quindecim diebus, solemnioribus diebus festis et omnibus dominicis Quadragesimae et Adventus, peccatorum suorum confessiones faciant, et sacram communionem suscipiant, et iis salutaribus praesidiis se muniant ad omnes demonum tentationes superandas. Devotionem earum, quae omnibus diebus dominicis et aliis praefatis diebus communicare cupiunt, laudamus, ac ne ab hoc pio opere abstinere, nec ad ipsum accedere cogantur, prohibemus tantum id faciant non ex singularitate aliqua, sed cum abbatissae permissione et confessarii consilio ; aliter potius vanitati et culpae quam merito tribueretur.

21. In divinis officiis devotae sint et diligentes, sermocinationes nullas in ecclesia faciant, sed silentium servent, ante missae introitum sacerdoti celebranti et alta intelligibili voce dicenti *Confiteor*, ipsae simili voce in suo choro *Misereatur* et *Confiteor* dicendo respondeant. Quando habetur concio, in attentione et auditione eius persistant, nec illa durante abesse, nec ad cancellos, nec ad turnum aut alio in loco nimis loqui praesumant.

22. Habeant suas meditandi horas ordinatas post vigilias et completorium sicut religiosi, et tunc orationi et meditationi vacent, alias horas tam mane quam post meridiem per abbatissam ordinatas abeant ad honestas occupationes in labore manuum.

23. Quo durante earum una ad hoc deputata in loco, quo omnes cum claustri praeside congregabuntur per congruum temporis spatium, leget ex quopiam libro aliquod quod eas ad pietatem incitet, ac de suae professionis observatione, de timore et amore Dei ac proximi instruat. Opera autem earum in usum communitatis cedant, et si quae vendita fuerint, in arca communi servabuntur pecuniae, quae ex eis percipientur.

24. Lectiones in refectorio, in collatione ante completorium et durante praefato labore non fiant, nisi in propria earum vulgari lingua, ne non intelligentes negligant. Pro communibus et publicis illis lectionibus atque privatis suis, nullos licebit habere libros, quam quos earum visitator vel eo absente confessarius viderit et sub signo manuali probaverit.

25. Ad sanctimoniam conservandam rarissime nec nisi urgente necessitate loquuntur personis saecularibus moniales, quod eis non concedatur et abbatissa nisi cum eis quorum probitas et catholica fidei professio bene nota fuerit, et per crates locutorii, nec unquam solis sed binis simul et iuniori senior ut custos et testis semper assistat.

26. Servent conformitatem in habitu regulari Ordinis, nullisque aliis quam albis tunicis, subtunicis et cucullis vestiantur, nigrum velum super album continuo habeant et scapulare nigrum, nihil autem crispum, pomposum, saeculare aut profanum appareat ; nec utantur ullis pannis sericis, nec bavariis, ut vocant, complicatis, sed componantur ad simplicitatem et humilitatem omnem quae pudicas decet virgines, vela sua non elevent nec extendant more saeculari usque ad oculos dimittant, ut vere velatae

sint, nec mundus eas nec ipsae mundum videant, et tamquam ipsi mortuae soli Christo suo sponso vivant.

27. Defectus et negligentiae in capitulo more Ordinis corrigantur, delinquentes regulariter et cum qualitate puniantur ; quae autem in capitulo acta, tractaque fuerint, ne cum quibuscumque personis aut quidquam eorum propalare audeant. Prohibetur abbatissae sub poena suspensionis a dignitate et officio suo per mensem, monialibus vero sub poena abbatissae et senioribus visa.

28. Si contingeret abbatissam aliquam vel monialem committere quidquam eorum, propter quod abbas deponeretur, vel religiosus puniretur vel incarceretur, vel disciplinae regulari subiaceret, illa quoque abbatissa deponi, et monialis puniri, incarcerari, disciplinae, aliisque poenis regularibus corrigi debet, servata tamen moderatione propter sexus fragilitatem.

29. Abbatissa, negotia et necessitates monasterii, quae occurrent, proponat monialibus, et ex earum consilio determinet. Ipsae quoque defectus suos illi aperiant, et in amore et mutuo consensu membra capiti et caput membris compatiatur, communique paci et utilitati conventus inserviatur.

30. Habeant abbatissae ex suis monialibus officiarias per quas tam sanis quam infirmis necessaria omnia ministrari faciat, et non per saeculares. Viduas vero secum minusque coniugatas etiam consanguineas in familia sua, nec cum monialibus infra regularem clausuram non habeant, nisi urgente causa a visitatore approbata.

31. A Concilio Tridentino decretum est, quod nulli monialium licet post professionem a monasterio exire, etiam ad breve tempus quocumque praetextu, nisi ex legitima causa a suo superiore approbanda. Ingredi autem septum monasterii illarum nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus aut status fuerit, nisi cum eiusdem superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda.

32. Dare autem licentiam ingrediendi vel egrediendi idem superior non debet, nisi in casibus necessariis, qui sunt, quando aliquod periculum est evidens, ut incendii, inundationis aquae et infirmitatis periculosae, vel alia necessitate, quae vitari non possit aliter quam monasterium egrediendo, et tantum ad certum tempus a patre abbate vel eius vicario rescribendum. Cui decreto sicut et ceteris aliis eiusdem Concilii Tridentini, imo Spiritus Sancti nobis per ipsum praecipientis, obedire tenemur.

33. Quapropter quae contrafecerit, si sit abbatissa, quia excommunicationem, ut praefertur, latam ut debuerat, non reverita est nec timuit, a sua dignitate abbatiali et officio primo suspendatur, et si perseveraverit, deponatur.

34. Deinceps novitiae antequam faciant in ecclesia professionem suam solemnem, in capitulo praesente visitatore vel abbatissa, promittant obedientiam et se servaturas clausuram regularem et vitae communitatem, alias in professione non recipiantur.

35. Ideo de illis duabus obligationibus, ut de aliis in suo novitiatu bene informentur, ne se difficiles postea praebeant in earum observationem, et aliae moniales cogantur quoque cum ipsis ad eamdem servandam, nec

quotidie sunt facienda expensis, Capitulum gene-
rale committit Rdis Abbatibus de Firmitate,
et de Claritate ad Sotinas, nec non Cellerario
Cistercij; ut quantocitius ibidem conveniant,
et maturo consilio taxas contributionum an-
nuarum Ordinis diligenter examinent, illisque
in summam totalem redactis, an sufficiendis ex-
totum Ordinem oneribus sufficere possint, ex-
acte discutiant, ita ut exinde sumptus ad Ca-
pituli generalis celebrationem necessarij desuman-
tur, illique qui Procuratori generali in Curia
Romana subministrandi sunt, et illi qui fieri
debent tam pro sollicitatione processuum, et
legationibus ab Ordine demandatis, quam pro
alijs quotidie emergentibus negotijs et neces-
sitatibus: et casu quo sufficere non posse
censeantur, Capitulum generale praefatis
Rdis Abbatibus et Cellerario potestatem facit
taxas ampliores, et quae olim maiores voca-
bantur renovandi, ut supradictis omnibus
oneribus pares et sufficientes esse possint in
plenaria Ordinis potestate.

Finis

Scripsit Carolus de Visch
Prior Dunensis, 1657

Codex Dunensis scriptus a Carolo de Visch.

deinceps in receptionibus novitiarum benedictiones omittantur, quae a praelato vel deputato religioso dabuntur.

36. Examini novitiarum Deo dicandarum aderit visitator, seu aliquis religiosus Ordinis ab eo deputatus, qui novitiae voluntatem explorabitur, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, et an voluntas eius pia et libera cognita fuerit, habueritque requisitas conditiones iuxta monasterii statum et Ordinis regulam quam professura est.

37. Novitiae professionem suam faciant eo modo, tempore, aetate, ceterisque servandis quae servanda esse in novitiorum professione statutum est, et professae in iisdem regularibus observantiis et disciplinis, quibus obligantur professi. Visitatores patres confessarii et alii quicumque nunquam refectionem sumant cum abbatissis et monialibus in locis regularibus, quod eis abbatissis omnibus prohibetur, sub poena qua monasterium earum ingredi pro praefata executione interdicimus. Confessarius earum poterit ingredi, quotiescumque administranda erunt sacramenta infirmis sed non sine cuculla et stola, nec unquam extra hos casus ingrediatur. Medicus quoque ordinarius et pharmacopola, operarii etiam quando aliquid operandum reparandumve fuerit, et curabit unus ex confessariis vel capellanis, qui semper praesens aderit, ut illi non intromittantur nec laborent antequam moniales recesserint.

38. Una tantum sit porta regularis clausurae et altera si rebus in eam reportandis necessaria sit, utriusque claves apud se continuo abbatissa servabit, ut de his quae fient intus et quandocumque opus fuerit respondere possit. Eas nulli committat quam portariae quae senex erit, prudens et bene probata, quaeque habeat prope regularem portam cellam, in qua interdum in eius custodia manere possit ; nihilominus in dormitorium cum aliis se post Completorium pernoctura recipiat.

39. Conceditur ut puellae educandae et formandae recipiantur a magistris quae eis praeficientur, in virtutum disciplina pie erudiantur ante duodecimum aetatis annum, quo completo diutius non retineantur, nisi profiteri velle se declaraverint. Pensiones vero illarum quae educationi sustentationique dabuntur, abbatissa recipiet, illisque de victu providebit, cavebitque et earum magistrae, ne moniales in iurgia adducant, easque inter saeculares diffament, vestimenta earum absque curioso ornatu et fastu sint, nec vanitatem sed modestiam redoleant, prout decet puellas inter virgines Christi sponsas conversantes.

40. Non liceat eis privatim alere bruta, canes et sordida animalia, quod puritati virginum maxime repugnat ; sed talia ubi reperiuntur, a monasterio expellantur, et pretium inde proveniens in usum communitatis conferatur.

41. Sub poena proprietariorum prohibetur monialibus universis, ne pensiones tamquam proprium quid penes se retinere aut his uti, de cetero praesumant, sed statim tradant abbatissae vel bursariae, quae eas diligenter et fideliter conservet, et de illis illarum necessitatibus convenienter suo loco et tempore succurrat. Rogans et serio admonens Capitulum generale singulorum monasteriorum visitatores, quatinus praesentem consti-

tutionem pro locorum et personarum necessitate executioni demandari procurent.

42. Ubi [l] sorores conversae non sunt, assumantur quarum opera abbatissae utantur in servitiis suis monialium et monasterii sui, infirmarum habebunt curam, eis ministrabunt et servient in omnibus decentius quam famulae saeculares quae in monasteriis tolerandae non sunt, quia saepius praebent occasionem expensis, damnisque plurimis, etiam diffidiis et simultatibus inter moniales.

43. Insuper [m] quae reliquerunt omnia propter amorem sui sponsi Christi, hoc unum superest, ut seipsas relinquant et sit ipse illis unus omnium in omnibus quod divisim possident; sorores carnales iam factae sorores spirituales communiter et coniunctim habere debent, aemulantes prudentes virgines bonorum operum oleo non sint vacuae, nec in sponsi sui servitiis segnes et fatuae, sint simplices corde et ore et opere, nihil in eis fictum aut fucatum. Illibatam Virginis ac Matris Mariae virginitatem meditentur et imitentur, atque seipsas propter Christum eius filium funditus abnegantes studeant uni ipsi Christo cui sunt desponsatae se ut veras virgines mente et corpore castas exhibere.

CAP. XXXI. DE FRATRIBUS CONVERSIS. — **1.** Conversi fratres et sorores, qui ad servitium a religiosis in monasteriis sunt recepti, quamvis eorum officium, quod diligenter, fideliter et cum charitate exercere debent, assidue versentur in operibus et ministeriis temporalibus, habent tamen suas officii ecclesiastici horas, quae certo numero orationis Dominicae et *Ave Maria* definitae in *Ordinario* describuntur, ideoque non repetuntur, sed eorum magistri de illis et modo dicendi ipsos sollicite instruant.

2. Dominicis diebus et festivis, quibus ab opere cessatur, conveniant omnes ad ecclesiam in loco sibi constituto ad omnes horas canonicas, tam nocturnas quam diurnas. Ceteris diebus ad nocturnas ab idibus septembris usque ad Coenam Domini; alio tempore ad laudes surgant, et persoluto suo officio, audita missa, in crepusculo diei ad opera sua exeant, et reliquarum horarum preces, ubicumque fuerint, flexis genibus ante aliquod oratorium, quantum fieri potest, devote persolvant, nec eas propter ullum opus aut negotium non penitus necessarium differant.

3. Ad *Salve Regina* post Completorium, qui fuerint in monasterio, adsint in suo loco, et aqua benedicta ordine a chori praeside aspersi recte cubitum cum silentio se conferant.

4. Quoties feriabuntur, pulsent campanas et praecipue ubi sunt maiores, tam ad signum vigiliarum quam vesperarum. Cum iunioribus fratribus mundent loca regularia, eaque servitia omnia sibi iniuncta prompte faciant; negligentes et tardi ieiuniis et aliis acrioribus poenis puniantur.

5. In vestibus formam servent professionis suae in Ordine ab antiquo receptae; scapulare non protendatur, nisi ad singulum, nec in eisdem ves-

[l] N° 42, *deest apud* A^2A^4. [m] N° 43 : *deest apud* A^2A^4.

tibus omnibus alio quam griseo colore tam illos quam illas, uti patiatur. Abbates et abbatissas in hoc negligentes visitator vel eius vicarius excitet et moneat, et si opus fuerit, debita poena cogat.

6. Professionem suam illa forma verborum emittant, quae ab antiquo in Ordine nostro est consueta scilicet : Promitto tibi obedientiam de bono usque ad mortem. Nec inposterum diversa conversorum et conversarum genera admittantur, sed omnes in unam formam per visitatores reducantur.

7. Donati et donatae professionem non facient, et proinde nullo voto obligantur, sed sufficiet quod coram notario labores suos monasterio spondeant, et monasterium illud vicissim alimenta et vestimenta promittat. Communicent omnibus diebus solemnioribus et festivitatibus B. M. V. et in Coena Domini, in solemnitate S. P. N. Bernardi, nec alteri quam magistro suo, nisi de eius licentia sive superioris, vel si remoti fuerint a monasteriis aliorum Ordinum religiosis et in eorum ecclesia confiteri et communicare licebit.

8. His qui expedite legere sciverint, horae B. M. V. et libellus de doctrina christiana et alii spirituales tantum vulgari sermone conscripti, et ad suum captum accommodati ab eorum magistro concedi poterunt ; qui eorum in legendo plus sibi assumpserit, arbitrio magistri praesumptio puniatur. Saepiusque ab eo visitentur eorum cellae, ne alios inutiles aut etiam prohibitos libros habeant.

9. Magister eorum dominicis diebus et festivis eos ad deputatum sibi capitulum saepius convocet, adhorteturque et moneat, ac pro qualitate suarum culparum in eo, quando fuerit opus, puniat, vel etiam in capitulum fratrum pro gravitate delicti, puniendus adducat.

11. Novitios quos superior admiserit, novitiatus habitu induat, et officiorum suorum admoneat, curetque ut omnes diebus debitis confiteantur et communicent ; non appareant sine habitu suo, observent silentium in locis et temporibus ordinatis, in refectorio cum fratribus reficiantur, quantum fieri poterit, quae eorum professio requirit, observent et faciant.

12. Si quis tam ipsorum quam conversarum de peccato carnis, furto vel alio crimine semel convinciatur, vel secreta Ordinis vel monasterii revelaverit, ex eoque notabile damnum vel infamia accidat, puniatur sicut fratres, qui talia committerent crimina. Si in eadem similiaque crimina recidant, praeter illas poenas, vestibus regularibus exuantur, et exuti maneant per annum. Si usque tertio incorrigibilis fuerint, ex monasterio et Ordine eliminentur, sine spe reditus, quod tamen non fiet nisi prius consulto et consentiente patre abbate vel eius vicario.

CAP. XXXII. DE FUGITIVIS ET TRANSFERENDIS. — **1.** Ut fugitivi et suspecti a non fugitivis et suspectis dignoscantur, fratres qui de causa a suis monasteriis ad alia pergent, deferant secum litteras patentes sui superioris, quas dimissoriales seu obedientiales vocant, subscriptas et sigillo suo munitas, cum expressione loci ad quem mittentur, vel se conferant et cum certo et praefixo eundi et redeundi tempore ; secus facientes ubicumque fuerint inventi, tamquam fugitivi puniantur.

2. Qui discedendi licentiam obtinuerit, benedictionem itinerantibus

dari solitam, ad altaris gradum cum cerimoniis consuetis ordinariam quoque reversis suscipere non omittat.

3. Itaque qui sine dimissoriis vel obedientialibus litteris vagantur in magnum Ordinis dedecus, abbates vel priores deinceps eos facile non recipiant, sed potius eos capiant et incarcerent, seu capi et incarcerari faciant, et vinctos ad sua monasteria propria remittant, aut in carceribus detineant, donec ab abbatibus vel prioribus, ne in hoc dissimulent, sub inobedientiae poena eo facto incurrenda praecipimus.

4. Ad hoc faciendum necessarios facere sumptus non recusent, quia abbates monasteriorum quorum professi fuerint illi fugitivi, eos ipsis refundere sub pari poena tenebuntur.

5. Qui sine abbatum suorum licentia in alia monasteria transiisse modo reperiuntur, ad professionis suae monasteria intra certum tempus eis per abbates a quibus recepti sunt praefigendum, redeant sub fugitivorum poena, ac deinceps si fugerint, in aliis monasteriis non recipiantur.

6. Post mortem proprii abbatis nemini liceat contra promissam stabilitatem in alio monasterio profiteri ; nam ut habetur in regula, qui susceptus est in congregationem, sciat lege regulae constitutum quod illi ex illo die non liceat de monasterio egredi, nisi contingente legitima causa, cum praesidentis monasterii licentia, ut ex eadem regula conceditur. Et quisquis religiosus debet esse paratus ut ei obedientiam promittat, quem sanior pars conventus in abbatem elegerit et superior confirmaverit ; si tamen abbas consenserit, ut abbati alterius monasterii obedientiam [n] ipse frater promittat, et in eius monasterio stabilitatem firmet ; id quidem ei licebit cum citra praeiudicium alterius nihil fiat et quieti monasterii et fratribus ea ratione sit consultum.

7. Quia fugitivi, qui deposito habitu plusquam quinque dies extra monasterium remanent, apostatae sunt, et vinculo excommunicationis innodati nulli alii quam proprii superiores, nec vicarius aut quisquam superior, nisi in casu necessitatis et ad cautelam absolvant, nec missam celebrare permittant, aut ad officia et dignitates Ordinis promoveant.

8. Fugitivi ipsi, qui extra monasterium et Ordinem finierint vitam, nullatenus ad sepulturam fratrum recipiantur ; si tamen laudabilem vitam duxerint et confessi fuerint quia praesumitur ad monasterium eos redire et propterea poenitere voluisse, de consensu maioris partis conventus recipi poterunt.

9. Omnes fugitivi et apostatae Ordinis nostri excommunicati denuntientur singulis diebus sermonum in capitulo sui monasterii ex quo fugerint, quo magis ac magis apostatae alii deterreantur eosque evitent.

10. Qui fugitivi et in apostasia fuerint capti, prima vice incarcerentur per octo dies, per quorum tres diversos in capitulo cuiusque monasterii disciplina regulari vapulent, ac in pane et aqua ieiunent. Secunda vice eamdem poenam per sex menses sustineant ; denique tertia vice praedicta

---

[n] suam firmet : $A^2 A^4 T^3$.

poena per annum puniuntur, et postea ultimi in fratrum ordine remaneant, activa et passiva voce ad superioris discretionem privati.

11. Quando ipsi post breve tempus sua sponte redierint, poterunt hae poenae secundum discretionem superioris mitigari, scilicet saltem prostrati in terram ad maius altare inter divini officii spatia psalterium integrum dicant.

12. Ad cohibendam levitatem, inconstantiam imo et duritiem eorum, qui saepius fugerint, nec ullis correctionibus emendantur, ultimo remedio in eos utendum est ferro abscisionis, sicut ordinat S. Benedictus ex Apostolo dicente : auferte malum ex vobis, et infidelis si discedit discedat, ne ovis morbida totum gregem contaminet. Quos si, inquit, semel denuo frater exierit, usque tertio recipiatur, et postea sciat omnem suae reversionis aditum denegandum. Quare qui ex monasterio fugerit, post tertiam vicem, non est recipiendus, nisi forte ex iusta consideratione ad misericordiam commotus abbas redeuntem filium et poenitentem pro quarta vice recipere voluerit. Sed si tanta gratia dignus non fuerit, ablato ei habitu religiosi Ordinis nostri, clericali veste induatur et a monasterio in quo fuerat professus et ab universo Ordine per patrem abbatem vel eius vicarium eliminetur et depellatur, nunquam postea recipiendus, nihilominus ipse non est a suis votis absolutus, sed erit ei liberum convenire episcopum in cuius dioecesi est baptisatus, ut de loco, in quo possit vota sua Deo reddere, sibi provideat.

13. Si qui fratres, pro privatis suis aut monasterii negotiis dimittantur seu mittantur, eis decenter et congrue de viatico provideatur, ut modeste munus sibi iniunctum exsequi valeant, ne pannosi egentes mendicare et in maximum Ordinis nostri dedecus atque scandalum incedere cogantur.

14. Monachi et moniales in alia monasteria non transferantur propter suas culpas, quae in propriis monasteriis puniri et emendari possunt. Et si quis in aliud monasterium puniendus mittatur, aut si accipiat licentiam transeundi ad arctiorem religionem, praescribatur ei terminus, sub poena fugitivorum, ne obediendi loco ac arctioris observantiae praetextu vagetur.

15. Qui in Ordine aut extra ipsum praeter fugam aliquid animadversione dignum perpetraverit, debitae suae culpae poenas recipiat, ac si minime fugisset, ita ut una poena accessione alterius augeatur.

16. Personae de Ordinibus Mendicantium in nostrum Ordinem transire volentes, non recipiantur, nisi ex gratia et concessione Summi Pontificis ; sic autem recepti ad officia et dignitates nunquam promoveantur.

17. Ad communionem [o] habitus, victus et conversationis aliorum Ordinum fugitivos nullus recipere audeat sub poena gravis culpae, nec aliis faciamus quod nobis fieri nolumus, et tandem omnia in Ordine contra debitum ordinem per tales confusiones fiant.

CAP. XXXIII. DE USURIS, MUTUIS ET DEPOSITIS. — **1.** Quia

---

[o] communicationem : A^2A^4.

contra charitatem est et iustitiam, alteri ad usuram, Christo iubente, mutuum dare nihil sperantes, propterea prohibetur sub poena proprietariorum huiuscemodi usura, quae est casus Capitulo generali vel primis superioribus reservatus, a quo nullus absolvi poterit, nisi prius lucrum ex mutuo exactum restituerit.

2. Absque urgente monasterii necessitate, nulli religiosi, etiam si officiarii sint, quidquam mutuo dent vel accipiant sine licentia suorum abbatum et consensu conventus, alias mutuum, quod ab eis acceptum fuerit, nullam vim habeat, datum vero recuperabitur et ad monasterii utilitatem cedet.

3. Nullus pro aliqua persona vel ecclesia, vel pro aliquo monasterio Ordinis nostri nisi de consensu patris abbatis et conventus, fideiussorem se constituat vel cautionem det, alias talis fideiussio et cautio nulla erit.

4. Quae vero nonnunquam deponuntur in monasteriis custodienda, cuiusvis generis bona vel pecuniae, vina, triticum aliaeque res ad mercaturam pertinentes, talia deposita non nisi prioris, aut trium ad minus seniorum fratrum tamquam testium in abbatis praesentia suscipiant, hoc cum factum est in fraudem et detrimentum monasteriorum cessisse saepius compertum est. Restituantur etiam sub tali testimonio ut nihil inde mali monasterio oriri posset.

CAP. XXXIV. DE CONTRACTIBUS, VENDITIONIBUS ET EMPTIONIBUS. — **1.** Nullos contractus vel pacta, nullasque conventiones nec emptiones procurator monasterii, sive saecularis sive regularis, nisi de abbatis, prioris et conventus consilio, conservatis conservandis, inire debet. Contractus vero emphiteutici illegitime et contra Ordinis privilegia et statuta facti ab abbate vel commendatariis iussis, et non consentientibus religiosis, nulli sint et de facto annullantur et revocantur, quique ab abbatibus vel commendatariis aut eorum nomine a suis procuratoribus supra septem vel novem annos duraturi fiunt aut facti sunt, irriti esse a praesenti Capitulo generali declarantur.

2. In singulis monasteriis sigillum conventus diversum sit ab abbatis vel abbatissae sigillo, nec aliqui eo abutentur in contractibus et locationibus faciendis, in archivo simul et eo modo monasterii monumenta custodiantur fideliter, nec ex eo sine interventione conventus extrahatur.

3. Ex praecepto regulae, quoties praecipua aliqua agenda sunt, convocare debet abbas omnem congregationem et de consilio fratrum quod expeditius fuerit concludere et facere ; quod praeceptum transgredi caveant. Abbates nec bona monasteriorum ullo modo distrahere nec unquam dissipare nec in dilapidationis crimen incidant. Alienationes, venditiones, concessiones, locationes, permutationes, quomodo fieri et in quem usum pecuniae inde provenientes converti debeant, videatur et observetur de verbo ad verbum *Benedictina* quae praecepit, ut si quid alienandum extiterit, propter alicuius monasterii debita exsolvenda, vel ut aliquid aliud quod eidem monasterio sit utile, acquiratur ; pecunia quae inde habebitur ad nullos alios usus quam in debitorum solutionem vel huiusmodi acquisi-

tionem, servatis solemnitatibus ad id requisitis, convertatur, et alienationes, venditiones aliter factae, irritae, nullae et inanes. Contra vero facientes tamquam dilapidatores monasteriorum suorum a suis dignitatibus et officiis deponendi sunt, quod a Capitulo generali decernitur.

4. Sylvae non caeduae custodiantur pro privatis et publicis monasteriorum necessitatibus quibus et aliae arbores aedificationi commodae non abscindantur nec vendantur, nisi prius annotatae fuerint malleo monasterii et insignio venditis arboribus imprimantur, alias pro non venditis habeantur. Ipse malleus in archivo pariter cum scripturis serventur, nec eo quisquam sub poena notabilis furti abutatur. Multa monasteria saepe debitis non legitime contractis ita oppressa sunt, ut non tam de eorum periculo quam excidio timendum sit, idcirco severe singulis iniungitur visitatoribus ut diligenter inquirant de huiusmodi et contra quoscumque qui ea sine necessitate contraxerint, procedant, eosque pro suae culpae gravitate puniant, quando vero maiori cum utilitate monasterii fieri poterit, ipsa debita exsolvi provideant.

5. Ne ista debitorum contrahendorum licentia et pernicies magis invalescat, de cetero in contrahendo mutuo ab abbatibus pro necessitatibus suorum monasteriorum servetur omnino forma a Benedicto XII Papa in articulo bullae reformationis generalis Ordinis contenta, nisi quod abbates in remotis agentes pro causis ibi expressis usque ad valorem quintae partis annui proventus suae mensae abbatialis mutuum accipere poterunt.

6. Abstineant omnes ab aedificiis non necessariis construendis, ne graventur monasteria sumptibus quae expedit in usus magis necessarios servare. Si quae erunt extruenda vel etiam diruenda, habeatur prius consilium vel permissio patris abbatis, nisi forte aliquis casus incendii vel ruinae vel alterius praesentis necessitatis aliter exigeret, sed illius occasionis praetextu, grandia et sumptuosa construantur, maxime caveatur. Abbates et abbatissae et omnes Ordinis praelati iuramenti in sua institutione et benedictione praestiti memores sint. Strenui monasterii bonorum, iurium defensores, ac non modo ea quae iusto titulo possident, tueri et conservare, sed etiam quae eidem aliqua vi aut iniquo modo ablata et abstracta vel illegitime vendita et alienata compererint, omnibus suis viribus recuperare conentur. Ea de causa sub praefati sui iuramenti violatione praecipitur, ut prosequantur apud quoscumque iudices rescissionem, annullationem omnium et singulorum contractuum et conventionum in detrimentum suarum ecclesiarum factorum seu factarum.

CAP. XXXV. DE VISITATIONIBUS. — **1.** Pater abbas vel eius vicarius singulo quoque anno, vel quandocumque ei videbitur vel necesse fuerit, suae visitationi subiecta monasteria, commissarius vero Capituli generalis singulo triennio ea, quae suae commissionis sunt, visitabit. Attendant ipsi patres abbates et commissarii, ut officium suum diligenter praestent, alter alterius defectum suppleat, et eorum quilibet reformationis huius praecipuus executor sit, ut quae disciplinae regularis custos eam ab omnibus servari et executioni mandari curet.

2. Praeterea quae ad legitimam visitationem attinent, inquirant de

his quae in proxima visitatione ordinata fuerint, de observatione regulae eorum et praesentis reformationis et summa debitorum, qualitate possessionum, fideli administratione bonorum ab his quibus regimen spirituale et temporale pertinet, in quibus si quos superiores negligentes aut delinquentes repererint, severe puniant.

3. In omnibus autem suae visitationis actis, formam Ordinis servent, in victu sibi parcius curent ministrari, nec pro visitationibus suspecta munera accipiant, vel aliquod extorqueant a monasteriis, nec ipsas visitationes ultra triduum nisi necessitas postulaverit, protendant, ac ne multis equis et famulis sint oneri monasteriis prohibetur, ne numerum in *Benedictina* permissum excedant. Si quid tamen in aliquo monasterio contigerit, quod illorum praesentiam requirat, ut pro recipendis professionibus et aliis necessariis rebus, monasterium pro quo venerint, sumptus quos fecerint eis refundere tenebitur.

4. Ad gerenda communia Ordinis negotia eiusdemque privilegia, immunitates, exemptiones et libertates viriliter tuendas et conservandas, duo erunt procuratores generales, quorum alter in Gallia ubi mater et quatuor primae filiae existant ; alter vero in Curia romana residebit, qui non nisi a Capitulo generali, vel eo non sedente a Rmo D. Cistercii et quatuor primis abbatibus coniunctim instituentur, confirmandi nihilominus per proximum Capitulum generale sequens.

5. Cavebunt vero imprimis, ne inconsulto Capitulo sedente vel eo cessante, praefatis Rmo D. Cistercii et quatuor primis, indulta, concessiones et privilegia ulla contra primaeva Ordinis instituta, *Chartam charitatis* et priscas constitutiones diffinitionesque ipsius quovis praetextu vel quaesito colore impetrare praesumant, sub poena depositionis ab eorum officiis.

6. Si quae vero aliter ab iisdem impetrabuntur, ex nunc prout ex tunc irrita et nulla ab eodem Capitulo generali declarantur. Et quoniam diversis in locis et regnis varia nonnunquam emergunt ad quae omnia gerenda personaliter intervenire non valent, procurator generalis agens per totam Italiam, alter vero ceteris in locis et regnis, ubi necesse fuerit, particulares promotores pro rerum illarum occurentium interventione, poterit substituere, quos nihilominus patres abbates vel commissarii Capituli, si sic expedire viderint, ab officiis illis amovere et abdicare valeant.

7. Ut autem sua munia facilius obire possint, pensio illis assignabitur super fructus monasteriorum in quibus professi fuerint.

8. Quoniam in plerisque statutis pro qualitate et gravitate culparum, certae poenae seu poenitentiae satisfactionesque factae sunt, pro pace bonorum et ad reprimendum malorum et temerariorum audaciam, quia iustum est ut metus poenae coerceat quos Dei timor et virtutis amor a malo non revocat, poenis illis transgressores inviolabiliter esse mulctandos praecipitur, si transgressio fuerit secreta, similiter poenitentia erit secreta ; et e contrario.

9. Nullus ad aliquam poenam illarum quae hic statuuntur obligatur, nisi cum superior eius illi nominatim ob admissam culpam indixerit, excepto si in statuto declaratum sit, hoc ipso facto teneri.

10. Nec ad peccatum mortale, ac nequidem veniale violatione illorum

quisque obligatur, nisi vel propter voti transgressionem, vel propter contemptum, aut si aliud ius vel causa aut praeceptum in virtute sanctae obedientiae factum intercesserit, quod superiores non facile faciant, nec sine gravi causa admonemus.

11. In his autem quae pertinent ad disciplinam et ad communem victum, pro temporum, locorum et personarum conditionibus, patribus abbatibus et eorum vicariis, de seniorum consilio, ad tempus dispensare licebit, eorumque dispensationem pro rei necessitate repetere et revocare non tamen perpetuam facere, nec toti conventui tribuere, nisi gravissima et manifestissima necessitas exegerit, quod cum facient ea religione et amore Dei, ut appareat eos non propria voluntate, sed sola necessitate eam dispensationem concessisse, quae cessabit, cessante necessitate.

12. Ceterum declarat praesens Capitulum generale non esse nec fore suae intentionis, ut per praesentis reformationis articulos in ullo *Chartae charitatis*, *Clementinae*, *Benedictinae*, *Libello diffinitionum antiquarum* et *Novellarum*, seu antiquorum Capitulorum generalium diffinitionibus derogetur ; quae omnia in suo vigore et robore permanere proinde ac si praesentes constitutiones diffinitae non essent, in plenaria Ordinis potestate decernit.

13. In summa pater abbas eiusque vicarius aut visitator quaecumque emendanda et corrigenda in suo scrutinio et examine invenerint, in suae visitationis charta, poenis contra transgressores praescriptis, breviter et dilucide annotabunt. Numerum personarum regularium, tam professorum quam novitiorum et conversorum, ubi praescriptus non est, constituet ; constitutum vero nec completum complere praecipiet, et cetera faciet quae in *Usibus* Ordinis et *Libello diffinitionum* de visitationis forma ad suum officium pertinere declarantur.

14. Ac ne conventus chartarum visitationum graventur multitudine, ultimam dumtaxat patrum abbatum, si adfuerint, cum annexa sua, vel si visitator pater abbas existat, suam et quater in anno legendam relinquet ; praecedentes aliorum visitatorum chartae in archivo cuiusque monasterii futuris visitatoribus, quando et quoties petierint exhibendas, conservare mandabit, tum ut eius filiationis sit monasterium ex earum tenore, in quo id nusquam praetermitti debet, appareat, tum ut praestiti a patribus abbatibus ceterisque visitatoribus visitationis officii fides fiat, tum denique ut eorum memoria, qui sanctae reformationis operi incubuerint, ad posteros qui eum zelum aemulentur per illas cum benedictione transmittetur.

* * *

15. Praesentes [p] Capituli generalis anno Domini 1601 apud Cistercium

---

[p] *Paulo aliter apud* A^2A^4 : Hae diffinitiones in hunc modum patres abbates primarii 1604, in Quadragesima, apud collegium Bernarditarum, Parisiis situm, compilaverunt ex diffinitionibus Capituli generalis 1601. *Deinde addit* A^2 *stilo posteriori* : Authenticum ac minuta Cap. gen. longo tempore remansit in monas-

celebrati diffinitiones, a nobis infrascriptis Lutetiae in collegio nostro Bernardino congregatis revisas et quamprimum promulgandas esse censemus, easdem nihilominus accuratiori Capituli generalis examini discutiendas relinquentes. In huius rei fidem his propriis manibus subscripsimus, die 5 mensis aprilis 1604.

Sic [q] signatum : f. Boucherat, abbas Pontigniaci ; f. Dioniosius, abbas Claraevellis ; f. N. Boucherat, coadiutor Cistercii ; f. Martinus, abbas Wernevillerii nomine domini abbatis Morimundi.

1605

Anno [a] Domini millesimo sexcentesimo quinto, die vero nona mensis maii, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo et invictissimo domino nostro Rudolpho, Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, necnon pro christianissimo domino nostro Henrico, Francorum et Navarrae rege, ac pro invictissimo principe Philippo Hispaniarum rege catholico, pro serenissimis quoque principibus Austriae archiducibus, Lotharingiaeque et Sabaudiae ducibus, ac etiam pro nobilissima stirpe illustr. ducum Burgundiae, inclyti huius monasterii Cistercii praecipuorum fundatorum, et generaliter ... *etc.*

3. Item, ad supplicationem Rmi D. N. pro illustrissimo domino cardinale Cracoviensi de Ordine optimis merito.

---

terio Fulcardimontis, ita ut de fidelitate expeditionis in forma, quam multi ex nostris, ut est apud Cistercium, prae manibus habent, dubitetur. [q] *Sequentia tantum apud* P^3T^3.

1605. *Fontes* : A^2 : 9-72 ; A^4 : 9-72 ; Ch^1 : 1-57, 60-70 ; Ch^2 : 9-57, 60-81 *(erronee sub anno* 1584) ; D^1 : 77, 78 *(in ling. gall. trans.)* ; J^2 : 1, 2, 6, 7, 8, 12-16, 18, 20-22, 28-30, 33, 34, 37, 40[b], 43, 45, 47, 49, 59, 73-81 *(item gallice)* ; L^8 : iidem numeri ac J^2 et gallice redact. *iussu Dionisii Largentier, abbatis Claraevallis, pro monast. monialium de Flinis et de Marquetta* ; *Mo* : 10-31, 33, 34, 36-39, 41, 43-45, 47, 49, 50, 52, 57, 61, 63, 67, 68 ; P^3 : 1-57, 60-70, 73-81, 88 ; *Sa* : 9-57, 60-70, 73-87 ; T^3 : 1-57, 60-70, 73-81 ; T^5 : 9-72.

[a] Diffinit. Cap. gen. habiti apud Cisterc. anno 1605, die 9 mensis maii, tempore R. D. D. Nicolai Boucherat, totius Ord. generalis : A^2 A^4 ; Capit. gen. apud Cisterc. celebratum anno 1605 die 9 maii et seq. : *Sa* ; L'an 1605 : L^8.

4. Similiter pro R R. D. Tristando de Bizet, Xantonensium episcopo, scolasticorum Ordinis nostri in collegio nostro Sancti Bernardi benefactore munifico.

5. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

6. Fiant etiam orationes pro Belgii et Hungariae provinciis et reliquis bello offensis, in singulis monasteriis universi Ordinis.

7. Pro pace etiam ac unitate sanctae matris Ecclesiae ... *etc.*

8. Postremo pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

9. Primo, diffinitum est ut diffinitiones Capituli generalis 1584 die ultima mensis aprilis, apud Cistercium celebrati, factae, excepta illa de notariis, omnino observarentur, in plenaria Ordinis potestate ratificat, approbat et confirmat hoc praesens Capitulum.

10. *De divino officio, et aliis ad ipsum pertinentibus.* — Ut una eademque ratio et idem ritus in missarum celebratione per universum Ordinem teneatur, providebit R. D. N. Cistercii ut de ipsis tractatus conficiatur et quamprimum edatur.

11. Curent commissarii Capituli generalis, ut altaria superflua et incommodo loco posita ex ecclesiis nostris amoveantur, dummodo illa non sint ex fundatione, et tot remaneant, quae ad missarum celebrationem sufficere possint, habita ratione locorum, idque fiat absque offensione et scandalo.

12. Hortatur Capitulum generale singulos abbates et monasteriorum superiores, ut horas divinorum officiorum sic distribuant singulis diebus, ut fratres spatium dimidiae horae habeant matutino tempore, quo in ecclesia vacent meditationi et tantumdem tempore post Completorium, quod huic necessario exercitio necnon examini conscientiae in suis cellulis impendant.

13. Ut Sanctae Romanae Ecclesiae, quoad fieri potest, conformemur, deinceps non cantabimus antiphonam et canticum laetitiae *Alleluia* tempore et dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, sed in iis loco *Alleluia* ad cantica, laudes, primam, tertiam sextam et nonam, dicentur antiphonae nuper accommodatae et typis mandatae ; privatis vero diebus per idem tempus, in secundo nocturno cantabuntur antiphonae quae ad illud in Quadragesimo iisdem diebus dici solent.

14. Martyrologium Ordinis non habentibus, donec fuerit correctum et impressum secundum ipsius Ordinis usum, permittitur ut interea romano utantur.

15. Missa ordinaria pro defunctis non dicatur amplius diebus dominicis aut sermonum vel festis apostolorum, sed hebdomadarius ad

altare ipsorum dicet missam diei currentis cum adiuncta collecta pro iisdem defunctis.

16. Capitulum generale constitutioni f. r. Gregorii Papae XIII inhaerens, praecipit ut per universum Ordinem die secunda mensis aprilis celebratur festum sancti Francisci de Paula, primi institutoris Ordinis Minimorum, et officium fiat sicut de sancto Francisco.

17. Festa quoque aliorum sanctorum per Summos Pontifices sub praecepto instituta, deinceps observentur.

18. Officium defunctorum non amplius dicatur per octavam Epiphaniae, Ascensionis Domini, et festi Corporis Christi, et festivitatum B. M. V. propter maiorem ipsarum solemnitatem, neque in vigilia Nativitatis Domini.

19. Missa conventualis diei non debet dici, nisi orto sole, ideoque ab Exaltatione sanctae Crucis usque ad caput Quadragesimae privatis diebus cantabitur post tertiam, et *Pretiosa*.

20. In vigilia Nativitatis Domini vesperae celebrabuntur ante refectionem, sicut tempore Quadragesimae.

21. Renovatur diffinitio per quam praecipitur ut in omnibus monasteriis celebretur officium pro R. D. Cistercii pro tempore decedente, necnon pro RR. quatuor primis abbatibus pro tempore decedentibus, in universis monasteriis suarum generationum.

22. Singulis diebus sermonum habeatur sermo in capitulo ab omnibus fratribus per ordinem ; idem quoque faciant abbates. Porro si qui sint fratres, quorum praedicatio populo aedificationi esse possit, id nonnunquam in ecclesia ex proprii superioris mandato et concessione faciant.

23. Tabulae indulgentiarum per Leonem X papam Ordini nostro concessarum habeantur in omnibus ecclesiis, ut ad ipsas consequendas tam regulares personae quam saeculares in eis specificatae ex eorumdem inspectione magis incitentur.

24. Quoniam hodiernus rerum status non permittit, ut Capitulum generale singulis annis habeatur, statuitur ut in posterum saltem singulo quoque quadriennio celebretur, in cuius celebratione ea deinceps ratio per omnia servabitur quae antiquitus. Interim praesens generale Capitulum hortatur RR. DD. Cisterciensem et quatuor primos abbates, ut quolibet anno saltem semel, pro gravitate negotiorum in dies emergentium, die per R. D. Cisterciensem designando, de rebus Ordinis tractaturi conveniant. Attamen praeter solitos Capituli generalis Diffinitores et officiarios deputabuntur sex abbates contractuum examinatores, quorum officium erit contractus huiusmodi diligenter et accurate examinare, et de ipsis postea fideliter Diffinitoribus referre. Qui abbates ante omnia iuramentum praestabunt de suo officio sine fraude et corruptione adimplendo, quibus adiungentur duo secretarii abbates

vel religiosi, prout expedire videbitur. Abbates notarii Capituli generalis antequam suum officium aggrediantur, de fideliter obeundo et exercendo simile iuramentum praestabunt. Originales vero diffinitiones Capituli generalis deinceps subscribentur a R. D. Cistercii et quatuor primis abbatibus et ambobus abbatibus notariis praedictis nomine omnium Diffinitorum. Notarii vero ad pedes iisdem non subscribunt, sed tantummodo illarum transumptis, et ideo revocatur diffinitio 1584 in contrarium edita.

25. Renovatur diffinitio de reddendis computationibus contributionum R. D. Cisterciensi et quatuor primis et aliis, prout antiquitus fuit observatum.

26. In sessione Capituli generalis observabitur ratio et tempus fundationis seu incorporationis monasterii cuiusque abbatis, excepto praesidente congregationis Tusciae et Lombardiae, cui post quatuor primos abbates proxima sessio conceditur, quando personaliter intererit. Ut autem facilius cognoscatur tempus fundationis, seu incorporationis cuiuscumque monasterii, antiqua tabula omnium Ordinis monasteriorum quamprimum restituetur.

27. De cetero vicarii provinciarum, iuxta laudabilem patrum consuetudinem, deferant secum ad Capitulum generale codicem continentem nomina omnium personarum utriusque sexus Ordinis nostri, a praecedenti Capitulo defunctarum in sua provincia, ut pro eis preces iniungantur.

28. Quoniam radix omnium malorum est proprietas, Capitulum generale inhaerens sacri Concilii Tridentini decretis, necnon constitutioni Gregorii Papae XIII, revocat et abolet omnes et quascumque licentias, dispensationes et indulta cuiusque privati rerum et bonorum usus, proprietatis, possessionis et dominii omnibus utriusque sexus Ordinis nostri regularibus personis, per quoscumque superiores eisdem ex quibuscumque causis concessa, et vult omnia illa deinceps vires et effectum non habere, ideoque in virtute sanctae obedientiae praecipit omnibus vicariis et monasteriorum superioribus, ut decretum in sessione vigesima quinta Concilii Tridentini *De Regularibus*, accurate et adamussim servari faciant. Si qui vero executioni et observantiae dicti decreti sese opponere praesumpserint, sint eo ipso excommunicati et inhabiles ad quaevis officia, gradus et dignitates existant. Si qua autem persona, quod Deus avertat, in detestando huiusmodi proprietatis vitio impoenitens decesserit, ecclesiastica sepultura et publicis suffragiis privetur. Curent monasteriorum superiores et vicarii ut quod religiosis necessarium erit, non denegetur, et statuant in omnibus monasteriis certam summam, habita ratione pretii rerum iuxta quam commendatarii et duriores abbates vestiarium monachis administrent, quod nihilominus non in pecunia, sed in rerum natura et specie,

tempore per eosdem constituendo et determinando recurrente eis detur.

29. Prohibetur ne de cetero feria quinta hebdomadae sanctae, sive ante sive post completorium, ulla convivia fiant.

30. Ieiunia Ordinis diligenter et accurate observentur, sexta feria a Pentecoste usque ad idus septembris, et ab iisdem usque ad caput Quadragesimae feria quarta et sexta, nisi praecedente aut subsequente die ieiunium de praecepto eveniat. Abstineant tam abbates quam fratres ab esu carnium singulis feriis secundis et quartis totius anni ac toto Adventu et Septuagesimae tempore ; proprii tamen abbates et monasteriorum superiores in ipsa feria secunda nonnunquam pro rationabili causa dispensare permittuntur. Serio et districtissime prohibetur, ne de cetero in receptione novitiorum et novitiarum, necnon in illorum illarumque professionibus aut in primis missis sacerdotum, ulla publica convivia fiant.

31. Ne frequentia saecularium quietem monachorum perturbet, hebdomadarius missae maioris extra divini officii tempus exteriorem claustri portam continuo observabit, neminem introducendo absque scitu et licentia praesidis, ac ut expectantes habeant interim quo se occupent, curabitur ut aliquae imagines vel tabulae chorographicae iuxta portam huiusmodi habeantur.

32. Nullus sub inobedientiae poena convenire audeat vicarium provinciae sine proprii superioris licentia, nec patrem abbatem immediatum, vel aliquem ex quatuor primariis, seu etiam R. D. Cistercii, sine ipsius vicarii provinciae licentia in scriptis obtenta.

33. Translati ob infamiae crimen durante inhabilitate ad nulla prorsus officia admittantur.

34. Sub intrusionis [b] poena districte prohibetur universis abbatibus et abbatissis electis, ne ante confirmationem suarum electionum a suis patribus immediatis, vel a R. D. Cistercii obtentam, administrationi spirituali quoquomodo se immisceant, nec etiam novitios aut novitias ad habitum vel professionem admittant, neque benedictionem abbatialem accipiant.

35. Prohibetur R. D. Cistercii et quatuor primis, necnon Capituli generalis commissariis abbatibus, et provinciarum vicariis ne, in negotiis et rebus Ordinem concernentibus, saecularibus secretariis aut aliorum quam religiosorum nostri Ordinis professorum ministerio utentur, aut sine aliquo regulari comite eant.

36. Statuitur sub poena suspensionis a divinis, ut nullus abbas profectionem ultra sex menses duraturam instituat absque patris abbatis

---

[b] suspensionis : *Ch*².

vel vicarii provinciae licentia in scriptis obtenta. Quo casu sub eadem poena prohibetur, ne temporale monasterii regimen alicui saeculari committat, sed bursario, aut cellerario aut alicui regulari Ordinis nostri professo et de consilio seniorum, cui tantum poterit aliquem saecularem adiungere, prout suadebit necessitas vel monasterii utilitas.

37. Nullae novae fundationes a quocumque abbate vel conventu neque coniunctim neque separatim, sine expresso Capituli generalis vel R. D. Cistercii vel patris abbatis consensu et approbatione recipiantur. Quia vero in quibusdam monasteriis magnus missarum celebrandarum numerus ex variis defunctorum legatis impositus est, vel etiam eleemosinae pro illis celebrandis relictae adeo tenues sunt, ut pro illis satisfieri nequeat prae paucitate sacerdotum, Capitulum generale committit omnibus commissaris suis, ut in visitationibus singulorum monasteriorum visitandorum onera huiusmodi annotent, una cum numero personarum necnon proventuum quantitate, ut in proximo sequenti Capitulo generali relationem de iis omnibus faciant, et in hac parte statuatur, quod magis ad Dei honorem et cultum, necnon ecclesiarum utilitatem visum fuerit expedire

38. Priores monasteriorum commendatorum non eligantur a fratribus, sed instituantur a patre abbate vel provinciae vicario, si eam facultatem habuerint in litteris sui vicariatus. Eisdem prioribus monasteriorum commendatorum prohibetur, ne ullos ad habitum religionis recipiant absque patris abbatis vel vicarii provinciae licentia et approbatione in scriptis, sub poena privationis ab officio et nullitatis receptionis eorum.

39. Nulli suscipiantur ad novitiatum, nisi de consensu maioris partis conventus et non ante decimum septimum aetatis annum, nec nisi idoneos latinaque locutione, aut saltem principiis grammaticalibus imbuti, non noti aut spurii, non vitium notabile aut deformitatem in corpore habentes, non duo in eodem loco fratres sub poena suspensionis a divinis quoad recipientes et eiectionis quoad receptos. Novitii monasteriorum commendatorum non admittantur ad professionem nisi per patres abbates vel eorum commissarios.

40. Districte vero abbatibus praecipitur ne praeter Ordinis formam consuetam in emissione professionis novitiorum sibi iurari vel promitti quidquam faciant, sub poena suspensionis a divinis ipso incurrendae. Conversi in sua professione nulla forma utantur quam antiqua, videlicet : Promitto tibi obedientiam de bono usque ad mortem.

41. Ut priores et suppriores, qui spirituale monasteriorum regimen exercent, diligentius et accuratius suis muneribus attendant, prohibetur ne officia bursarii aut cellerarii vel procuratoris simul exerceant.

42. Fratres congregationis Fuliensis, qui iam ad monasteria nostra confugerunt, si in aliquo ipsorum stabilitatem suam non firmaverunt,

statim eiiciantur, vel si digni erunt, qui admitantur, probentur per annum in novitiatu, ut eo elapso profiteantur. Eos vero dictae congregationis qui professionem quidem generaliter fecerunt in Ordine, sed nulli monasterio per stabilitatem sunt incorporati, pro non professis habendos esse declarat praesens Capitulum generale.

43. Renovatur antiqua prohibitio de susceptione puerorum a fonte baptismatis per abbates vel monachos non praesumenda, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae.

44. Praeter Cistercium et quatuor primas filias illius, deputabitur per commissarios singulos in provinciis monasterium in quo scolae pro humanioribus litteris habeantur, ad quas iuniores monasteriorum eiusdem provinciae religiosi mittantur cum honesta et sufficienti pensione, per eosdem commissarios habita ratione pretii rerum determinanda et ordinanda, ut postmodum ad generalia studia capaciores accedant et vagandi per civitates occasionem non habeant.

45. Nullus abbas vel religiosus, sub poena excommunicationis, pro quacumque persona etiam ecclesiastica, ne quidem pro monasterio Ordinis absque patris abbatis vel vicarii provinciae et proprii conventus consensu pro summa excedente centum aureos fideiussorem se constituat, aut cautionem det, vel ullo modo sese obliget.

46. Nulli abbates recipiant officia receptorum regum, ducum, principum et rerumpublicarum sub poena suspensionis a divinis et administratione temporali suorum monasteriorum, et si intra tres menses non deposuerint officia, ipso facto, abbatiali dignitate priventur.

47. In venditionibus, permutationibus emphyteosibus et aliis bonorum immobilium vel etiam pretiosorum mobilium alienationibus faciendis, observentur antiquae constitutiones Ordinis, nec contra formam earumdem cuiquam superiori etiam R. D. Cistercii et quatuor primis abbatibus liceat contractus desuper ineundos quavis auctoritate confirmare vel approbare, sub poena excommunicationis latae sententiae.

48. Quoniam pervenit ad audientiam Capituli generalis annis retroactis fuisse factas multas alienationes, oppignerationes, hypotecas et distractiones bonorum monasteriorum Ordinis contra formam *Benedictinae* et statutorum illius in evidens praeiudicium et gravamen eorumdem monasteriorum, ecclesiarum et pauperum, eas omnes alienationes, oppignerationes, hypotecas, distractiones et contractus desuper initas quavis auctoritate etiam in proximis praecedentibus Capitulis generalibus et alios quoscumque, etiam per piae memoriae R. D. Cistercii et quatuor primos, necnon provinciarum vicarios confirmatos et approbatos, revocat, cassat et annullat, ac viribus penitus exinanit praesens Capitulum generale, et ea monasteria in eum quo ante huiusmodi confirmationes fuerunt statum reponit ac restituit, et prop-

terea mandat omnibus Capituli generalis commissariis, necnon provinciarum vicariis et procuratoribus, syndicis, quatinus auctoritate Capituli generalis abbates et abbatissas necnon administratores et officiarios monasteriorum et locorum Ordinis quoslibet ad recuperationem bonorum sic in praeiudicium alienatorum per censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compellant. Dispensat etiam idem Capitulum generale cum omnibus et singulis Ordinis personis super quibusvis iuramentis per ipsas in huiusmodi contractibus ineundis forsitan praestitis, easdem ab iisdem absolvit et absolutas fore et esse censet in plenaria Ordinis potestate. Abbates et abbatissae necnon monasteriorum officiales et administratores qui postquam vigore huius decreti fuerint legitime requisiti in recuperatione bonorum huiusmodi negligentes extiterint, aut eam pro posse prosequi recusaverint, eo ipso a divinis et ab omni temporalium administratione sint suspensi.

49. Hortatur Capitulum generale omnes Ordinis professores ut, dimisso lineorum usu, laneis et regularibus indusiis pro maiori corporis castigatione utantur. Serio nihilominus districteque prohibetur monachis, qui pro humana fragilitate antiquam patrum consuetudinem circa hoc repetere adhuc impediuntur, ne longioribus, et prominentioribus collariis utantur, ne forte pios spectantium oculos hoc facto offendant.

50. Quia praesenti Capitulo generali constat, optimam reformandi Ordinis rationem in bona et religiosa novitiorum educatione, statuit et ordinat, imo praecipit, ut per suos generales commissarios singulis in provinciis monasterium aliquod deputetur, ad quod omnes illius provinciae abbates et monasteriorum superiores suos novitios probandos et per annum in regulae necnon pietatis exercitiis et monasticis observantiis ab aliquo idoneo magistro erudiendos et informandos cum rationabili pensione per eosdem commissarios determinanda mittere teneantur.

51. In singulis Galliae provinciis, ubi necesse fuerit habere vicarios, singuli vicarii de consensu et consilio illius vel illorum patrum abbatum, qui filias abbatias ibidem habuerint, per R. D. Cistercii et dictos patres coniuncta constituentur. Qui quidem vicarii, iuxta formam suarum commissionum in eis visitabunt, reformabunt et ordinabunt, quaecumque visitatione, reformatione et ordinatione egere cognoverint, sed nomine et auctoritate illius a quo monasterium quod visitabunt, aut in quo aliquid iurisdictionis exercebunt, dependebit immediate; qui etiam singulis annis universalem relationem super statu monasteriorum provinciae sibi commissae ad R. D. Cistercii et praedictos patres transmittere tenebuntur, secundum uniuscuiusque generationem. Quod si pater abbas vicarium eiusmodi negligentem in sua iurisdictione repererit, eum deponere in eius erit potestate.

52. Occurrente vero aliqua difficultate vel etiam interiecta appellatione ab eisdem provinciarum vicariis, primo ad immediatum patrem, et gradatim ad R. D. Cistercii vel proximum Capitulum generale recurretur. Porro praedictorum vicariorum potestas, sicut et commissariorum Capituli generalis, ultra sequens Capitulum non durabit, sed in eo suis vicariatibus et commissionibus renuntiare, necnon administrati officii rationem reddere tenebuntur patribus immediatis, quo casu autem dictum Capitulum generale propter aliquod subveniens impedimentum puta belli, pestis, famis et eiusmodi, suo tempore celebrari non posset, tunc super institutione, amotione vel continuatione praedictorum vicariorum per R. D. Cistercii et supradictos quatuor primos patres ipsius nomine convenientes, modo quo supra, disponetur.

53. In singulis supremis regni Galliae curiis, promotor unus capax et idoneus per R. D. Cistercii et quatuor primos deputetur, qui Ordinis iura, libertates, privilegia et immunitates defendat.

54. Procurator autem generalis pariter a R. D. Cistercii et quatuor primos instituendus quolibet quadriennio semel illos, si fieri potest, visitet ut videat, quid egerint, quo pacto se in exercitio suorum officiorum gesserint, cuncta Capitulo generali relaturus, ad quod quidem Capitulum arresta omnia quae in favorem quorumcumque Ordinum in supremis vel etiam inferioribus curiis lata et pronuntiata reperiet, deferat, et in archivo monasterii Cisterciensis reponantur.

55. Ceterum sex mensibus ante Capitulorum generalium pro tempore celebrandorum convocationem, particulares supremarum curiarum promotores cuncta suae commissionis monasteria visitent et diligenter observent in illis de quo Capitulum generale certius fieri necesse habeat aut num pro aliqua ad ipsum recurri debeat, quatinus et procuratori generali pro tempore existenti transmittant, cuius erunt partes illa praedicta Capitulo proponere, re tamen R. D. Cistercii et quatuor primis communicata.

56. Procurator autem generalis Galliae tribus mensibus ante dictorum Capitulorum generalium convocationem adeat Lutetiam, ibidem expectaturus cunctas rerum informationes, memorialia et instructiones negotiorum ab eodem in dicto Capitulo proponendorum quae ad illum commodius hoc pacto dirigentur.

57. Curent autem dicti procuratores generales Ordinis diffinitiones et statuta, necnon cartas visitationum et vicariorum ordinationes accurate et exacte observari et ad cunctorum in iisdem contentorum observationem, per poenas in ipsis diffinitionibus, statutis et ordinationibus quoslibet compellant.

58. Patres abbates et visitatores provideant ne loca regularia occupentur a dominis commendatariis aut aliis saecularibus, et ubi id attentatum est, aut attentabitur, procurent syndici et procuratores

provinciarum pro suo officio, omnibus modis et per omnes iuris et iustitiae vias, quatinus ipsa loca regularia restituantur conventui.

59. Syndici et procuratores provinciarum sint diligentes et seduli in inquirentibus abusibus qui committuntur in sylvis non caeduis et arboribus non cedendis, et ubi officiales locales conveniri iudicabunt ad dominum procuratorem generalem regium Parlamenti recurrent.

60. Monachi vero ad easdem curias pro negotiis suorum monasteriorum gerendis missi, se eidem procuratori generali vel, eo absente, promotori intra duos dies ab eorum adventu computendos representabunt rationem agendorum daturi, alias per dictum procuratorem vel, eo absente, per promotorem puniantur.

61. Quoniam regularem habitum a nonnullis Germaniae, Poloniae et vicinarum regionum abbatibus et officiariis ita contemni relatum est, ut nullo prorsus imminente periculo etiam in mediis catholicorum civitatibus, eo dimisso, more saecularium vestiti incedere non verentur, praesens generale Capitulum serio et districte prohibet omnibus huiusmodi abbatibus, officiariis et aliis quibuscumque monachis, ne sine dicto habitu regulari procedant per civitates seu extra ipsas, nisi alias grave et evidens periculum propter illius gestationem ipsis immineat.

62. Praesens generale Capitulum indignum prorsus et iniquum esse iudicans, quod nonnulli abbates universam monasteriorum suorum substantiam soli consumant, paucissimos et fere nullos fratres in suis monasteriis alendo, huiusmodi abbates serio monendos censet, quatinus sufficientem monachorum numerum recipiant, et nisi monitis acquieverint, ad id per iuris et iustitiae vias a patribus abbatibus et vicariis et syndicis compellendos esse decernit, in plenaria Ordinis potestate.

63. Quicumque abbates vel priores aut officarii aliquem fratrem conventualium ad subscribendum alicui contractui coegerint vel aliquid exactionis intulerint aut comminati fuerint, nisi subscripserint, tales ipso facto absque ulla declaratione a divinis esse suspensos denuntiat praesens Capitulum generale. Sigilla vero abbatum et conventuum separatim habere debent, ut utriusque proprii sigilli apponendi, omnimodo libertas relinquatur.

64. Monachi [c] per protonotarios aut alios quoscumque, in minoribus academiis ante absolutum studiorum cursum ad gradum theologi magistri promoti, doctorum Ordinis albo non inscribantur, nec eorum privilegiis gaudere permittantur.

65. Relatum est praesenti Capitulo generali, nonnullos monasteriorum commendatorum conventus, mensas conventuales separatas

---

[c] Religiosi : *Ch*² *Sa* *T*³ *T*⁵.

habentium, absque interventu priorum nonnullos contractus desuper inire, quod ne de cetero fiat districte prohibetur, sub poena nullitatis eorum contractuum, et praeterea amotionis officiorum ipsis subscribentium ab officiis sibi commissis, ipso facto incurrenda.

66. Damnabili quorumdam privatorum praesumptioni et temeritati congruentem adhibere medelam, cupiens praesens generale Capitulum, omnes et singulos contractus locationis, concessionis seu arrendationis quorumlibet bonorum monasteriorum seu aliorum locorum et quarumvis aliarum rerum per eiusmodi factos seu factas praesenti decreto penitus revocat, cassat et rescindit, et eos qui se opposuerint, proprietariorum sententiae per omnia subiiciendo.

67. Dormitoria plerisque in locis id esse desinunt quod dicantur, cum omnes passim per improbitatem exemptionis et ab eisdem excusationes a suis superioribus extorquent, propterea decrevit praesens Capitulum generale omnes et singulos monachos, exceptis doctoribus et baccalariis formatis, aliisque specialium camerarum solatio necessario indigentibus, qui a solis patribus abbatibus vel vicariis de consensu propriorum superiorum excusari poterunt. In dormitorium cellulas retrudi seu recludi debere, in quibus, si qui ad praesens camini existunt, omni excusatione postposita, confestim destruantur.

68. Monachi qui laxioris cuiuspiam Ordinis beneficia per Sanctae Sedis dispensationem obtinuerint, habitum nostrum intra tres menses dimittant, absque ulla spe reversionis ad Ordinem, in domibus e quibus illa dependent profiteantur, nec de cetero in monasteriis nostris nequidem ut hospites recipiantur, ne pravo ipsorum exemplo vel contagioso colloquio ceteri fratres a regularibus observantiis avellantur, id alias contigisse conqueruntur et maxime dolent.

69. In omnibus et singulis monasteriis nostris certi iique sufficientes redditus ad onera sacristiae supportanda, per Capituli generalis commissarios in bonis stabilibus destinentur et determinentur.

70. Ad evitandum litium anfractus, amputandosque qui passim inter dominos commendatarios et conventus monasteriorum ipsorum commendatorum oriri solent, circa victus et vestitus et aliarum necessitatum administrationem, praesens generale Capitulum statuit et decernit, ut in iisdem habeatur conventualis mensa in bonis immobilibus ab abbatiali distincta et separata, quae ad religiosorum sustentationem ipsorum monasteriorum et praecipue clausurae locorum regularium reparationem, necnon ad ceterorum onerum claustralium supportationem abunde sufficiat.

71. Praesens generale Capitulum prohibet omnibus et singulis monachis, ne procurationes bonorum temporalium a commendatariis accipiant, absque licentia vicarii provinciae sub poena ipsius arbitrio imponenda, decernitque eos qui iam acceperunt, vel in posterum

accipient, ad consilium non intermittendos nec ullum claustrale officium, durante huiusmodi procuratione, ipsis imponendum. Eos qui ad praesens obeunt munia vice commendatorum, omnibus claustralibus officiis quae exercent privatos declarando, in plenaria etc.

72. Quo plures in monasteriis commendatis rerum gerendarum periti fiant, praesens generale Capitulum prohibet, ne ullo monacho cellerarii vel syndici monasterii officia ultra triennium committantur, eosque qui per triennium integrum illa exercuerint, ab ipsis excusandos statuit et ordinat.

73. *De monialibus.* Puellae ad habitum regularem non recipiantur illegitimae, vitium notabile in corpore habentes, aut duae in eodem monasterio sorores, nisi ad hoc a patre abbate vel vicario provinciae dispensentur, aut minores duodecim annis. Susceptae vero tempore novitiatus instituantur cum monialibus in conventu et locis regularibus ad id deputatis, non autem in aedibus abbatissarum. Habeant singulae proprias cellulas in dormitorio ubi pernoctent, necnon refectionem in communi refectorio accipiant cum ceteris.

74. Nullam vero puellam ad novitiatum abbatissae admittant, aut iam admissam eiiciant, absque auctoritate, licentia et mandato speciali patris abbatis vel vicarii provinciae sub poena suspensionis ab administratione abbatiali ipso facto incurrendae.

75. Pecuniae in novitiarum receptione et earumdem professione a parentibus vel aliis pro victu et vestitu illius temporis quo in probatione fuerint, vel etiam loco dotis aut eleemosynae erogandae, non tradantur abbatissis, sed bursariis vel cellerariis, de consilio patris abbatis vel vicarii provinciae in communes et magis necessarios monasterii usus expendendae, vel etiam in census perpetuos convertendae.

76. Abbatissae generalem suae administrationis computationem patri abbati vel vicario provinciae singulis annis tempore visitationis reddant. Recusantes ipso facto suspensionis ab administratione abbatiali poenam incurrant.

77. In omnibus monasteriis monialium patres abbates vel vicarii provinciae, clausuram iuxta Concilium Tridentinum, ubi non fuerit, introducent et eam observari, quantum in eis fuerit, faciant. In partibus autem haeresi infectis, et in aliis ubi propter defectum brachii saecularis huiusmodi clausura introduci non poterit, saltem id a praedictis patribus abbatibus et vicariis cavetur diligenter ut honestam vitam ducant, et ideo tam abbatissae quam moniales clausuram nunquam egrediantur, nisi ex urgentissima et necessaria causa, praevia eorumdem patrum abbatum vel vicariorum licentia in scriptis ; alioquin tam dictae abbatissae quam moniales ipso facto excommunicationem incurrant. Nec, sub eadem excommunicationis poena, liceat illis intra septa clausurae regularis saeculares vel regulares personas admittere, nisi

ex causa omnino necessaria, et praevia dictorum superiorum licentia.

78. Abbatissae quae contra formam huius decreti suis monialibus egrediendi licentiam concesserint, sint ipso facto excommunicatae et prima vice suspendantur ab administratione abbatiali, et si recidiverint omnino priventur.

79. Curent patres abbates et provinciarum vicarii ut vestes monialium tam interiores quam exteriores sint statu regulari et honestati vitae conformes, non alterius coloris aut materiae quam in Ordine permissae, non crispae, non pomposae aut saeculares. Velum nigrum habeant super albo ad oculos usque demissum, nec liceat illis quovis praetextu proprias et particulares ancillas habere, sed communium ministerio, quas illis dare abbatissa omnino tenebitur, sint contentae; nullos quoque canes intra septa monasterii alant.

80. Porro patres abbates et quicumque provinciarum vicarii teneantur intra tres menses proximos a die celebrationis praesentis Capituli generalis quoscumque confessarios et capellanos saeculares amovere, et alios regulares Ordinem professos vita, moribus ac scientia idoneos in amotorum locum subrogare et instituere; quos abbatissae et moniales sub poena suspensionis et aliis recipere, necnon eis de sufficientibus alimentis et aliis necessitatibus iuxta ordinationes eorumdem patrum abbatum vel vicariorum providere debeant; omni appellatione vel recusatione penitus exclusis. Dicti vero patres confessarii cum abbatissis non comedant, sed in propria mensa vel cum hospitibus refectionem semper accipiant.

81. Omnes denique ac singulae moniales extraordinario confessario sibi aliquoties per annum offerendo iuxta sacri Concilii Tridentini dispositionem, qui regularis esse debet, ubi talium copia fuerit, confiteri non omittant.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

82. Praesens generale Capitulum magnopere desiderans ut monasteria Ordinis in Venetorum et Ianuensium provinciis et dominiis aliorum principum Italiae consistentia ad praesens monachis destituta ad Ordinem reducantur, in iisque disciplina regularis ac ordo reviviscat, commisit, prout tenor praesentis diffinitionis committit, reverendis patribus praesidi et superioribus congregationis dicti nostri Ordinis in Italia, quatinus recuperationem praedictorum monasteriorum, qua poterunt diligentia ac religionis zelo procurent et divinum cultum in illis restituant, eaque suae congregationi iuxta tenorem et formam concordatorum inter dictum Capitulum generale et patres eiusdem congregationis initorum perpetuo incorporentur, regantur et administrentur, in plenaria Ordinis potestate.

83. Conceditur abbatibus et conventibus Poloniae Capitulum provinciale celebrare, dummodo nunquam convocetur antequam Capitulum generale indictum fuerit, ibique ex quolibet monasterio adsit unus religiosus ex parte conventus qui gravamina fratrum exponat, a duobus abbatibus in generali Capitulo comparaturis coram Diffinitoribus, una cum ceteris sibi commissis, referenda, quatinus opportuna super omnibus et singulis remedia conquirantur et adhibeantur. Revocaturque diffinitio superiore Capitulo edita de comparendo per eosdem Poloniae abbates in generali Capitulo sexto quoque dumtaxat anno. Taxa vero pecuniarum pro sumptibus eorum qui nomine ceterorum ipsi Capitulo generali intererunt, in provincialibus Capitulis constituenda sub censuris et poenis Ordinis iniungitur contribuenda, cum nemo propriis stipendiis alteri militare teneatur.

84. Abbatibus et monachis Poloniae et Prussiae in itinere et extra monasteria Ordinis constitutis, more romano missa celebrare conceditur.

85. Monachis congregationis Tusciae et Lombardiae qui ad Rmum et quatuor primos Ordinis patres absque litteris commendatitiis seu dimissorialibus et obedientialibus accesserint, nihil annuatur aut concedatur, nisi prius auditis eiusdem congregationis superioribus.

86. Cum sicut praesens generale Capitulum accepit monasterium monialium Sancti Bernardi in Austria reverendis patribus Societatis Iesu collegii Viennensis a multis annis nescitur quo titulo occupatur, et ideo in illo disciplina monastica cultusque divinus penitus interierit; propterea praesens Capitulum generale super praemissis providere volens, reverendo domino abbati monasterii Sanctae Crucis, vicario et visitatori generali per Austriam universam commisit, prout tenore praesentis diffinitionis committit, quatinus dicti monasterii Sancti Bernardi recuperationem et ad Ordinem reductionem nomine totius Capituli generalis apud sacram caesaream Maiestatem, serenissimumque archiducem Mathiam et alios quoscumque ubi opus fuerit diligentissime, procuret, et per omnes iuris et iustitiae vias prosequatur, et post recuperationem in illud divinum cultum regularemque observantiam restituat, et alias provideat prout conspexerit statui eiusdem monasterii magis expedire, in plenaria Ordinis potestate.

87. Cum monasterium Cellae Angelorum, Ordinis Cisterciensis in Austria, sicut ad aures Capituli generalis pervenit, a multis annis, certis quibusdam nobilibus saecularibus oppignoratum fuerit, nunc autem a nobili et reverendo domino ... canonico Passawiensi detineatur; unde factum est ut divinus cultus, disciplinaque monastica in illo penitus interierit, maioremque in dies ruinam et desolationem tam in spiritualibus quam in temporalibus minetur. Propterea praesens generale Capitulum illius afflicto statui de opportuno remedio provi-

dere, necnon piorum fundatorum intentioni, quantum in se est, magnopere desiderans, R. D. abbati monasterii Sanctae Crucis ..., commisit, *etc. ut supra* [d].

* * *

88. Relatum [e] est quod in plerisque nostri Ordinis monasteriis tres aut quatuor aut forte plures eodem tempore reperiuntur magistri theologiae, quibus secundum statuta et de antiqua consuetudine Ordinis annua aliqua subventio, praeter monachalem portionem, super fructibus mensae abbatialis monasteriorum in quibus professi sunt, dari solet, scilicet magistris Parisiensibus ducentae librae turon., aliarum vero academiarum magistris centum pro honesta eorum sustentatione, pro libris emendis et commissionibus pro felici universalis Ecclesiae et Ordinis utilitate obeundis, et aliis oneribus sibi iniunctis congrue supportandis, et quia quaedam monasteria se gravari ab huiusmodi magistrorum multitudine conquerunt, ideo praesens Capitulum generale declarat quod in monasteriis ubi numerus 24 monachorum fuerit stabilitus doctoralem duobus dumtaxat primo doctoribus, in illis vero monasteriis ubi numerus 12 monachorum extiterit uni soli doctori huiusmodi subventionem concedi debere, in illis autem monasteriis ubi sunt aut in posterum erunt duo magistri quorum alter in Parisiensi academia, alter vero in alia promotus fuerit, Parisiensis magister alteri in hac subventione praeferatur etsi posterior laurea doctorali sit insignitus, in plenaria Ordinis potestate.

---

[d] *In fine sui textus Ch² add.* : Signatum pro copia : f. J. Foucart, notarius ad pedes Cap. generalis ; *item P³ T³* : Nos infrascripti universis testamur hoc praesens transumptum diffinitionum Cap. gen. postremi per omnia cum suo originali concordare nec ab eo vel minimum discrepare cum quo de verbo ad verbum fuit collationatum. In cuius rei fidem manu propria subsignavimus. Sic infra scriptum est : f. G. Le Moyne, prior Directae vallis, notarius ad pedes praefati Cap. ; f. J. Foucart notarius ad pedes praefati Cap. [e] *Hoc statutum legitur apud P³ quasi posterior additio.*

1609

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

ad diem 18 mensis maii anni Domini 1609.

Frater Nicolaus Boucheratius abbas Cistercii, s. th. pr., in supremo Burgundiae senatu regis consiliarius, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis Capitulique generalis eiusdem plenaria auctoritate fungens, N. reverendis et sibi in Christo charissimis confratribus universi Ordinis abbatibus ceterisque vicariis et procuratoribus provincialibus, benedictionem et pacem a Domino nostro Iesu Christo. Quantum utilitatis crebra generalium Capitulorum celebratio afferat, ex florenti eorum ordinum statu, qui sua singulis annis habent, facile videre est. Illi enim primaevam patrum observantiam vel sartam tectam adhuc retinent, et ne labefactetur solerter praecavent, vel sic ubi forte collapsa fuerit, facili negotio restituunt, atque ita Deo et hominibus redduntur amabiles, et pios alumnos ac professores (Altissimo culturae ipsorum incrementum largiente) passim nanciscantur. Quod attendentes postremi Capituli nostri generalis patres proinde sanxerunt, ut in posterum saltem quarto quoque anno eiusmodi comitia celebrarentur. Unde nos id religiose (uti par est) observaturi habito desuper primariorum nostrorum coabbatum consilio proximum generale Capitulum dominica illa sequentis anni 1609 qua ad ingressum missae *Cantate* sumitur, quae incidet 18 mensis maii, universitati vestrae de more indicendum esse duximus, prout harum serie indicimus. Mandantes vobis et vestrum cuilibet in virtute salutaris obedientiae, quatinus cessante legitimo infirmitatis impedimento, praedicta die dominica in civitate Divionensi cum ampla utriusque status monasteriorum vestrorum declaratione et modesto ac religioso comitatu ipsimet intersitis, quo ad monasterium nostrum Cisterciense, communem universi Ordinis matrem atque originem, simul proficiscamur, gravissimis ac perurgentibus eiusdem Ordinis negotiis prudenti vestro consilio prout operae pretium videbitur provisuri. Ordinando et nihilominus praecipiendo universis et singulis monasteriorum commendatorum prioribus, quos communitatum pro expensis in itinere faciendis sublevandarum ergo excusandos minimeque convocandos de consensu praedictorum primariorum nostrorum coabbatum operae pretium duximus, ut suorum monasteriorum statum, regimen et administrationem non solum generaliter sed etiam specialiter tam in spiritualibus quam in temporalibus venerabilibus cuiuscumque provinciae

---

1609. *Fontes* : *A*[2] : 7-23, 25-44, 46-56 ; *A*[4] : 7-23, 25-44 ; 46-56 ; *Ch*[1] : 7-23, 25-44, 46, 47, 55 ; *L*[8] : A, B, C, 1-56 ; *Mo* : 1-5, 7-55 ; *P*[3] : 6-44, 46-56 ; *T*[3] : 6-44, 46-56 ; *T*[5] : 6-56.

vicariis aut procuratoribus syndicis in scripto authentico ab iis obsignato commendent, qui per promotores causarum exponi et de iis Capitulum informari curabunt, nisi tamen talis causa existeret, ut personaliter adesse omnino deberent. Iniungentes praedictis vicariis, procuratoribus syndicis, ceterisque omnibus a Capitulo generali, vel eo non sedente a nobis, ad colligendas et exigendas Ordinis contributiones deputatis, ut de receptis huiusmodi contributionum summis et infra Capitulum proxime futurum recipiendis rationes ordine digestas secum afferant, computationum auditoribus a dicto Capitulo generali nominandis fideliter exhibendas et approbandas. Ac ne quis vestrum ullum ignorantiae praetextum habeat, praesentes Indictionis litteras ad venerabilem nostrum in Christo fratrem Guillelmum Le Maistre in collegio nostro Parisiensi divi Bernardi procuratorem et cellerarium transmittimus, quatinus authentica ipsius transumpta proprio sigillo et manuali signo eiusdem minuta ad singulos provinciarum abbates, vicarios et procuratores syndicos aut alios quorum intererit dirigat et intimari curet cum enim fidem eiusmodi transumptis quam praesentibus haberi volumus et mandamus.

Datum Cistercii sub nostra et secretarii nostri subscriptione, cum appensione maioris nostri sigilli, die prima mensis octobris anni Domini 1608.

Sic signatum : G. Le Maistre.

* * *

B) Ordinatio capituli generalis anno domini 1609 die vero 18 et sequentibus mensis maii apud Cistercium celebrati.

Diffinitores : Rmus D. N. **Cisterciensis**, s. th. d., de S. Ambrosio, de Novocastro, de Loco crescenti, de Stamedio monasteriorum abbates ; D. de **Firmitate** s. th. d., de Sturtzebron, de Petris, de Valle, de Valcellis, monasteriorum abbates ; D. de **Pontigniaco**, s. th. d., de Lucella, de Septem fontibus, de Bullencuria, de Lesinis, monasteriorum abbates ; D. de **Claravalle**, s. th. d., de Villari in Brabantia, de Eberbach, de Loco Dei, de Castellione, monasteriorum abbates ; D. de **Morimundo**, s. th. d., de Bella valle, de Theoloco, de Villari Betnach, de Clarofonte monasteriorum abbates.

Confessarii : R. abbas de S. Urbano, prior de Cernai.

Magistri caerimoniarum : D. de Claravalle, prior et subprior Cistercii.

Auditores computationum : de Villario Betnach, de Castellione.

Contractuum examinatores : de Bullione, de Valle dulci, de Leoncella, de Freistorff.

Notarii capituli generalis : de Claroloco, de Nizella.

Promotores causarum : fr. Sanctius Columquanus prior Fontis frigidi, fr. Edmundus Tiraquellus procurator generalis in Curia romana.

Admissores excusationum : de S. Urbano, de Bona Aqua.

Notarii ad pedes : prior de Directa valle secretarius Rmi Cistercii, fr. Petro Nivellius, s. th. lic.

Ianitores diffinitorii : D. Petrus Cancre prior Bolbonae, D. Bernardus Monsegut, s. th. doctores.

C) Ordo et nomina RR. abbatum : Rmus D.N. Nicolaus Boucherat, s. th. d., D. Yvo Sauvageot, abbas Firmitatis, s. th. d., D. Claudius Boucherat, abbas Pontigniaci, s.th.d., D. Dionisius Largentier, abbas Claraevallis, s. th. d., D. Claudius Masson, abbas Morimundi, s. th. d., D. Philippus Boituzet, abbas Bellaevallis, D. Ioannes Anser, abbas Lucellensis, D. Gervasius Aldilib, S. Ambrosii Mediolanensis, D. Alexander Meesgher, abbas Novicastri, D. Nicolaus Martin, abbas Theoloci, legum doctor, D. Andreas Pierrin,abbas Valcellensis, D. Claudius de Bonnay, abbas Septem fontium, D. Robertus Henrion, abbas Villariensis in Brabantia, D. Ioannes Ponsot, abbas Clarifontis, D. Nicolaus de Rides, abbas de Stamedio, D. Ludovicus Boutechoux, abbas Trium Regum, D. Mathias Durrus, abbas Villarii Bethnach, D. Valentinus, abbas de Eberbach, D. Philippus de Gondy, abbas Vallis Beatae Mariae, D. Petrus Freriau, abbas Lioncellae, D. Ioannes de Montroux, abbas de Bona aqua, D. Stephanus de Vienne, abbas de Bullencuria, D. Iacobus Conrardi, abbas de Sturzelbron, D. Petrus de Montrichart, abbas de Bullione, D. Ioannes de Mominet, abbas de Petris, D. Ioannes Martinna, abbas de Claroloco, s. th. d., D. Octavius Arnulphini, abbas de Castellione, D. Claudius Renault, abbas Vallis dulcis, D. Udalricus, abbas de S. Urbano, D. Ioannes Foucart, abbas de Nizella, s. th. bacc., D. Franciscus Gueneval, abbas de Freistorff, D. Iacobus Profit, abbas de Lesinis, s. th. d., D. Paulus Raguet, abbas S. Mariae iuxta Dublinium, s. th. d., D. Ioannes, abbas de Vallemagna.

* * *

Anno [a] Domini millesimo sexcentesimo nono, die decima octava mensis maii et sequentibus, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato, diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc.*

---

[a] *Titulus apud* A^2 A^4 : Definitiones Cap. gen. apud Cistercium celebrati die 18 maii 1609, tempore Rmi D. Nicolai Boucherat, abb. Cist., totius Ordinis generalis ; *apud* Ch^1 P^3 T^3 : Diffin. Cap. gen. ann. Domini 1609 die vero 18 et seq. mensis maii apud Cist. celebrati.

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc. ut in anno* 1605, deinde : Similiter pro R. D. Tristando de Bizet, Xantoniensi episcopo, scolasticorum Ordinis nostri in collegii nostro S. Bernardi benefactore munifico.

3. Insuper pro burgensibus, ... *etc.*

4. Pro pace etiam ... *etc.*

5. Postremo pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIO DE ANTIQUO DEBITO

6. Nos, frater Nicolaus Boucherat ... *etc.* et est talis : Ad instantiam Rmi D. N. Cisterciensis renovatur diffinitio de antiquo debito quae incipit : Cum totus Ordo, etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

7. Cum licet par *Chartam charitatis*, quae sacri Ordinis nostri Cisterciensis fundamentum esse dignoscitur, omnes eiusdem professores illum B. Patris nostri ac legislatoris sancti Benedicti intellectum tenere iubeantur, quem olim induxerunt et hactenus tenuerunt novi, idest Cisterciensis monasterii, patres ac fratres, non ubique tamen eadem similiter intelligatur ab illis, quo fit, ut maxima in Ordinem irrepserit et in [b] dies invehatur diversitas. Praesens generale Capitulum statuit et ordinat, ut per Rmum D. N. et quatuor primos abbates aliquis deputetur qui ea regulae capita quae interpretatione indigere, nec ad litteram servari debere dignoscuntur, intra duos annos brevioribus notis illustret et elucidet, ut proximo sequenti Capitulo generali corrigendae, approbandae ac promulgandae proponantur.

8. Et cum iuxta eamdem *Charitatis chartam* in divinorum officiorum celebratione et actibus moribusque professorum Ordinis nulla intervenire discrepantia, sed una charitate, una regula, similibusque moribus vivere praecipiantur (quod tamen paucis in monasteriis observatur), praesens generale Capitulum intermissam unitatem restituere cupiens, *Libros Usuum* et *Ordinarios* ecclesiae Cistercii ibidem et in quatuor primis eius filiabus revisos atque correctos, ritus etiam missarum iuxta Ordinis consuetudinem celebrandarum exacte et accurate descriptos ac initio *Missalium* de cetero praeponendos ante sequens generale Capitulum proelo mandari et per universum Ordinem uniformiter observari praecipit ; atque horum omnium impressiones curam abbati Clariloci [c] committit in plenaria Ordinis potestate.

[b] in dies inv. : *deest* A^2A^4 [c] Caroliloci : A^2A^4 ; Cariloci : T^2.

9. Diffinitioni praecedenti Capitulo editae de missa quotidiana pro defunctis, non amplius dicenda diebus dominicis festisque apostolorum et sermonum, addatur ; et aliis festis quibus iuxta ritum Ecclesiae romanae eadem intermitti solet.

10. Concessio nonnullis abbatibus et monachis praecedenti Capitulo facta, ut extra Ordinis monasteria constituti romano ritu celebrare possint, revocatur, ne per eam solvatur Ordinis uniformitas. Ubi ab antiquo missa *Rorate* per Adventum decantari consuevit, mos ille retineatur ad maiorem B. V. honorem et populi aedificationem, dummodo nihil eorum quae iuxta Ordinis praescriptum fieri debent propterea negligatur. Sacerdotibus Ordinis extra monasteria celebrantibus, assistente populo, eisdem benedicere conceditur. Praelati solemniter celebrantes non nisi finita missa solemnem benedictionem impertiantur.

11. Quia nonnulli abbates praeter solitam in Ordine professionem quaedam a novitiis professuris sibi promitti faciunt et exigunt, ne quid tale in posterum attentent, districte et in virtute salutaris obedientiae prohibetur a praesenti Capitulo generali, semel in universum statuendo, ne quis abbas vel praelatus praeter usitatam professionis formam a professuris monachis vel conversis quidquam promitti sibi faciat et exigat, sub poena suspensionis a divinis per integrum annum. Forma vero professionis nostrorum monachorum haec est : Ego frater N. laicus vel clericus vel sacerdos, promitto stabilitatem meam et conversionem morum meorum et obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo et sanctis eius, quorum reliquiae hic habentur in hoc (si professio fiat in monasterio proprio) loco qui vocatur N. Cisterciensis Ordinis in dioecesi N., constructo in honorem beatissimae semperque Virginis Mariae, in praesentia D. N. abbatis. Conversorum vero ; Pater, promitto tibi obedientiam de bono usque ad mortem.

12. Praesens generale Capitulum pro omnibus utriusque sexus monasteriis et personis nostri Ordinis humiliter acceptando recipit *Breve* p. m. Clementis VIII, cuius tenor sequitur ; Clemens Papa VIII ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis circumspecta [d] benignitas honestis petentium votis quae personarum sub religionis iugo Altissimo famulantium statum et salubrem directionem recipiunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit et favoribus prosequitur opportunis. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum de Monte Carmelo, quod cum in bulla Cruciatae sanctae et aliis privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi solent, detur facultas eligendi confessorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absolvere a casibus Ordinario reservatis,

[d] comperta : A^2A^4.

et a quibusdam etiam quae dictae Sedi reservata sunt. Religiosi dicti Ordinis seu eorum nonnulli etiam his facultatibus uti praesumunt, et illorum praetextu eligunt confessorem aliquando praeter eos qui a suis praelatis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum. Quare praedictus procurator generalis humiliter nobis supplicari fecit, quatinus in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati talem concessionem sanctae Cruciatae et aliorum indultorum particularium quantum ad praedictum articulum eligendi confessorem et absolvendi a casibus reservatis fratribus et sororibus monialibus Ordinis praedicti, ac aliorum quorumcumque Ordinum et congregationum cuiusvis instituti Mendicantium et non Mendicantium, tam provinciae Hispaniae quam extra eam ubilibet, locum minime habere neque censeri, sed nostrae intentionis existere, quod iidem fratres et moniales quantum ad sacrum proenitentiae seu confessionis administrationem dispositioni suorum praelatorum subiecti sint, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo declaramus. Eisdem tamen praelatis, ut in usu eiusmodi potestatis [e] se cum subditis benignos et faciles exhibeant praecipimus et mandamus, nonobstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac Ordinis praedicti etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate aliqua ecclesiastica constitutae munitis eadem fides adhibeatur quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 23 novembris anno 1599 pontificatus nostri anno octavo. Magister Hestrius [f] Barbianus. Romae apud impressores camerales.

13. Curent abbates et priores monasteriorum sacristias et sacella seu loca ecclesiarum omni necessario suppellectili decenter instrui, in quibus presbyteri sacrum facturi pro maiori reverentia et honestate indui eoque finito exui possint.

14. Ut autem occurratur abusibus, qui circa administrationem earum rerum quae officii et sacristarum alicubi assignatae sunt, oriri solent, praesens generale Capitulum ab iisdem sacristis rationem dati et accepti praesertim ei eorumdem officiis ulla bona immobilia annexa sunt, coram conventu reddi mandat, etiam si de dictis officiis per superiores maiores provisi fuerint.

---

[e] probitatis : *A*²*A*⁴. [f] Destrius *A*²*A*⁴, Vestrius : *L*⁸.

15. Declarationem in Parisiensi convocatione anno Domini 1606 factam tamquam valde utilem acceptat [g] praesens generale Capitulum, eamque de cetero diligenter observari praecipit in virtute salutaris obedientiae. Sequitur eius tenor. Ad amputandum et radicitus evellendum proprietatis vitium declaramus, numquam fuisse nec fore de nostra aut aliorum patrum visitatorum mente, ut stipendia illa quae commendatorum monasteriorum prioribus, subprioribus, cellerariis, procuratoribus, portariis, seu aliis quibuscumque officiariis per visitatorum ordinationes communiter assignantur, in privata eorum commoda et liberos usus cedant, nisi quatinus ipsorum necessitas et eiusmodi officiorum decenter obeundorum ratio per superiores bene recognita et iudicata postulaverit, ita ut praeter eiusmodi casus monasteriorum superiores ea in communem omnium fratrum utilitatem necessitatemve ubi res exigit, convertere libere possint, imo vero teneantur. Insuper declaramus suppellectilem universam quae privato cuiuscumque usui in monasteriis praesertim commendatis permittitur sive relinquitur, non eius sed communitatis esse, ac propterea ipsam dispositionem non penes utentem sed penes fratrum universitatem remanere, ad eamque pertinere dicimus. Quapropter iniungitur omnibus et singulis patribus abbatibus, seu vicariis actum visitationis instituentibus, ut ante suum e monasterio discessum omnia et singula et monachorum mobilia, si commode fieri poterit, in medium proferri faciant, et procurent, eaque singulis, prout opus erit, unicuique distribuant, et sub hoc vel simili chyrographo consignent. Quod etiam singulis annis ante diem Coenae Domini per singulos monasteriorum abbates seu praesidentes observari similiter volumus et mandamus. Forma vero chyrographi erit haec : Ego frater N. monasterii Beatae Mariae de N. Ordinis Cisterciensis in dioecesi N. professus, qui si hospes fuerit, adiungatur : ad praesens hospes in monasterio B. M. dicti Ordinis in dioecesi N., praesenti scripto agnosco hac die N. mensis N. anni N. infra scribenda mobilia ad hanc nostram communitatem spectantia, mihi a R. P. abbate, visitatore, vicario vel priore nostro in usum concessa fuisse, atque in cellam N. [h] mihi pro habitatione assignatam invecta [i] quam cum iisdem mobilibus eidem communitati ad praedicti Reverendi patris abbatis, visitatoris, vicarii vel prioris, etc. iussum et voluntatem, quandocumque mihi innotuerit, resignaturum et restituturum bona fide polliceor, et sub manualis signi inferius apponendi testimonio promitto. Mobilia igitur haec sunt :... etc. quae in talem cellulam vel cubiculum mihi assignatum intuli die N. mensis N. anni N. tempore visitationis vel tempore Quadragesimae.

---

[g] acceptam : A^2A^4. [h] nostram : A^2A^4. [i] inventa : A^2A^4, iuncta : L^8.

16. Sub excommunicationis latae sententiae poena inhibetur omnibus monachis, quorumcumque monasteriorum tam commendatorum quam non commendatorum, ne quis pecunias saecularibus donet, aut sibi servandas committat, absque proprii abbatis licentia in scriptis obtenta. Si qui de hoc convicti fuerint, poenae furum propterea subiiciantur, sintque ad omnia beneficia et officia inhabiles. Insordescentes in huiusmodi excommunicatione usque ad extremum vitae diem, ecclesiastica sepultura et consuetis suffragiis omnino careant.

17. Ubicumque procuratis a monachis quibusdam imaginibus haec aut similis inscriptio : Ex dono aut sumptibus N., aut armorum gentilitiorum aut fictitiorum iisdem imaginibus vel tumulis depictio vel sculptura habebitur ; eiusmodi inscriptiones, picturae, sculpturae armorum quamprimum eradantur, deleantur vel inducantur [j], cum talia iactantiam seu proprietatem, non autem religiosam paupertatem humilitatemque redoleant.

18. Anniversaria quoque omnia privatis monachis tam superstitibus quam vita functis fundata velut paupertatis voto repugnantia cassantur et annullantur a praesenti Capitulo, nullamque ad eorum observantiam obligationem conventibus incumbere declaratur.

19. Si qui, quod Deus avertat, valde infirmos et praesertim in extremis agentes abbates aut fratres orationibus, exhortationibus aliisque pietatis et charitatis auxiliis destitutos reliquerint, vel absque tempestiva sacramentorum receptione eos expirare aut etiam eorum cadavera minus honeste sepeliri passi fuerint, et interim rapiendae morientium suppellectili operam impenderint, hi tales poenae furum per omnia subiiciantur, et restitutis ablatis e monasteriis ipsis, non nisi per generale Capitulum actu sedens restituendi, expellantur.

20. Nullus a quavis religione expulsus ad habitum nostrum recipiatur ; quod si receptus fuerit, praeterquam quod graviter punientur recipientes, receptio pro nulla habeatur sicut et professio, si quae postmodum subsecuta fuerit, et certior factus superior de praedicta expulsione talem Ordinis nostri habitu exutum ad saeculum remittat.

21. Nulli Ordinis monacho liceat a nostro Cisterciensi Ordine ad alium quemlibet convolare irrequisita Capituli generalis licentia, alias pro fugitivo habeatur, et contra ipsum quavis de licentia transeuntem, si quid rerum aut suppellectilium monasterii secum abstulerit, ultra contra furem pro ablatorum restitutione procedatur.

22. Abbatibus quibuscumque et monasteriorum prioribus inhibetur, ne novitios ad studia ablegare seu dimissoriales litteras pro suscipiendis ordinibus illis concedere praesumant, sub poena suspen-

[j] indicantur : P^3T^5, judicantur : P^3.

sionis a divinis quoad abbates, et depositionis quoad priores. Quantum vero ad promotos in novitiatu, sub poena suspensionis ab exercitio susceptorum ordinum usque ad triennium vel aliud tempus a vicario provinciae determinandum.

23. Quia nonnulli commendatarii contra privilegia nostra in monasteriis sibi commendatis novitios intrudere, vel etiam pueros a se oblatos [k] sub praetextu futuri monachatus ex praebendis monachalibus ali et in studiis foveri debere praetendunt, Capitulum generale eiusmodi abusibus viam occludere volens, districte et sub poena amotionis ab officiis mandat omnibus vicariis et syndicis provinciarum ac monasteriorum officialibus, ne quid eiusmodi attentari patiantur, sed ipsa nostra privilegia constanter ac viriliter tueantur.

24. Sanctissimi Domini nostri Pauli, Divina Providentia Papae V praecepto de romano Ordinis nostri seminario qua per est obedientia et reverentia satisfacturum praesens generale Capitulum eius Sanctitatem ex parte sua per procuratorem generalem, intercedente christianissimi regis oratore, statuit humillime rogandam quatinus earum aliquam in Urbe futuro seminario aptam concedere et in rectoris et alumnorum sustentationem mensam abbatialem alicuius ex monasteriis Italiae commendatis ipsi applicare et appropriare de Apostolica benignitate dignetur.

25. Observentur diffinitiones praecedentis Capituli generalis de novitiatibus et seminariis Ordinis singulis in provinciis instituendis quorum ordinatio abbatibus et provinciarum commissariis denuo committitur.

26. Cum fratrum edentium mensae lectio nunquam deesse, imo continuum silentium ibi observari debeat, praesens generale Capitulum statuit, ut quoties bis in die comedunt fratres, ad utramque refectionem continua lectio habeatur et gratiae maiores post coenam in ecclesia agantur.

27. Nemo quidquam esculenti aut poculenti sibi reservari faciat, sed quidquid ex communi mensa supererit a servitoribus eiusdem colligatur pauperibus erogandum, aut prout iusserit abbas aut superior [l] distribuendum.

28. Nullus etiam extra refectiones ordinarias, sive in conventu sive in infirmitorio, sive alio quovis loco sine licentia superioris, neque privatim cum fratribus neque etiam cum saecularibus edere aut bibere praesumat, sub poena levis culpae vel alia graviori iuxta excessus modum imponenda.

29. Servetur diffinitio praecedentis Capituli quae incipit : Dormi-

---

[k] ablactatos : A^2A^4, ablatos : P^3T^3. [l] prior : A^2A^4.

toria, nec sine gravissima causa concedatur monachis cameras extra dormitorium habere ; et quibus concessae fuerint, nullum saecularem neque alterius monasterii vel Ordinis regularem in eam introducat sine superioris licentia, sub poena privationis earumdem et aliis per ipsum superiorem determinandis.

30. Officiales quoque monasterii non in cameris sibi ratione officiorum forte concessis, sed in communi refectorio fratrum, vel ad mensam abbatialem, si ita iussum fuerit, refectionem accipiant, nec in eiusmodi cameris sed in dormitorio fratrum, et ubi commode occurrere non poterit in infirmitorio, pernoctent, nisi visitator pro necessitate locorum aliter expedire iudicaverit.

31. In quibus monasteriis regularis [m] clausurae muri destructi sunt, superiores eorum restitutionem quam primum procurent, et interim eorum vice terminos constituant, quos ultra sicut nec ultra portas monasteriorum muro cinctorum, sine expressa eorum licentia nulla persona regularis progrediatur, sub poena per eosdem superiores imponenda. Ubi vero pauciores sunt monachi, quam ut eorum aliquis salva divinorum celebratione ad portam constitui possit, saltem talis quem regula s. Benedicti praecipit, liceat conversum vel integrae famae saecularem, praesertim in partibus ubi id usu receptum est, eius custodiae deputare.

32. Praesens generale Capitulum praecedentium vestigiis insistendo districtissime prohibet in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, ne qua regularis persona Ordinis negotia ad superiores aut inferiores quomodolibet spectantia, directe vel indirecte, per se vel per alios, ad tribunalia extra Ordinem protrahere, et quoquomodo deferre, aut aliquam Ordinis personam ibi quacumque de causa convenire audeat vel praesumat.

33. Si qua Ordinis persona nec Deum timens nec homines reverita, memoralia vel libellos ullos quibusvis ecclesiasticis seu temporalibus dominis et principibus exhibere seu porrigere attentaverit contra fratres et maxime contra praelatos, in quibus falsum aliquid sit contentum, districtissime puniatur, sitque perpetuo infamis et inhabilis ad quaecumque officia et beneficia, nec ei in tribunalibus ulla fides de cetero adhibeatur.

34. Dioecesanis episcopis monasteria nostra sub adventu suo primum ingressuris debitus honor et solemnis receptio exhibeatur, prout in *Libro Usuum* praescribitur. Pixidem tamen augustissimi sacramenti visitare aut ad exercitium cuiuscumque iurisdictionis in iisdem procedere minime permittantur.

---

[m] saecularis : *A*²*A*⁴.

35. Quia nonnulli abbates et priores Ordinis vel privilegiorum ignorantia ducti, vel etiam metu perculsi conciliis provincialibus et synodalibus episcoporum dioecesanorum ab iis evocati contra ipsius Ordinis immunitates et privilegia etiam hac in parte peculiaria nonnullis in partibus interesse dicuntur, qua ex re certi episcopi exercendae in personas regulares iurisdictionis turbandaeque monasteriorum pacis occasiones nonnunquam assumunt. Idcirco generale Capitulum tam dictis abbatibus sub poena suspensionis a functione suae abbatialis dignitatis usque ad proximum futurum Capitulum, quam prioribus et officiariis sub poena amotionis ab officiis, aliis vero monasteriorum eiusmodi personis paraeciis [n] minime deputatis, sub poena per patres abbates seu vicarios provinciarum infligenda, ne ad dicta concilia provincialia et synodales conventus accedant aut in iis compareant, districtissime prohibet.

36. Quia vero iidem dioecesani episcopi a nostris abbatibus et monasteriis inauditas et nunquam in Ordine nostro consuetas contributiones pro iucundo, ut aiunt, adventu, sive alias ob praetentiones [o] nonnullis in partibus exigere dicuntur, districtissime et sub poena suspensionis a dignitatis exercitio abbatibus et abbatissis monasteriorum eiusmodi, sub censurarum vero incursione et poenae amotionis ab officiis et inhabilitatis ad ea vel alia deinceps in monasterio obtinenda, prioribus, cellerariis et officialibus eorumdem prohibet idem generale Capitulum ne tales contributiones et exactiones quocumque nomine censeantur, dictis Rmis dioecesanis seu eorum commissariis exsolvere praesumant, cum hoc privilegiis, exemptionibus et libertatibus Ordinis omnino repugnet. Quod si ulterius insisterint, ad Sedem Apostolicam recurratur, ubi suas partes generalis apud ipsam procurator interponet.

37. Ubi deest competens monachorum numerus qui, habita facultatum et reddituum monasterii ratione, commode ali, et divina officia iuxta piam fundatorum intentionem convenienter celebrare queant, restituatur et compleatur quamprimum a patribus abbatibus aut provincialibus vicariis, nec a quoquam superiore, nequidem ab ipso Rmo sine expressi Capituli generalis sedentis seu annuae convocationis licentia de cetero minuatur. Ubi autem a praemissis superioribus assignatum fuerit stabilimentum seu provisio pro victu, vestitu, reparationibus, hospitalitate, et aliis oneribus debite decenterque supportandis, praesertim in monasteriis commendatis, eaque a Sede Apostolica vel alia manu potestativa confirmata fuerit, praesens generale Capitulum prohibet, ne ullus prior, subprior aut officialis super eius diminutione cum quovis abbate regulari sive commendatario quovis

[n] parere iis : $A^2A^4T^5$, parere his : T^3. [o] praetelliones : A^2A^4.

pacto transigat, sub poena depositionis ab officio et inhabilitatis ad alia in Ordine obtinenda ; in contrarium factas seu faciendas conventiones ex nunc prout ex tunc cassando et annullando, in plenaria Ordinis potestate.

38. Ne deinceps colligendarum contributionum praetextu commendata monasteria graventur, eas de cetero per conventus seu eorum procuratores a commendatariis recipiendas et ad collectores ipsorum propriis sumptibus mittendas praesens generale Capitulum decernit, mandatque patribus abbatibus ac provinciarum vicariis, ut posthac in suis ordinationibus sive stabilimentis super victu et vestitu monachorum aliisque oneribus ipsis in conventibus conficiendis dictas contributiones comprehendant et inserant, ut una cum reliquis provisionibus sive pecuniis conventibus assignatis dirigantur et recipiantur ad praemissos collectores, uti supra, transmittendae.

39. Vicarii et syndici qui in obeundis functionibus sibi demandatis seu ab officiis suis dependentibus, molles, remissi ac negligentes fuerint, praeviis admonitionibus, per commissarios generales ab officiis amoveantur, si Capituli generalis celebratio sine gravi Ordinis praeiudicio expectari non poterit, cuius rei iudicium penes primarios ipsos patres et commissarios relinquit praesens generale Capitulum.

40. Tam priores quam cellerarios et praecipuos monasteriorum officiarios ita nutu amovibiles esse declarat praesens generale Capitulum, ut quando praelatus eos ob culpam removere se dixerit, id, non nisi legitime probata et cognita illa culpa, exsequatur.

41. Qui habitum religionis nostrae in malum finem et absque instanti causa dimittunt, si peregrinis induti ob perpetratum aliquod crimen aut scelus a saeculari potestate apprehenduntur, privilegiis Ordini concessis nullatenus gaudent.

42. Translati ob crimen quod propter vicinius obiectum vel saecularium scandalum in propriis monasteriis commode corrigi et puniri nequit, nullum promissae stabilitatis praetextum praetendere habent, quominus translationis decreto satisfaciant, sed ad monasteria sibi assignata praefixo tempore sese recipere tenentur, quorum praelati ipsos pro sufficienti pensione sibi ex propriorum monasteriorum redditibus persolvenda seu vice alterius conventualis in eorum locum sufficiendi admittere teneantur.

43. Monachi apostatae et fugitivi sine commendatitiis propriorum abbatum litteris non recipiantur ab ullis Ordinis abbatibus, sed iuxta antiquas et multoties renovatas Capituli diffinitiones incarcerentur, et sub custodia detineantur, donec susceptores dispositionem propriorum abbatum circa ipsos intellexerint, cui stare omnino debeant iidem susceptores, nisi tales sint qui aliqua venia digni sint et censeantur,

pro quibus intercedere liceat, et eos ad aliquod tempus interim retinere.

44. Si qui fratres fuerint incorrigibiles relapsi, aut de talibus criminibus convicti et accusati pro quibus ultimo supplicio plectendi essent saeculares, ii non ad triremes, ob vitandum Ordinis scandalum, sed ad perpetuos carceres condemnentur. Quoniam vero experientia ipsa docet in processibus formandis et causis tractandis, si apices iuris serventur, causas in infinitum protrahi, et fratrum imperfectiones et delicta apud saeculares divulgari, privilegiorum Ordini concessorum tenoribus inhaerendo praesens generale Capitulum ordinat, ut in causis quae in Ordine tractandae occurrunt, sufficit iudicium fieri secundum regulas ac nostris diffinitionibus et statutis praescriptas, procedendo summarie simpliciter et de plano absque strepitu et figura iudicii, saecularium aut alterius Ordinis regularium interventu, sola veritate facti inspecta.

45. Committitur venerabilibus fratribus Xanctio Columquano et Edmundo Tiraquello, generalibus Ordinis Procuratoribus, ut formam procedendi in causis criminalibus adversus personas dicti Ordinis intra sex menses sigillatis colligant, ac Rmo D. Cisterciensi tradi procurent, ut in proxima convocatione ipsius et RR. quatuor primariorum examinetur, et deinceps per superiores observanda promulgetur.

46. Ad Capituli generalis audientiam pervenit, nonnullos abbates et monachos seu conventus varias bonorum iurium suorum monasteriorum distractiones in grave ipsorum detrimentum fecisse, et desuper absque Capituli generalis et superiorum permissione ipsisque inconsultis, etiamque saepius omissis necessariis et a iure introductis solemnitatibus, varios contractus malae fidei suspicione non omnino carentes iniisse. Propterea praecedentis generalis Capituli diffinitionem super his et similibus editam renovat, ac statuit ut per vicarios provinciarum adhibitis secum probis eiusdem Ordinis viris, si fieri potest, in hoc rerum genere versatis, eiusmodi contractus diligenter revideantur, et accurrate examinentur, ut quos vel suspectos vel sine praecisa necessitate, aut saltem evidenti necessitate vel utilitate, et non servatis solemnitatibus factos fuisse compererint, nullos et invalidos declarent, ac per iudices competentes rescindi procurent. Statuit [p] praesens generale Capitulum, ut proxime imminente vel iam occurrente monasterii cuiuspiam vacatione, visitationis actus in eo non instituatur, vel si iam inchoatus fuerit, ob electionis negotium intermittatur, donec celebrata fuerit. Patres abbates et ordinarii visitatores suas visitationes ultra continuum octiduum non protrahant, nec ultra dictum

---

[p] Statuit... fuerit: *deest* $A^2A^4P^3T^3T^5$.

terminum in monasteriis, quae visitant, remaneant, nisi gravi infirmitate teneantur, vel exactior inquisitio super arduo negotio longiores moras manifeste requirat, ne visitata monasteria nimiis expensis graventur. Caveant autem visitatores ne pluribus equis quam fert *Benedictina* constitutio in eiusmodi actibus obeundis utantur.

47. Statuit praesens generale Capitulum, ut vice conviviorum quae in vestituris et professionibus monachorum et monialium, vel etiam in sacerdotum primitiis fieri solebant, aliqua cappa vel calix vel ornamentum ecclesiasticum, et ubi talia minime desunt, aliqua pecuniaria eleemosina ad instructionem infirmitoriorum ab ingredientium vel primo celebrantium parentibus et consanguineis offerenda recipi possit.

48. Quoniam nonnullae abbatissae supra competentem monialium numerum saepe recipiunt novitias, idque citra consensum patrum abbatum, districte praecipitur, ut supernumerariae novitiae sic receptae quamprimum a monasteriis eiiciantur, nisi parentes et consanguinei pro ipsarum sustentatione usque ad supernumerariarum reductionem sese erga monasteria obligent. Prohibeturque serio et sub poena suspensionis ab administratione omnibus abbatissis, ne ultra numerum, qui ex proprii monasterii redditibus commode ali queant moniales multiplicent.

49. Pecuniae illae quas parentes et consanguinei in ingressu consanguinearum in monasteria virginum ipsis monasteriis, eleemosinae seu gratitudines aut receptae in provincia consuetudinis nomine solent erogare, in communem massam conferantur, et cum immobilibus investiantur seu ad maiorem utilitatem et necessitatem de consilio patrum abbatum vel vicariorum convertantur, nec abbatissarum arbitrio expendendae reliquantur, ob frequentes abusus circa eas intervenire solitos.

50. Quando vestiendae erunt puellae habitu sanctae religionis, ad evitandum tumultum et conservandam illarum devotionem, vespere introducantur in monasterium, et mane secreto induantur illo habitu in interiori ecclesia, et hoc fiat absque saeculari pompa.

51. Novitiae Ordinis priusquam profiteantur, de servandae clausurae obligatione serio moneantur, ne se ob ignorantiam postea excusare queant. Serveturque [q] diffinitio de clausura monialium superiori Capitulo edita.

52. In monasteriis monialium de cetero nulli conversi habitant, nec ab abbatissa recipiantur.

53. Conversae monialium non alio quam [r] colore bruno cappis de cetero utantur.

---

[q] Serveturque ... : *desst* $A^2 A^4$. [r] aliquo : A^4.

54. Patres confessarios monasteriorum monialium, propter quasdam rationes Capitulum generale moventes, in posterum triennales per totum Ordinem constituendos esse decernit praesens generale Capitulum.

55. Cum plerique commendatarii et nonnulli etiam regulares abbates in faciendis reparationibus monasteriorum et locorum ab eis dependentium ita remissi et negligentes existunt, ut si ruinae magis excreverint, vix aut nunquam resarciri posse credantur, quod in maximum ecclesiarum detrimentum et piorum fundatorum fraudem cederet. Praesens generale Capitulum mandat ac praecipit sub amotionis poena vicariis provinciarum et syndicis, ut eas in suis visitationibus diligenter annotent, habitis peritorum architectorum relationibus, et ab abbatibus seu eorum commissariis intra tempus in suis ordinationibus desuper faciendis praefigendum restaurari statuant et mandent, ac invocata procuratorum generalium vel aliorum iudicum opportuniorum adiunctione et brachio saeculari, fructus, redditus et proventus dictorum monasteriorum sequestrari faciant, donec debito in statu omnia aedificia et loca restituantur, in plenaria Ordinis potestate [s].

56. Le présent Chapitre général entendant avec extrême regret et indicible fâcherie, que plusieurs abbesses de l'Ordre de ce royaume et des provinces voisines peu soigneuses de leur salut et de celui de leurs religieuses sortent ordinairement hors de la cloiture de leurs monastères pour aller visiter, frequenter et converser avec leurs parents amis et autres, et de ce faire donner congé à leurs dites religieuses ; comme aussi permettent l'entrée dans la cloiture d'iceux monastères à qui bon leur semble au grand scandale des gens de bien, evident péril des âmes et mepris insupportable des saints canons, constitutions des Papes, diffinitions des Chapitres généraux. Ce que désirant d'empêcher pour l'avenir et pourvoir au salut des personnes à lui sujettes, conformement aux susdits canons, constitutions, ordonnaces et diffinitions, notamment à celle du precedent Chapitre general, et pour satisfaire au noble commandement du Roy très chrétien, qui pour son zèle envers la sainte religion et Ordre monastique en a voulu écrire expressément à Monsieur notre Révérendissime de Cisteaux, deffend à toutes les vénérables abbesses du même Ordre de quelques pays que se soit ni sous quelconques prétextes non portés par les canons et constitutions des saints Pères, de sortir hors de leurs dits monastères, ni pareillement donner congé à leurs religieuses de ce faire ; comme aussi de ne permettre l'entrée dans la cloiture régulière d'iceux monastères à leurs

[s] *Hic laceratum est folium Ch*[1] *et reliqua desunt.* — *Mo addit quaedam statuta anni* 1601 : De Confessione, De Praepositis curam animarum habentibus.

dits parens et amis réguliers et séculiers, excepté aux pères confesseurs pour l'administration des sacrements, médecins, apoticaires, chirurgiens et manouvriers en cas de nécessité seulement, à peine d'encourir de ce fait même l'excommunication majeure par ceux et celles qui y contreviendront ; et encore de suspension de l'exercice spirituel et temporel de la dignité abbatiale aux abbesses et d'emprisonnement aux religieuses pour la première fois, et de déposition aux dites abbesses et autres plus graves aux dites religieuses en cas qu'elles y récidivent. Et affin qu'aucune ne prétende cause d'ignorance, ordonne icelui Chapitre general que ce present decret deument attesté soit affiché aux portaux de tous et chacun les monastères dudit Ordre. De quoi faire donnons charge à tous pères abbés, commissaires, vicaires et syndics des provinces incontinent que les exemplaires attestés comme dessus auront été envoyez.

1613

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS
ad diem sextam mensis maii anni 1613.

Frater Nicolaus Boucherat, abbas Cistercii, s. th. pr., totius Cisterciensis Ordinis caput et generalis, Capitulique generalis eiusdem plenaria fungentes auctoritate, omnibus et singulis Reverendis et nobis in Christo charissimis Ordinis nostri Cisterciensis Vicariis generalibus, Praesidentibus, Refformatoribus, Abbatibus et Praelatis, necnon quibuslibet Syndicis et Procuratoribus provincialibus ubilibet per universum orbem christianum constitutis, ad quos praesentes litterae seu earum transumpta pervenerint, salutem in Domino, et nostris firmiter obedire mandatis.

Sane cum in Capitulo generali eiusdem Ordinis nostri anno Dominicae Incarnationis 1605 (nobis praesidentibus) Cistercii celebrato, communi patrum consensu, provide ac propter multas ex locorum distantia et aliunde perpensas rationes, sancitum fuerit et deinceps ipsum Capitulum generale, cuius celebratio multis annis ob bellorum motus, quibus pluribus in locis et regnis agitata fuit Europa non absque gravi religionis nostrae detrimento, intermissa fuerat, saltem de quadriennio in quadriennium celebretur. Nos attendentes statutum huiusmodi ad ipsius Ordinis nostri conservationem, ac disciplinae regularis refformationem promovendam, remedium accommodatissimum ac efficacissimum esse, anno Domini

---

1613. *Fontes* : A^2 : B, 1-80, 82-86, 88-167 ; L^7 : B, 1-167 ; L^8 : A, B, 1-16, 18 *(abbrev.)*, 20-80, 82-86, 89-167 ; P^3 : 10-16, 18-20 ; T^3 : 10-16, 18-20 ; T^5 : 10-20.

1609 Capitulum generale in praefato Cistercio nostro habuimus, in quo praefata ordinatio, et quae in praecedenti Capitulo generali diffinita fuerant, confirmata atque ratificata extiterunt. Quare nunc altero quadriennio redeunte, quod paterni nostri officii ratio ac zelus a nobis hac in parte requirit, ad ipsius Dei omnipotentis gloriam et laudem et Ordinis nostri incrementum rite adimplere et exsequi cupientes, propterea proximum Capitulum generale in praefato Cistercio nostro die sexta mensis maii anni 1613, eodem Deo iuvante, incipiendum, prosequendum et perficiendum paterna et totius Ordinis auctoritate qua fungimur, tenore praesentium indicimus et annuntiamus, vos omnes et singulos in Christo benigne hortantes et monentes, et quos haec nostra paterna monitio non movet, vobis in virtute sanctae obedientiae et sub poenis (adversus non accedentes ferre solitis) districte mandantes, quatinus legitimo impedimento cessante, et de quo eidem Capitulo generali fidem facere tenemini, die dominica quae dicitur *Cantate* et in quintam praefati mensis maii incidet, ad vesperas in Cistercio cum modesto religioso et minime superfluo comitatu adesse et interesse debeatis. Et quilibet vestrum debeat, consuetudine illa, qua abbates et alii Divionem convenire, et inde nos Cistercium comitari, cum magna temporis iactura et incommodo ac retardatione negotiorum solebant, hac de causa a nobis praetermissa, ut sequenti die post cantatam summo mane missam de Spiritu Sancto, ipsum Capitulum generale feliciter inchoare valeamus. In quo ut negotia et alia quae in eo tractanda venient meliori ordine expedituri via et absque confusione ulla proponi ac resolvi queant, nostrae intentionis existit, quod vestrum unusquisque omnium eorum quae in huiusmodi proximo generali Capitulo, pro bono ac necessitate suae domus aut provinciae, proponenda habuerit, notam brevissimis ac non nisi necessariis verbis conceptam ad nos tempestive et intra festum Purificationis B.M. proxima venturum si fieri poterit, transmittere teneatur. Praecipientes ut in omnibus monasteriis tam virorum quam mulierum Ordinis nostri eadem die sexta maii missa de Spiritu Sancto, ut in nomine suo congregatis gratiam necessariam infundat, cantari conventualiter demandetur, praesentium litterarum transsumptis parem ac ipsis originalibus fidem adhibendo.

Datum in monasterio nostro de Laude iuxta Insulas, in dioecesi Tornacensi die 20 mensis augusti Beatissimo Patri Nostro D. Bernardo sacra, anno Domini 1612.

Inferius scriptum erat : Committimus et mandamus Rdo et nobis in Christo charissimo coabbati Villariensi, nostro per provincias Belgicas vicario generali, quatinus praemissas Indictionis Capituli generalis litteras RR. abbatibus et praelatis, necnon venerabilibus abbatissis suo vicariatu et commissione comprehensis quantocitius insinuare et intimare, deque insinuatione atque intimatione huiusmodi ab insinuatis et intimatis certificationem seu attestationem recipere debeat. Et signatum erat : fr. Nicolaus, abbas Cisterciensis generalis. *Ac paulo inferius :* fr. Christophorus Donconus.

Praesens haec copia collata cum suo originali concordat de verbo ad verbum, quod attestor ; sic signatum : fr. Robertus, abbas Villariensis.

* * *

Nos infrascripti abbates tenore praesentium testamur a Rdo D. Villariensi, Ordinis nostri Cisterciensis per Belgium et Leodium Vicario generali, transmissas ad nos fuisse litteras, quibus Rmus D. N. Cisterciensis futurum generale Capitulum in Cistercio sexta maii praesenti hoc anno celebrandum, omnibus et singulis indicit et nuntiat; quibus diligenter perlectis et examinatis speramus adamussim (aspirante supremo Numine) nos satisfacturos. In quorum fidem et testimonium praesentes hasce propria subsignavimus manu.

B) ORDINATIO CAPITULI GENERALIS ANNO DOMINI 1613, die vero 6 mensis maii et sequentibus, apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES: Rmus. D. N. de **Cistercio** s. th. pr., de Lucella, de Alderspach, de Stamedio, de Altaripa, monasteriorum abbates; D. Dionisius Largentier de **Claravalle**, s. th. pr., de Bullencuria, de Hesterbach, de Castellione, de Loco Dei, monasteriorum abbates; D. Claudius Masson de **Morimundo**, s. th. pr., de Theoloco, de Lancheim, de Escureyo, de Freistorff, monasteriorum abbates; loco domini de **Firmitate** R. abbas de Lococrescenti, de Bithania, de Valle dulci, de Charmeya, de Leoncella, monasteriorum abbates; loco domini de **Pontigniaco** R. abbas de Laude, de Lavacio, de Gratia Dei, de Villa nova, de Pietate Rameru, monasteriorum abbates.

CONFESSORES: Venerabilis provisor collegii Sancti Bernardi, prior de Alna, prior de Valentia, prior de Oliva in Prussia, Sebastianus Bonfil prior de Berola.

RECEPTORES EXCUSATIONUM: abbas de Columba, prior de Tribus fontibus.

MAGISTRI CAERIMONIARUM: D. de Claravalle, prior et supprior Cistercii.

PROMOTORES CAUSARUM: fr. Edmundus Tiraquellus procurator in romana curia, fr. Bernardus Monsegu.

NOTARII ABBATES: de Claroloco, de Nizella, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM: de Escureyo, de Castellione, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES: D. Christophorus d'Ancoenes prior de Directa valle; fr. Bartholomeus Joly secretarius Rmi D. N.

PORTARII DIFFINITORII: provisor collegii Sancti Bernardi, prior de Bolbona.

EXAMINATORES CONTRACTUUM: de Valle dulci, de Freistorff, de Charmeya, monasteriorum abbates.

Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo tertio, die vero sexta mensis maii et sequentibus, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo et invictissimo domino nostro D. Mathia ... *etc.*

3. Similiter et pro R. D. Tristando de Bizet ... *etc.*

4. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

5. Fiant etiam orationes pro Belgii et Hungariae provinciis et reliquis bello afflictis, in singulis Ordinis universi monasteriis.

6. Pro pace etiam ... *etc.*.

7. Postremo pro fel. et inclitae ... *etc.*

DE ANTIQUO DEBITO

8. Nos frater Nicolaus Boucherat ... *etc.* Cum totus Ordo noster etc. in summa 25488 francorum seu florenorum aureorum, 3 gross. argenteorum de antiquo debito, ut plenius constat ... etc. quae vide capite initio registri Capituli generalis anni Domini 1605.

DE CONTRIBUTIONIBUS CLARAEVALLENSIS

9. Nos, frater Nicolaus Boucherat, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores, etc. domino abbati de Claravalle, s. th. pr., salutem et in commissis fidelem adhibere diligentiam. — Cum ad hoc per priores Ordinis patres contributiones singulis annis monasteriis annuatim impositae fuisse et esse noscantur, ut ipsis mediantibus gravissima Ordinis onera supportari possint ; hinc est quod vobis, de cuius discretione et fideli diligentia plenam in Domino praesens generale Capitulum gerit fiduciam, committit, praecipit et mandat quatinus omni simulatione semota ab omnibus et singulis subscriptis summas contributionum eisdem monasteriis per generale Capitulum impositas et inferius annotatas, necnon restas et arreragia annorum praecedentium, si quae sint, per vos seu deputandos vestros, petatis, requiratis, levetis et recipiatis, etc. ut in praecedentibus Capitulis.

[DIFFINITIONES] GENERALES

10. Diffinitiones Capituli generalis anno Domini 1609 apud Cistercium celebrati, per subsignationem Rmi D. N. et quatuor primariorum abbatum in proxima congregatione, quae post biennium fiet, una cum praesentis Capituli diffinitionibus confirmabuntur.

11. Praesens generale Capitulum iuxta *Breve* Pii PP. V, declarat

commendatarios quorumcumque monasteriorum et prioratuum, aliorumque locorum Ordinis, seu eorum procuratores nullomodo in spoliis bonis et rebus monachorum in ipsorum commendatariorum monasteriis, prioratibus, locis et iurisdictionibus pro tempore decedentium, se intromittere posse, sed illa ad conventus eorumdem omnino pertinere et a cellerariis communitatum in earumdem necessitates seu hospitii, infirmitoriique supellectilem percipi et converti debere, mandans in virtute salutaris obedientiae vicariis et syndicis provinciarum, necnon quorumcumque monasteriorum procuratoribus, quatinus privilegiorum pontificalium praxim et observantiam a tot annis receptam, omni dissimulatione postposita, observari diligenter et fideliter procurent in plenaria Ordinis potestate.

12. Statuitur, ne deinceps ad professionem admittantur novitii qui saltem grammaticaliter et congrue latineque loqui non norint, sub poena nullitatis eorumdem professionis et eiectionis a monasteriis quoad receptos, et suspensionis ab administratione temporali et spirituali quoad taliter suscipientes ad professionem. Quod si hactenus professi ita inepti sunt ad studia litterarum, ut ipsam grammaticam ac latinae locutionis usum addiscere minime valeant, artem aliquam manualem teneantur et cogantur addiscere, ut suis monasteriis prodesse, ac instar fratrum laicorum seu conversorum inservire valeant.

13. Festum Praesentationis B. M. per totum Ordinem 21 novembris solemniter celebretur, fiatque de eo sicut de festo Conceptionis, mutatis nominibus, donec de officio proprio provideatur. — Festum [a] Sancti Ioseph, sponsi Virginis Mariae, cum XII lectionibus et una missa per totum Ordinem celebretur die 19 mensis martii.

14. Festum sancti Georgii martyris cum XII lectionibus et una missa per totum Ordinem celebretur die 23 mensis aprilis.

15. Confirmatur diffinitio de celebrando officio Annuntiationis B. M. eadem die qua fit in dioecesi ubi situm est monasterium.

16. Praesens generale Capitulum unicuique quod suum est, dictante iustitia, conservare volens, ac ne qua in abbatum seu abbatissarum electionibus faciendis confusio oboriatur, mature providere cupiens, declarat, statuit ac diffinit quod patres immediati in provinciis suarum filiarum et monasteriorum ab illis sine medio dependentium degentes, electionibus abbatum vel abbatissarum earumdem filiarum praeesse ac electos seu electas installare et in possessionem ponere possunt et debent, absque interventione vicarii provincialis.

17. Renovatur antiqua diffinitio de conversis ad monachorum gradum nunquam promovendis.

18. Diffinitiones Capituli generalis proxime praecedentis contra

---

[a] *Haec altera pars statuti apud* T^5 *tantum.*

pertrahentes seu negotia Ordinis ad superiores vel inferiores quomodolibet spectantia, aut personas Ordinis deferentes vel memorialia aut libellos, in quibus falsum aliquid contineatur contra suos fratres et maxime contra praelatos, ad tribunalia extra Ordinem, vel coram quibuslibet dominis et principibus temporalibus seu ecclesiasticis, sub poenis in eisdem contentis, praesens generale Capitulum specialiter confirmat et renovat, prohibetque ne qua Ordinis persona praeter seipsum, quando sederit, eiusmodi delinquentes ab indictis censuris et poenis absolvere praesumat.

19. Renovantur etiam antiquae diffinitiones de non appellando extra Ordinem.

20. Statuitur quod, licet administratio monasterii vacantis penes conventum remaneat ex privilegio Clementis IV, tamen non possit conventus priores, cellerarium, suppriorem et alios officiales, vacatione durante, mutare aliosque mutatorum loco subrogare, nisi per obitum alicuius eorum officium aliquod vacaret.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

21. Ne propter electionum dilationem monasteria Austriae, Styriae, Carinthiae, Carniolae et Tyrolis dum vacant, gravibus expensis et incommodis, sicut in aliquibus eorum contigit, opprimantur in magnum ipsorum tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimentum et praeiudicium, ideo praesens Capitulum serio monet et hortatur, ut abbates patres immediati, si sint in provincia in qua monasterium vacat, quam fieri potest citissime electionem instituant et electum installent et in possessionem inducant. Si vero monasterii vacantis nullus sit pater immediatus in provincia, eo casu vicarius generalis provinciae electioni praesit et electum confirmat ac in possessionem mittat, ita tamen quod electus intra certum tempus, iuxta locorum distantiam limitandum, debeat suae electionis et confirmationis decretum ad suum patrem immediatum, vel ad Rmum D. Cisterciensem mittere ab eis approbandum et ratificandum ; quod si monasterium ipsius vicarii vacare contigerit, si illius pater immediatus in provincia fuerit, novi abbatis electioni et installationi praesideat ; si autem in provincia non fuerit, tunc abbas monasterio vacanti vicinior electioni praesit et electum confirmet, ita tamen ut electus suae electionis et confirmationis decretum ad suum patrem immediatum vel ad Rmum D. Cisterciensem intra tempus ei praefigendum, approbandum et ratificandum mittere teneatur.

22. Cum sit notorium quanta utilitas proveniat monasteriis in quibus viget doctrina, ne sicut ait Scriptura, ideo populus meus ductus in captivitatem, quia non habuit scientiam, praesens generale Capitu-

lum omni submissione et reverentia optimam SS. Celsitudinis Belgii voluntatem et pium seminarii nostri Ordinis in sua Universitate Dolana erectionem acceptans, necnon eumdem promptum animum honorabilium civium dictae civitatis grato, ut par est, animo recolens et eosdem, quantum in se est, exhortans ad promovendum pro viribus suis tam pium institutum, praecipit omnibus et singulis nostri Ordinis abbatibus monasteriorum in dicto universo Burgundiae comitatu consistentium, quatinus sua liberalitate tam honorificum et ipsi Ordini utile opus ad Dei gloriam et salutem animarum quisque pro facultatibus suis promoveat et ad optatum effectum perducat.

23. Exhibitis a Rdo abbate Claraevallensi processu, informationibus, actis et instrumentis a se confectis super translatione et transmutatione religiosorum abbatis et conventus monasterii de Benedictione Dei in dioecesi Lugdunensi, in monasterium de Mediomonte in dioecesi Claromontensi, necnon religiosarum, abbatissae et conventus monialium ipsius monasterii Mediimontis in praedictum monasterium de Benedictione Dei, iuxta christianissimi regis atque reginae beneplacitum et litteras, maxime vero iuxta decretum convocationis patrum habitae Divione anno Domini 1611, et speciale procuratorium et commissionem Rmi D. N. Cisterciensis, praesens generale Capitulum dictam translationem et transmutationem dictorum conventuum, necnon processus et formam a dicto Rdo abbate Claraevallensi ad effectum dumtaxat ipsius translationis observatam, laudavit, approbavit et confirmavit, laudat, approbat et confirmat, ratamque et stabilem perpetuo esse et fore praecipit et ordinat, inhibendo districte omnibus et singulis dicti Ordinis Cisterciensis quomodolibet subiectis personis ne quidquam contra dictam translationem et transmutationem audeant attentare.

24. Capitulum generale committit Rdo D. abbati de Maristella in Helvetiis et venerabili procuratori Ordinis in romana Curia, quatinus cuiunctim vel divisim prioratus Syon in Helvetia siti, et ab Illmo et Rmo D. episcopo Constantiensi occupati et detenti, recuperationem et ad Ordinem reductionem iuxta decretum DD. Primariorum Cantonum Helvetici foederis apud Sedem Apostolicam, et alios quoscumque, ubi opus fuerit, diligentissime procurent, in plenaria, etc.

25. Cum pro parte conventus et religiosorum monasterii B. M. de Oliva, regni Navarrae, Capitulo expositum fuerit quod, apostolica et regia auctoritatibus omnes dicti monasterii fructus, redditus et proventus in tres partes aequales dividantur, quarum una ad abbatem, altera ad ipsius conventus sustentationem, tertia vero ad fabricam eiusdem monasterii pertineat, cumque primo abbate, sub quo tripartitio huiusmodi instituta fuit e vivis decedente, dubitatum fuerit, ad quem bona et spolia per eum relicta spectarent, abbasque Populeti,

tamquam dicti Ordinis in illis partibus vicarius generalis, sua sententia et decreto die 13 mensis ianuarii anno 1580 latis, bona et spolia eiusmodi ad conventum et fabricam dicti monasterii per aequales partes pertinere declarasset, ab eoque tempore conventus et fabrica praedicti in pacifica et quieta possessione bona et spolia in morte abbatum dicti monasterii percipiendi semper extiterint ; propterea pro parte conventus et religiosorum praedictorum Capitulo generali supplicatum fuit, quatinus dicti abbatis Populetani sententiam et decretum approbare et confirmare dignaretur. Quare idem praesens generale Capitulum dictam sententiam et decretum iuri et rationi esse conformia attendens, illa in plenaria Ordinis potestate praesentis diffinitionis tenore approbat et confirmat, atque ut ita in praedicto monasterio semper observetur serio mandat et praecipit.

26. Praesens generale Capitulum de statu monasteriorum Ordinis non congregatorum in Italia existentium per venerabilem religiosum fratrem Edmundum Tiraquellum, modernum in Curia romana procuratorem generalem, debite informatum, pro felici et prospera illorum directione, cultusque divini augmento et maioris reformationis introductione, ad eiusdem instantiam decernit et ordinavit, prout praesentis diffinitionis tenore ordinat et decernit, ut monasterium S. Salvatoris de Monteamiato, Claraevallis in Castagnola, Claraevallis de Fiastra, B. M. de Casamari, Fossaenovae, Ferrariae, Regalisvallis, S. Spiritus de Ocra, Casaenovae de Abrutio, et S. Bernardi de Morro [b] Clusinensis, Senogalliensis, Camerinensis Verubariensis, Terracinensis, Theanensis, Nolanensis, Aquilanensis, et Pennensis, seu Nullius respective dioeceseos, cum omnibus ipsorum membris, pertinentiis et dependentiis inter se uniantur et in unam fraternam congregationem, Romanam nuncupandam, reducantur, secundum modum et servatis conditionibus quae sequuntur, videlicet :

a) Quod omnia monasteria supradicta, illorumque praelati, priores, suppriores, conventus, religiosi, novitii, conversi, familiares, aliaeque personae quaecumque, necnon illorum omnium bona, res, iura, proprietates, membra, annexa, pertinentiae et dependentiae quaecumque, sint communia et tamquam unum inter se corpus ad dictam congregationem immediate spectent, monachusque in uno dictorum monasteriorum professus tamquam in omnibus aliis professus habeatur.

b) Quod electio abbatis praedicti monasterii S. Salvatoris deinceps non ad conventum illius, prout hactenus consuevit, sed ad Capitulum provinciale dictae congregationis de quadriennio in quadriennium celebrandum pertineat, ipseque abbas sic electus praeses dictae con-

---

[b] Contorro : *L*[7].

gregationis existat, et non ultra quadriennium in huiusmodi officio continuare possit.

c) Quod dicta congregatio a praedicto Capitulo provinciali et, ipso non sedente, a praefato praeside ac duobus visitatoribus et aliis patribus ad regimen dictae congregationis deputatis, regatur et gubernetur, qui omnes simulque ceteri praelati et priores in dicto Capitulo provinciali, vel si aliqua vacatio, ipso non sedente, intervenerit a patribus regiminis eligantur et ordinentur.

d) Quod praelati ad priores nisi ex causis magnis et legitimis deponi, nec ultra quadriennium in eodem monasterio nisi propter evidentem et manifestam illius utilitatem continuari debeant.

e) Quod praedicta monasteria sic in congregationem reducta seu redigenda, et alia quae progressu temporis dictae congregationi aggregari, uniri et incorporari contigerit, cuiuscumque Ordinis, status et conditionis antea fuerint, simulque illorum personae, res, bona et iura quaecumque, sub Rmi D. abbatis generalis pro tempore existentis seu per eum deputatorum vel deputandorum, et Capituli generalis, necnon primorum quatuor de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et Morimundo abbatum secundum uniuscuiusque illorum generationem et aliorum superiorum correctione, emendatione, reformatione, visitatione, superioritate ac omnimoda iurisdictione, sicut hactenus fuerunt et fuissent, permaneant.

f) Quod praeses regiminis ad praefatum Capitulum quoties celebrabitur, duos abbates vel priores, prout per dictum generale Capitulum determinatum fuerit, cum mandato sufficienti et omnibus actis congregationis sub poenis per idem Capitulum generale imponendis, ac etiam omnia praedictorum abbatis et Capituli generalis aliorumque superiorum decreta, statuta, diffinitiones et salubria monita ac mandata suscipere et efficaciter adimplere in omnibus, ac per omnia teneantur, nec illis quicquam contrarium statuere, diffinire vel decernere possint.

g) Quod statuta per dictum Capitulum provinciale facienda usque ad tunc proximum Capitulum generale et non ultra, nisi fuerint per huiusmodi Capitulum generale approbata, durabunt et obligabunt.

h) Quod dicta congregatio, et nomine illius patres regiminis solitas annuas contributiones dicti Ordinis, non tantum illorum monasteriorum quae ad praesens congregabuntur, sed etiam ratione illorum quae successu temporis eidem congregationi incorporari contigerit, sive antea fuerint Ordinis, sive non, taxandas per Capitulum generale, habita ratione facultatum, et praeterea charitativa subsidia aliaque onera libere per praedictum Capitulum generale imponenda solvere, ipsumque Rmum D. abbatem generalem et alios superiores patres per se vel vicarios suos et deputatos necnon Capituli generalis commissarios

visitare volentes, reverenter et cum dignis honoribus suscipere et admittere tenebuntur.

i) Quod supradicti omnes, praedicta monasteria, ceteraque dictae congregationis pro tempore aggreganda et incorporanda, non obstante quod alterius Ordinis, statum vel conditionis antea fuerint, aeque libere visitabunt, ac si semper eiusdem Ordinis et nunquam in congregationem redacta fuissent, illaque omnia, tam in capite quam in membris, in spiritualibus et temporalibus, reformandi, et quaecumque ordinatione, emendatione, correctione, punitione, privatione, suspensione, depositione et destitutione indigere cognoverint, ordinandi, emendandi, corrigendi, puniendi, privandi, suspendendi, deponendi et destituendi, plenariam et omnimodam, sicut hactenus habuerunt perpetuis futuris temporibus facultatem, auctoritatem et potestatem habebunt, et cum effectu et quandocumque ipsius libitum fuerit, exercebunt.

j) Quod Capitulum provinciale et patres regiminis praedicti omnem curam et sollicitudinem in tuendis, defendendis et conservandis praedictis omnibus monasteriis adhibebunt, nullumque ex illis quovis praetextu vel quaesito colore, inconsulto Rmo D. abbate generali pro tempore existenti et sine expressa illius licentia et consensu authentico, deserere, alienare, cedere vel renuntiare poterunt ; et si quid simile ab ipsis attentatum fuerit, irritum, invalidum et nullum ex nunc prout ex tunc decernitur.

k) Quod patres regiminis tenebuntur sex mensibus ante Capituli provincialis celebrationem Rmum D. generalem et alios superiores praedictos de sui Capituli celebratione admonere, ut possint, si voluerint, eidem personaliter praesidere, vel aliquem deputare qui nomine ipsorum praesideat.

l) Quod patres abbates et priores, statim ut fuerint electi, iurabunt fidelitatem et obedientiam Ordini et Capitulo ac Rmo D. generali, ceterisque superioribus, et quod nihil unquam facient vel fieri procurabunt aut procurari permittent, directe vel indirecte, quod praesentibus articulis adversetur.

m) Atque ut praedicta diffinitio facilius suum consequatur effectum, et debitae executioni demandetur, idem Capitulum generale committit venerabili procuratori generali Ordinis in romana Curia pro tempore existenti, ut ipsius Capituli generalis auctoritate dictam congregationem modis et formis superius expressis erigat, ipsaque sic erecta praesidem, abbates, priores et visitatores ac patres regiminis pro prima vice dumtaxat instituat ; et si ita iudicaverit expedire primum Capitulum provinciale celebret, in eoque nomine eiusdem Capituli generalis et Rmi D. generalis praesideat, Diffinitores sibi bene visos eligat, ceteraque faciat quae pro praefatae congregationis erectione praemissorum integra executione cognoverit necessaria et opportuna, etiam si talia

forent, quae specialius mandatum exigerent, quam sit praesenti diffinitione expressum ; cum potestate, ubi fuerit impeditus, alium vel alios subdelegandi, mandando districte in virtute salutaris obedientiae et sub poena maioris excommunicationis, necnon privationis vocis activae et passivae omnibus et singulis abbatibus, prioribus et monachis et aliis Ordinis dicti regularibus personis, quatinus in praemissis omnibus praedicto procuratori generali seu ab illo deputando humiliter ac devote obediant, invocato, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, in plenaria Ordinis potestate.

27. Cum communis omnium Ordinis monasteriorum mater Cistercium tam multis debitis obstricta remanserit, ut licet plurima iam exsolverit Rmus modernus ex dispersione sui conventus, quem omnino restituere consultum visum est, adhuc tamen gravissima diluenda restant et supersunt, ne currentibus arreragiis tanta domus sensim obruatur, praesens generale Capitulum petitioni eiusdem Rmi D. abbatis et conventus Cistercii quae iusta visa est annuendo permittit, ut aedes quasdam apud Sanctum Ioannem de Lona ad monasterium pertinentes, ex quibus ferme nihil percipit et multis in dies egere reparationibus dicitur, ad eiusmodi debitorum exsolutionem libere et licite vendere et alienare valeat, servatis in hoc requisitis et consuetis solemnitatibus, ad quarum observantiam deputat et nominat R. abbatem Trium Regum.

28. Praesens generale Capitulum diffinitioni anni 1605 de amovendis superfluis et incommodis altaribus apud Cistercium, eiusque ecclesiam, ubi nonnulla eiusmodi reperiuntur, quae ex nulla fundatione existunt et ad quae nullae unquam missae celebrantur, nondum observatum fuisse conspiciens, Rmi D. Cisterciensis iudicio id negotii relinquendum esse censuit et relinquit, quatinus pro decore sanctae matris nostrae circa hoc id faciat quod expedire cognoverit.

29. Cum praesenti Capitulo fide dignis relationibus ad plenum constiterit, R. D. Ludovicum Diezaux de Almendariis, monasterii B. M. de Oliva in regno Navarrae ad praesens abbatem, post exacta philosophiae studia in conficiendo s. th. cursu debitum, legitimum et consuetum temporis spatium tam in Complutensi quam in Salmanticensi academia impendisse ac subinde crebris disputationibus, publicisque ad populum contionibus et sacrae paginae lectionibus egregia suae singularis doctrinae specimina praebuisse, quod sacram catholocam Maiestatem permovit, ut ipsum in praedicti monasterii abbatem Sanctissimo Domino praesentaret ; idcirco ad condecoranda praedicti domini Ludovici merita praesens generale Capitulum ipsi gradum, titulum et denominationem s. th. doctoris conferenda censuit, prout realiter et cum effectu, praeviis tamen per ipsum praestando iuramento, et emittenda fidei professione, in Dei omnipotentis nomine et plenaria

Ordinis potestate praesentis decreti tenore confert, ita quod in universis Ordinis monasteriis et locis necnon publicis et privatis ubicumque habendis coetibus, conventibus et congregationibus ordinem, locum et gradum antelationis, praecedentiaeque iuxta datam temporis praesentis collationis obtineat, omnibus immunitatibus et praerogativis doctoribus in ordine concessis fruatur.

30. In eadem forma concessa fuit Rdo abbati Sanctae Fidei.

31. Item, paucis mutatis priori de Oliva et fr. Benedicto de Labarra [c].

32. Praesens generale Capitulum committit Rdo D. vicario regni Navarrae, ut inquirat diligenter de redditibus monasterii B. M. de Irancio in eodem regno, et si minus sufficientes esse ad plures monachos alendos quam nunc ibi haberi dicuntur, sibi ipsi constiterit, cum abbate et conventu super missarum quotidianarum B. V. vel pro defunctis celebratione dispenset, prout in conscientia sua expedire ac necessarium esse iudicaverit, sin minus eumdem numerum quamprimum augeri et easdem missas quotidie celebrari iuxta ordinis laudabilem consuetudinem mandet et iniungat, in plenaria Ordinis potestate.

33. Religiosae sororis Ioannae de Marlat, monasterii de Mediomonte in dioecesi Claromontensi, petentis augmentum pensionis sibi assignatae, dum transferretur in aliud monasterium, supplicatio remittitur ad venerabilem priorem de Bolbona, vicarium Provinciae, ut ipsi provideat, prout iuris et aequitatis ratio dictaverit.

34. Committitur vicario Provinciae, ut monasterium B. M. de la Blancha in oppido Massiliae visitet et de competenti numero monachorum et novitiorum provideat, in plenaria, etc.

35. Supplicationem abbatis et conventus B. M. de Regali in regno et insula Maioricarum per eorumdem syndicum praesenti Capitulo porrectam, idem Capitulum remittit ad Rdum abbatem Populetanum, ut consideratis in ea narratis, petitam visitationem committat alicui ex RR. DD. episcopis dicti regni, prout hactenus fieri consuevit propter periculosum loci accessum et distantiam, ea tamen conditione ut Rmus D. episcopus visitans peractae visitationis acta omnia et decreta ad eumdem Rdum abbatem Populetanum patrem immediatum transmittere teneatur.

36. Capitulum generale attendens praeclara et eximia merita Rmi D. Ioannis de Alvaro, abbatis de Berola in regno Arragoniae ipsi concedit ut episcopatum Celsonensem in Cathalonia, ad quem a sacra catholica Maiestate nominatus fuit, acceptare et a Sanctissimo D. N.

---

[c] De la Caira : L^8.

Papa et Sede Apostolica provisiones et bullas ad hoc necessarias petere et obtinere possit, in plenaria Ordinis potestate.

37. Ad instantiam et requisitionem Rmi D. Ioannis de Alvaro, abbatis de Berola in regno Arragoniae, iamque episcopi Celsonensis electi, gratiose concedit fratri Martino Alvero illius ex fratre nepoti, dicti monasterii de Berola religioso expresse professo, praesens generale Capitulum licentiam et facultatem, ut cum praefato Rmo commorari et studia sua tam philosophica quam theologica prosequi, suo insuper tempore gradum doctoratus in aliqua publica et probata Universitate suscipere possit, dictis gratia et licentia usque ad proximum Capitulum generale dumtaxat duraturis.

38. Districtissime prohibetur a Capitulo generali Rdo abbati de Wancoczko, ne bona ulla sui monasterii alienet aut vendat, eidemque serio praecipit et mandat sub interminatione censurarum et poenarum Ordinis statutis contentarum, ut bona dicti monasterii indebite alienata pro virili recuperet.

39. Rdo domino Claudio Masson, abbati monasterii B. M. de Morimundo et s. th. doctori, praesens generale Capitulum annuit supplicanti, ut prioratum nostri Ordinis nuper fundatum in loco qui dicitur de Doisma iuxta La Faulche, dioecesis Tullensis, sub invocatione Sanctae Ursulae acceptat et sub linea Morimundi erectum gubernet et regat, secundum quod iam dicto domino de Morimundo per ultimum Capitulum concessum est, quem locum sive grangiam de Doisma nobilis et devota mulier domina Ludovica Dathis, in favorem Adelinae de Brielle, filiae suae, monialis eiusdem Ordinis, emit a praedicto domino abbate Morimundi et suis fratribus pro pretio quatuor mille francorum, de quibus utiliorem et propinquiorem aliam grangiam dictam de Chezeaux dicti abbas et fratres de Morimundo redemerunt, ut videre est per contractum desuper confectum Lingonis die 16 iulii anni 1612 inter eosdem dominum abbatem et fratres de Morimundo, et in illo loco, sive grangia de Doisma, iam per diligentiam dictae domicellae Ludovicae Dathis et prudentiam eius filiae sororis Adelinae de Brielle, aedificata sunt claustra, constructae cellulae pro duodecim monialibus, reparata decenter capella et alia necessaria sunt disposita etiam pro sufficienti clausura et aliis requisitis secundum formam Ordinis, quae omnia sic prudenter et devote gesta laudat praesens generale Capitulum, probat venditionem grangiae de Doisma factam pro tam pio usu, et de pretio eius alterius grangiae redemptionem utique laudat et confirmat, consentitque et praecipit ut dicta soror Adelina de Brielle, in dicto loco de Doisma per dictum dominum abbatem de Morimundo constituta priorissa, omnes fructus percipiat et in possessione non turbetur, sed placide utatur sine ulla eiectione sub quolibet praetextu ; vultque ut contractus dicti loci de Doisma inter dictos dominum

abbatem et fratres Morimundi et dictas Ludovicam Dathis et sororem Adelinam de Brielle factas, suum plenum sortiatur effectum, ea tamen lege ut mutare, alienare, vendere nec impignorare possit priorissa sine licentia expressa abbatis Morimundi, sed semper secundum Ordinem teneatur ibi Deo servire, secundum quam legem et non aliter vendiderunt et concesserunt priorissae et monialibus eum locum. Suscipit insuper et insinuat in numero monasteriorum Ordinis dictum prioratum de Doisma sub reformatione dicti abbatis de Morimundo et successorum eius, cui vel quibus dicta priorissa instituta vel instituenda per eumdem vel illos tenebitur in omnibus et per omnia obedire secundum Ordinis instituta et sub honesta clausura cum suis monialibus vivere cum habitu simplici et religioso, nec quicquam audebit facere sine dicti abbatis consensu, etiam nec novitias suscipere ; pro laboribus tamen et charitativis expensis, quas dicta Ludovica Dathis in aedificatione huius prioratus assumpsit et fecit, concedit praesens generale Capitulum et permittit secundum contractum inter eumdem abbatem et dictam Ludovicam, ut si qua monialis de directa eius progenie in eodem prioratu capax et idonea reperiatur professa legitime praesentata domino abbati regulari Morimundi, per eumdem instituatur et promoveatur ad prioratum ; sin autem capacem aliquam aliam, quam voluerit ipse instituet, quae vivere tenebitur et iurabit sub regulari disciplina et clausura, et de omnibus receptis et expensis quotannis computum facere et omnia alia gerere secundum Ordinis statuta.

40. Visa humili supplicatione facta per fratrem Ioannem de la Chesnaye, monachum professum monasterii de Mortuomari, a quo ad monasterium de Caladia per dispositionem adm Rdi D. abbatis Claraevallensis transmissus fuerat, per quam ratione aegritudinis, quam in dicto de Caladia monasterio patitur propter aeris parum convenientem naturae suae temperiem, petit regressum ad dictum monasterium de Mortuomari suae professionis sibi concedi. Eapropter praesens generale Capitulum petitum regressum supplicanti concedit, mandans in virtute salutaris obedientiae tam priori quam ceteris dicti monasterii monachis uti eum benigne et charitative suscipiant, et privilegiis, honoribus, iuribus et emolumentis, quibus dicti de Mortuomari monachi fruuntur, et ipse antea fruebatur, uti et frui permittant.

41. Visa humili supplicatione per venerabiles priorem et monachos de Morimundo porrecta, qua declarant multis ab hinc annis permutationem fuisse factam decimarum vini, granorum et aliorum bonorum, quae dictum monasterium percipere solebat in loco dicto de Bourbonne a quondam ipsius Morimundi abbate, dictamque permutationem factam fuisse dissentiente aliqua conventus parte, et cum maxima eius laesione, et postulant a dictae obligationis onere relevari, et ad eam

cassandam et irritandam facultatem sibi concedi. Eapropter praesens generale Capitulum dictos venerabiles priorem et conventum ab obligatione dictae permutationis relevando, eisdem ad eam cassandam et irritandam facultatem concedit.

42. Visa humili supplicatione prioris et conventus Grandissylvae Tholosanensis, qua exponitur decreto ultimi Capituli generalis oratores condemnatos fuisse ad contributionem centum aureorum quotannis in reparationem aedificiorum monasterii, unde factum est ut bona communitatis et conventus, et potissimum quae pro infirmitorio, hospitumque susceptione destinata fuerant, diminuta adeo fuerint, ut huiusmodi sententia et iudicio mille librarum annui redditus iacturam passum fuerit idem monasterium. Eapropter praesens generale Capitulum vicario provinciae fines supplicationis, vocato Rdo abbate aut eius procuratoribus, discutiendos committit, quatinus si iustum visum fuerit, praedictus Grandissylvae conventus ab onere contributionis praedictorum centum aureorum liberetur.

43. Visa citatione ad praesens generale Capitulum Rdo Ioanni de Levy, monasterii de Loco Dei in Ruthino abbati per fratem Ioannem Rey priorem de Sancto Marcello et Bernardum de la Barthe priorem de Custodia Dei monasteriorum, facta die 10 mensis februarii anni currentis, nullaque ex parte dicti Rdi abbatis exhibita excusatione, praesens generale Capitulum dictum Rdum Ioannem declarat contumacem, mandans vicario provinciae, quatinus de novo dictum abbatem ad proximam Rmi D. Cisterciensis et quatuor primariorum coabbatum convocationem citet, et de citatione Rmum D. Cisterciensem certiorem reddat.

44. Visa humili supplicatione qua pro venerabili abbatissa et monialibus monasterii de Bellovisu, alias de S. Bernardo prope Baionam expositum est maximam dictum monasterium pati rei familiaris penuriam, tantaque egestate opprimi, ut moniales eiusdem vagari et per provincias remotas pauperem vitam emendicare cogantur, quod cum decori Ordinis, dicti monasterii honori animarumque saluti parum videatur conveniens, et huiusmodi incommodis occurrere pro viribus aequum sit, eapropter praesens generale Capitulum statuit, ut monasteria nostri Ordinis quaelibet in Parlamentis Tholosano et Burdigalensi constituta, quotannis usque ad proximum futurum generale Capitulum quartam partem eleemosynarum, quae ad portas monasteriorum dari statutum est, dictis abbatissae et monialibus charitative erogent, mandantes vicariis praedictorum Parlamentorum, quatinus dictas eleemosynas colligant et ad dictam abbatissam transmittendas, vel per se vel per alios, procurent, praecipientes insuper omnibus abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis aliisque Ordinis nostri personis in dictis Parlamentis constitutis, ut huic decreto obediant.

45. Visa humili supplicatione a priore et conventu monasterii de Gimonte porrecta, qua expositum est *Breve* quoddam apostolicum esse Clementis VIII, quo monachi dicti de Gimonte monasterii ad parochias dicto monasterio unitas, quarum praesentatio ad Rdum D. abbatem pro tempore existentem pertinet, deserviendas facti sunt habiles, vigoreque istius *Brevis* quidam monachi de dictis parochiis aut vicariis perpetuis provisi fuerint. Et quia in dictis parochiis residentes ob sibi iniuncti oneris necessitatem, suas nihilominus praebendas monachales de numero earum inservientibus et in monasterio divinum officium persolventibus per Ordinis superiores assignatae sunt, assumunt illisque gaudent suas tenentes sedes, et loca monachalia non deserentes a servitio divino, ceterisque vitae monasticae disciplinae regularis, necnon obedientiae muniis declinant et deficiunt, non sine gravamine ipsius monasterii et officii divini imminutione. Eapropter Capitulum generale cultui divino, monasterii incommodo et solatio prospicere volens, statuit et decernit, quatinus huiusmodi de dictis parochiis provisi pensionem monachalem de numero statuto non sumant ; quocirca mandatur vicario provinciae ut has sedes monachorum vacantes aliis monachis aut novitiis idoneis et capacibus modo in Ordine statuto quamprimum impleat. Priori autem sub depositionis poena iniungitur, ne de cetero praebendas seu portiones monachales de numero stabilito eis subministret et tradat.

46. Oblata generali Capitulo dilecti fratris Ioannis Posnam, monasterii Coronoviensis professi, petitio continebat quod cum ipse ante annos ferme quinque caduco morbo laboraverit, quo nunc per Dei gratiam a multo tempore non fuit divexatus ; idcirco eo non obstante facultas ipsi fieret, qua posset ad diaconatum et presbyteratum promoveri. Cui supplicationi sacris canonibus alioquin minus contrariae benigne annuens, idem Capitulum mandat Rdo abbati ipsius monasterii Coronoviensis, ut habito desuper consilio seniorum cum dicto fratre Ioanne ad effectum petitionis dispenset, eumque habilitet, in plenaria Ordinis potestate.

47. Expositum fuit praesenti Capitulo pro parte venerabilium prioris et conventus fratrum monasterii B. M. de Coronovia in Prussia, domum quamdam a 40 prope annis, cum essent paucissimi monachi, intra septa locorum regularium antiquitus limitata, a quodam ex praedecessoribus abbatibus fuisse aedificatam, quod cum iam per Dei gratiam monachorum numerus sit restitutus, in maximum illorum incommodum vergit et cedit. Unde eidem Capitulo humiliter supplicari fecerunt, quatinus eis de remedio opportuno ad hoc provideatur, quod attendens idem Capitulum, volensque quieti dicti conventus consulere, committit Rdo abbati moderno, ut dictam domum alio extra loca monastica et memorata transferat, et in casu quod id executioni

mandari non possit eius vita durante, concedit et permittit dictis venerabilibus priori et conventui Coronoviensi ut accedente vacatione, quam Deus diutissime differat, auferat dictam domum et ex eius lapidibus et lignis pristinam clausuram, quoad fieri poterit, resarciri et reparari procuret, in plenaria Ordinis potestate, quam ad hoc et impartitur per praesens decretum, et prohibendo omnibus et singulis abbatibus et aliis Ordinis personis ut dictum conventum in hac tam demolitione quam reparatione nullatenus impediant, sub poenis et censuris Ordinis.

48. Visa supplicatione RR. abbatum et conventuum monasteriorum Coronoviensis in Prussia, Premetensis et Wangroviensis in maiori Polonia, quibus petunt confirmari separationem suarum mensarum conventualium ab abbatialibus, prout nuper a Sanctissimo D. N. distinctionem obtinuerunt, praesens generale Capitulum petitam separationem dictarum mensarum pro maiori partium tranquillitate concedit et permittit, vultque et mandat in virtute salutaris obedientiae contractus desuper initos iuxta omnes et singulas ipsorum clausulas et tenores perpetuis temporibus futuris utrimque respective observari in plenaria Ordinis potestate ; ac committendo mandat Rdo D. David Karnaski monasterii de Oliva in eadem Prussia abbati, ut praedictam separationem consideratis instrumentis et rationibus in iisdem appositis executioni demandet.

49. Visa supplicatione religiosorum prioris et conventus monasterii de Alneto Baiocensis dioecesis, in Normannia, quatinus a summa suppressarum antea pensionum, quae reparationibus locorum monasterii destinata erat, liceat eis sese exonerare a creditoribus suis, apud quos obligati tenentur multo aere propter sumptus, quos fecerunt in supremo regis consilio pro impetranda homologatione ordinationum Rdi abbatis Claraevallensis contra suum commendatarium, praesens generale Capitulum audito promotore Ordinis committit dicto Rdo abbati de Claravalle ut, perspecta rei aequitate, quod rationabile iudicaverit, decernat et cum dictis religiosis favorabiliter agat, in plenaria Ordinis potestate.

50. Nous, frère Nicolas Boucherat, abbé de Cisteaux, etc. veu la requette des religieux prieur et convent de l'abbaye des Escharlys, diocèse de Sens, disant que dom Anthoine Laurens, religieux de Foucarmont et cydevant cellerier de la dite abbaye des Escharlys, ayant été condamné par sentence du Rd abbé de Clairvaux de rendre aux dits supplians tous tiltres, papiers et enseignements par luy transportez hors de la dite abbaye durant son administration, et de ne se mesler directement ou indirectement des causes, procez et affaires concernans ladite abbaye sous peine d'excommunication. Néantmoins il n'a encore satisfait, et qu'il y a apparence qu'il s'entend couvertement avec les

adverses parties des dits religieux et les favorise. Le présent Chapitre général, ouy sur ce le promoteur de notre Ordre, enjoint de ce chef audit dom Anthoine Laurens soubs la même peine d'excommunication ipso facto incurrenda, et reservée à Monseigneur notre Rme de Cisteaux ou au Rd abbé de Clairvaux de rendre ou faire rendre dans deux mois aprez la signification des présentes pour tous délais aux dits religieux des Escharlys tous les papiers, tiltres et enseignemens qu'il a transporté hors de l'abbaye susdite durant son administration, ou autrement, et declare ce qu'il scait en sa conscience quant es dits papiers, tiltres et enseignemens et des arrerages deus à la communauté desdits religieux.

51. Veue la requeste à Nous presentée par sœur Charlotte de Ronchaux [d] tendant aux fins que la pension annuelle a elle réservée de six vingt livres avec les arrérages d'icelle depuis le temps de la reservation luy soit payée, qu'elle soit quitté et deschargée de deux cens livres dont est faite mention en sa requeste et autres fins en icelle contenues. Le Chapitre général attendu l'infirmité, grand age et caduc de la suppliante, considéré le défault de sa vue, pour ces causes et autres à ce le mouvant, a ordonné et ordonne premièrement, que la suppliante jouira de la pension annuelle de six vingt livres à elle ordonnée et sera entièrement payée des arrerages d'icelle jusques au jour present, la declare quitte et deschargée des deux cens livres dont est mention en sa requeste, a permis et permet à la suppliante deporter sur son habit de l'ordre une robbe noire avec decence conversant parmy les seculiers, accorde logement convenable en l'abbaye de Corcelles pour sa retraite et demeure, et luy permet de choisir telle personne sage et discrette, qu'elle trouvera bon estre pour la garde de son pecule, de choisir lieu en l'eglise dudit monastère pour son inhumation, et de se confesser aux prêtres seculiers a charge qu'ayant commodité par fois de religieux prudent et sage de notre Ordre, elle s'y confesse aussy. Et au surplus veult et entend ledit Chapitre general, que l'ordonnance du Rd abbé des Trois Roys touchant le sieur de Ronchaux cousin de la suppliante sorte son plein et entier effet. Commandant en vertu de sainte obéissance à la Dame abbesse d'Onan d'obéir à notre present decret, au vicaire de la province d'iceluy faire garder et estroitement observer, et au premier de nos religieux requis de l'insinuer à la dame abbesse dudit Onan.

52. Visa et mature considerata supplicatione monialium, abbatissae et conventus monasterii de Benedictione Dei in Lugdunensi dioecesi, conquerentis in gravissimis fundationum obitualium oneribus premi et gravari cum moderatissimo redditu, rogantiumque quatinus a Capitulo generali tantum onus sufficienter minuatur. Committitur Rdo D.

---

[d] Pontaux : *L*[8].

abbati de Claravalle ut, inspecta rei importantia, quod in conscientia iudicaverit pro bono et aequo decernat et componat.

53. Ad audientiam Capituli generalis pervenit commendatarium monasterii de Quinciaco, priorem et religiosos eiusdem loci ausu temerario ad obedientiam sibi praestandam cogere, officiarios instituere velle, monachorum spolia defunctorum sibi usurpare, priorem a suo cubiculo expellere, eiusque bona mobilia in privatos usus convertere, bona monasterii immobilia in perpetuam emphiteosim dare, multaque alia et maiora quotidie attentare, spreta Ordinis auctoritate, monachorum pensiones et vestiaria non persolvere, eleemosinas non largiri in gravem piorum fundatorum fraudem et animarum ibidem Deo famulantium inquietudinem et iniuriam. Propterea huiusmodi malis de remedio opportuno, ut par est, providere volens, praedictum Capitulum mandat et praecipit in virtute salutaris obedientiae vicario provinciae ut statim, omni mora postposita, informet serio ac diligenter inquirat de omnibus supradictis, et si vera esse cognoverit, moneat et districte iniungat procuratori syndico, quatinus ille praefatas bonorum in perpetuam emphiteosim concessiones irritas et nullas declarari procuret et praedictum commendatarium ad omnia et singula, ad quae in conscientia et secundum stabilimenta a visitatoribus eiusdem monasterii edita et confirmata tenetur, per omnes iuris et iustitiae vias quantocius compellat, in plenaria Ordinis potestate.

54. Cum expositum fuerit Capitulo generali monasterium B. M. de Candelio in dioecesi Albiensi unum esse ex antiquioribus nostri Ordinis monasteriis cuius possessio iam devenit in manus Rdi D. Petri Conardi, s. th. pr., ac de Ordine nostro benemerenti. Eapropter praesens generale Capitulum censuit et decernit, prout tenore praesentium censet et decernit praedictum monasterium de Candelio, simul cum monasterio de Bonacumba in dioecesi Ruthenensi, non debere visitari a dilecto nobis in Christo filio fratre Petro Garrice, nostro per universam Occitanam vicario, ad evitandas suspiciones et querelas, quae inter eos oboriri possent, et conservandum inter eos bonum pacis, et in dictis monasteriis maiorem quietem. Quapropter inhibetur praedicto vicario, ne praedicta de Candelio et Bonacumba monasteria visitare, aut aliam quamcumque iurisdictionem in eis exercere valeat, non obstantibus litteris vicariatus quas praefatus vicarius obtinere posset, sed ipsi praefato abbati de Candelio omnimoda iurisdictio relinquitur in praedictis monasteriis, donec aliter Capitulo generali visum fuerit.

55. Attendu qu'avons ordonné que notre Maître Garrice [e] vicaire en Gascogne s'abstiendroit d'aller visiter le monastère de Candueil

---

[e] Gatier : L^8.

pour les difficultez qui ont été entre iceluy et le Rd abbé d'iceluy et de Bonnecombe qui en dépend immediatement, avons aussi jugé etre expedient pour oster tout subject de contention entre eux d'ordonner comme ordonnons que le Rd abbé de Candueil n'ira point à Bolbonne.

56. Super humili supplicatione nobis facta pro parte fr. Rogerii de Ginis [f] exponentis se sub beneplacito Rdi sui praelati dedisse commodato Rdo abbati Septem fontium summam centum florenorum, quae nondum ei reddita fuit, praesens generale Capitulum suum unicuique ut par est, restitui volens, mandat praedicto abbati quatinus, significatione praesentium sibi facta, statim dictam summam dicto creditori restituat, permittens alioquin dicto creditori ut per sequestrationem bonorum et fructuum ipsius monasterii de Septem fontibus sibi providere liceat et possit.

57. Veue l'humble supplication à nous faite par messire François Sagny, lieutenant au siège d'Ieres [g] en Provence, par laquelle il demande, que sa fille Margueritte Sagny soit receue novice de notre Ordre au monastère de S. Pierre de la Manarra, offrant pour son dot donner librement, volontairement et charitablement audit monastère huit cens escus. Le Chapitre general a commis et commet le vicaire de l'Ordre en la province de voire et s'informer des vie, mœurs, conversation et autres qualitez requises de ladite Margueritte pour et aux fins, qu'elle estant de la condition et qualité requises, elle soit suivant les statuts et coustumes de notre Ordre receue, de quoy faire donnons entier pouvoir audit vicaire et enjoignons cependant à la Dame abbesse et religieuses dudit monastère sus peine de desobéissance d'obéir à ce present decret, si commandons audit vicaire de bien et deuement prendre garde à ce que les susdits huit cens escus soient employez au bien et profit stable et permanent dudit monastère.

58. Accepta supplicatione religiosorum et conventus monasterii de Sylva Melonis in Britannia, quatinus confirmentur ordinationes sibi confectae a Rdo abbate Claraevallensi commissario speciali, super victu et vestitu et aliis necessariis, visis et examinatis dictis ordinationibus et audito promotore Ordinis, praesens generale Capitulum easdem ordinationes tamquam rationabiles et legitimas confirmat et ratificat in plenaria Ordinis potestate, quatinus iuxta suum tenorem plenum sortientur effectum, prohibendo dictis religiosis ne quidquam in contrarium sine expresso Rmi D. N. Cisterciensis consensu audeat attentare.

59. Sur la remontrance de notre promoteur disant que les religieux prieur et convent de Savigny, diocèse de Mans, aymant mieux être petit nombre affin d'avoir plus de pension, que de procurer nombre

---

[f] Girus : A^2L^8. [g] Geres : L^8.

competant pour la decence du service divin auroient jusques à présent negligé de poursuivre estat et reglement suffisant pour la partition au prorata du revenu de leur monastère, qui est des mieux dotez de l'Ordre, et que nonobstant, qu'ils ayent une belle grande église, de laquelle la seule voulte du chœur est crevée, au lieu d'en poursuivre la réparation depuis fort longtems, se sont habituez à faire le divin service en une chapelle hors des cloîtres, encore qu'ils pourroient aisément s'accommoder ou au presbytère de ladite grande église, qui est long et spacieux, ou derrière le grand autel, soubs les basses voutes à l'endroit des chapelles. Le present Chapitre general ordonne au Rd P. abbé de Clairvaux de faire reglement audit Savigny pour nombre competant de religieux suivant la partition canonique et de faire contraindre par toutes les voyes deues et raisonnables le sieur commandataire aux reparations de ladite voulte du chœur, et cependant ordonne que les religieux feront le service ou au presbytère ou dessous les basses voultes derrière le grand autel à l'endroit des chapelles, commettant audit Rd Père abbé de Clairvaux de leur prefiger temps pour s'y accommoder sous telles peines que bon luy semblera.

60. Visa supplicatione sororis Elisabeth de Belleguise, monasterii B. M. de Pratis iuxta Trecas religiosae, exponentis se iuxta decreta Capituli generalis et convocationis praecedentis primariorum patrum, procurasse quibus potuit modis etiam cum Rdo abbate de Pontigniaco ad hoc expresse commisso, ut per abbatissam eiusdem monasterii de Pratis reciperetur in ipsomet suae professionis monasterio, nec tamen efficere potuisse ut reciperetur, sed cogitur adhuc et cogetur in saeculo inter parentes conversari et residere, nisi de monasterio ei provideatur. Super quibus, audito Rdo abbate Claraevallensi postulante ut pro meliori bono et maiore fructu utriusque status eiusdem monasterii liberetur ab ipsius onere, vel saltem deputetur commissarius qui visitationis et superioritatis huius monasterii curam habeat et sollicitudinem ; praesens generale Capitulum committit venerabilem priorem de Moris, ut durante quadriennio proximo, vocato et adscito procuratore syndico provinciae, semel saltem singulis annis simul visitent, et idem prior, quoties expedire viderit, visitet praedictum monasterium de Pratis, tam in capite quam in membris, in spiritualibus et temporalibus, ibique coniunctis viribus et consiliis, reforment, corrigant, ordinent, suspendant, instituant, destituant quaecumque reformatione, correctione, ordinatione, suspensione, institutione et destitutione indigere cognoverint. Confessarium instituant, clausuram regularem observari faciant, numero monialium et ipsarum victui provideant, computationes administrationis reddere faciant, probent vel improbent et super temporali regimine iuxta monasterii facultates ordinent, et si opus videbitur, de vita et moribus personarum regularium etiam

abbatissae inquirant et informent, et super his usque ad sententiam diffinitivam inclusive et ipsius executionem procedant, ceteraque omnia faciant, quae visitatores a Capitulo generali deputati facere possunt et debent. Praefatam sororem Elisabeth per poenas et censuras Ordinis, ac per omnes iuris et iustitiae vias in ipso monasterio recipi, et ibi sicut aliae ibidem professae foveri faciant, in plenaria Ordinis potestate, invocando, etc. Volumus autem ut utrumque praefati monasterii statum et quaecumque in praemissorum executione contigerint, ad proximam primariorum patrum convocationem atque etiam ad proximum generale Capitulum praedictus commissarius referat, et nihilominus declarat generale Capitulum suae intentionis non esse praesenti decreto Rdum abbatem Claraevallensem a visitatione et sollicitudine eiusdem monasterii de Pratis impedire vel excusare, quin potius ipsum monet et quo poterit meliori modo eidem monasterio pro meliore ipsius statu et animarum salute providere non desinat.

61. Sur la remontrance, que non obstant qu'au precedent Chapitre ou assemblée eut été fait un décret et ordonnance pour la reparation du monastère de Foucarmont, diocèse de Rouhan, neantmoins tant s'en faut que le R. abbé y ait pourveu et donné ordre que ce peu qui restoit de batiment est en pire état et en danger de fondre entièrement en ruine et désolation. Le présens Chapitre general commet et ordonne en vertu de sainte obéissance a Dom Anthoine Cuneron, religieux de l'abbaye de Gard, diocèse d'Amyen, pour avec le vicaire de la province aller reconnoitre l'état dudit monastère de Foucarmont, en dresser procez verbal et contraindre par toutes voyes de justice et raisonnable ledit Rd abbé d'entendre et satisfaire aux susdites reparations, à l'effet de quoi ledit present Chapitre general donne audit Cuneron plein pouvoir, mandement et authorité.

62. Sur la plainte et remontrance du promoteur de notre Ordre du miserable état du monastère de Valence, diocèse de Poitiers, et du danger evident de l'entière ruine et desolation d'iceluy, s'il n'y est promptement pourveu et remedié, étant les cloitres de tout ruinez, et les religeieux en trop petit nombre contraincts de celebrer le divin service dans la nef de la grande eglise, à cause que le chœur et presbytère est pollu par la sepulture des heretiques qui y sont inhumez. Le présent Chapitre general commet et enjoint en vertu de sainte obeissance au Rd abbé de Villeneuve, diocèse de Nantes, de se transporter au plus tot qu'il luy sera possible audit Valence pour voir l'état des religieux et édifices, en dresser procez verbal et ordonner pour nombre competent des religieux et reparations, et contraindre par toutes voyes de justice dues et raisonnables le sieur commendataire de satisfaire à ce qui sera par ledit commissaire ordonné, pourvoira iceluy commissaire des moyens et expediens, qu'il jugera convenables pour resta-

blir la liberte du divin service de ladit eglise, de quoy faire le present Chapitre general donne audit Rd abbé plein pouvoir, authorité et mandement général et special.

63. Audita promotoris quaerimonia contra fratrem Guillelmum Le Gallois [h], religiosum expresse professum monasterii de Bona requie in Britannia, quod non paruerit mandato Rdi abbatis de Claravalle, commissario Capituli generalis, ipsi facto die 16 mensis septembris anni Domini 1611, ut intra diem 15 mensis septembris eiusdem anni se representaret et sisteret coram venerabili provisore collegii Parisiensis, a quo mitteretur in monasterium de Vallibus Sernay, ibique expectaret dicti Rdi abbatis adventum, quatinus ei prout expediens videbitur, provideret, sed rebellis perseverans vagabundus huc et illuc discurrit in magnum Ordinis dedecus et scandalum plurimorum, mandat praesens generale Capitulum syndico provinciae ut eum peremptorie citet coram Rmo D. N. Cisterciensi ad certum diem secundo et tertio responsurum super interrogandis, sub poena convictionis eorum de quibus accusatur, et excommunicationis latae sententiae, quod si non paruerit, excommunicatus publicetur per chartulam in valvis monasteriorum eiusdem dioecesis, necnon ecclesiarum et locorum in quibus idem frater Guillelmus versari existimabitur. Acta autem remittentur ad eumdem Rmum D. N. Cisterciensem ut contra eum, prout iuris fuerit, ulterius procedatur.

64. Sur la plainte et remontrance de notre promoteur que le Rd abbé de Clairvaux ayant fait un état et reglement pour nombre competent de religieux, vivre, vestiaire et entretenement d'iceux suivant la partition canonique au monastère de Mortemer, diocèse de Rouhan ; les religieux claustraux d'iceluy monastère auroient presume de transiger au contraire avec le sieur commendataire ou son procureur, au grand prejudice du service divin et de leur communauté. Pourquoy le present Chapitre general cassant et annullant toutes transactions et contraux faits par lesdits religieux de Mortemer contre le réglement dudit Rd abbé de Clairvaux, mande au Rd abbé de l'Estrée, vicaire en la province, de faire executer ledit reglement dudit Rd abbé de Clairvaux par toutes voyes deües et raisonnables, et de rapporter au prochain Chapitre general ou assemblée des pères actes de ses diligences et de ce qu'il y aura fait.

65. Sur la plainte faite à notre Chapitre general par le promoteur de notre Ordre, le Rme abbé commendataire de l'abbaye de Saint André en Gouffer, en Normandie, quy açoit que les religieux prieur et convent dudit Saint-André eussent obtenu arrest d'emologation sur le reglement

---

[h] Galais : *L*[8].

à eux fait pour leur entretenement par le vicaire de la province ; neanmoins auroient été contraints tant par force, violence que pour avoir paix, de composer amiablement avec ledit commendataire pour leurs provisions avec grandes moderation et diminution. Ce nonobstant, ledit sieur commendataire ne satisfait à l'accord et transaction qu'il a fait avec eux, dont ils reçoivent de grandes incommoditez. Le present Chapitre general enjoint au syndic de l'Ordre en la province de poursuivre la cassation dudit accord, que le present Chapitre general declare nul et de nulle valeur, et de faire retablir lesdits religieux en la jouissance de leurdit reglement emologué, avec deffence d'y contrevenir ou attenter chose au contraire à l'avenir, ains d'en poursuivre l'execution par toutes voyes dües et raisonnables.

66. Capitulum generale visis et mature consideratis supplicibus libellis tam pro parte Rdi D. abbatis et conventus monasterii SS. Crucium in Cathalonia, quam prioris et conventus prioratus de Leula in oppido Perpiniani, porrectis, mandat et statuit dictos priorem, conventum et monachos de Leula debere esse et manere sub visitatione et obedientia ipsius abbatis SS. Crucium, non obstante quacumque in contrarium exemptione et recusatione, monens interim eumdem dominum abbatem SS. Crucium ut praeteritorum christiane deposita memoria dissidiorum cum dictis priore, conventu et monachis de Leula paterne et benevole agat.

67. Praesens generale Capitulum receptis cum debita reverentia et honore litteris sacrae regiae catholicae Maiestatis Philippi III invictissimi et potentissimi Hispaniarum regis ab eodem Capitulo generali, pro suo piissimo erga Ordinem Cisterciensem zelo et propensione requirentis ut monasteria dicti Ordinis in Arragoniae, Valentiae, Maioricarum regnis et principatu Cathaloniae consistentia in unam congregationem erigeret ; visis etiam actis communicationum et deliberationum quas RR. abbates et procuratores dictorum monasteriorum super eo negotio in Caesaraugustana civitate coram Ill. et Rmo domino illius civitatis archiepiscopo ab eadem sacra catholica Maiestate deputato die 27 mensis ianuarii et aliquot sequentibus praesentis anni 1613, inter se habuerunt, Capitulum generale felix et prosperum dictorum monasteriorum regimen et gubernium, in eisque disciplinae regularis observantiam ac divini cultus augmentum, necnon etiam suae sacrae catholicae Maiestatis piae requisitioni grata et debita animi promptitudine, quantum in se est, respondere et satisfacere desiderans, praehabita ad Dei Omnipotentis gloriam, ipsiusque intemeratae Virginis honorem, unam omnium monasteriorum et locorum dicti Cisterciensis Ordinis in regnis Arragoniae, Valentiae, Maioricarum, principatu Cathaloniae et etiam in regno Navarrae consistentium, ne huius postremi regni monasteria sola ac divisa remaneant, congre-

gationem et uno vicario generali, diffinitoribus et visitatoribus, qui patres regiminis vocabuntur, regendam et gubernandam modis et formis sequentibus et non aliter erigendam esse censuit et decernit, videlicet :

a) Quod dictae congregationis erectione non obstante, auctoritas, superioritas et iurisdictio Capituli generalis, Rmi D. generalis Cisterciensis et quatuor primariorum abbatum in omnibus et per omnia salva et integra remanebit, ita quod vicarius generalis, diffinitores, visitatores, abbates et quicumque dictae congregationis superiores et subditi pro tempore existentes, praedictum Rmum D. generalem Cisterciensem et quatuor primos abbates, necnon Capituli generalis pro tempore deputatos commissarios dictae congregationis, seu eorum monasteria et loca in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, visitare et reformare volentes reverenter suscipere et admittere tenebuntur, eodem plane modo, ac si monasteria et loca praedicta nunquam in congregationem huiusmodi redacta fuissent.

b) Tenebuntur quoque Capituli generalis statuta et diffinitiones in omnibus servare et contributiones Ordinis et subsidia charitativa pro illius necessitatibus per Capitulum generale pro tempore imponendas solvere.

c) Ad quod Capitulum generale quoties celebrabitur duos abbates mittent, expensis et nomine totius congregationis cum omnibus decretis et statutis, quae de quadriennio in quadriennium in eorum Capitulo provinciali pro bono confirmantur, vel alias reiiciantur, prout iustum fuerit.

d) Qui vicarius generalis, diffinitores et visitatores ut fuerint capitulariter electi, illico publice iurabunt fidelitatem et obedientiam Ordini, id est Capitulo generali et Rmo D. Cisterciensi, et quod directe vel indirecte nihil unquam facient, fieri procurabunt, aut procurari permittent in contrarium.

e) Dicti autem vicarius generalis, diffinitores et visitatores ita erunt quadriennales, quod eorum nullus ultra quadriennium quavis ex causa in eodem officio continuari poterit.

f) Abbates vero omnes perpetui erunt, et hoc ad amputandum omnem ambitionis, symoniarum, discordiarum, inimicitiarum et inquietudinum materiam, quae in electionibus abbatum temporalium contingere solent.

g) Porro vacantia aliqua adveniente, vicarius generalis, diffinitores et visitatores se congregabunt, non in monasterio vacante, sed in alio aliquo monasterii vel loco, ibique tres monachos ex vacantis monasterii professis, si tot in eo idonei reperti fuerint, sin minus ex alterius monasterii eiusdem congregationis professis quos ad vacantem praelaturam digniores cognoverint, eligent, sicque electos per aliquem

abbatem seu priorem nihil de personis electis scientem cum litteris clausis conventui et monachis monasterii vacantis capitulariter congregatis, ut ex his tribus unum in suum abbatem eligant, praesentabunt, seu praesentari facient et conventus et monachi inter se colloquia habere aut ex capitulo discedere minime permittentur, donec electio cui praesidebit abbas seu prior cum litteris clausis mittendus, per vota secreta, perfecta fuerit.

h) Propterea suae Beatitudini, ut abbatias quae in dictis regnis nunc triennales existunt, in posterum, quo dictum est modo, perpetuas decernere et pariter sacrae Maiestati catholicae, ut praesentationis ius, quod habet in aliqua monasteria, dictae futurae congregationis, pro maiori bono et feliciori illius regimine, dimittere dignentur, supplicandum erit.

i) Ut autem maxime in istiusmodi congregationis initio omnis malignandi occasio tollatur, nullus abbatum vel monachorum poterit, a quoquam aut quovis praetextu, pro praeteritis ante congregationis erectionem processari, sed eorum omnium perpetua erit oblivio et silentium.

j) Si vero Rmum D. generalem Cisterciensem dictam futuram congregationem visitare eo tempore contingeret, quo illius congregationis Capitulum provinciale foret celebrandum, poterit Rmus D. generalis, si voluerit, eidem Capitulo provinciali personaliter praesidere, quod idem erit de quatuor primariis abbatibus, et de Capituli generalis pro tempore deputato commissario, si ipsorum aliquem dicto tempore in illis partibus adesse contingat. Quare ut praemisa omnia suum consequantur effectum et debitae executioni demandentur, idem generale Capitulum committit et mandat Rdo D. Vincentio Longuespée, abbati monasterii B. M. de Laude iuxta oppidum Insularum, comitatus Flandriae, ut quanto citius iter in Hispanias suscipiens ipsius Capituli generalis authoritate dictam congregationem modis et formis superius expressis erigat, et ad eum effectum omnes abbates et procuratores conventuum monasteriorum ad aliquod monasterium seu alium quemcumque locum commodiorem convocet et primum Capitulum provinciale celebret, et in eo praesidendo auctoritate Capituli generalis, Rmi D. Cisterciensis et quatuor primariorum abbatum, vicarium generalem, diffinitores et visitatores sibi bene visos eligat et instituat, ceteraque faciat, quae pro congregationis praefatae receptione et praemissorum omnium integra executione necessaria cognoverit et opportuna, etiam si talia forent quae specialius mandatum exigerent, quam sit praesenti diffinitione expressum. Quamobrem praesens generale Capitulum omnibus et singulis dictorum monasteriorum et locorum Cisterciensis Ordinis abbatibus et monachis aliisque personis regularibus in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis quoad abbates et

privationis vocis activae et passivae quoad monachos poena districte mandat et praecipit, quatinus eidem Rdo abbati de Laude commissario in praemissis omnibus humiliter et devote obediant, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii saeculari auxilio.

68. Instructio data ex parte Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, celebrati die 6 et sequentibus praesentis mensis maii 1613 Rdo D. de ~~Laxavio~~ et venerabili fratri Sebastiano Bonfil, priori et administratori monasterii de Scarpa, eorum omnium quae eiusdem Capituli generalis generalis nomine apud sacram catholicam Maiestatem suam fideliter ac diligenter procurare tenebuntur.

a) Primo, ut sacra catholica Maiestas gratum habere dignetur, ut monasteria regni Navarrae una cum monasteriis regnorum Arragoniae, Valentiae, Maioricarum et principatus Cathaloniae, in congregationem reducantur, quia pauca sunt, nec ut per se unam congregationem componant sufficientia ; sunt enim tantum quinque et ex quinque abbatibus unus deberet esse vicarius generalis, alii duo diffinitores et duo postremi visitatores, et sic omnes essent in officiis contra naturam congregationis.

b) Secundo, ut sacra catholica Maiestas gratum habere dignetur, quod omnes abbates sint perpetui et non temporales, et hoc ad amputandum omnes occasiones ambitionum, symoniarum, conspirationum et dissidiorum, quae in electionibus abbatum triennalium contingere solent, et sunt directe contra charitatem Dei et proximi. Et haec abbatiarum perpetuitas tanto magis videtur admittenda, quod in illis partibus omnes abbates sunt perpetui, exceptis quatuor qui sunt triennales, et ita lubentius omnes congregationem admittent.

c) Tertio, ut sacra Maiestas catholica gratum habere dignetur decretum Capituli generalis, videlicet quod adveniente vacantia aliqua, vicarius generalis et diffinitores et visitatores de congregant... etc. *ut supra, n*° 67, *g*.

d) Quarto, ut pro bono et magis pacifico et etiam uniformi congregationis regimine, dignetur sacra Maiestas ius praesentationis, quod habet in aliqua monasteria, benigne remittere, et hoc ne temporis successu intrudantur personae quae pacem et quietem congregationis conturbent.

e) Quinto, sacra catholica Maiestas gratum habere dignabitur, ut omnis malignadi tollatur occasio, *etc. ut supra n*° 67, *i*.

f) Sexto, supplicabitur S. S. C. Maiestati ut dignetur concedere litteras patentes, quod haec congregatio semper manebit sub iurisdictione et obedientia Rmi D. generalis Cisterciensis et quatuor primorum abbatum, et quod tenebitur eorum visitationes admittere, prout in decreto Capituli generalis plenius habetur.

g) Septimo, exponendum erit S. S. C. Maiestati quod, praemissis

conditionibus approbatis et resolutis tamquam legibus fundamentalibus, R. D. abbas monasterii B. M. de Laude iuxta Insulas, comitatus Flandriae, a Capitulo generali deputatus commissarius ad eas partes sit venturus ut congregationem erigat, et Capitulum provinciale celebret, in quo fient statuta particularia accommodata pro congregatione.

h) Ultimo, offerenda erunt S. S. C. Maiestati humillimae preces et orationes ipsius Capituli generalis, et eidem supplicandum ut Cisterciensem Ordinem protegere et commendatum habere dignetur.

69. Cum frater Anthonius Croizall, monasterii SS. Crucium conversus, subreptitie et falsis expositionibus, mendicatis insuper prioris de Leula litteris, ad habitum monachalem in dicto prioratu susceptus est et admissus fuisse dicatur, committit praesens generale Capitulum vicario provinciae, ut si narrata in supplicatione ex parte Rdi abbatis et conventus dicti monasterii de SS. Crucibus porrecta, vera esse compererit, ipsum fratrem Antonium habitu monachali exuat et in ordinem laicorum fratrum dicti monasterii reducat et redigat, poenitentiam iuxta suorum demeritorum exigentiam iniungendo, dictum insuper priorem de Leula, qui eiusmodi commendatitias litteras temere concessisse dicitur, debite coerceat.

70. Praesens generale Capitulum petitioni Rdi abbatis et conventus monasterii SS. Crucium in Cathalonia, benigne annuens, ut ad honorem Dei festum sanctae Clarae virginis, cuius corpus a gloriosissimae memoriae Petro II Arragonum rege catholico, necnon serenissima illius coniuge regina sibi donatum asserunt, in dicto monasterio et illius membris et dependentibus sub officio communi virginum cum una missa celebrare licite possint et valeant, licentiam et facultatem concedit in plenaria, etc.

71. Capitulum generale mandat et praecipit Rdo D. abbati de Populeto ut adversus fratrem Anthonium Martorell, conversum monasterii de Regali Maioricarum, ad praesens in dicto monasterio de Populeto commorantem et de furto gravi aliisque delictis per supremam curiam regiam coronae Castellae ad extremum supplicium condamnatum, et postea ad instantiam Ordinis suis superioribus restitutus, iuridice procedat et puniat, dans domino Rdo abbati Populetano expressam facultatem dictum fratrem Anthonium etiam ad triremes, si criminis exigentia postularit, condemnandi, in plenaria, etc.

72. Committitur RR. PP. abbatibus de Petra et de Sancta Fide, ut constito sibi de utilitate monasterii largiantur auctoritate Capituli generalis Rdo abbati et conventui B. M. de Rota facultatem et licentiam bona Maurorum expulsorum ad eos devoluta, seu eorum monasterio incorporata, in emphiteosim ad tres generationes et non ulterius concedendi, ita tamen quod pecuniae ex huiusmodi in emphyteosim concessione seu concessionibus provenientes in emptionem aliorum

bonorum stabilium vel censualium ad opus et ad rem dicti monasterii de Rota converti debeant.

73. Praesens generale Capitulum accepta supplicatione abbatis et conventus de Irancio in regno Navarrae, pro licentia vendendi et alienandi quosdam redditus ad se spectantes Ilechas vulgo appellatas, eosque in utiliores monasterii usus convertendi, committit vicario provinciae, ut constito sibi de utilitate per debitam et iuxta Ordinis statuta faciendam informationem authoritate Capituli generalis, petitam facultatem concedat, ita nihilominus, ut tam dicta informatio quam acta et contractus super hoc ineundi una cum authentica certificatione, et declaratione, quod praedicti redditus et pecuniae inde provenientes in alios magis necessarios et utiles conversi fuerint, ad proxime sequens generale Capitulum referri seu transmitti debeant.

74. Visis et mature consideratis supplicationibus Rdi D. abbatis de Populeto petentis exercitium visitationis et superioritatis in monasterium de Petra propter quaedam dissidia per praecedens generale Capitulum suspensum, sibi liberum reddi et restitui ex una, et Rdi D. abbatis de Petra contrarium postulantis ex altera partibus, Capitulum generale uniquique quod suum est reddere et restituere cupiens, declaravit et praesentium tenore declarat impedimentum superius memoratum cessare debere; ita quod Rdo abbati de Populeto liceat dictum monasterium de Petra auctoritate paterna visitare, cum assistentia tamen alicuius abbatis non suspecti, mandans Rdo abbati et conventui de Petra, ut huic decreto se conforment sub censuris et poenis Ordinis.

siehe S. 306, Nr. 68!

75. Cum praesenti Capitulo de eximia, profundaque R. D. Bernardi Maciis monasterii B. M. de Lavaxio in principatu Cathaloniae abbatis, doctrinae et in sacris litteris eurditione per rigorosum examen ac demum plurimis fide dignis relationibus de eiusdem pietate morumque et vitae integritate ad plenum constiterit; idem generale Capitulum ad condecoranda illius merita praestito prius ab eodem iuramento, et emissa, prout moris est, fidei professione, ipsi gradum, titulum et denominationem s. th. doctoris conferenda censuit prout realiter et cum effectu in Dei Omnipotentis nomine et plenaria Ordinis potestate praesentis decreti tenore contulit et confert, ita quod in universis Ordinis monasteriis et locis, necnon publicis coetibus et congregationibus Ordinis locum et gradum antelationis, praesessionis iuxta datam temporis praesentis collationis obtineat, omnibusque immunitatibus, exemptionibus, privilegiis et praerogativis doctoribus in Ordine concessis fruatur et gaudeat.

76. In eadem forma fuit expeditum pro Rdo abbate de Lanckeim, in Bambergensi dioecesi.

77. Cum pro parte conventus et religiosorum monasterii B. M.

de Oliva, regni Navarrae praesenti Capitulo generali expositum fuerit, quod apostolica et regia auctoritatibus in tres partes aequales ... etc. ut supra nº 25, *sed loco* 15 *ianuarii* 1580, *legitur* 1589.

78. Super gravibus querelis, quae passim fama publica et alias fiunt de irreligiosa, inhonesta et scandalosa vita et conversatione sororis Carolae de Cluis, abbatissae monasterii B. M. de Lilio, Cisterciensis Ordinis iuxta Melodunum, praesens generale Capitulum de opportuno remedio providere cupiens, praesentis diffinitionis tenore et in Ordinis plenaria auctoritate, committit et committendo in virtute s. obedientiae mandat et praecipit Rdo abbati de Charmeya, ut ad dictum monasterium de Lilio accedens, de vita et moribus dictae abbatissae diligenter inquirat, informet et iuridice cognoscat, dans ei potestatem et auctoritatem dictam Carolam et quascumque cuiuscumque dignitatis, sexus, qualitatis et conditionis regulares et saeculares personas coram se citandi, seu citari faciendi, audiendi et interrogandi, et ad respondendum seu deponendum cogendi et compellendi, dictam sororem Carolam incarcerandi et ab officio et dignitate abbatiali, necnon bonorum monasterii de Lilio administratione, eam alicui vel aliquibus aliis committendo, suspendendi, destituendi, *etc. ut in formula consueta.*

79. Aliud decretum ad instantiam venerabilis sororis ... Le Roy, coadiutricis eiusdem abbatissae, auditis partium procuratoribus, editum est, eaque in iustae pensionis a Rmo Cisterciensi assignatae et centum librarum pro expensis solutionem condemnata est.

80. Sur la plainte de notre promoteur, disant que le sieur commandataire d'Aulberive, au lieu de satisfaire au concordat fait depuis naguières avec les religieux dudit Aulberive tant pour le nombre competant de religieux, reparation des lieux, reception des novices et hospitalité des visiteurs et survenans, auroit depuis quelques années fait supprimer cinq prébendes et places de religieux, soub prétexte d'accelerer lesdites reparations, sans neantmoins fournir de sa part ce qu'il etoit obligé par ledit concordat, veut faire recevoir novices audit lieu personnes qu'il veut gratifier des siens ne donne supplement de pension à un religieux dudit lieu estudiant au collège des Bernardins à Paris, et pretend la depouille et meubles des religieux decedans dudit Aulberive. Le Chapitre general ordonne que le nombre des religieux sera remis conforment au susdit concordat, et qu'à cet effet novices seront receus des qualitez requises, que ledit commendataire fournira ce qu'il est tenu pour les reparations dudit monastère suivant ledit concordat, et donne le supplement necessaire et raisonnable pour l'entretenement dudit estudiant suivant les patentes des roys tres chretiens, arrests des cours souveraines ; et pour l'exécution de tout ce que dessus ledit Chapitre general a commis et commet dom prieur de l'abbaye des Mores, diocèse de Troyes, pour avec le syndic de l'Ordre et la province

aller au plustôt audit Aulberive y faire la visite, recognoitre l'un et l'autre estat spirituel et temporel d'iceluy monastère pour suivre et tenir la main à l'execution du present decret, circonstancees et dependances par toutes voyes deues et raisonnables avec pouvoir et mandement d'ordonner en outre tout ce qui sera du droit et de raison en la pleine puissance de l'Ordre. Donné audit Cisteaux les mois et an que dessus.

81. Similis ordinatio facta est pro fratribus et monasterio de Prulliaco, mutatis quibusdam mutandis.

82. Viso diplomate regis christianissimi ultima mensis iulii anno 1610 Parisiis dato, quo sua christianissima Maiestas consentiebat et consentit unionem monasterii de Buxeriis, Eduensis dioecesis, ad Cisterciense monasterium factam cassari et annullari, eiusdemque vice monasterium de Miratorio dicto Cistercio uniri. Visis praeterea bullis SS. D. N. Pauli Papae V datis Romae apud Sanctum Petrum eodem anno, necnon fulminatione dictarum bullarum 5 mensis novembris anno 1612 ; lectis insuper litteris transactionis inter Rmum D. Cisterciensem et venerabilem priorem et conventum dicti Cistercii ex una, et nobilem virum Franciscum de Sancto Mauritio tamquam procuratorem Rdi P. D. Ioannis de Sancto Mauritio abbatis monasterii de Miratorio dicti Ordinis in Lugdunensi dioecesi, ex altera partibus, super consensu eiusdem Rdi abbatis de Miratorio ad effectum eiusdem unionis die 19 novembris anni 1612, sub clausulis et conditionibus in iisdem litteris contentis initae ; instrumento quoque adeptae possessionis dicti Miratorii per venerabilem ac religiosum fratrem Franciscum Martin, inclyti monasterii Cisterciensis professum, dicti Rmi Cisterciensis procuratorem sub data 17 decembris dicti anni 1612 diligenter considerato ; attenta omologatione dictae transactionis per curiam Parlamenti Burgundiae decreta et concessa, praesens generale Capitulum attendens quod dicta unio et incorporatio sic servatis servandis solemnitatibus et omnibus cerimoniis ad hoc requisitis in bonum utriusque monasterii cedat, eam ratam, gratam et acceptam habuit et habet tenore praesentis diffinitionis, vultque tractatum desuper initum et ad eam spectantia omnia iuxta tenorem bullarum ad hoc expeditarum et alias clausulas in praemissis instrumentis contentas firmiter perpetuis futuris temporibus observari, mandans utriusque monasterii personis regularibus, ut huic decreto in omnibus et per omnia sub poenis et censuris Ordinis pareant et obediant.

83. Praesens generale Capitulum attendens quod supplicatio RR. abbatum ducatus Bavariae super esu carnium feriis secundis et Septuagesimae tempore sibi permittendo, propter defectum et caritatem piscium forsitan aliquali monasteriorum distinctione indiget, Rdo abbati

Alderspacensi provinciae vicario committit, ut habita ratione eorum qui plus minusve huiusmodi permissione indigent, quod in conscientia iudicaverit expedire concedit et permittat.

84. Praesens generale Capitulum attendens quod monasteria de Victoria in Carinthia et de Fonte Mariae prope Landstrass in Carniola longe distant a Rdo patre abbate de Villerio Bethnach suo patre immediato, nec ab eo visitantur a plurimis annis, unde trahunt occasionem eorum visitandorum Rmi Nuntii et episcopi. Ne quid tale in posterum accidat, vult et mandat in virtute salutaris obedientiae Rdo abbati Runensi provinciae vicario ut eadem monasteria Victoriae et Fontis Mariae visitet et reformet, ceteraque paternam iurisdictionem spectantia in iis exerceat in defectu paternae visitationis et ordinationis dicti abbatis de Villerio et sine illius praeiudicio.

85. Praesenti Capitulo generali expositum fuit quod in monasterio Sanctae Fidis in Arragonia, qui functi sunt abbatiali munere proximum post abbatem locum non tenent, ac supplicatum ut convenienter super hoc provideretur. Inde censuit idem generale Capitulum statuendum, prout statuit, ut qui huiusmodi abbatiali munere functi fuerint et absoluti ab eo proximum post abbatem locum iuxta tempus prioritatis vel posterioritatis sui regiminis teneant.

86. Praesens generale Capitulum gratiose concessit et concedit fratri Ioanni Daulx de Marcilia, monasterii B. M. de S. Fide, ut possit acceptare pensionem 50 aureorum, quam ipsius parentes illi assignare desiderant, ad prosequenda bonarum litterarum et artium studia atque etiam theologiae, mandans serio Rdo illius abbati pro tempore existenti ut dicta pensione ad hunc effectum impendenda illum gaudere sinat et permittat.

87. Praesens generale Capitulum petitioni Rdi abbatis et conventus monasterii SS. Crucium benigne annuens, etc. *ut supra.*

88. Visa humili petitione abbatis et conventus monasterii B. M. de Oliva in regno Navarrae pro accipiendis mutuo quatuor vel quinque millibus ducatis ut, solutis debitis oppidanorum de Carocastello, in quo iam spiritualem et temporalem habent iurisdictionem, absolutum dominium in eosdem oppidanos acquirant. Praesens generale Capitulum committit vicario provinciae ut constito sibi per debitam et iuxta Ordinis statuta faciendam informationem de utilitate acquisitionis praedicti dominii et mutuo accipiendis iisdem quatuor aut quinque millibus ad eiusmodi effectum petitam licentiam concedit, in plenaria Ordinis potestate, ita tamen ut acta, processusque et contractus omnes desuper faciendos una cum certificatione authentica, quod illae omnes pecuniae mutuo accipiendae ad id conversae fuerint, ad proximum generale Capitulum afferre seu transmittere et repraesentare teneantur.

IUDICES

89. Visa supplicatione R. D. Mathiae Durri, abbatis monasterii B. M. de Villerio Betnach, in dioecesi Metensi, qua Ordinis assistentiam in lite contra se per quemdam nobilem devolutarium moveri coepta, petit; praesens generale Capitulum statuit et diffinit, quatinus ipsi Rdo Mathiae abbati opportuno Ordinis remedio ad dictam litem per procuratorem [i] Ordinis tam in romana Curia quam in partibus ubi monasterium situm est, succurratur, ita ut eumdem procuratorem ab omnibus expensis, damnis et interesse immunem reddat et relevet. Quia vero multa, eaque gravissima eidem abbati imponuntur quibus passim apud provinciales diffamatur ad summum Ordinis dedecus et bonorum omnium scandalum, et quia pro his licet citatus, praesenti Capitulo non comparuit nec ullum procuratorem legitimum seu legitime fundatum pro excusatione ad ipsum transmisit, decernit idem generale Capitulum de his quae ipsi abbati imponuntur, exactissime informandum, ipsiusque informationis et punitionis sive correctionis negotium adm R. D. abbati Morimundensi, patri immediato, cum adiuncto sibi alio abbate committit quatinus, comperta impositorum criminum atque facinorum [j] veritate, omnibusque diligenter inspectis et consideratis pro eorum gravitate, quod iustum visum fuerit, audito Ordinis promotore, statuat et decernat in plenaria Ordinis potestate. Mandat praeterea dictum generale Capitulum in virtute salutaris obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis atque aliis arbitrariis dicto abbati Villariensi, ut memorato domino Morimundensi, commissario, in his quae statuerit super praemissis devote humiliterque pareat et obediat, eidemque domino commissario pro executione sententiae quam tulerit, in casu inobedientiae, brachium saeculare invocare et adhibere permittit et concedit.

90. Visa in praesenti Capitulo Rmi D. Cisterciensis concessione dilecto in Christo fratri Christophoro Schaffero [k] monasterii B. M. de Sancta Cruce in Austria professo, facta qua illi fit potestas ob nimiam oppressionem abbatis de S. Cruce, quam dum ibi degeret perpessus est, adeo ut fugam arripere coactus sit, idem generale Capitulum vestigiis litterarum Rmi D. Cisterciensis inhaerendo eumdem fratrem Christophorum ab eiusmodi fugae poenis absolvit, ipsique gratiose concedit ut in monasterio de Rhuna ad quod se recepit commorari libere et licite possit usque ad aliam dicti Capituli generalis ordinationem, in plenaria, etc.

91. Audita gravi querimonia contra Georgium [l] Westemberg, mo-

---

[i] promotorem : $A^2L^7L^8$. [j] *Hic habetur transpositio folii apud* A^2.
[k] Schastero : A^2, Schstero : L^7. [l] Sergium : L^7.

nachum Veteris montis apostatam, qui tertio usque apostatavit, fratresque suos ubique et praesertim in civitate Coloniensi diffamare non cessat cum magno domus atque adeo ipsius Ordinis scandalo; praesens generale Capitulum ordinat et mandat Rdo abbati dicti monasterii vel eius procuratoribus, ut eum apprehendat vel apprehendi faciat, per manus quascumque etiam iustitiae saecularis ac firmis carceribus graviter punitum detrudi faciat, in plenaria, etc.

92. Parochia Seligensis ad monasterium Veteris montis in ducatu Montensi sita, intercedentibus dominis saecularibus per abbatem illius collata fuit haeretico cuidam, quod gravissime ferens generale Capitulum, utpote contra sacros canones et Ecclesiae catholicae auctoritatem, provisionem desuper factam irritat, cassat et annullat, nulliusque roboris fuisse et esse declarat, mandans eidem Rdo abbati ut, amoto haeretico, alium catholicum dignum et capacem instituat et subroget quamprimum poterit, tam sua quam Ordinis auctoritate.

93. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum per Rdum abbatem de Lavaxio, quod frater Petrus Ferrer monachus monasterii SS. Crucium non habitus monachalis deponendi proposito aut voluntate, sed iusto timore perculsus propter gravia dissidia, quae tunc exercebantur in illo ante duos vel tres annos ad dictum Rdum abbatem Lavaxensem aufugerit, et ibi religiose conversatus fuerit, eumdem pro absolutione et ad monasterium reductione humiliter supplicantem exaudiendum esse censuit et absolvit a censuris, quas eiusmodi fuga incurrit, vultque et mandat Rdo abbati SS. Crucium, ut ipsum ad se reverenter accedentem in gremium suorum conventualium reducat, et paterne recipiat, et velut nihil tale acciderit, tractet.

94. Audita relatione et querimonia per promotorem super excessibus fratris Nicolai Du Tertre, et processibus et sententiis contra eum factis et latis tam per R. abbatem Claravallensem quam per Capitulum generale, et novissime per procuratorem Ordinis in romana Curia, praecipit et mandat Capitulum generale omnibus superioribus, abbatibus, prioribus et ceteris sibi subditis personis in virtute salutaris obedientiae, ut ipsum apostatam et vagabundum ubi potuerint, apprehendant vel apprehendi faciant, et ad monasterium Fonteneti deprehensum deducant strictis carceribus mancipandum, donec per R. abbatem Claravallensem, patrem immediatum, contra eumdem procedatur, ut debitis poenis per omnes iuris et iustitiae vias coerceatur expensis praedicti monasterii de Fonteneto, in plenaria, etc.

95. Viso processu et sententia contra fratrem Nicolaum Godin, monasterii de Fonteneto expresse professum, per R. abbatem Claraevallensem, patrem immediatum, et testimonio authentico religiosorum monasterii de Claromonte ad quod translatus fuerat, de ipsius reci-

divatione in apostasiam et furta praecipit et mandat, etc. prout superius.

96. Sententias a Rmo D. N. Cisterciensi et eius commissariis latas adversus fratres Edmundum Moreau et Claudium Boulandet, monasterii B. M. de Valle lucenti religiosos expresse professos, de variis criminibus accusatos et sufficienter convictos super perpetua et ad vitam eorumdem a praedicto monasterio relegatione, tamquam iustam et legitimam praesens generale Capitulum laudat, approbat et confirmat, volens eam plenum et integrum suum effectum sortiri; committit insuper Rdo D. abbati de Morimundo ut diligenter examinatis in supplicatione praesentibus annexa comprehensis, ad ulteriorem punitionem, videlicet ab Ordine eliminationem si ita videbitur, procedere valeat in plenaria, etc.

97. De sorore Carlotta de Stainville, alias de Pouilly dicta, monasterii de Colongiis in Lingonensi dioecesi, moniali praesenti Capitulo generali relatum est quod ante religionis ingressum corrupta, secutis inde puerperiis duobus, fuerit, votum benedicente praelato ad id licentiam a quo debuerat non habente invita emiserit, quo die in contemptum tam solemnis actus, aurigae cuidam sese prostituit et in incontinentia lasciviaque insorduerit, ita ut etiam post emissum votum pepererit et aliqua pocula fetui noxia sumpserit, nunquam obediens matri, neque ipsi venerabili abbatissae, sed indevota et rebellis ac incorrigibilis semper extiterit, religionem monasticam exosa, saecularem vitam et nuptias dumtaxat respirans et alia eiusmodi flagitia commiserit, quae summo cum horrore et detestatione omnium patrum recensita fuere in eodem generali Capitulo. Super quibus omnibus SS. D. N. seu Sacram Regularium Congregationem consulendos et interim dictam sororem Carlottam carceribus detinendam esse censuit.

98. Cum dilectus in Christo frater Edmundus Tiraquellus, Cistercii religiosus, post fidelem et indefessam in tuendis apud romanam Curiam nostri Ordinis iuribus et privilegiis, reformandisque nostris in Italia monasteriis per integrum septennium navatam operam, demum in praesenti Capitulo, ut propter aeris ipsi minime convenientis intemperiem, et nonnullas alias causas, a procuratoris generalis officio absolveretur, instanter humiliterque petierit, quod ipso Capitulo diu multumque renitente tandem obtinuit. Idem Capitulum generale de profunda eximia multiplicique eius doctrina sibi per rigorosum examen *etc. ut supra* n° 29.

EXCUSATIONES ABBATUM

99. Rdus abbas Alnensis per suum priorem; abbas Vallis Sancti

Lamberti ; de Charitate prope Lesinas ; de Bullione ; de Jardineto ; de Varennis ; de Braydelar ; Campi Mariae ; Hardehausensis ; Cellae Dei ; Cellae principum ; de Valle ; Caesariensis ; R. abbas in Stamps ; Maris Stellae ; de Longo villari ; de Lanvaux ; de Langonnet ; Saleminatus ; de Irancio ; SS. Crucium ; de Regali ; de Oliva ; de Aureavalle ; abbates omnes regni Navarrae ; Altae sylvae ; de Marcilla ; Vallis Mariae ; S. Ambrosii ; de Grandi prato ; de Boneffia ; prior de Pieterpot ; de Sancta Fide ; Sancti Urbani ; de Novocastro ; de Surtzebron ; de Vallibus in Ornesio ; de Insula ; de Valle B. Mariae ; de Clarofonte ; de Bellavalle ; de Vetericampo ; de Veterimonte ; de Bona aqua.

SUFFRAGIA

100. Singularem et eximiam Illmi et Rmi in Christo patris et domini D. Petri Manriquez, archiepiscopi Caesaraugustan. erga sacrum Ordinem Cisterciensem benevolentiam et propensionem multis in rebus perspectam debita animi gratitudine testatam facere, illiusque in posterum patrocinium ac tutelam magis ac magis promereri cupiens, praesens generale Capitulum de Omnipotentis Dei misericordia confidens omnium bonorum spiritualium, divinorum officiorum, *etc. ut in forma consueta.*

101. In eadem forma collata est participatio suffragiorum domino Mazio vicepraesidi concilii privati, et domino Malinaco praesidi camerae rationum in Belgio, ad petitionem abbatis de Nizella. Item, domino de Cretot confirmata fuit a generali Capitulo quam ei antea contulerat Rmus D. N. Cisterciensis generalis.

102. Item, pro domino Vilet consule Helvetici foederis Friburgensis.

CONTRACTUS

103. Viso et diligenter examinato contractu permutationis membri vocati de Layel cum altero membro de la Perrière nuncupato, factae inter dominum commendatarium Bonaevallis in dioecesi Viennensi, ex una, et dominum ac magistrum nobilem Melchiorem de Tillion [m], consiliarium regium et procuratorem ipsius generalem in supremo Delphinatus senatu ex altera partibus, anno Domini 1613 die 15 aprilis per Iaceon notarium recepto, praesens generale Capitulum diligenter considerata utilitate quae praedicto monasterio ex huiusmodi contractu proveniet eumdem approbat et confirmat, in plenaria, etc.

104. Contractum emphyteuticum inter abbatem et conventum

[m] Fillion : A^2.

Clariloci ex una, et Petrum Martin Nanceyi commorantem ex altera partibus, super quadam domuncula Nancey in vico Potemae sita, initum et ab adm R. abbate Morimundi approbatum tamquam utilem ipsi monasterio de Claroloco praesens generale Capitulum ratificat et confirmat iuxta conditiones et clausulas in eo appositas, volens ut plenum in omnibus sortiatur effectum.

105. Veu le contract d'autre part escrit et ouy sur iceluy le rapport des examinateurs deputez à cet effet concluans que ledit contract est au plus grand bien, profit et utilité dudit monastère de la Charmoye, le Chapitre général confirme et ratifie iceluy contract por sortir son plein et entier effect selon sa teneur.

106. Visum et diligenter examinatum contractum inter venerabiles patres Societatis Iesu collegii de Sagitta, alias de la Flèche ex una, et dilectos nobis filios priorem et conventum B. M. de Bellabrancha ex altera partibus,initum super divisione,seu sequestratione mensae abbatialis pro parte dictorum venerabilium patrum a mensa conventuali memorati conventus in bonis immobilibus praedicti monasterii, eumdem velut transactum in maiorem utilitatem, etc. confirmat, etc.

107. Viso et diligenter examinato contractu inter abbatem et conventum monasterii de Altofonte in dioecesi Cathalaunensi ex una, et Nicolaum Villet [n] ex altera partibus, inito super permutatione cuiusdam domus in oppido Sancti Desiderii consistentis facta cum triginta iugeribus terrarum arabilium, observatis omnibus et singulis formis et solemnitatibus in huiusmodi adhiberi consuetis, quibus constat praedictum contractum in magnam ... utilitatem, etc. confirmat.

108. Viso contractu inter abbatem et conventum de Barzella, in dioecesi Bituricensi ex una, et Sylvanus Pieron [o] ex altera partibus, inito super emphyteosi cuiusdam grangiae et horti cum appenditiis, adhibita primum informatione debita cum ceteris solemnitatibus in huiusmodi solitis super commodo vel incommodo, prout constat et sententia ipsiusmet officialis per dictum Pieron requisiti, cumque praedictus contractus in magnam utilitatem, etc. confirmat, etc.

109. Contractum emphyteosis inter commendatarium et conventum B. M. de Voto, in dioecesi Rothomagensi, ex una, et dominum Carolum Bontien consiliarum regium in supremo Rothomagensi senatu, ex altera partibus initum, praeviis omnibus et singulis formalitatibus, *etc. ut supra.*

110. Viso contractu inter R. abbatem venerabilesque religiosos priorem et conventum B. M. de Morimundo in dioecesi Lingonensi, ex una, et habitatores de Senaida ex altera partibus, inito pro renova-

---

[n] Gillet : A^2L^8. [o] Pierin : L^8.

tione et continuatione cuiusdam emphyteosis quarumdam terrarum vulgo Andoveure nuncupatarum, cum clausulis ibidem plene contentis, praesens generale Capitulum ... confirmat.

111. Contractum inter collegium S. Bernardi Parisiis ex una, et ecclesiam S. Nicolai in Cardineto ex altera partibus initum pro venditione seu alienatione perpetua cuiusdam partis horti ipsi ecclesiae S. Nicolai adiacentis in augmentationem, amplificationem et decorationem eiusdem ecclesiae, accedente permissione et consensu Rmi D. Cisterciensis et aliorum RR. quatuor primariorum, et constet pecunias ex huiusmodi venditione seu alienatione perpetua provenientes in maiorem eiusdem collegii utilitatem cedere, praesens generale Capitulum laudat, approbat et confirmat.

112. Contractum permutationis unius peciae terrae arabilis spectantis ad monasterium Clariloci, in dioecesi Tullensi, cum quadam domo in pago de Villet prope Nanceyum pertinente ad Petrum Martin, Nanceyi commorantem, initum inter partes et ab admodum R. D. Morimundensi approbatum tamquam utilem et commodum ipsi monasterio, quod habet vicinas aedes minus sufficientes ad habitationem sui villici ... approbat, etc.

113. Visa supplicatione domini commendatarii monasterii de Bello prato, quatinus sibi facultas fiat redimendi et reuniendi feudi de Planche iam antea venditi et alienati ex ipso monasterio de Belloprato, petentis ad eum effectum facultatem vendendi de novo domum iam antea alienatam in urbe Belvacensi sitam, quod inde speret ex maiori pretio secundae huius venditionis se recuperaturum praedictum feudum et ex eius feudi recuperatione proventurum monasterio magnam utilitatem, nempe annuum redditum ducentarum, dicta facultas vendendi dicta feudum et domum iam antea alienatam. Committitur autem R. abbas de Loco Dei, vicarius in provincia Picardiae, ut sedulo advertat ne praetextu dictarum venditionis et redemptionis aliquod damnum monasterio inferatur.

114. Contractum venditionis cuiusdam molendini dicti de Pratis inter religiosos abbatem et conventum monasterii B. M. de Molinis, in dioecesi Namurcensi, ex una, et honorabilem virum Philibertum Tournay ex altera partibus initum in finem redemptionis annuorum reddituum quibus praedictum monasterium multum gravabatur a vicario provinciae primum, deinde a S. Sede Apostolica approbatum, cum in evidentem ipsius monasterii utilitatem cedat, praesens generale Capitulum laudat, etc.

115. Nous, frère Nicolas Boucherat, et les autres Diffiniteurs du Chapitre général, qui ont eu la communication de l'ordonnance de la Cour de la Requette et contract compulsé par Monsieur Jeannin, conseiller du roy en son conseil d'État, ledit contract en datte du septième

février dernier passé entre les sieurs abbé et monastère de laBoucière, sommes d'advis que ledit contract du 7 février est frauduleux, collusoir, soit qu'il soit pris en sa forme, soit qu'il se considère en sa substance, impliquans l'un et l'autre diverses fraudes et collusions ainsi que laditte Cour pourra trop mieux recognoitre même que l'intention des contractans paroist n'avoir été autre que d'esgarer la matière, affin de retenir indirectement et par voyes obliques ce que directement et juridiquement ils ne pouvoit faire. Pourquoi lesdits abbé de Cisteaux et Diffiniteurs sont d'advis et requièrent sauf le bon plaisir de la Cour, que sans avoir égard et s'arrester au susdit contract du 7 février l'abbé commendataire retirera et réunira à sa mense la metairie de Morgeot circonstances et dependances, dans trois mois ou tel autre terme, qu'il plaira à ladite Cour arbitrer, à la charge que suivant la clause speciale de l'edit, elle sera declarée, inseparablement reunie, si non et au cas que ledit abbé, religieux et convent n'eussent les moyens de subvenir aux frais de laditte réunion, en ce cas qu'il soit dit que l'on aura egard à la requeste et civilité des offres dudit sieur Jeannin, et que laditte metairie de Morgeot, circonstances et dependancex sera vendue au plus offrant et dernier enchérisseur et les enchères mises sur le pied des offres portées par la requeste dudit sieur Jeannin, à la charge que la plus vallus et les derniers revenans bons seront remployez au rachapt des autres alienations les plus commodes à laditte abbaye, et ce jusqu'à la concurrence du prix de l'estrousse [p] et adjudication.

116. Audita relatione RR. abbatum in examen contractuum deputatorum, examinatis omnibus et maxime quod contractus venditionis initus, praevia commissione R. D. Cleraevallis et informatione super commodo et incommodo, inter religiosos et conventum monasterii de Cheminione, in dioecesi Cathalaunensi, ex una, et Claudium Souchamps ex altera partibus, de domo sita in vico de Cheminone cum appenditiis suis cedat in maximam utilitatem et commodum praedicti monasterii ... confirmat.

117. Accepto testimonio RR. abbatum examini contractuum deputatorum quod contractus venditionis cuiusdam domus aliquo modo dirutae, inter religiosos et conventum de Caladia ex una, et Henricum Jens mercatorem de Varennis ex altera partibus, praeviis commissione et informatione necessariis, cedat in maximam ... *ut supra.*

118. Viso contractu erectionis pagi de S. Bernardo inter Rmum D. N. et venerabiles priorem et conventum monasterii celeberrimi Cisterciensis ex una, et Claudium Lefebvre ex pago dicto La Berlière in ballivatu Vitrey le François oriundum, commorantem apud Rodelach vicu Lotharingiae et septem alios praesentes et plurimorum alio-

---

[p] la controusse : A^2.

tum absentium nomine acceptantes, mille et trecenta prope iugera sylvae in naturam terrae arabilis, vel pratorum aut vinearum, intra quindecim annos convertenda, ex altera partibus, initum die ultima mensis octobris anni Domini 1608 et secunda maii praesentis anni 1613, sub clausulis et conditionibus in eo contentis, praesens generale Capitulum debite per suos contractuum examinatores informatum, quod eiusmodi erectio et contractus desuper initus in evidentem, etc. confirmat, *etc.*

119. Viso contractu erectionis pagi de Sancto Nicolao inter Rmum D. N. et venerabiles priorem et conventum celeberrimi monasterii Cistercii ex una, et Iacobum le Clerc de Verpel, in ballivatu Vitrey le François oriundum, et octo alios praesentes et plurimorum aliorum nomine acceptantes duo millia et trecenta prope iugera sylvae in naturam terrae arabilis vel pratorum aut vinearum infra quindecim annos convertenda, ex altera partibus, inito die ultima mensis octobris anni 1608 ... etc. *ut supra.*

120. Viso contractu erectionis pagi de Crespy inter Rmum D. N. et venerabiles priorem et conventum celeberrimi monasterii Cistercii ex una, et Ioannem Daga ex parvo Villario in Lotharingia, et alios plures ibi nominatos ex altera partibus, quarum aliqui absentes fuerunt, pro quorum et suo nomine acceptarunt antiquum circuitum grangiae de Crespy prope monasterium S. Margaretae in ballivatu de Belna cum territorio pendente, ex ea nonnullis exceptis, et mille iugera sylvarum in naturam terrae arabilis convertendarum, inito die 14 mensis maii anno Domini 1612, etc. *ut supra.*

121. Unionem monasteriorum monialium B. M. de Tardo, de Molezia et de Loco Dei, in Lingonen. Cabilonen. et Eduen. respective dioecesibus in Capitulo generali anno Domini 1605 fieri decretam, cuius executio Rmo D. N. Cisterciensi, earum patri immediato, fuit relicta, praesens generale Capitulum privilegiis a SS. Pontificibus Ordini concessis inhaerendo, ratificat et confirmat, volens ut plenum effectum sortiatur, committensque reverenter eidem Rmo D. ut illius executionem per omnes iuris et iustitiae vias, adhibito, ubi opus erit, Ordinis syndico, procuret, in plenaria, etc.

122. Visa et considerata supplicatione abbatissae et conventus monasterii de Nazareth, hic annexa, Capitulum generale committit RR. abbatibus de Bodelo et Nizella ut coniunctim se informent super necessitate alienationis sex peciarum terrae quam praedictae abbatissa et religiosae et conventus desiderant et intendunt facere pro reparatione sui monasterii, et si de huiusmodi alienationis necessitate eis, post debitam et iuxta Ordinis statuta faciendam informationem, constiterit, eorum conscientiam desuper onerando, licentiam et facultatem ad eam alienationem necessariam et opportunam abbatissae et

conventui praesentis auctoritate Capituli generalis concedant, ita tamen quod generali Capitulo processum, acta instrumenta et contractus omnes, qui desuper initi fuerint, transmittere teneantur cum certificatione et declaratione authentica quod pecuniae et huiusmodi ex alienatione provenientes in reparationem praedictam conversae fuerint.

123. Visa et considerata supplicatione abbatissae et conventus monasterii de Camera hic annexa, Capitulum generale committit RR. DD. abbatibus de Villario et de Nizella in dioecesi Namurcensi, ut coniunctim se informent super in praedicta supplicatione contentis, et si post debitam et iuxta Ordinis statuta faciendam informationem dicto monasterio de Camera utilem repererint, licentiam et facultatem, *etc. ut supra.*

124. Cum pro parte Rdi abbatis et conventus monasterii B. M. de Sancta Fide, in dioecesi Caesaraugustana, praesenti Capitulo expositum sit, quod aliqua bona suorum Maurorum monasterii vasallorum erant in partibus regalibus et extra terminos locorum ipsius monasterii sibi a catholica Maiestate fuerint tradita et concessa, ea tamen conditione ut intra triennium eadem per dictos abbatem et conventum dividerentur, nec possent amortizari ; eapropter supplicaverint eidem Capitulo, ut huiusmodi bona alienare et in utilitatem monasterii convertere liceret. Praesens generale Capitulum attendens quod ab Illmo et Rmo archiepiscopo Caesaraugustano facta informatio de commodo ex venditione proventuro a R. D. abbate de Populeto confirmata fuit, tenore praesentium concedit et permittit petitam venditionem fieri, dummodo pretium inde proveniens ad maiorem monasterii utilitatem impendatur, cuius necnon contractuum desuper faciendorum certificatorias litteras ad proximum sequens generale Capitulum afferre aut transmittere teneantur, tam dictus abbas quam conventus volens ex nunc prout ex tunc idem Capitulum dictos contractus inde faciendos plenarium effectum suum sortiri, nec per ullas dicti monasterii aut alias Ordinis personas ullo unquam tempore iisdem contraveniri.

125. Contractum quemdam ad devoti monasterii de Portu regali utilitatem unitum inter venerabilem abbatissam et conventum eius loci ex una, et ... *(locus vacuus)* ex altera partibus, audita relatione RR. abbatum examinatorum, confirmandum esse censuit praesens generale Capitulum.

LITTERAE SEU MISSIVAE

126. Ad invictissimum potentissimumque Philippum III, Hispaniarum regem catholicum.

Augustissime, potentissime atque invictissime Rex !

Cum in votis nihil magis habeamus quam ut sacrae catholicae Maiestatis vestrae mandatis et perinsigni erga monasteriorum Cisterciensis Ordinis, quae in suis regnis consistunt, conservationem et reformationem, zelo quantum in nobis est, respondeamus ; ideo nos in Capitulo generali Cistercii habito omnium unanimi consensione et summa animorum promptitudine tandem post diligentem et maturam deliberationem in eam resolutionem devenimus, ut ad Omnipotentis Dei gloriam et B. M. Virginis singularis Ordinis nostri protectricis et patronae honorem, una omnium monasteriorum nostri Ordinis in regnis Arragoniae, Valentiae, Maioricarum, principatu Cathaloniae, et etiam in Navarrae regno constitutorum, ne huius postremi regni monasteria quae quinque sunt et non plura, sola ac divisa remaneant, congregatio erigatur, absque tamen praeiudicio, uti S. C. Maiestas Vestra per suas litteras dignata est polliceri, iurisdictionis et superioritatis domini abbatis generalis Cisterciensis et Capituli generalis et quatuor primorum abbatum ; et quia antequam praedictae congregationis per nos decreta erectio executioni ad plenum demandari possit, certae conditiones circa abbatum perpetuitatem et etiam circa ius praesentationis regiae in aliquas earum, et alia nonnulla cum S. C. Maiestate Vestra communicandae et resolvendae nobis visae sunt; propterea dedimus in mandatis devotis et dilectis nobis in Christo fratribus abbati de Lavaxio et Sebastiano Bonfil priori et administratori monasterii de Scarpa, de quorum prudenti diligentia et zelo in huius negotii tractatione nobis satis superque constitit, ut iuxta Capituli generalis mentem et intentionem eis datam apud S. C. Maiestatem Vestram super omnibus benignam resolutionem procurent, agentes interea eidem S. C. Maiestati Vestrae immortales et quas animus potest concipere gratias pro ea et tanto monarcha digna sollicitudine, cura et protectione qua res sacri nostri Cisterciensis Ordinis istic hucusque clementissime complexa est, et ut in posterum pari patrocinio ac tutela sibi commendatas habere dignetur, humillime deprecantur. Pro gratia et beneficio Deum assiduis et per universum Ordinem fundendis precibus oraturi ut S. C. Maiestas undequaque felicem, gloriosam et de inimicis crucis Christi triomphantem reddat. Ex diffinitorio nostro apud Cistercium die decima mensis maii 1613. Sacrae Catholicae Maiestatis Vestrae, humillimi et devotissimi capellani et servi : fr. Nicolaus Boucherat, ceterique Diffinitores Capituli generalis.

127. Ad serenissimum principem Albertum, archiducem Austriae, ducem Brabantiae, etc.

Serenissime Princeps !

Religiosi Hyberni Cisterciensis nostri Ordinis patribus in praedicto Capitulo congregatis retulerunt quomodo serenissimae Celsitudinis Vestrae pietas eis in Academia Duacensi collegialiter commorandi partem fecerit, ubi per Dei gratiam aliquos iam progressus fecerunt, esse in omni genere pietatis et studiorum exercentes ad eum finem, ut aliquando in patriam reverterentur, ibi laborent in vinea Domini et a fide aberrantes suis praedicationibus ad obedientiam et gremium Sanctae Matris Ecclesiae reducere valeant. Verum quia patria et propriis sedibus pulsi magis paupertatis premuntur angustiis, propterea praesens generale Capitulum ad S. C. V.

benignam clementiam recurrendum existimavit, demisse ei supplicando ut praedictorum Hybernorum pios conatus commendatos habere, eisque solitae suae insignis erga pauperes liberalitatis subsidium et patrocinium impendere dignetur, factura in eo rem Deo gratam et perpetuis totius Cisterciensis Ordinis pro S. C. V. diuturna prosperitate precibus promerendam.

Ex diffinitorio nostro apud Cistercium, die 11 maii 1613. Serenissimae Celsitudinis Vestrae humillimi ac devotissimi oratores : fr. Nicolaus Boucherat, abbas Cisterciensis generalis, ceterique Diffinitores Capituli generalis.

De mandato praedict. domin. fr. Ioannes Martinna abbas Clariloci, fr. Ioannes Foucart abbas Nizellensis, notarii Capituli generalis.

128. Ad sacratissimum, augustissimum et invictissimum Caesarem. Sacratissime... etc. Domine, Domine Clementissime !

Cum in Badensi marchionatu monasterium monialium de Lichtental, Cisterciensis Ordinis, situm reperiatur multis iuribus, privilegiis et immunitatibus a SS. Romanis Pontificibus et Sac. Caes. Maiestatis Vestrae praedecessoribus Augustissimis Imperatoribus, multisque sac. rom. imperii principibus dotatum, et inter alia ius patronatus et nonnullas parochias, praebendas et beneficia ecclesiastica in locis temporali Illmi principis ac D. D. Georgii Friderici Badensis marchionis iurisdictioni subiectis, ab omni antiquitate dictis monialibus competat et usque in hodiernum diem in quieta et pacifica possessione in dictis parochiis, praebendis et beneficiis catholicos pastores constituendi extiterint, et propterea super praedicto iure patronatus a nemine perturbari aut inquietari debuerint. Nihilominus non ita pridem, sicut magno animi moerore intelleximus, quidem ex dicti Illmi Marchionis officiariis praemissorum considerationem minime habentes a dictis parochiis, praebendis et beneficiis catholicos sacerdotes et pastores de facto expulerint, in eorum locum alterius religionis praedicatores et ministros subrogando, ac praeterea monialibus praedictis inhibuerunt, ne sine ipsius Illmi principis Marchionis consensu et licentia novitias ad habitum religionis reciperent, aut confessarium vel visitatorem Ordinis admitterent, quae omnia cum libertati ecclesiasticae et S. R. Imperii constitutionibus et concordatis directe adversentur, et in grave ac notorium monasterii et Ordinis praedictorum praeiudicium vergant, ideo ad S. C. Maiestatis Vestrae clementiam et patrocinium recurrimus humillime ei supplicantes ut illa tamquam supremus monasteriorum patronus imminentem praedicti monasterii de Lichtental, in quo adhuc quadraginta moniales optime et in summo regularis observantiae rigore viventes degunt, ruinam avertere et Suae Caesareae Maiestatis auctoritatem interponere apud praedictum Illmum principem Marchionem dignetur, quatinus suis officiariis serio mandet, ut ab omnibus molestiis et perturbationibus supra memoratis abstinentes et praefatas moniales in suis iuribus et eorum pacifica possessione relinquentes illas in praedictis parochialibus praebendis et beneficiis ius patronatus sui monasterii spectantibus catholicos pastores, sicut hactenus fecerunt, aliis inde amotis, constituere, novitias et confessarium ac Ordinis superiores habere, recipere et admittere sinant et permittant ; in quo praestabit S. C. Maiestas Vestra rem Deo acceptissimam, S. C. M. clementia et pietate dignissimam, et totum Ordi-

nis nostri precibus ad Deum pro illius diuturna prosperitate et conservatione fundendis promerendam.

In diffinitorio nostro die 6º mensis maii 1613. S. C. M. Vestrae humillimi capellani et servi : fr. Nicolaus Boucherat generalis Cisterciensis, ceterique Diffinitores Capituli generalis. De eorum mandato fr. Ioannes Martinna abbas Clariloci, fr. Ioannes Foucart de Nizella, abbates notarii.

129. Ad Rmum et Sermum Principem D. D. Maximilianum archiducem Austriae.

Rme et Serme Princeps ac Domine D. Patrone nobis clementissime !

Cum in Badensi ... etc. ut supra usque ad illud verbum : Ideo ad S. V. clementiam, etc. ut in litteris ad Imperatorem.

130. Scriptae sunt etiam super eodem negotio litterae ad ducem Bavariae, excepto quod titulus illius sit talis : Serenissime Princeps ac Domine D. Patrone nobis clementissime !

131. Scriptae sunt etiam litterae ad Illmum et Rmum D. D. Archiepiscopum Caesaraugustanum, ad episcopos Uticensem et Celsonensem, quorum unus de Rota, alter de Berola monasteriorum nostrorum in Arragonia abbates existunt ; idque super negotio erectionis congregationis in regnis Arragoniae, Valentiae, Navarrae, Maioricarum nec non in principatu Cathaloniae.

132. Aliae quoque plurimae ad varios Hispaniarum abbates Populetanum, de Petra, de Sancta Fide, de Oliva, SS. Crucium, super eadem materia.

133. Variae quoque scriptae sunt ad RR. abbates Germaniae.

134. Ad [q] Illmum et Rmum cardinalem de la Rochefoucault.

Illustrissime ac Reverendissime Domine D. Patrone nobis colendissime ! Nobis hic in Capitulo generali congregatis retulit abunde procurator generalis Tiraquellus, quanta animi propensione et constantia Illustrissima Dominatio Vestra apud SS. D. N. et Sanctam Sedem Apostolicam res Ordinis nostri complectatur ; unde non mediocri omnes perfusi gaudio peringentes Deo, eiusque Virgini Matri, ad cuius honorem noster Ordo ab initio dignoscitur institutus gratias peregimus, nobisque ipsis plurimum gratulati sumus, quod bonitas divina benignis oculis eiusdem Ordinis nostri necessitates aspiciens tantum ac talem nobis protectorem ac patronum concessisset. Speramusque et certo nobis pollicemur ea quae ad universalem ac seriam nostrae religionis reformationem regularisque observantiae restitutionem, in praesenti generali Capitulo inspirante Deo sancte decernimus, licet iniqua praesentium temporum conditio proficuam eorum executionem multis fore minime cogitatis difficultatibus implicatura non absque causa timeatur, patrocinio nihilominus auctoritate et favore Illmæ D. V. felicem et quam possumus et debemus optare successum habitura. Statuimus inter alia ut una omnium diffinitionum Ordinis ab illius initio ad haec usque tempore nostra conditarum generalis et absoluta compilatio fieret, ut iis postmodum impressis et superiores et inferiores inde rectam religiose vivendi et Deo vota sua reddendi rationem colligere ac reti-

[q] *Epist. abbrev. apud* L^8.

nere queant ; visum etiam nobis fuit ut pro bono regiminis et reformatione monasteriorum Cisterciensis Ordinis nostri, quae in regnis Arragoniae, Valentiae, Maioricarum, Navarrae et principatu Cathaloniae consistunt in unam congregationem reducerentur, et etiam idem fieret de monasterio S. Salvatoris de Monteamiato et reliquis in Statu ecclesiastico sitis. Sed ad *Breviarium* et officium Ordinis mutandum, et in illius locum aliud accipiendum nulla ratione adduci potuimus propter infinitos et incredibiles sumptus librorum de novo emendorum, et etiam propter confusiones et alias inconvenientias, quae huiusmodi officii mutatio certo certius generaret. Porro patrem Tiraquellum ab officio procuratoris generalis ob aeris istic sibi multum adversantem excusari cum magna instantia postulantem, tandem, licet aegre, exaudivimus et absolvimus, alio in eius locum subrogato, qui prope diem ad Urbem profecturus de praedictis et aliis in hoc generali Capitulo peractis rationem reddet Illmae D. V., quam ut solitum suae protectionis praesidium et favorem Ordini nostro benigne impertiri, cumque et nos omnes commendatos habere dignetur, debita animi submissione rogamus, Deum propterea assidue oraturi, ut Eam diutissime incolumem conservet.

Cistercii in diffinitorio Capituli die 16 mensis maii 1613.

Illmae et Rmae D. V. humillimi et devotiosimi oratores.

Superscriptio : Illmo et Rmo D. D. Patrono nobis colendissimo Domino Francisco tituli S. Calixti S. R. E. cardinali de la Rochefoucault nuncupato, sacri Cisterciensis Ordinis protectori. Roma.

Pro copia : fr. Ioannes abbas Clariloci, fr. Ioannes Foucard abbas Nizellensis, notarii Capituli generalis.

COMMISSIONES

135. Rmus D. N. superiorem Germaniam, Bohemiam, Poloniam et Italiam visitandas suscepit.

136. Adm Rdus abbas de Firmitate Sabaudiam, Delphinatum et provinciam Provinciae visitabit.

137. Adm Rdus abbas de Pontigniaco Biturgium et utramque Marchiam.

138. Adm Rdus abbas de Claravalle Aquitaniam, Vasconiam, Linguam occitanam, Ruthinium et adiacentes provincias.

139. Adm Rdus de Morimundo Britanniam, Normanniam, Andegaviam, Carnotensem patriam, Belgium, Lotharingiam, inferiorem Germaniam ad Tractum Rheni et patriam Leodiensem visitabit. Quod si Belgii visitationi incumbere non poterit, Rmus D. N., habita illius excusatione, alium commissarium subrogabit.

VICARII ET SYNDICI PROVINCIARUM

140. *In Parlamento Parisiensi.* Vicarius ... *(locus vacuus) ;* procurator : D. Magister noster fr. Edmundus Tiraquellus in eodem Parlamento et universa Gallia procurator generalis.

141. *In districtu Parlamenti Tholosani, non comprehensis tamen monasteriis magistro nostro Sensac commissis.* Vicarius : Mr N. D. Petrus Garrice Bolbonae prior. Syndicus : Mr N. D. Bernardus Monsegut.

142. *In Parlamento Burdigalensi.* Vicarius : Mr N. D. Bernardus Monsegut. Syndicus : fr. Nicolaus Mare prior Flarani, substitutus ipsius D. Bernardi.

143. *In provincia Bituricensi, Borbonio et utraque Marchia Lemovicen.* Vicarius Mr N. D. Michael Tartier, s. th. pr. Syndicus : prior Oliveti.

144. *In comitatu Arverniae.* Vicarius : Des Vallibus, prior Montis petrosi. Syndicus : Bernier, prior Mansiadae.

145. *In Delphinatu.* Vicarius : R. D. Petrus Freriau abbas Leoncellae. Syndicus : Lequirand prior Bonaevallis.

146. *In provincia Provinciae.* Vicarius : fr. Claudius de Condé rector Avenionensis. Syndicus : fr. Stephanus Devoyot prior de Sinaqua.

147. *In utraque Pictavia.* Vicarius : fr. Jean Royer prior de Castellariis. Syndicus : fr. Renard prior Gratiae Dei.

148. *In Britannia,* Vicarius : Rdus abbas de Villanova. Syndicus : prior de Begario.

149. *In Normannia, Cenomania, Andegavia et Turonia.* Vicarius : Rdus abbas de Strata. Syndicus : prior de Voto.

150. *In Picardia.* Vicarius : Rdus abbas de Loco Dei. Syndicus : prior de Belloprato.

151. *In comitatibus Bryae et Campaniae.* Syndicus : fr. Veranus Forme prior Trium fontium.

152. *In comitatu Burgundiae.* Vicarius : Rdus abbas Trium regum. Syndicus : fr. Valentinus Pastel prior Cariloci.

153. *In ducatu Luxemburgico.* Vicarius : Rdus abbas de Aureavalle.

154. *In ducatu Sabaudiae.* Vicarius : Rdus abbas de Stamedio.

155. *In superiori Germania, Helvetia.* Vicarius : Rdus abbas Salemitanus.

156. *In Bohemia et provinciis incorporatis Silezia, Moravia, Misnia, etc.* Vicarius : Rdus abbas Aulae regiae.

157. *In Austria, Styria, Carinthia et Carniola.* Vicarius : Rdus abbas de Runa.

158. *In Bavaria.* Vicarius : Rdus D. Michael abbas in Alderspach.

159. *In Franconia.* Vicarius : Rdus abbas Eberacensis.

160. *In inferiori Germania, Westphalia et ad Tractum Rheni.* Vicarius : Rdus abbas Campensis usque ad adventum commissarii continuatur

161. *In regno Navarrae.* Vicarius : Rdus abbas de Oliva.

162. *In corona Arragoniae* : Vicarius : Rdus abbas de Rota.

163. *In utraque Polonia et Prussia.* Vicarius : Rdus abbas Landensis, cui substituitur Rdus abbas de Wancozko.

164. *In Hybernia.* Vicarius : Rdus abbas Clarifontis.

165. *Vicariatus regni Arragoniae.* — Cum praesens generale Capitulum ad requisitionem et commendationem S. S. Maiestatis Catholicae consenserit et decreverit, ut una omnium monasteriorum dicti Ordinis in regnis Arragoniae, Valentiae, Maioricarum, Navarrae et principatu Cathaloniae consistentium, congregatio fieret ; verum in negotio tanti momenti nonnul-

lae difficultates emerserunt, super quibus S. C. Maiestatis auctoritas foret consulenda ; ne interea praedicta monasteria superiore et vicario generali destituta manerent, dictum praesens generale Capitulum de Rmi in Christo patris domini Ioannis Hugarte, Uticensis antistitis, abbatis monasterii B. M. de Rota dicti Ordinis in Caeseraugustana dioecesi, zelo, discretione et prudentia in Domino confidens, eum in vicarium generalem... etc. ut in aliis.

166. *Vicariatus Bohemiae.* — Praesens generale Capitulum providere cupiens ne monasteria regni Bohemiae, Moraviae, Sylesiae, Misniae et adiacentium provinciarum eidem regno unitarum propter vicarii defectum gravia incurrant incommoda, prout alias compertum est, cum de Rdi P. D. Georgii Urat, Aulae regiae abbatis religiosa conversatione, eximiis virtutibus, necnon doctrina singulari et ferventi conservandi sacri Ordinis zelo et desiderio informatum, eumdem Rdum D. Georgium abbatem suum et totius Ordinis in dicto regno et memoratis provinciis creat et constituit vicarium, dando illi auctoritatem et facultatem quoties sibi expedire in illis partibus existenti, ibique secundum Dei et sacrorum conciliorum maxime Tridentini decreta, Summorum Pontificum constitutiones, Capitulorum praecedentium et Ordinis instituta, in capite et in membris, emendandi, corrigendi, puniendi, instituendi, destituendi ... etc. ut in similibus commissionibus.

167. Continuatio [r] vicariatus R. D. Hieronimi Holle abbatis monasterii Eberacensis. Item, R. D. Roberti Henrion abbatis de Villari. — Item, vicariatus R. D. abbatis de Oliva. — Item, vicariatus de novo fuit expeditus R. abbati de Alderspach [s]. Sic signatum : fr. Ioannes Martinna abbas Clariloci, notarius Capituli generalis.

1618

INDICTIO CAPITULI GENERALIS
ad diem 14 maii 1618.

A) Nos, frater Nicolaus Boucherat, abbas Cistercii, s. th. d., christianissimi regis in supremo Burgundiae senatu consiliarius, totius Cisterciensis

---

[r] *Habetur textus prolixior apud* L^8. [s] L^8 *add.* : et Magister noster Tartier in provincia Bituricensi. Mathias Rhunensis abbas munus et officium vicariatus sibi antea per utramque Austriam, Styriam, Carinthiam demandatum continuat. Rdus abbas Salemitanus munus vicariatus sibi antea per Sueviam, Helvetiam et superiorem Germaniam concessum continuat.

1618. *Fontes* : A^2 : 1-50 ; A^4 : 1-50 ; Clm^2 : B *fol*, 78r *et iterum fol.* 80r, 1-11a ; D^1 *transl. gall.* : 20, 23, 33, 38-45 ; Du^3 : 7-47 ; J^2 : 18-44, *transl. gall.* : 33, 38-44 ; L^8 : A, B, 1-44, 50-80 ; P^3 : B, 1-47 ; T^3 : B, 1-47 ; T^5 : 12-22, 24-27, 29, 31, 33-45.

Ordinis caput ac superior generalis, Capitulique generalis eiusdem plenaria fungentes auctoritate, omnibus et singulis RRdis ac nobis in Christo charissimis Ordinis nostri Cisterciensis Vicariis generalibus, Praesidentibus, Refformatoribus, Abbatibus et Praelatis, necnon et quibuslibet syndicis et procuratoribus provincialibus, ubilibet per universum orbem christianum constitutis, ad quos praesentes litterae seu earum transsumpta pervenerint, salutem in Domino et nostris firmiter obedire mandatis. Pastoralis officii nostri ratio exigit, ut ad ea nostrae sollicitudinis studium iugiter impendamus, per quae status personarum iurisdictioni nostrae commissarum, non solum ubique floreat, sed etiam auctore Domino felicioribus in dies proficiat incrementis. Quare cum generale Capitulum nostrum ad effectum eiusmodi remedium accommodatissimum ac efficacissimum, quod de quadriennio in quadriennium celebrandum communis patrum nostri Ordinis in eo congregatorum assensus dudum sanciverat, ob varios ac praesentissimos tam in hoc Galliae regno, quam vicinis provinciis bellorum ac seditionum tumultus coacti fuerimus retardare, nunc autem optata pace ac Domino Deo concessa pro nostri muneris ratione illud ipsum Capitulum generale ad diem 14 mensis maii anni proxime sequentis 1618, incipiendum, prosequendum et, adiutrice Dei gratia, ad Ipsius gloriam et laudem veramque ac sanctam refformationem, absolvendum, perficiendumque nostra paterna et totius Ordinis, qua plenaria fungimur auctoritate, indicimus, annuntiamus, convocamus, statuimus atque decernimus. Vos omnes et singulos in Christo benigne requirentes, hortantes, admonentes, et quantum in nobis est, vobis in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis adversus non accedentes ferri solitis districte mandantes, quatinus legitimo impedimento cessante, et de quo eidem Capitulo generali fidem facere teneamini, die dominica quae dicitur *Cantate*, et in 13 praedicti mensis maii incidet, ad vesperas in praefato Cistercio cum eo modesto religioso et minime superfluo comitatu, quem praecedentia Capitula nostra generalia praefixerunt, adesse et interesse debeatis, ut sequenti die post decantatam summo mane missam de Sancto Spiritu ipsum Capitulum generale feliciter inchoare et aggredi valeamus, ac ipsius auctoritate quae ad Ordinem ipsum redintegrandum et ad pristinum suae puritatis candorem pietatisque fervorem revocandum, quae ad Dei cultum devotius peragendum et promovendum, quaeque ad disparitatem rituum ac observantiarum aufferendum et licentiam nimiam abusuum reprimendum, quae ad morum refformationem, emendationem vitiorum, et ad votorum nostrae professionis Domino Deo exactius reddendorum rationem ineundam pertinent, atque ad iurium, privilegiorum ac immunitatum nostrarum conservationem necessaria sunt, eodem divino Spiritu nostris mentibus et consiliis aspirante, et omnium nostrorum charitate concurrente, in dicto Capitulo tractari decernique quam optime possint. Quae omnia aliave in eo gerenda ut meliori ordine, expeditiori via, et absque confusione ulla proponi ac resolvi queant, nostrae intentionis existit, quod vestrum unusquisque omnium eorum quae huiusmodi proximo generali Capitulo pro bono ac necessitate suae domus aut provinciae proponenda habuerit, notam brevissimis ac non nisi necessariis verbis conceptam ad nos tempestive et intra festum

Purificationis B. M. V. proxime venturum, si fieri possit, transmittere teneatur. Praecipientes ut in omnibus monasteriis, tam virorum quam mulierum Ordinis nostri, eadem die 14 maii missa de Spiritu Sancto, ut in suo nomine congregatis gratiam necessariam infundat, cantari conventualiter demandetur, praesentium litterarum transsumptis ac ipsis originalibus fidem adhibendo. Mandamus insuper adm Rdo ac nobis in Christo charissimo confratri domino Ioanni Farinart celebris monasterii nostri Camberonensis abbati, nostro in Belgicis ac Leodiensi provinciis vicario generali, s. th. d., quatinus has nostras indictionis et convocationis litteras RRdis DD. coabbatibus monasteriorum nostrorum praedictis in provinciis consistentium, per se vel suos substitutos notificari et intimari diligenter curet, nec ullus ipsorum ignorantiae causam praetendere iure possit, quin ad praescriptam superius diem in nostro Cistercio compareat.

Datum Cistercii sub nostro manuali signo et contrasigilli affixione, necnon secretarii nostri subscriptione die 13 octobris anno Domini 1617. fr. Nicolaus abbas Cisterciensis generalis, cum affixione contrasigilli eiusdem generalis. Et infra : fr. Balduinus Morellus a secretis.

* * *

B) ORDINATIO CAPITULI GENERALIS

anno Domini 1618, die 14 mensis maii et sequentibus apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES. Rmus D. N. **Cisterciensis** s. th. d., D. Bledzoviensis [a], D. de Dunis, D. de Lucella, D. de Septem fontibus, monasteriorum abbates ; R. D. de **Firmitate**, s. th. d., de Villario in Brabantia, de Steulzelsbron, de Villanova, de Castellione, monasteriorum abbates ; R. D. de **Claravalle**, s. th. d., de Laude, de Charmeya, de Loco Dei, de Heisterbach, monasterium abbates ; R. D. de **Morimundo**, s. th. d., D. Salemitanus, de Claroloco, de Clarofonte, D. Grissoviensis [b], monasteriorum abbates ; loco R. D. de **Pontigniaco** de Aureavalle, s. th. d., de Baudelo, de Longovillari, de Benifazano, de Bithania, monasteriorum abbates.

CONFESSARII : Provisor collegii Sancti Bernardi, prior Salemitanus.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : R. D. de Claravalle, prior et supprior Cistercii.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Castellione, de Charmeya, de Bithania, de Claroloco, monasteriorum abbates.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : de Valle dulci, de Pietate de Rameru, de Riveto, de Gratia Dei monasteriorum abbates, prior de Persegnia, prior de Herdusio [c].

---

[a] Albizoniensis : L^8. [b] *deest* : P^3T^3. [c] Berdonis : P^3T^3.

NOTARII CAPITULI : de Sancto Georgio Metensi, de Nizella monasteriorum abbates.

PROMOTORES CAUSARUM : fr. Bartholomeus Joly, cisterciensis monachus, procurator in romana Curia, fr. Balduinus Morellus secretarius Rmi D. Cisterciensis.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Petris, de Bonomonte, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : Edmundus Guillier, fr. Claudius de Condé.

PORTARII DIFFINITORII : Coadiutor de Freistorff, prior de Pieterpot.

* * *

ACTA CAPITULI GENERALIS sacri Ordinis Cisterciensis anno Domini millesimo sexcentesimo decimo octavo celebrati apud Cistercium [d].

ORATIONES

1. Pro sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Similiter pro Rmo D. Tristando de Bizet ... *etc.*
4. Insuper pro mercatoribus, burgensibus ... *etc.*
5. Pro pace etiam... *etc.*
6. Postremo pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIO DE ANTIQUO DEBITO

7. Nos, frater Nicolaus Boucherat, abbas Cistercii, ... *etc.*

DIFFINITIONES GENERALES

8. Praesens generale Capitulum cum omni debita submissione et reverentia accepit litteras SS. D. N. in forma *Brevis* expeditas, et per venerabilem fratrem Bartholomeum Joly, in romana Curia nostri Ordinis procuratorem generalem praesentatas, huiusmodi sub tenore :

Paulus Papa V, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, ad propagandam in vestro Ordine doctrinam, ut in vinea Domini utiliores vos praestare possitis, collegia eiusdem Ordinis augere in animo habeatis. Nos, pro nostra in vos paterna cha-

---

[d] *Apud* A^2A^4 : Diffinit. Cap. gen. celebr. apud Cistercium tempore R. DD. Nicolai Boucherat, anno D. 1618, die 18 maii ; *apud* P^3T^3 : Anno D. 1618, 14 maii et seq. in Cap.gen. apud Cist. celebr. diffinita sunt quae sequuntur.

ritate hanc laudabilem intentionem vestram promovere cupientes, vos in Domino hortamur ad decernendum, ut unius collegii philosophiae et theologiae in alma Urbe nostra, quamprimum fieri poterit, erectioni opera detur, id enim et Ordini vestro multis nominibus expediens, et nobis pergratum erit.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die 15 februarii 1618, pontificatus nostri anno 13.

Et erat subscriptum S[e][cipio Cobellutius] cardinalis S. Suzannae. *Et a tergo scriptum erat :* Dilectis filiis abbati generali et Diffinitoribus ceterisque vocalibus in Capitulo generali Cisterciensis Ordinis congregatis.

Quare idem Capitulum generale gratias agendas Suae Sanctitati duxit, Eidemque supplicandum, ut pro tam pii et salutaris operis promotione et faciliori executione dignetur aliquod ex monasteriis huius Ordinis in partibus Italiae existentibus seminario seu collegio, de quo agitur, unire seu alias applicare, et interim Ordo quantum in se erit Suae Beatitudinis mandato et intentioni satisfacere conabitur.

9. Lectis in eodem Capitulo generali litteris perillustris et Rmi D. archiepiscopi de Chieti, secretarii Sacrae Congregationis cardinalium super negotiis regularium praepositorum huius tenoris : Molto [f] Reverendo Padre in Christo. Le Santita di Nostro Signore mi ha ordinato di far sapere a vostra Paternita, che provida, che per l'avenire non si dia sotto qual sivoglia pretesto licenza a suoi religiosi di stare fuori di monasterii o sia case conventi o collegii della sua religione. Se per sorte alcune se ne trova di presente senza licenza di questa Santa Sede, sia revocato alli claustri, e che di piu faccia rinovar gli ordini, che arrivando uno di suoi religiosi in luogo dove siano monasterii conventi o collegii della sua religione o congregatione, sia obligato d'andarvi ad rittura e consignarsi al superiore di quello. E mi ricommando di cuore.

Di casa a 27 di decembre 1617.

Et erat subscriptum : Di vostra Paternita affettuosissimo per ser-

---

[e] *D.* : *A²A⁴*. [f] *A²A⁴* omittunt *epist. italicam* ; *Clm² transl. in lat. ut sequitur.* : Rde in Christo Pater, Sua Sanctitas mihi in mandatis dedit, ut vestrae Reverentiae significarem, quomodo velit in posterum providere ut nulli suorum religiosorum sub quocumque tandem praetextu licentiam det extra monasteria, domos, conventus, collegia sibi invicem unitae religionis manendi. Si vero nunc temporis contingat ut quispiam talis comperiatur sine licentia huius S. Sedis Apostolicae, iterum ad monasterium revocetur. Insuper omnibus modis expedit renovari ordinationem, ut si unus ipsorum religiosorum in locis superveniat, ubi monasteria, conventus ,collegia, congregationes sunt talis religionis, obligatus sit apud eiusdem Superiorem se quamprimum exhibere praesentem. Eidem me ex animo commendo. Ex nostra domo, 27 decembr. anno 1618.

virla, Ulpiano archivescovo di Chieti. Et superscriptio erat : Al molto Rdo Padre in Christo Ill. Padre, Padre Procuratore generali de Cistercien.

Capitulum generale ordinavit ut quod in his litteris praecipitur ab iis ad quos spectabit diligenter et accurate observetur.

10. Novum contrasigillum quod Rmus. D. Cistercii pro expeditionibus Capituli generalis confici curavit, praesens Capitulum generale acceptavit, et vetus cassandum ac frangendum ordinavit, prout in omnium praesentia cassatum et confractum fuit.

11. Praesentatus ordo titulorum, quem Rdus abbas de Laude in compilatione diffinitionum Ordinis sibi per praecedens Capitulum demandata sequi proponit, approbat, ipsumque, ut opus tam perfectum et salutare prosequatur, praesens Capitulum exhortatur.

12. Sanctissimi Legislatoris nostri Benedicti regulae praeceptis et primorum patrum nostrorum vestigiis, quantum Dei gratia inspirante et urgente potest, inhaerere desiderans, praesens Capitulum generale hoc quidem promptam eorum voluntatem considerans, qui integram regulae observantiae quoad ieiunia et a carnibus abstinentiam subire cupientes, obtenta a Rmo D. P. abbate Cistercii usque ad praesens Capitulum generale licentia, aliquo iam tempore probaverunt, probatamque continuare desiderant ; nec ignorat plurium bona desideria, qui eadem voluntate quoad huius observantiae rigorem feruntur. Inde vero seriae considerationis lance humanae fragilitatis imbecillitatem ponderans, aliasque iustissimas et gravissimas causas, quibus permotus Ordo noster a Sancta Sede Apostolica super esu carnium dispensationem petiit, et pro eadem Sancta Sedes iisdem rationibus inducta concessit, Sixtus videlicet Papa IV, qui eam dispensationem et permissionem esus carnium providentiae et discretioni et conscientiae abbatum pro se et subditis, necnon patrum abbatum seu visitatorum et reformatorum Ordinis quoad moniales et conversos pro diebus ab Ecclesia et Ordine non prohibitis remisit. Cui dispensationi se conformans Capitulum generale 1481 Cistercii celebratum post profundam morosamque deliberationem rationibus hinc inde maturo consilio agitatis, agnovit magnam Ordinis partem ita constitutam ut ingentissimam et inevitabilem in diversis regionibus necessitatem, propter locorum et terrarum sterilitatem, fluviorum ac aquarum raritatem paterentur, et nulla ferme victualia quibusdam in partibus praeter carnes haberi possunt, ita ut impossibile seu multum difficile foret hominem in eis absque esu carnium vivere ; et eamdem Sixti IV dispensationem suscepit et in Ordine suscipi absque ullo conscientiae periculo, laesura seu scrupulo permisit. Attendens insuper praesens Capitulum generale in hoc Ordine nostro conformem observantiam et plurimum apud Deum et homines boni esse odoris et aedificationis non contemnendae, ut sub

uno magistro eamdem professi regulam unius moris in una domo et communione unanimi vivemus, et ut fortes infirmis condescendant, et infirmi, in quantum in se est, fortiores ad arctioris observantiae viam sequantur, visa denique et accurrate examinata tam dicta bulla dicti Pontificis quam statutis Capituli generalis eoque tam gravi et serio, ut par erat, negotio sub divini Numinis timore anxie et profunde pertractato causis et rationibus utrimque summa diligentia discussis et ventilatis, dictum praesens Capitulum generale utile ac necessarium duxit, omnes ac quascumque Ordinis personas in Domino monere et hortari ut, uno animo, humero uno, votis concordibus ad bonum et reformationem totius Ordinis, unitis viribus et conformibus desideriis conspirent. Ideo omnes dicti Ordinis abbates, abbatissas, priores et priorissas, ceterosque superiores, seu in eo regimen et curam animarum habentes et singulas alias Ordinis eiusdem personas monet et exhortatur in Domino, ut ab idibus septembris usque ad Pascha iugiter continuatim, tam intus quam foris monasteriis a carnibus servent abstinentiam et ieiunia etiam Ordinis tam praedicto tempore quam per totum annum, iuxta praefatas regulae praescriptum observent, exceptis dumtaxat diebus dominicis, festisque sermonum solemnioribus, et ad huius observantiam effectum, quantum in se superioribus auctoritatem potestatemque concedit. Cupit tamen Capitulum generale ut si quibus hactenus fuerat ad tempus abstinentia totalis permissa, toti deinceps Ordini sese conforment, ut frater adiuvans fratrem et fortis debilem sustentans ac trahens, omnes una voluntate et pari gressu ad sanctiorem reformationem perfectioremque observantiam de virtute in virtutem ambulare contendant. Denique ut in provinciis in quibus erunt novitiatus communes instituti, novitii ipsi hanc arctioris vitae normam observent, praecipit et mandat in plenaria Ordinis potestate.

13. Diffinitiones Capituli generalis 1601, 1605, 1613, de instituendis novitiatibus communibus, et de novitiorum receptione, institutione et qualitatibus, praesens Capitulum generale renovet et confirmat, cupiens providere ut novitii post emissam professionem a bona institutione non deficiant, sed in ipsa maiores continue progressus faciant; praecipit et mandat Rdis abbatibus, vicariis et commissariis provinciarum regni Franciae et aliarum, in quibus institutus fuerit huiusmodi novitiatus communis, aliud monasterium deputent et constituant, ad quod novi professi transmittantur, ut ibi in disciplinae regularis exacta observantia continuare possint, et si quis illius monasterii professus huiusmodi observantiam subire et amplecti recusaverit, ad aliud monasterium transferatur cum assignatione sufficientis pensionis, nisi commutatione unius religiosi cum altero vel alio aliquo modo provideatur.

14. Ordinatur ut deinceps missa tam conventualis quam privata

ritu et ceremoniis romanis ab omnibus tam abbatibus quam monachis, absque ulla exceptione celebretur, quare psalmus *Iudica me,* etc. *Confiteor,* et cetera alia dicentur prout in ipso romano ritu descripta. Retinebitur tamen in reliquis Missale et Officium Ordinis, excepto quod psalmus *Laetatus* et annexae collectae omittentur. Servetur omnino illa laudabilis consuetudo, ut nullus sacerdotum aut monachorum celebrare aut ad communionem accedere audeat, nisi sacramentali confessione praemissa, et nullus quamdiu copiam confessarii Ordinis habuerit ulli alteri confiteatur. Nullique sacerdotum deinceps tam conventualiter quam privatim cum pileo quadrato celebrari liceat, quod idem diaconis et subdiaconis illis ministrantibus intelligatur.

15. Committitur Rmo D. Cistercii et quatuor primis correctio *Breviarorium* Ordinis, ad quam commodius faciendam personas Ordinis doctas sibi bene visas poterunt assumere et in eiusmodi correctione advertendum erit, ut si quae sint apocrypha vel Bibliorum usui adversantia tollantur et ex *Breviario* romano sumantur aliae lectiones, retentis responsoriis et antiphonis ad cantica *Benedictus* et *Magnificat* simul cum evangeliis sicuti nunc sunt, excepto quod abbatibus et monachis monasteriorum in urbibus et oppidis consistantibus permittitur, ut ordinem evangeliorum Missalis romani servare possunt, si voluerint.

16. Statuitur ut quacumque auctoritate etiam vicariali non potest alicuius sancti festum instituere de novo, tam in suo quam in sibi subiectis monasteriis absque generalis Capituli licentia, et si quis vicarius abbas seu monasterii praefectus in contrarium fecerit, ipso facto excommunicationi subiaceat, a qua non nisi a Capitulo generali, et ipso non sedente, a Rmo Cistercii absolvi potest.

17. Capitulum generale declaravit hebdomadarios missarum B. M. et pro defunctis per celebrationem dictarum missarum non satisfacere missis ordinatis in tricenario S. Lamberti, sed ad celebrandas separatim teneri.

18. Ad tollendos scrupulos quorumdam circa professionem conversorum et conversarum, statuitur ut deinceps eiusmodi conversi et conversae in sua professione utantur plane formula quam monachi et moniales.

19. Sumptuosae abbatum sepulturae districtae prohibentur, et Rdo abbati Caesariensi praecipitur, ut monumentum defuncti abbatis Zuetensis [g] quamprimum destrui curet.

20. Ad tollendos abusus qui non sine magna disciplinae nostrae regularis iactura in refectionibus occurrunt, praesens Capitulum generale districte praecipit, ut in omnibus monasteriis refectio conventualis ordinaria regulariter fiat cum cucullis et lectione continua,

---

[g] Zuntalensis : *Du*[3].

sedentibus fratribus ad unam tantum partem mensae, mandatque prioribus sub poena depositionis ab officio suo ne in contrarium fieri permittant.

21. Capitulum generale securitati et tranquillitati conscientiarum consulens statuit, ut si quae censurae appositae sint contra comedentes carnes in locis publicis, contra intrantes cubiculum alterius absque venia, et contra loquentes de imperfectionibus suorum confratrum, tollantur et auferantur, et loco illarum apponantur poenae corporales ad arbitrium abbatis vel superioris cuiusque monasterii.

22. Nullus abbatum commendatariorum iurisdictionem in suos monachos et religiosos exercere praesumat, nisi professione secundum S. Concilii Tridentini decretum prius emissa, nec praedicti monachi seu religiosi ipsi obedire teneantur, prout SS. Pontificum privilegiis Ordini nostro concessis cavetur.

23. Capitulum generale declaravit, morte abbatum non cessare officium priorum, et ideo amoveri non posse per conventum, quod ita observari mandat, praesertim in monasteriis regni Navarrae, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae.

24. Prohibetur expresse ne de cetero monachorum numerus monasteriorum diminuatur absque causa in Capitulo generali cognoscenda, ita quod circa huiusmodi diminutionem Rmus D. Cistercii et quatuor primi, vicarii generales provinciarum et quivis alii superiores Ordinis nihil disponere possint sub poena nullitatis.

25. Districte et sub poena privationis vocis activae et passivae et inhabilitatis ad omnes dignitates et officia in perpetuum, ne quis prior aut quivis alius monasterii officiarius amovibilis procurare praesumat in Curia romana et alibi quidquam in praeiudicium suae amovibilitatis et libertatis superiorum, iuxta Concil. Trident. et B. P. N. Benedicti regulae dispositiones, mandando propterea priori Claraemontensi ut intra mensem coram Rdo abbate Claraevallensi se sistat et obtentum in praeiudicium praemissorum indultum Apostolicum in eius manibus consignet, eique omnino renuntiet.

26. Pervenit ad audientiam Capituli generalis quorumdam commendatariorum bullas clausulas continere in praeiudicium privilegiorum et immunitatum Ordinis, quamvis iuxta constitutionem Apostolivam robur non habeant, nisi specialiter fiat derogatio singulorum privilegiorum ad hoc concessorum. Propterea mandat praesens Capitulum generale praesidibus et religiosis monasteriorum, ut in actu adipiscendae possessionis dictorum commendatariorum protestentur aut sese opponant, in quantum privilegiis Ordinis specialiter ad id concessis, officiunt vel detrahunt.

27. Syndici et procuratores Ordinis diligenter attendant, ne quis abbatum commendatariorum vel oeconomorum seu administratorum

monasteriorum quorumcumque sylvas in illorum damnum et praeiudicium effundant formamque et praescriptum *Benedictinae* circa illarum excisionem observare faciant.

28. Cum, sicut ad audientiam Capituli generalis pervenit, nuper a suprema curia Parlamenti Parisiensis emanavit arrestum quoddam adversus solutionem exemptionis decimarum prioratus seu loci Curiae B. M. Ordinis nostri in Senonensi dioecesi, quod arrestum plurimis aliis eiusdem curiae arrestis in simili materia latis, nedum manifeste contrariatur, sed etiam pro aliis monasteriis in consequentiam trahi et alias Ordinis nostri variis litibus et molestiis involvere posset, praesens Capitulum generale volens huic periculo, quantum in se est, providere, committit Rdo D. abbati de Claravalle, ut dicti arresti revocationem seu retractationem modis convenientibus diligenter et quantocius procuret, et ne sumptibus et expensis ad id necessariis gravetur, per Rmum D. Cistercii omnibus et singulis monasteriis in districtu praedicti Parlamenti Parisiensis sitis de taxa aliqua vicariis et syndicis provinciarum colligendis ad procuratorem collegii Parisiensis fideliter transmittenda imponetur. Qui procurator de receptis praedicto Rmo D. Cistercii et quatuor primis rationem et computum reddere tenebitur, praecipiendo propterea omnibus et singulis prioribus, cellerariis et conventibus monasteriorum praedictorum, ut ad primam syndici requisitionem unusquisque sui monasterii taxam solvere non recuset a Rdis D. commendatariis quorum praecipue interest recuperanda, cum facultate ubi praedictus R. D. abbas impeditus ad praemissa omnia et singula unum vel plures sibi bene visos substituendi. [h]

29. Audito Promotore super diversis abusibus et scandalis occurrentibus in multis monasteriis et parochiis ex incapacitate et defectu residentiae et perversa conversatione fratrum quorumdam habentium curas parochiarum, praesens Capitulum generale mandat quibusvis monasteriorum superioribus et praesidibus, ut intra mensem a notificatione praesentis decreti moneant ipsos fratres curatos, ut curas et parochias deserant et resignant, quod si facere noluerint, eos a monasterio ad residentiam actualem compellant, nihilque pro victu et vestitu suppeditare permittant, sed alios vel novitios vel professos ipsorum loco recipiant, et ubi cum evidenti animarum damno, vel populi et Ordinis scandalo conversantur, mandat idem Capitulum generale praesidibus et superioribus monasteriorum, ut per se illos revocent et coerceant, vel curent ut ab officialibus dominorum episcoporum provideatur.

30. Mandatur Procuratori generali in romana Curia, ut omni dili-

---

[h] constituendi : A^2A^4.

gentia prosequatur litem illic pendentem adversus Congregationem monasteriorum regni Castellae.

31. Renovatur antiqua diffinitio de non mittendis religiosis ad Urbem, nisi ex gravi necessitate et urgente, cum sufficienti viatico ab abbate subministrando.

32. Praesens Capitulum generale statuit in posterum non esse creandos magistros et doctores Ordinis in sacra theologia, nisi praesente in ipso Capitulo extiterint, et rigoroso examine praevio.

33. Renovatur expresse antiquum statutum circa simplicitatem vestium monialium, et si quae inobedientes extiterint, per censuras et alia opportuna remedia ad eam compellantur, et deinceps in illarum monasteriis vernacula lingua legantur *Regula* et *Martyrologium* [i], idemque servetur de lectionibus quae fiunt in refectorio et in operatorio.

34. Capitulum generale revocat omnes et qualescumque licentias patribus confessariis hactenus concessas suscipiendi professiones monialium, et eas ad solos abbates pertinere decernit.

35. Committitur omnibus et singulis vicariis generalibus provinciarum, ut salaria patrum confessariorum et capellanorum monasteriis monialium deservientium, unusquisque in suo vicariatu, taxent, habita ratione locorum et regionum, et alias decenti eorum hac in parte sustentationi consulant, et ad eam praestandam abbatissas, si necesse fuerit, modis convenientibus compellant.

36. Capitulum generale decernit, ut in monasteriis monialium Belgicarum et Leodiensis provinciarum patribus confessariis et capellanis abbatissae de salariis provideant iuxta modum sequentem nimirum : ut in monasteriis in quibus sunt viginti moniales, pater confessarius florenos 90 pro annuo salario habeat, et capellanus 72 ; ubi vero monialium numerus fuerit minor, 72 habebit, capellamus vero 54.

37. Cum ratione regiminis et gubernii monasteriorum monialium Ordo non mediocres sumptus et expensas quotidie sustineat et propter multorum monasteriorum in partibus septentrionalibus amissionem, contributiones et subsidia Ordinis multum diminuta sint, ita ut tractandis negotiis communibus non sufficiant, praesens Capitulum generale decrevit quod de cetero monasteria monialium contributiones solvent iuxta taxam quam singuli vicarii generales provinciarum, habita ratione facultatum, illis imponent.

38. Cum [j] hisce proximis annis, sicuti non sine ingenti animi displicentia Capitulo generali innotuit, plurima eaque gravissima scandala in nonnullis monialium monasteriis evenerint, idque maxime ob in illis clausurae regularis defectum, Capitulum generale huiusmodi scandala radicitus extirpare, et ne alia in dictis et aliis monasteriis superve-

---

[i] D^1 *add.* : et la carte de visite. [j] J^2 *abbrev. gall. transl.*

niant, quantum in se est, impedire, aliasque de opportuno remedio providere cupiens, tenore praesentis diffinitionis, praecipit et mandat universis vicariis generalibus provinciarum aliisque superioribus et visitatoribus quorumcumque monasteriorum monialium Ordinis nostri Cisterciensis, ubivis constitutorum, sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, ut in omnibus et singulis huiusmodi sanctimonialium sibi subiectis monasteriis clausuram, iuxta formam decretorum S. Concilii Tridentini quanto citius, et ut minimum intra terminum octo mensium ab hinc computandorum, omni dissimulatione aut conniventia postposita, ordinent et instituant. Ad quam clausuram omnes non tantum abbatissae et moniales, sed etiam ipsae sorores conversae servandam teneantur. Si quis vero vicarius generalis provinciae aut alius superior et visitator alicuius monasterii monialium praemissam clausuram ordinare et instituere intra huiusmodi praefixum tempus, legitimo cessante impedimento, neglexerit, tamdiu a divinis suspensus remaneat, donec praesentem ordinationem exsecutus fuerit. Nulli itaque abbatissarum, priorissarum, monialium et sororum conversarum professarum permissum et licitum sit, de cetero infirmitatis aliave occasione et praetextu a monasterio et extra clausuram exire,nisi de superiorum licentia, et in casibus a iure permissis. Alioquin aliter quam praefertur egredientes vel licentiam egrediendi quomodocumque concedentes, excommunicationis maioris vinculi statim eo ipso subiaceant. Ad tollendos illos praetextus consuetos, quibus nonnullae se ab huiusmodi clausurae observatione eximere moliuntur, Capitulum generale praedictis abbatissis, priorissis aliisque monasteriorum monialium praefectis et illarum quibusvis superioribus praecipit et mandat, ne plures in earum monasteriis recipiant, vel admittant, seu recipi vel admittit permittant, quae ex propriis redditibus monasteriorum vel consuetis eleemosinis commode sustentari possint. Quapropter in unoquoque monasterio numerus monialium et sororum conversarum per vicarium generalem provinciae certus praefigatur, si quae vero supernumerariae recipi petierint, id eis concedi poterit, modo secum afferent media sufficientia pro earum vestitu et alimentis, donec numerariis morientibus, ordine professionis seu conversionis succedant, tunc nihil amplius pro praedictis victu et vestitu soluturae, quarum taxatio sicut et dotis numerariarum quam supernumeriarum ab abbatissis et monasteriorum praefectis non excedendae aut alterandae ad ipsum vicarium generalem provinciae pertineat. Insuper Capitulum generale statuit et ordinat, ut nulla deinceps ad professionem admittatur, nisi expresse facto voto clausurae, alioquin eius professio nulla sit et irrita, quod statutum puellas ad praesens novitias etiam comprehendere intelligatur. Quod si huiusmodi perpetuam clausuram expresse vovere renuerint, ad

saeculum remittentur. Forma professionis praedictarum monialium et sororum conversarum haec erit : Ego soror N. promitto stabilitatem meam cum perpetua clausura et conversionem morum meorum, secundum regulam Sancti Benedicti, coram Deo, etc.

39. Praeterea statuitur et ordinatur ut deinceps abbatissae et praefectae monasteriorum abstineant a laboribus et cultura propriorum praediorum, illaque dent ad firmam locationem saecularibus, tam ad evitandas distractiones quas huiusmodi temporalium administratio monasterii saepius damnosa quam utilis afferre solet, tum ad obviandum scandalis quae plerumque ex egressu sororum conversarum ad agros evenire solent. Quod si commode vel tam cito id fieri non potest ad huiusmodi administrationem et oeconomiam domesticam extra claustra utantur, in quantum fieri poterit, opera et ministerio mulierum saecularium et non amplius sororum conversarum, ne occasione frequentis illarum egressus clausura violetur.

40. Ingredi autem septa seu clausuram monasteriorum monialium nemini liceat, cuiuscumque generis, conditionis, sexus, vel aetatis fuerit, sine superiorum licentia in scriptis obtenta, quam non concedent nisi in casibus necessariis. Si quae in posterum abbatissa, priorissa, monialis aut soror conversa aliquem intra septa seu clausuram huiusmodi absque dicta licentia admiserit, ipso facto excommunicationis maioris poenam incurrat ; et idem sit de superioribus qui licentiam concesserint, aut etiam eadem septa seu clausuram ingressi fuerint in casibus non necessariis. Unde omnino interdicitur, ne amplius celebretur in altaribus intra clausuram constitutis, et ne vestiones et professiones intra dictam clausuram fiant, tam cum venerabili quam sine venerabili sacramento, in quibus aliae personae quam ipsae moniales interveniant.

41. Consuetudo quoque illa quam nonnullis monasteriis moniales et puellae sacerdotibus celebrantibus ministrant, tamquam notorius abusus omnino damnatur et abrogatur, atque ut per viros et pueros aut servitores id deinceps fiat praecipitur, et si qui sacerdotes aliter sibi inservire et ministrari permiserint, eo ipso sint a divinis suspensi.

42. Venerabile quoque sacramentum Eucharistiae, necnon chrisma et oleum infirmorum alibi non asserventur quam in choro sacerdotum, nec moniales clavem habeant ad repositorium, sed solum patres confessarii, et illis absentibus, capellani.

43. Prohibetur insuper ne abbatissae, priorissae, moniales et sorores conversae amplius comedant cum abbatibus, prioribus, confessariis, capellanis aut hospitibus supervenientibus, cuiuscumque dignitatis et conditionis existerint. Qui hospites ne sint oneri monasteriis, instituatur et aedificetur hospitium seu domus aliqua vicina cum cu-

biculis et stabulis pro dictis hospitibus et eorum equis recipiendis absque expensis et gravamine monasteriorum.

44. Licitum non sit abbatissis, priorissis, monialibus et sororibus conversis loqui, nisi in locutoriis et locis ad id deputatis, cratibus ferreis debite et sufficienter munitis, et in omnibus monasteriis deputentur aliquae graves et seniores moniales auscultatrices, ut vocant, quae adsint monialibus et sororibus conversis loquentibus cum externis et praedictis hospitibus supervenientibus, quae non permittant quidquam dici aut tractari quod pudicitiae monialium vel tranquillitati et quieti monasteriorum adversetur.

45. Postremo Capitulum generale in visceribus Domini N. Iesu Christi, et quo potest paternae charitatis affectu exhortatur omnes et singulas abbatissas, priorissas, moniales et sorores conversas, ut supradicta ad earum puritatem et integritatem conservandam apprime necessaria, cum promptitudine religiosa et spirituali gaudio, tamquam Christi sponsae amplectantur et suscipiant, tanto maiorem et spatiosiorem locum in coelo cum Agno habitare, quanto hic in terris pro eius amore angustiorem servaverint. Quod si, quod absit, aliquae earum huiusmodi clausurae restitutioni et introductioni per S. Concilium Tridentinum et Summos Romanos Pontifices ordinatae, animo obdurato et obstinato restiterint, seu quoquomodo reluctatae fuerint, praedicti vicarii generales, superiores et visitatores eas ad huiusmodi clausuram praecise et perpetuo servandam per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, compellant, et si haec remedia non profuerint, eas deferant ad Rmum D. Cistercii seu aliquem Rdum primariorum, de cuius generatione seu filiatione monasterium fuerit, qui eas tamquam rebelles et incorrigibiles eliminet et ab Ordinis unitate rescindat [k] et alias contra eas severitate et animadversione debitis procedat.

46. Ad compescendum nonnullorum monachorum ambitionem, qui varios et inanes abbatiarum titulos sibi conferri procurant, Capitulum generale expresse, prohibet, ne quovis praetextu illis, qui corporalem et actualem suarum abbatiarum possessionem adipisci non poterunt, benedictio abbatialis a quocumque Ordinis praelato conferri possit. Et quia frater Robertus Bijrtus [l] de Hybernia sub simili benedictionis abbatialis praetextu, per totum Belgium cum maximo Ordinis dedecore et infamia divagatur, mendicando ad valvas

---

[k] *J*[2] *add.* : ne membra forsan suo pravo exemplo inficiant saniora, privilegiorum et indulgentiarum Ordini concessorum commodis perpetuo perituris.— *T*[5] *add.* : Extrait de son original par devot religieux F. S. Bourgoin, secrétaire de Monseigneur de Clairvaux. *Signé* : Bourgoin. [l] Byrtius : *Du*[3].

ecclesiarum et alia agendo statu abbatiali et monastico indigna. Idem Capitulum generale committit Rdo abbati de Camberone, eiusdem Belgii vicario generali, ut de eius vita, moribus, conversatione informet, et si illum culpabilem repererit, per incarcerationem, vel etiam ex Belgio expulsionem corrigat et puniat, in plenaria Ordinis potestate.

47. Ab eodem Capitulo generali ordinatur ut deinceps registrentur omnia ea, quae per Capitulum generale pro tempore reiicientur, de quibus, nec Rmus D. Cisterciensis, nec quatuor primi, nec quivis alii superiores quacumque auctoritate in contrarium disponere possint.

48. Praesens Capitulum generale, ordinat, ut missa conventualis dicatur pro intentione Ecclesiae. Missa vero de Beata pro benefactoribus et religiosis viventibus. Missa pro defunctis quotidiana pro fundatoribus et benefactoribus ac pro religiosis totius Ordinis, et iis qui quotidie moriuntur.

49. Praesens Capitulum generale ordinavit modum celebrandi octavas SS. P. N. Bernardi. Nota quod commemoratio S. Bernardi antecedit commemorationem Sabbati, vel de Dominica ; si tamen crastinus dies festi S. Bernardi sit dominicalis, missa matutinalis erit de Dominica, maior erit de Assumptione. Si festa SS. Bartholomei et Ludovici die Dominica eveniant, missa erit de octava etiam die sabbati ; cetera notantur in Breviariis quae inutile et inane esset hic afferre ; igitur haec sufficiant.

COMMISSIONES

50. Reverendissimus D. N. comitatum Burgundiae et Belgium visitanda suscepit.

51. Rdus abbas de Firmitate provinciam Provinciae, Delphinatum, Arverniam, Vivaretz, Foretz et Linguam occitanam.

52. Rdus abbas de Claravalle Aquitaniam, Vasconiam, Pictaviensem et Bituricensem provincias, cum potestate substituendi.

53. Rdus abbas de Morimundo Normanniam, superiorem Germaniam, videlicet utramque Austriam, Franconiam, Bohemiam, Lusatiam, Silesiam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, Sueviam, Alsaciam, comitatum Tirolensem, Ferretensem et Helvetios.

54. Rdus abbas de Claroloco superiorem et inferiorem Bavariam, et alia monasteria in itinere occurrentia.

55. Rdus abbas de Sancto Georgio Metensi, alias de Pontefrigido, inferiorem Germaniam, Westphaliam et ad Tractum Rheni.

VICARII ET SYNDICI PROVINCIARUM

56. *In Parlamento Parisiensi.* Vicarius : Procurator generalis in eodem

Parlamento et universa Gallia, Lotharingia. Syndicus : Rdus abbas Sancti Georgii Metensis, alias de Pontefrigido.

57. *In districtu Parlamenti Tholosani.* Vicarius : Magister noster Petrus Garrice, exceptis monasteriis Vivariensis et Vellay provinciarum Rdo abbati de Riveto commissis. Syndicus : Mr. n. Bernardus Monsegut.

58. *In Palamento Burdegalensi.* Vicarius : Magister n. Bernardus Monsegut. Syndicus : ... [m]

59. *In provincia Bituricensi, Borbonio et utraque Marchia.* Vicarius : Mr. n. Michael Tartier, Syndicus ...

60. *In comitatu Arveniae, Vellayo, Vivariensi et Forest.* Vicarius : Rdus abbas Septem fontium. Syndicus : Prior de Mansiada.

61. *In Delphinatu :* Vicarius : Rdus abbas de Leoncella. Syndicus : Prior de Bonavalle.

62. *In provincia Provinciae.* Vicarius : Prior de Thoroneto. Syndicus : fr. Ludovicus Perpenna prior de Sinaqua.

63. *In utraque Pictavia.* Vicarius ... Syndicus : ...

64. *In Britannia.* Vicarius : Rdus abbas de Villa nova. Syndicus : Prior de Begario.

65. *In Normannia.* Vicarius : ... Syndicus : Prior de Voto.

66. *In Cenomannia, Andegavia et Turonia.* Vicarius : ... Syndicus ...

67. *In Picardia et dioecesi Noviomensi.* Vicarius : Rdus abbas de Loco Dei. Syndicus : Magister noster Stephanus de Ruptis.

68. *In Bria et Campania.* Vicarius ... Syndicus : Prior de Fusniaco.

69. *In comitatu Burgundiae.* Vicarius : Rdus abbas Trium regum. Subvicarius : Rdus abbas de Bithania. Syndicus : Rdus abbas de Clarofonte.

70. *In ducatu Luxemburgico et Virdunensi dioecesi.* Vicarius : Rdus abbas de Aureavalle. Syndicus ...

71. *In ducatu Sabaudiae, Pedemontii, etc.* Vicarius. : Rdus abbas de Stamedio. Syndicus : Rdus abbas de Bonomonte.

72. *In superiori Germania et Helvetia.* Vicarius : Rdus abbas Salemitanus.

73. *In Bohemia.* Vicarius...

74. *In Silesia.* Vicarius : Rdus abbas Lubensis.

75. *In Austria, Styria, Carinthia et Carniola.* Vicarius : Rdus abbas Runensis ; sed in Austria constituet sibi subvicarium.

76. *In Bavaria.* Vicarius : Rdus abbas Alderspach.

77. *In inferiori Germania, Wesphalia et ad Tractum Rheni.* Vicarius : Rdus abbas de Bredelaria.

78. *In regno Navarrae,* Vicarius : Rdus abbas de Oliva.

79. *In Hibernia.* Vicarius : Rdus abbas Dublinensis.

80. *In Belgio.* Vicarius : Rdus abbas de Camberone. Syndicus : Rdus abbas de Nizella.

In fine est signatum : fr. Tiraquellus abbas S. Georgii Metensis ; fr. Ioannes abbas Nizellensis, notarii Capituli generalis.

---

[m] *An nullus nominatus fuit, vel nomen legere nescivit transcriptor saec. XVIII codicis Lucernensis, incertum manet.*

1623

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS
ad diem 14 mensis maii anni Domini 1623.

Nos, frater Nicolaus Boucherat, abbas Cistercii, s. th. d., christianissimi regis in supremo Burgundiae senatu consiliarius, totius Ordinis Cisterciensis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria fungentes auctoritate, universis Reverendis ac nobis in Christo charissimis abbatibus monasteriorum praefati Ordinis nostri ubicumque constitutorum, salutem in Domino sempiternam. Etsi ab eo primum tempore quo ad huius dignitatis, in qua sumus constituti, apicem fuimus promoti, illud nobis in primis sumus semper ac praecipue fuit curae, ut ad monasticam disciplinam iis in monasteriis in quibus remissa videbatur, restituendam, et in quibus vigebat, conservandam, omne quod potuimus sollicitudinis nostrae studium prout officii nostri ratio exigebat, iugiter impenderemus. Nunc tamen eo propensiori ad idem ducimur desideriis, quo sacer Ordo noster ad pristinum observantiae statum passim assurgere ac felicioribus in dies, divino affluente auxilio, proficere conspicitur incrementis. Hinc est quod res tanti momenti omnino perficere, integramque reformationem in dicto Ordine nostro inducere cupientibus, strictiora quam ea quae a superioribus Capitulis nostris generalibus emanarunt decreta, ad Dei gloriam, animarum nobis commissarum salutem, ac lucidiorem totius Ordinis splendorem, condenda nobis ac stabilienda videntur. Sed cum talis reformatio nullum praefati Ordinis monasteriorum sit exceptura, et paribus legibus omnes devinciri debeant, ut qui sub eodem instituto Deo militant, ipsi humero uno iisdemque ritibus et observantiis inserviant, omnium vestrum consiliis et suffragiis opus est, ut ad felicem exitum perducatur. Nos igitur primum nostrum generale Capitulum ad diem decimam quartam mensis maii (quartam scilicet dominicam post Pascha Resurrectionis Dominicae, in quae *Cantate* ad introitum missae legitur) proxime sequentis anni 1623, in hac primaria Ordinis domo, ubi ordinarie ab initio celebrari consuevit, convocandum et indicendum esse duximus, prout tenore praesentium convocamus et indicimus, districte mandantes vobis omnibus et singulis in virtute salutaris obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis in statutis nostris comprehensis, ut ad dictam diem 14 proxime sequentis mensis maii huc conveniatis, statum monasteriorum vestrorum fideliter relaturi, deque regulari observantia retinenda resti-

---

1623. *Fontes* : A^3 : B, 1-87 ; Ch^2 : B, 1-7, 9-23^a, 24, 26, 28 ; Clm^2 : 89 ; J^2 : *tres translationes continet statutorum de obligat. monast. de quibus n° 10 sq., sub titulo* : Articles de réformation du Chap. gén. célébré à Cisteaux le 15 de mai 1623. L^8 : A, B, 1-88 ; P^3 : 9-30 ; T^3 : 9-30 ; T^5 : 9-41, 42 *(abbrev.)*, 43-54 ; *Va* : A.

tuendave, de pace inter discordantes reformanda et stabilienda, de interiori devotione cum ea quae exterius relucet penitus amplexanda, necnon de tuendis Ordinis libertatibus, privilegiis ac immunitatibus tractaturi. In eos enim qui absque certa et probata infirmitatis causa a dicto Capitulo generali, quod absit, remanserint, velut adversus inobedientes iuxta Capitulorum praecedentium diffinitiones et maiorum nostrorum statuta, sine ulla personarum acceptione, animadversuros nos denuntiamus. Ac ne quis ignorantiae praetextu in tam celebri congregatione absit, serio iniungimus universis nostris Rdis provinciarum vicariis, ut praesentes indictionis et convocationis litteras singulis suae commissionis aliisque vicinis abbatibus per se vel per certos et proprios nuntios legitime significent, suarumque significationum fidem ab eisdem Rdis abbatibus seu eorum prioribus et officiariis recipiant, nobis postmodum exhibendam. Utque in singulis utriusque sexus monasteriis sibi commissis tempore Capituli praedicti solitas pro eo missas celebrari mandent. Volumus ut praesentium transumptis ab aliquo Rrum primorum coabbatum vel vicariorum nostrorum subscriptis et sigillatis ac etiam significatis eadem fides qua et praesentibus adhibeatur.

Datum Cistercii sub nostro manuali signo et contrasigillo, necnon secretarii nostri subscriptione die 20 mensis augusti anno 1622.

Signatum erat : fr. Nicolaus abbas Cisterciensis generalis.

Locus sigilli.

Edmundus Guillier a secretis.

B) ORDINATIO CAPITULI GENERALIS

anno Domini 1623 die 15 mensis maii et sequentibus, apud Cistercium celebrati.

Diffinitores : Rmus D. N. **Cisterciensis**, s. th. d., R. de Salem, R. de Benifasano [a] R. de Villario in Brabantia, R. de Iardineto, monasteriorum abbates. Adm. de **Firmitate** s. th. d., R. de Septem fontibus, R. de Lucella, R. de Petris, R. de Alba ripa, monasteriorum abbates. Adm. de **Pontigniaco**, R. de Dublino, R. de Pietate Rameru [b], R. de Strata, R. de Tribus regibus, monasteriorum abbates. Adm. de **Claravalle**, R. de Alna, R. de Camberone, R. de Laude, R. de Charmeya, R. de Altaripa in Helvetia, monasteriorum abbates. Adm. de **Morimundo**, R. de Veteri campo, R. de Claroloco, R. de Eberbach, R. de Clarofonte, monasteriorum abbates.

Confessarii : R. de Sancto Sulpitio, R. de Columba, monasteriorum abbates.

Magistri caerimoniarum : Adm. R. de Claravalle, prior et cantor Cistercii.

[a] Bonifuca : *Ch*². [b] ramorum : *Ch*².

AUDITORES COMPUTATIONUM : Rmus D. N., RR. quatuor primarii abbates, cum cellerario Cistercii, et quos voluerit advocare.

EXAMINATORES CONTRACTUUM : R. de Valle S. Lamberti, prior de Bolbona, prior de Persenia.

NOTARII CAPITULI : de Monte S. Mariae, R. de Charitate ad Lesinas, monasteriorum abbates.

PROMOTORES CAUSARUM : R. de Castellione, prior de Berdusio [c].

RECEPTORES EXCUSATIONUM : R. de Bitania, R. de Fulcardimonte.

NOTARII AD PEDES : Edmundus Guillier prior de Mouchiaco, Rmi N. a secretis, fr. Nicolaus de la Berchere.

PORTARII DIFFINITORII : coadiutor de Claravalle, coadiutor de Fristorff.

* * *

ORATIONES

1. Pro SS. D. N. Domino Gregorio... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo... Ferdinando... necnon pro christianissimo... Ludovico XIII, pro invict. Philippo IV Hispaniarum rege... *etc.*

3. Similiter et pro Rmo D. Tristando ... *etc.*

4. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

5. Pro pace etiam ... *etc.*

6. Postremo pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIO DE ANTIQUO DEBITO

7. Nos, frater Nicolaus Boucherat, *etc. ut in annis praecedentibus.*

* * *

8. Antequam autem ad diffinitiones sequentes veniretur, Rmus N. Cisterciensis, habita publica doctissima et eloquentissima oratione in Capitulo Cistercii, non minus eloquentem et doctam ad patres Diffinitores habuit in Diffinitorio, cum iuramento secreti et fidelitatis in manibus ipsius a praefatis Diffinitoribus et notariis Capituli. Postea lectum *Breve* Apostolicum privilegia Ordinis nostri confirmans a Summo Pontifice Gregorio XV, sub data Romae die 3 mensis februarii anni 1623 emanatum, et ordinatum ut registraretur.

---

[c] Berdousio : A^3 ; Berdeusio : Ch^2.

GREGORIUS PAPA XV
ad futuram rei memoriam.

Iniuncta nobis apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum religionum in militanti Ecclesia suaves Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a Summis Pontificibus praedecessoribus nostris, et Apostolica Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, Apostolicae confirmationis robore libenter communicamus. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis Cisterciensis nomine dilecti filii Nicolai Boucherat dicti Ordinis abbatis generalis, Nobis nuper exponi fecit, diversa privilegia, gratias et indulta a diversis romanis Pontificibus praedecessoribus dicto Ordini concessa et successive ab illis, praesertim vero a f. r. Gregorio Papa XIII, similiter praedecessore nostro, confirmata fuerint ; dictusque procurator plurimum cupiat privilegia, gratias et indulta huiusmodi pro maiori eorum utilitate et subsistentia etiam nostrae confirmationis robore communiri, Nobis propterea dilecti Nicolai abbatis generalis nomine humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur procuratorem praefatum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsiusque et singulares dicti Ordinis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati omnia et singula privilegia, gratias et indulta, per quoscumque romanos Pontifices praedecessores nostros praedicto Ordini concessa, dummodo sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et nostris constitutionibus non adversentur, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, dictoque Ordini in omnibus et per omnia plenissime suffragari ac irritum ac inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 3 mensis februarii 1623, Pontificatus nostri anno secundo. Signatum : card. S. Suzannae.

DIFFINITIONES GENERALES

9. Praesens Capitulum generale certam, constantem et duraturam Ordinis huius reformationem stabilire volens, monasticam disciplinam ubi exciderit restituendo, ubi vigerit conservando, omnibus aliis praeter eas, quae ex Deo sunt, considerationibus postpositis, sequentes

diffinitiones secundum evangelicae et apostolicae doctrinae, sanctorumque canonum et generalium Conciliorum, praecipue S. Tridentini decreta, et sanctorum patrum traditiones, et nostrum regulare institutum, Apostolica auctoritate confirmatum, denique iuxta privilegia a Sancta Sede ipsi Ordini concessa, condidit, quas suo in Curia romana procuratori aut ipsius substituto mandat, ante SS. D. N. Papae pedes profundissima cum humilitate apponere ac supplicare, quatinus eas, ut felicem sortiantur effectum, Sua Sanctitas de Apostolica benignitate roborare dignetur, vel, si ita videbitur, easdem mutare, minuere aut augere, seu penitus cessare velit ; quod cum promptissima eiusdem Ordinis patrum et professorum obedientia et debita cum submissione suscipiatur et acceptabitur.

10. *De Paupertate.* Ac primum, quoad paupertatem evangelicam, quam profitemur, prohibetur omnibus et quibuscumque utriusque sexus regularibus praedicti Ordinis personis, ne in pessimum et damnabile proprietatis vitium incidant. Cum enim per paupertatis votum voluntatem possidendi quaecumque bona mobilia et immobilia cuiuslibet qualitatis existant, et quoquo modo acquisita fuerint, plane abdicaverimus, si missa manu ad aratrum retro respexerimus, divinae Maiestatis iram nostra transgressione procul dubio provocabimus.

11. Omnes igitur tam praelati quam subditi caveant a tali vitio, neque ulli superiori etiam Ordinis capiti ullo pacto liceat quovis quaesito praetextu et colore bonorum stabilium usum, usum fructum et administrationem in commendam, ne quidem depositi aut custodiae nomine cuiquam particulari Ordinis monacho concedere.

12. Eorum vero quae ad necessitatem concedentur mobilium, nullus quidquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur, sed quaecumque suis usibus deputata erunt, ad arbitrium superioris, quandocumque placuerit, amovenda sciat et reputet, ita ut omni temporis momento ad praeceptum vel nutum eiusdem ea resignare paratus sit.

13. Ac ne ullum ex hac ordinatione damnum oriatur, communitati dabunt operam, cavebuntque singuli, ne libri, vestes et quaecumque alia supellex pro eorum necessitate ipsis concessa fuerit, eorum incuria depereat. Quod si hoc neglexerint, gravissimae superiorum animadversioni subiaceant.

14. Et quia nonnulli ex parentum, consanguineorum aut amicorum donationibus annuas et perpetuas pensiones pecuniarias percipiunt, prioresque claustrales duplici pensione seu praebenda alicubi potiuntur, sicut et doctores theologi honorariis quibusdam stipendiis, necnon officiales aliqui praecipue sacristae, emolumentis aliquibus pecuniariis et stabilium bonorum usufructu ratione officiorum suorum gaudere solent, statuitur ut quidquid ex dictis pensionibus, praebendis, honorariis et dictorum officiorum emolumentis proveniat, in posterum communi

conventus utilitati cedat, neque ullus privatus ex supradictis aliquid iuris in ea sibi attribuere unquam praesumat.

15. Ipsi quoque religiosi, qui ad collegia et seminaria Ordinis, tam erecta quam in posterum, favente Domino, erigenda, mittentur, nihil penes se habeant pecuniarum, sed hae per oeconomos dictorum collegiorum iuxta necessitatem exigentiam ex superiorum ordinatione distribuendae recipientur, ita ut nulli e scolaribus etiam graduatis in eisdem studiorum causa degentibus ullas pecunias apud se qualibet praetensa ratione asservare concedatur.

16. Abbates denique penes quos spiritualis et temporalis administratio est, adeo nihil suum existiment, et omnium reddituum, fructuum et proventuum per suos officiarios rationes et computationes, ut moris est in Ordine nostro, quotannis exacte et accurate reddi curent patribus visitatoribus in suis visitationibus exhibendis. Ipsi quoque quatuor primi abbates Rmo D. Cistercii in visitatione monasteriorum suorum generales suas computationes, sicut et illis ipsis Cistercium, matrem suam iuxta *Chartae charitatis* praescriptum annuatim visitantibus, proprias similiter repraesentare tenebuntur. Atque ut omnis proprietatis occasio de medio tollatur, ipsumque vitium radicitus extirpetur, nihil infirmis, nihil sanis, quod necessarium erit, denegetur, sed singulis prout cuique opus erit, ea qua decet religiosa charitate necessaria subsministrentur.

17. *De Castitate.* — Castitatem angelicae puritatis aemulam et donum Dei praetiosissimum ita omnes custodire conabuntur, ut nihil sibi contrarium neque in corpore neque in mente admittant. Quapropter si quis, quod absit, superior aut subditus in turpissimum incontinentiae flagitium incidisse convictus fuerit, iuxta diffinitiones a Capitulis generalibus pluries repetitas punietur, ut ceteri exemplo formidine perculsi flagitiose vivendi modum devitent, et alii virtutis amore ducti, piorum scandalum, Ordinis vituperium, maximeque Deo offensam metuentes, immundas ac detestandas carnis spurcitias frenis spiritualibus coerceant. Superiorum autem erit, ubi pravas suorum propensiones perspectas habuerint, eas ad petram quae Christus est, allidere, et cibi et potus substractione aliisque macerationibus refrenare.

18. *De Obedientia.* — Qui seipsos Deo per obedientiae votum manciparunt, omni tempore promissi sui meminisse debent, ne unquam superiorum suorum, qui Christi vices gerunt, mandatis aut nutibus sint refractarii. Pareant igitur omnes humiliter suis abbatibus, prioribus, vicariis et eorum deputatis seu eorum substitutis, non attendentes personarum earumdem, si quae sint, imperfectiones, nec curiose discutientes mandata vel causas eorumdem, sed statim et sine mora ea suscipiant, nisi, quod Deus avertat, aliquid contra ipsius Maiestatem

et Sanctae Ecclesiae praecepta ipsis iubeatur. Praedictorum autem votorum essentialium infractores, inobedientiae scilicet, paupertatis et castitatis, aut eorum cuiuslibet, pro circumstantiis et qualitatibus personarum, necnon gravitatem delictorum per poenas a Capitulis nostris generalibus statutas puniantur.

19. *De Novitiatibus.* — Quia nisi super firmas bases fundatum fuerit spirituale aedificium, corruere illud necessarium est, ita recipiantur, educentur et ad professionem initiantur novitii, ut circa aetatem conditionem, scientiam, vitam et mores, ceterasque qualitates in ipsis requisitas, nihil sacris canonibus aut Concilio Tridentino, Summorumque Pontificum decretis ac instituto nostro regulari penitus adversetur, neque aliter nec alio modo a quovis superiore quod susceptionem habitus, probationem et professionis emissionem, sub poena nullitatis actus et gravissima in ipsum superiorem aliter admittentem animadversione, recipiantur. Educentur autem secundum ritus Ordinis nostri, et ita doceantur ut parentum, amicorum, curarum saecularium, divitiarum, voluptatum, ambitionis, honorum, sui denique ipsius propriaeque voluntatis perfectam abnegationem amplectantur, virtutibus omnibus, praecipue vero humilitatis, patientiae, charitatis, devotionis et perseverantiae, quam corona manet immarcessibilis, informentur, atque ut in vita spirituali facilius et felicius exerceantur, exemploque et aemulatione sancta, cum in maiori numero erunt sese invicem provocent, designabitur unum in singulis provinciis monasterium, ad quod novitios eiusdem provinciae educandos et informandos omnes illius superiores transmittere tenebuntur.

20. Facultatem autem eiusmodi monasteria pro novitiatibus in provinciis Galliae designandi praesens Capitulum generale Rmo D. abbati Cistercii capiti Ordinis, ac Rdis de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et Morimundo abbatibus concessit.

21. Monasteria denique in quibus erunt huiusmodi novitiatus, sicuti cetera vicario suo provinciali subiacebunt.

22. *De Provinciarum vicariatibus.* — Cum constet multa Galliae nostri Ordinis monasteria ob nimiam a suis abbatiis matribus distantiam annuae et necessariae visitationis seu inspectionis bono subsidioque aliquoties hactenus destituta remansisse, ac gravissima praesertim in spirituali statu damna propterea incurrisse, expectatosque regularis observantiae fructus minime protulisse, praesenti Capitulo generali imperatam a SS. D. N. Papa et a christianissimo Galliarum rege, omnibusque piis et bonis desideratam reformationem instituere cupienti, visum est omnia illa Galliae monasteria per provincias seu provinciarum vicariatus a Rmo D. N. Cisterciensi Ordinis capite et Rdis quatuor abbatibus ante eorum ab ipso recessum distingui, distribui et limitari oportere, quod eisdem committitur et reverenter man-

datur, in quibus provinciis singuli vicarii pii zelum Ordinis habentes, verbo et exemplo seu opere potentes et ipso generali Capitulo sedente, seu ipso Rmo et supradictis quatuor eius auctoritate et hoc ipsis mandata seu demandata cuniunctim et communiter instituentur, et quamprimum destinabuntur, atque in eisdem utriusque sexus seu provinciae monasteriis illius nomine et vice a quo monasterium quodlibet visitandum dependere dignoscetur, ipsam reformationem reponent, visitationesque annuatim et quoties opus erit exercebunt, in quibus regulam Beati Legislatoris nostri Benedicti iuxta Ordinis nostri diffinitiones praesentis generalis Capituli et aliorum praecedentium decreta necnon sacri oecumenici Concilii Tridentini canones, privilegiaque nobis a romanis Pontificibus olim concessa, ab omnibus eorumdem monasteriorum utriusque sexus personis regularibus realiter et efficaciter divina opitulante gratia, faciant observari.

23. In quibus suis visitationibus priores claustrales, si quos indignos et incapaces, seu nimium remissos, et, quod absit, culpabiles invenerint, tales sine conniventia aut personarum acceptione destituent et amovebunt, aliosque probae vitae et integrae famae ferventesque Ordinis et regularis observantiae zelatores illius et dictis Rmo D. et quatuor primis vice et consilio, de cuius linea monasterium erit, in amoti locum subrogabunt. Ac ne quae difficultas huius sanctae reformationis opus et bonum remoretur, si quae, quod Deus avertat, in huiusmodi amotionibus acciderit, ab iisdem provinciarum vicariis ad immediatum patrem et gradatim ad Rmum D. N. seu generale Capitulum, si tunc istud celebrari contigerit, appellabitur. Porro ipsorum vicariorum potestas et administratio a Capitulo praesenti usque ad proxime sequens dumtaxat durabit, nec erunt ad nutum amovibiles. Intra quod tempus si a Rmo D. N. aut aliquo ex quatuor primis, vel a generali commissario illis in provinciis visitantibus suo vicariatu abuti forte comperientur, ab iisdem usque ad sequens Capitulum suspendi poterunt non deponi [d]. Sed si forte ipsum generale Capitulum recurrente suo anno et termino, celebrari non poterit, eorum amotio vel continuatio sicut et correctio, exigentibus fortasse demeritis, ad ipsum Rmum D. et dictos quatuor primos abbates pertinebit, qui coniunctim Capituli generalis nomine super praedictis continuatione seu amotione, et ubi opus erit, correctione, quod iustum et opportunum videbitur, ordinabunt et disponent.

24. Et quia ad audientiam praesentis Capituli generalis pervenit praefatum Rmum D. abbatem Cistercii erectioni cuiusdam congregationis monasteriorum ex filiatione abbatiae Claraevallis existentibus subscripsisse et ad hunc effectum consensum suum dedisse, idem Capitulum hanc praetensam congregationem, quae ad divisionem, segre-

[d] *Hic desin. Ch².*

gationem, schisma et separationem redolet, nullis legitimis modis fieri posse censuit, ac (salva quam debet dicto Rmo D. Cisterciensi reverentia) quidquid ab ipso circa hoc negotium actum est, sustulit, cassavit, annullavit et irritavit; tollit, cassat, annullat et irritat, ac viribus et affectu vacuum esse declaravit et declarat, protestando de vitio nullitatis et de iniuria si quid a quoquam contra hoc decretum attentabitur [e], ac districte mandando generalibus Ordinis procuratoribus, eorumque substitutis, tam in Curia romana quam in Gallia, ut contra hanc novitatem, quae est in evidentem perniciem et certissimum Ordinis detrimentum, ac contra leges gallicas, sacrorum canonum et bullarum Summorum Pontificum, maximeque contra sacri Concilii Tridentini decreta, necnon privilegia nostra, strenue ac generose intercedant, et sese opponant, atque ad opportuna quaelibet tribunalia pro iure Ordinis conservando recurrant.

25. *De Disciplina regulari et monastica in genere.* — Etiam si multa Ordinis nostri monasteria hostilium et intestinorum bellorum, aliarumque calamitatum iniuriis diruta et ad summam indigentiam redacta, ea omnia quae per Capitula nostra generalia pro perfecta disciplinae nostrae monasticae observantia sancita fuere, vix pro paucitate monachorum inhabitantium exacte et accurate, quod optandum esset, custodiri queunt; omnibus tamen et singulis eorumdem utriusque sexus personis praesens generale Capitulum praecipit et mandat, quatinus ad perfectiorem regulae et statutorum nostrorum executionem et praxim, tam retributionis aeternae intuitu et spe quam Dei amore, totis viribus progrediantur et aspirent. In maioribus vero monasteriis, quae iustum monachorum numerum alere possunt, quaeque per Dei gratiam in viridi observantia perseverant, illa in eis nullatenus relaxetur, imo professi illorum ad eminentiora virtutum culmina certatim tendant et anhelent [f], charismata meliora summo fervore spiritus indesinenter aemulando.

26. Perpetuam porro a carnibus abstinentiam qui iam amplexi sunt, et in posterum servare proponunt et promittunt, deinceps exacte retineant, quamdiu illa charitati ac maiori Ordinis et monasteriorum quidem bono et utilitati non adversabitur.

27. Omnes in communi dormitorio, praeter necessarios officiales, singulis noctibus iuxta praeceptum regulae, modeste et composite iaceant et dormiant.

28. Vestimentis quibuscumque ac indusiis nullus omnino nisi laneis utatur, praeter eos, qui propter aliquas infirmitates aut causas rationabiles a superioribus studiose et accurate examinandas legitime

---

[e] *Hic desin. Ch².* [f] *Hic desin. L⁸.*

dispensati fuerint [g] ab omnibus, ut nullus quidquam circa hoc innovare aut alterius materiae, formae aut coloris habitum gerere, quam illius qui in Cistercio et quatuor primis eius filiabus geritur, praesumat, sub poenis et censuris in bulla f. r. Innocentii Papae VIII super hoc edita contentis.

29. Quod attinet ad cetera quae sunt de divino officio, de missarum celebratione, de defunctorum suffragiis, de processionibus sive supplicationibus ordinariis et extraordinariis, de confessione et casibus reservatis, de frequenti communione, de meditatione, de mentali oratione, aliisque exercitiis spiritualibus, de ecclesiae ornamentis, paramentis, et sacristia, de capitularibus proclamationibus, mortificationibus et correctionibus, de claustro, de silentio, de oratorio, de refectorio, infirmitoriis et hospitum susceptione, de eleemosinis generalibus et quotidianis, de officialibus monasteriorum tam spiritualibus quam temporalibus, de syndicis, visitatoribus et commissariis, de fratribus conversis, de apostatis et fugitivis, de collegiis et seminariis, de monialibus et monialium confessariis, deque aliis Ordinis nostri ritibus, ceremoniis et observantiis ; illa secundum laudabiles nostras consuetudines, ubi vigent, conserventur. Ubi autem intermissa sunt, quamprimum pro virili excitentur, ita ut a Summorum Pontificum et Conciliorum, maximeque a sacri Concilii Tridentini decretis in ullo unquam discedatur.

30. Denique ne inanes sint et absque effectu praesentes diffinitiones, reverenter committitur Rmo D. Cisterciensi Ordinis capiti et primis quatuor abbatibus seu commissariis generalibus, vicariis provincialibus, aliisque omnibus Ordinis nostri superioribus sub divini iudicii attestatione praecipitur, ut unusquisque eorum illas accurate a subditis suis observari faciat [h].

31. Praeter suprascriptas diffinitiones, Capitulum generale sequentes etiam stabilivit: soli sabbatibus et prioribus conventualibus, praelatis, uti licebit quadrato pileo discooperto. Doctores autem Parisienses et qui eorum privilegiis gaudent, utentur cooperto sicuti et priores Cistercii et quatuor primarum filiarum. Reliqui vero religiosi cuiuscumque dignitatis existent, pileum quadratum gerere non praesumant.

32. Qui suae conditionis immemores, neglectis diffinitionibus nos-

---

[g] *Hin desin. Ch²*. [h] *Add. P³T³T⁵.* : Fr. Nicolaus abb. Cistercii, fr. Yvo abb. Firmitatis, fr. Carolus abb. Pontiniaci, fr. Claudius abb. Morimundi, fr. Thomas abb. de Salem definitor, fr. Henricus abb. Villariensis definitor, fr. Joannes abb. de Camberone, fr. Joannes abb. Laudensis, fr. Henricus abb. Stratensis definitor, fr. Henricus abb. de Pietate definitor, fr. Joannes abb. Clariloci definitor, Clarifontis abbas.

tris et Summorum Pontificum bullis, ad saecularia tribunalia recurrent gravissimis poenis a superioribus puniantur.

33. Visitatoribus et vicariis liceat religiosos nostros a monasterio in monasterium Ordinis transferre, dum in graves culpas incidunt, aut aliis sunt scandalo vel pacem publicam suis actibus perturbant.

34. Nullo modo liceat religiosis nostris, qui in urbibus aliquorum negotiorum causa, cum superiorum permissu, degunt, publicis auctoritate privata interesse processionibus; abbatibus tamen honoris causa id Capitulum generale concedit.

35. Nulli priorum claustralium deinceps per notabile tempus abesse liceat a monasteriis quibus praesunt; alioquin suo officio priventur.

36. Serventur antiqua decreta quibus statuitur non amplius esse recipiendos in Ordine qui ter apostataverint.

37. Forma professionis conversorum et conversarum Ordinis retinenda est ut antiquitus.

38. Tonsura seu rasura per totum Ordinem erit uniformis.

39. Promotores nominabuntur a Rmo D. Cistercii aliquot diebus antequam celebretur Capitulum generale, ut convenienti tempore Cistercium sese conferant, negotiorum Ordinis causa.

40. Vicarii non possunt quidquam in praeiudicium vel contra auctoritatem patrum immediatorum.

41. Scolasticis in collegio Bernarditarum Parisiis degentibus conceditur, ut privatis diebus divinum officium absque notis et cantu ab eis persolvatur. Diebus autem festivis more solito.

42. Cum ad propagandam in Ordine nostro doctrinam, ut in vinea Domini religiosi nostri utiliores esse possint, praecedentia Capitula generalia frequenter de collegiis et seminariis instituendis et erigendis diffinitiones condiderint, quam etiam f. r. Paulus Papa V litteris apostolicis in forma *Brevis* sub data Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 15 februarii anno 1618, Pontificatus sui 13, laudavit. Idcirco Rmus N. Cicterciensis seminarium seu collegium Ordinis nostri in urbe Dola, Bisuntinensis dioecesis, laudabiliter erexerit et stabilierit, e cuius felici ingressu tam litterae curiae Parlamenti quam magistratuum dictae urbis Dolae Capitulo generali scriptae non minus felicem progressum promittunt, Capitulum generale praefati seminarii seu collegii nostri in urbe Dola erectionem a praefato Rmo D. N. Cisterciensi suis patentibus sub data ... factam et stabilitam ad Dei Omnipotentis gloriam et ad perpetua tempora duraturam approbavit et confirmavit, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate.

43. Quoniam felicis memoriae Albertus archidux Austriae concesserat dicto seminario fructus et redditus unius anni omnium beneficiorum Ordinis vacantium per obitum in utilitatem et commodum dicti collegii, et nunc arte et industria plurimorum per viam coadiutoriae

praedicti edicti emolumentis saepe privetur idem seminarium, Capitulum praecipit ne in posterum impediatur in perceptione et fruitione fructuum concessorum per dicti serenissimi principis edictum.

44. Etiam si praecedentia Capitula generalia *Breviariorum* ac *Missalium* Ordinis nostri corrigendorum non parvam curam gesserint, et ad hunc effectum diversas pluries personas, quae ea emendarent nominarint ac deputarint, tamen cum erroribus adhuc aliquibus et minus convenientibus versiculis seu responsoriis deformari videantur, Capitulum generale committit adm R. D. abbati de Claravalle, quatinus tam dicta *Breviaria* quam *Missalia* corrigat atque emendet, et ad meliorem statum redigat, ita tamen ut eorum essentialia remaneant, in plenaria Ordinis potestate.

45. Cum nulli esse dubio debeat sanctum patrem nostrum Stephanum olim Cistercii abbatem miraculis et vitae sanctitate claruisse, quo fit ut Ecclesia romana in *Martyrologio* laudabiliter ipsius meminerit, mandat Capitulum ut per totum Ordinem ipsius festum in posterum cum XII lectionibus celebretur, eiusque officium adm R. D. abbatis Claraevallensis diligentia in *Breviario* nostro inseratur.

46. Cum priores conventuales in Ecclesia et Ordine nostro sint praelati habentes in suos monachos et monasteria parem quam abbates auctoritatem et iurisdictionem tam spiritualem quam temporalem, praesens generale Capitulum, audito promotore, praefatis prioribus conventualibus praelatos eos esse declarans, locum immediate post abbates assignat et ordinat, ita ut quaslibet alias regulares Ordinis personas cuiuscumque tituli, gradus, officii, qualitatis aut dignitatis, sola dempta abbatiali, existant, tam in choro quam extra ubique ipso suo iure ubi debeant praecedere, excepto tamen quod in Cistercio, Firmitate, Pontigniaco, Claravalle et Morimundo dictorum locorum priores non praecederent, in septis dumtaxat praefatorum respective monasteriorum.

47. Cum pro parte prioris et conventus prioratus Sancti Lazari, in suburbio oppidi de Firmitate Milonis noviter erecti permissione ultimi Capituli generalis humiliter supplicatum fuerit, ut in originem et filiationem Rmi D. N. Cistercii et illius domus adscribatur, praesens Capitulum generale dictos priorem et conventum et prioratum Sancti Lazari in filiationem Cistercii directam recipit, et in perpetuum eum manere in ea vult, in plenaria Ordinis potestate.

48. Cum per praecedens Capitulum anni 1618 commissum fuerit adm R. D. abbati Claraevallensi, ut quaedam Ordinis maximi momenti privilegia, praecipue quod decimarum de terris nostris toti Ordini a Summis Pontificibus olim concessa exemptionem et non solutionem attinet, pro monasteriis Galliae a rege christianissimo confirmari peteret, et arresta super huiusmodi negotio necessaria sumptibus Ordi-

nis obtineret, dictusque adm R. D. de Claravalle diligentissime et fidelissime huic commissioni vacaverit et invigilaverit, eamque executioni demandarit, Capitulum generale tam ut sumptibus a dicto D. de Claravalle circa supradictum negotium factis, qui ad summam 3552 librarum ascendunt, ut per praesens Capitulum generale taxati sunt, quam ut aliis eodem in negotio a syndico Ordinis factis ac in posterum pro Ordinis bono et emolumento faciendis subveniat, taxavit omnia utriusque sexus in Gallia existentia monasteria ad solvendum simul summam 6826 librarum turonen., ita ut unumquodque monasterium iuxta taxam sibi impositam solvat. Mandans propterea omnibus vicariis et commissariis ad istarum pecuniarum collectionem a Rmo D. Cistercii deputandis, quatinus ipsis deputatis intentionem et voluntatem Capituli generalis cum omnimoda ipsius auctoritate quamprimum sequantur. Abbatibus vero, abbatissis, prioribus, priorissis, cellerariis et aliis praedictorum monasteriorum officialibus, ne hanc solutionem remorentur, sed promptissime exsequantur ea qua debet reverentia obediant, ita tamen ut eorum monasteriorum, quae in commendam habentur, priores et monachi taxae suae solutionem ab abbatibus commendatariis secundum privilegia nostra repetere et restitui sibi curent, eosque ad id modis debitis compellant, implorato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

COMMISSIONES

49. Rmus D. N. comitatum Burgundiae et Belgium visitandum suscepit.

50. R. abbas de Firmitate Biturigiam, provinciam Turonensem, Andegavensem, Cenomanniam, Britanniam, Normanniam et Alverniam.

51. R. abbas de Pontigniaco Lugdunensem, Delphinensem, Provinciae, Linguae occitanae, universae Hispaniae, Vasconiae et Burdegalensem provincias.

52. R. abbas de Claravalle Pictaviensem, Xantonensem, Franciae, utriusque Marchiae, Campaniae et Picardiae provincias, cum potestate substituendi.

53. R. abbas de Morimundo universam Germaniam, Lotharingiam, Poloniam et provincias adiacentes.

54. Item, ordinatur a Capitulo generali, ut quatuor primi abbates Cistercium visitent, et Rmus D. Cisterciensis monasteria quatuor primorum abbatum, cum assistantia duorum ex ipsis sibi bene visorum.

VICARII ET SYNDICI PROVINCIARUM

55. *In Parlamento Parisiensi* : R. abbas de Septem fontibus procurator generalis in universa Gallia.

56. *Tholosae.* Vicarius : Magister noster Garrice. Promotor : Mr. N. Monsegut.

57. *Burdegalae.* Vicarius : Mr. noster Monsegut. Promotor : Sarramea.

59. *In utraque Marchia et Biturigia.* Vicarius : R. D. de Petris. Promotor : prior de Bono loco.

58. *In Alvernia, Vellayo et Foresto.* Vicarius : R. abbas de Septem fontibus.

60. *In Delphinatu.* Vicarius : R. abbas de Leoncello. Promotor : prior de Bonavalle.

61. *In provincia Provinciae.* Vicarius : prior de Thoroneto. Promotor : prior de Sinaqua.

62. *In utraque Pictavia.* Vicarius : R. abbas de Columba. Promotor : R. abbas de Stella.

63. *In Britannia.* Vicarius : R. abbas de Villanova. Promotor : prior de Begario.

64. *In Carnotensi, Blesensi, Auchanensi, Turonensi et Andegavensi provinciis, ac etiam in monasteriis de Trappa et de Clairetz.* Vicarius : R. abbas de Strata. Promotor : prior de Bella brancha.

65. *In Cenomania.* Vicarius : Magister noster de Persenia. Promotor : etiam prior de Bella brancha.

66. *In Normannia.* Vicarius : prior de Voto. Promotor : prior de Fonte Danielis.

67. *In Picardia et Bellovacensi.* Vicarius : R. abbas de Loco Dei. Promotor : prior de Ursicampo, qui etiam assessor vicarii propter infirmitates.

68. *In Campania.* R. abbas de Pietate.

69. *Veromandia.* Promotor : prior de Fusniaco.

70. *In Burgundia.* Promotor : procurator Cistercii.

71. *In comitatu Burgundiae.* Vicarius : R. abbas de Bythania. Promotor : R. abbas de Clarofonte.

72. *In Luxemburgo et Virduno et Trevirensi.* Vicarius : R. abbas de Aureavalle.

73. *In ducatu Sabaudiae.* Vicarius : R. abbas de Stamedio. Promotor : R. abbas de Bonomonte.

74. *In Pedemontio et universa Italia.* Vicarius visitator et commissarius : R. abbas de Charitate ad Lesinas, cum potestate visitandi congregationem Lombardiae et Tusciae in plenaria Ordinis potestate.

75. *In superiore Germania et Helvetia.* Vicarius : R. abbas Salemitanus.

76. *In Polonia.* Vicarius : R. abbas de Oliva.

77. *In Bohemia.* Vicarius : R. abbas de Aula regia.

78. *In Silesia.* Vicarius : R. abbas Lubensis.

79. *In Austria.* Vicarius : R. abbas de Sancta Cruce.

80. *In Styria.* Vicarius : R. abbas Rhunensis.

81. *In Bavaria.* Vicarius : R. abbas de Alderspach.

82. *In Franconia.* Vicarius : R. abbas Ebracensis.

83. *In inferiori Germania, Westphalia et usque ad Tractum Rheni.* Vicarius : R. abbas de Veteri campo.

84. *In regno Navarrae.* Vicarius : R. abbas de Oliva.

85. *In Hibernia.* Vicarius : R. abbas Dublinensis.

86. *In Belgio.* Vicarius : R. abbas de Camberone. Promotor : R. abbas de Laude.

87. *Generalis procurator totius Ordinis in Curia romana :* R. abbas de Charitate ad Lesinas.

* * *

88. Ego [i] infrascriptus Rmi D. abbatis Cisterciensis secretarius fidem facio praesens diffinitionum Capituli generalis transumptum suo originali collatum concordare. Actum Divione die 26 iulii anno Dominni 1623. Sic signatum : fr. Guillier.

* * *

89. Nos, frater Nicolaus Boucherat, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores, ... *etc.* Quoniam miserante Deo, sub potentissimi et augustissimi Caesaris armis, catholicae religionis hostes in Germania, Bohemia, Moravia, aliisque provinciis ceciderunt, in quibus Ordinis nostri non pauca sita sunt utriusque sexus monasteria, quae, dum licuit regularem disciplinam laudabiliter servavere ; Capitulum generale committit et mandat Reverendis abbatibus Salemitano, Lucellensi, Ebracensi, Caesariensi, Alderspacensi, Rhunensi, quatinus apud sacram Caesaream Maiestatem, aliosque quos oportuerit catholicos principes, debitis cum humilitate, reverentia, fidelitate ac diligentia, pro praefatorum monasteriorum restitutione instent. Datum, *etc.*

1628

A) ORDINATIO CAPITULI GENERALIS

anno Domini 1628, die vero 22 mensis maii et sequentibus apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES : Rmus D. N. **Cisterciensis**, s. th. pr., D. de Stame-

---

[i] *Loco istius attestationis habetur apud* A^3 : Praes. Capit. anni 1623 transs. ex copia originali collata per Ill. D. de Fieubet, regis christian. a secretioribus, Parisiis, die 21 junii anni 1675.

1628. *Fontes* : A^3 : A, 1-148 ; Du^3. : 8-40 ; L^8 : A, 1-148 ; P^3 : A, 1-148, T^3 : A, 1-50^a, T^5 : A, 8-40 ; T^8 : A, 7, 35. — cf. *ms.* 531 Bibl. abbatiae de S. Cruce in Austria.

dio, D. de Caesarea, D. de Laude, D. de Charmeia, monasteriorum abbates. Adm R. D. Yvo de **Firmitate**, s. th. pr., D. de Lucella, D. de Tribus regibus, D. de Fulcardimonte, D. de Strata, monasteriorum abbates. Adm R. D. Carolus de **Pontigniaco**, D. de Loco Dei, D. de Fonte Guillelmi, D. de Pietate, D. de Marcilliaco, monasteriorum abbates. Adm R. D. Claudius de **Claravalle**, D. de Dunis, De Villario, D. de Petris, D. de Villanova, monasteriorum abbates. Adm R. D. Claudius de **Morimundo**, D. de Veteri campo, D. de Clarofonte, D. de Sancto Benedicto, D. de Claroloco, monasteriorum abbates.

CONFESSARII : D. de Valle clara, D. de Columba, D. de Stella, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : Adm R. de Claravalle, prior et supprior Cistercii.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : D. de Veteri monte, D. de Castellione, D. de Freistorff, D. de Alta sylva, monasteriorum abbates.

PROMOTORES CAUSARUM : D. de Monte S. Mariae, D. de Septem fontibus.

EXAMINATORES CONTRACTUUM : D. de Riveto, D. de Leoncella, D. de Altaripa.

NOTARII AD PEDES : Ioannes Bougeret, secretarius Rmi D. Cisterciensis, fr. Iacobus de Saramea religiosus professus de Scala Dei.

NOTARII CAPITULI GENERALIS : D. de Pontefrigido ; D. de Charitate.

AUDITORES COMPUTATIONUM : Rmus D. N. et quatuor primarii abbates, et quos ipsis placebit eligere.

PORTARII DIFFINITORII : Coadiutor de Nizella, et coadiutor de Stamedio.

* * *

Anno Domini 1628, die 22 maii et sequentibus in generali Capitulo apud Cistercium celebrato, diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo D. N. D. Urbano Divina Providentia Papa VIII, *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*

3. Similiter pro R. D. Tristando de Bizet, ... *etc.*

4. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

5. Pro pace etiam ... *etc.*

6. Postremo pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIO DE ANTIQUO DEBITO

7. Nos, frater Petrus Nivellius, abbas Cistercii... *etc. ut in superioribus annis.*

DIFFINITIONES GENERALES

8. Praesens Capitulum generale illa omnia quae pro disciplina regulari in Ordine restauranda, moribusque reformandis, in praecedenti Capitulo sancita sunt, praecipue vero circa trium votorum exactam observationem, confirmat, et pro illis fortius stabiliendis, sequentia decreta condidit, quae ab omnibus Ordinis professis, prout unumquemque illorum afficiunt inviolabiliter observari praecipit.

9. Ac primo quidem visum fuit omnes antiquas diffinitiones in Capitulis generalibus ad hoc usque tempus editas sedula diligentia inspiciendas, et sepositis illis quae pro necessitate temporum factae fuerunt usuque abrogatae sunt, ceteras omnes in unum codicem compilandas, cui labori suscipiendo committuntur dilecti fratres Iacobus de Saramea [a], monasterii de Scala Dei professus, Rmi D. Cistercii sacellanus, et Ioannes Bougeret [b] eiusdem secretarius, qui compilatas huiusmodi diffinitiones et in unum codicem digestas, proximo generali Capitulo praesentabunt ab illo approbandas vel improbandas.

10. Et quia multa decreta circa monialium clausuram olim edita in multis locis executioni demandata non fuerunt, renovatur diffinitio a Capitulo generali anni Domini 1618 circa huiusmodi clausuram facta, quam praesens Capitulum observari strictissime praecipit, et in omnibus regnis et provinciis per illarum vicarios generales executioni, cessante omni excusatione, demandari.

11. Audito promotore causarum, qui multos Ordinis monachos differenter vestiri contra decentiam et uniformitatem, quas ab omnibus servari debet, graviter conquestus est, universis Ordinis professis iniungitur, ut iisdem omnino vestium et indumentorum genere et forma utantur, de scilicet modo quo in Cistercio et primis quatuor monasteriis vestiuntur illorum professi.

12. Religiosae omnium Ordinis professorum quieti Capitulum generale providere cupiens, districte praecipit ut in monasteria quae abstinentiae ab esu carnium noviter se tradiderunt, nullus omnino monachus ad ibidem commorandum mittatur, qui illam non sit paratus amplecti, nec similiter in monasteria quae in antiquissimo usu Ordinis et Apostolicae dispensationis beneficio permanserunt, ullus illorum mitti possit qui praedictae abstinentiae se dederunt, ne ex diversitate convictus

---

[a] Sarameya : *Du*³. [b] Bougeretius : *Du*³ *T*⁵.

unio scindatur et oriantur dissidia. Interim omnibus et singulis in quibuscumque monasteriis et locis commorantibus serio iniungitur ut ieiunia Ordinis exactissime servent.

13. Cum in religiosis Ordinibus vix quidquam boni ab illis sperari possit, qui statim a principio suae conversionis vera pietatis tinctura etreligionis spiritu non imbuuntur, idque in monasteriis, ubi exiguus est monachorum numerus vel impossibilis vel nimis difficilis esse quotidiana experientia esse comprobetur, idcirco diffinitiones Capitulorum generalium anni Domini 1605 et 1618 de instituendis communibus novitiatibus, ubi totius provinciae novitii sedulo in vera observantia instrui et educari possint, praesens generale Capitulum renovat, et Rdis quatuor primariis abbatibus committit, ut per universas regni Franciae provincias huiusmodi communes novitiatus sumptibus uniuscuiusque illarum institui quantocitius curent, idemque in aliis regnis et provinciis ubicumque opus fuerit, ab illarum vicariis generalibus fiat, et nullatenus negligantur ; sed nullus omnino ad cuiuscumque instantiam recipiatur novitius, qui requisitas omnes qualitates iuxta Summorum Pontificum decreta et constitutiones non habuerit.

14. Et quia Capitulo generali relatum fuit, a venerabilibus Ordinis abbatissis multos circa novitiarum receptionem committi abusus, illis omnibus et singulis sub poena excommunicationis et suspensionis a sua dignitate abbatiali prohibetur ne sine licentia patris immediati vel vicarii generalis provinciae, ubi patres immediati non sunt, ullas omnino novitias suscipere praesumant, quod ne ignorare possint, illis per singulas provincias vicarii generales praesens decretum intimabunt, providebuntque ut in novitiarum receptione et professionis emissione, omnes pecuniae quae dotis nomine debuntur, in emptionem bonorum immobilium pro monasterio in quo professionem emittent, quantocitius convertantur, nec plures novitiae suscipiantur quam quae ex monasterii annuis redditibus convenienter sustentari poterunt.

15. Ut occurratur scandalis, quae saepe oriuntur ex monachorum evagatione, Capitulum generale praecipit, ut qui deinceps sine licentia a suo superiore subscripta et sigillo illius obsignata e monasteriis suis egressi fuerint, ab illis apud quos diverterint, carceribus mancipentur, ibique per octiduum in pane et aqua ieiunent. Quod si in urbibus inventi fuerint absque huiusmodi licentia, curabunt provinciarum syndici, ut ibidem in carceres detrudantur, per octiduum similiter ieiunio in pane et aqua incarcerandi. Dabuntque operam praedicti syndici, ut superioribus monasteriorum, a quibus egressi fuerint huiusmodi vagabundi monachi, significetur illorum captura, et in carceribus detentio, ut quantocitius aliquem ex suis religiosis ad eos transmittant quibus incumbet huiusmodi errantes et vagabundos, postquam peracta poenitentia liberati fuerint, illos in ipsorum monasteria reducendi.

16. Vicariis provinciarum iniungitur, ut singulis annis, cessante legitimo impedimento, omnia et singula tam virorum quam mulierum sibi commissa monasteria visitent, sub poena depositionis a suis vicariatibus ; atque ut accurratius fiant huiusmodi visitationes, curent syndici provinciae ut vicarium comitentur illique assistant, et quidquid pro monasteriorum reformatione vel conservanda in illis observantia et disciplina regulari necessarium vel opportunum fuerit, omni studio promoveant. Dictis autem vicariis ratione laborum illis incumbentium in unoquoque monasterio, absoluta visitatione, solventur pro honorario decem libr. turonen., syndicis quinque. Et quando contigerit huiusmodi visitationes a commissariis Capituli generalis aut Rmi D. Cistercii fieri, tunc ratione commissionis extraordinariae illis decem aurei nummi solvi debebunt. Si vero a praefato Rmo D. vel ab antiquo et primariis quatuor abbatibus alicuius magnae occasionis gratia, aliquis commissarius in aliquod monasterium particulare mittatur, omnes itineris expensae cum honorario consueto ab huiusmodi monasterio illi exhibebuntur. Atque ut vicarii provinciarum supradicti alacrius suis officiis incumbant, ipsi illorumque monasterium pro tempore vicariatus eorum a contributionibus Ordinis eximuntur si abbates sint, in plenaria Ordinis potestate.

17. Ad evitandum animarum periculum et cavendum ne qui paupertatem voverunt, specioso aliquo praetextu in maledictum proprietatis vitium incidant, Capitulum generale omnibus monasteriorum utriusque sexus abbatibus, abbatissis, et aliis superioribus serio praecipit, ut monachos et moniales, qui a suis parentibus annuas pensiones habuerint, de cetero non patiantur illas propriis manibus percipere ; sed curent (omni seposita circa hoc indulgentia vel conniventia) ut a cellerariis simul officiariis administrationi temporalium bonorum praepositis percipiantur, in communem monasterii utilitatem applicandae. Et si illos quoquo modo in alia monasteria migrare contigerit, praefatae huiusmodi pensiones non illos sequentur, sed monasteriis in quibus professionem emiserunt, solventur.

18. Cum religiosam[c] vitam non decet saecularis conversatio, renovatur antiquum et saepius repetitum decretum quo cavetur, ne monachi Ordinis ecclesiis parochialibus inserviant.

19. Nullis monachis sit liberum ad Ordinem etiam strictiorem transire, nisi petita licentia a suo superiore. Et si quis illa non petita transierit, pro apostata et desertore sui instituti habeatur, nec alio modo recipiatur, si ipsum aliquando reverti contigerit, quam quomodo secundum Ordinis constitutiones fugitivi et apostatae recipiuntur.

---

[c] religiosorum : *Du*^{3}*T*^{5}.

20. Districte prohibetur omnibus abbatissis, ne monialium suarum professiones in aliis quam abbatum Ordinis manibus emitti patiantur. Et si quae aliter fecerint, omnium et singularum professiones quae a quibuscumque aliis receptae fuerint, nulliter factas, irritasque et nullius fore momenti Capitulum generale declarat ; nec huiusmodi moniales Ordini vel monasterio, in quo sic nulliter professae fuerint, incorporatas esse, liberumque semper ipsis fore ab illo discedere.

21. Moniales autem rite et legitime professae, si absque licentia Rmi D. Cistercii vel patris immediati aut vicarii generalis provinciae in scriptis obtenta egrediantur, in apostasiae crimen incidisse censeantur nec in reditu suo aliter recipiantur quam apostatae Ordinis.

22. Nulla in receptionibus novitiorum et novitiarum, vel in illorum professionibus, aut in primae missae celebratione, fiant convivia, sicut pluribus Capitulorum generalium diffinitionibus cautum fuit ; quas in omnibus utriusque sexus monasteriis exactissime servari praecipitur.

23. Omnibus abbatissis, praesertim vero abbatissae monasterii de Bello visu, alias de S. Bernardo prope Bayonam, sub poena inobedientiae et suspensionis a dignitate abbatiali, iniungitur ut alios in suis monasteriis patres confessarios non admittant praeterquam Ordinis religiosos, de quibus ipsis providebunt patres immediati.

24. Hortatur Capitulum generale omnes Ordinis conventus in quibuscumque monasteriis et locis degentes, ut quemadmodum in omnibus eiusdem Sacratissimae Virginis festivitatum vigiliis per totum Ordinem ieiunantur, ita et in omnibus eiusdem festivitatibus ab esu carnium ad imitationem Cistercii, communis omnium matris, abstineatur.

25. In mensa abbatum, etiam in praesentia quorumcumque hospitum, fiat lectio saltem in principio et fine mensae, ut refectionem corporalem spiritualia comitentur alimenta.

26. Cum innumera sint beneficia, quae singulis diebus omnes mortales, praecipue vero qui suavissimo religionis iugo subduntur, ab angelo suo custode accipiunt ; idcirco praecipitur ut eiusdem officium in omnibus Ordinis monasteriis, eadem die qua in Ecclesia romana, celebretur ; ad quem effectum Capitulum generale Rdo abbati de Claravalle committit, ut quamprimum ipsi commodum fuerit praedicto officio cantus ecclesiastici notas apponi curet. Pariterque iniungitur ut festum sancti Stephani, tertii abbatis Cistercii per totum Ordinem fiat instar divi Bernardi, sed sine octavis.

27. Renovatur diffinitio Capituli generalis anni 1618 de missa secundum ritum romanum celebranda, in qua, si conventualis fuerit, tres aut quinque ad summum collectae dicantur, quarum una sit pro Imperatore vel pro Regibus et aliis Potentatibus secundum provincias

ipsorum ditionis. Et quando fuerint duae missae celebrandae, tunc in prima dicatur huiusmodi collecta.

28. Renovatur etiam diffinitio circa confessiones, et praecipitur ut sacerdos illas audiens sedeat, neque suo poenitenti absolutionem nisi post impositam poenitentiam et iniunctam satisfactionem elargiatur.

29. Propter Ordinis reverentiam, cuius privilegia a Sanctae Sedis Apostolicae benignitate diversis temporibus impetrata omnibus illis necessitatibus consuluerunt, monentur omnes novi abbates, ut benedictionem abbatialem non ab aliis quam a Rmo D. Cistercii, vel ab aliis patribus Ordinis ad id potestatem habentibus accipiant.

30. Eleemosinae sive quotidianae sive aliae, quae statutis temporibus fiunt iuxta laudabilem Ordinis consuetudinem, ad portam monasterii distribuantur ; nec liberum sit illas in aliis locis ad libitum pauperibus erogare. Et quia multi commendatarii id facere negligunt, idcirco praecipitur prioribus et conventibus, ut quae in huiusmodi eleemosinas distribuendae fuerint, sibi ab illis consignari curent. Quod si recusaverint, ipsos ad id per iuris et iustitiae vias cogant ; siquidem quae ex bonis monasterii pauperibus traduntur, aequius et convenientius est monasterio monachorum distribui, quam per manus saecularium.

31. Cum suprema in Ordine dignitas particulari honore fulgere debeat, omnesque illi debitum cultum et reverentiam exhibere teneantur, Capitulum generale districte praecipit omnibus Ordinis professis cuiuscumque conditionis, gradus vel dignitatis existant, ut soli domino Cistercii, sive in scribendo sive in loquendo Reverendissimi titulum ac nomen attribuant, ab antiquissimis temporibus illi semper privative quoad omnes Ordinis praelatos attributum fuisse cognoscitur.

32. Quotiescumque monasterium Cistercium matrem ceterorum omnium vacare contigerit, totius Ordinis regimen et directionem penes quatuor primarios abbates residere Capitulum generale declarat. Et quia difficile esset ipsos semper pro omnibus occurrentibus negotiis simul convenire, poterunt ex seipsis unum vel duos eligere, qui nomine ipsorum praefatis regimini et directioni attendant.

33. Nullis omnino abbatibus praeterquam quatuor primariis et praesidibus congregationum liceat plures quam quatuor equitaturas ad Capitulum generale adducere. Et si qui aliter facere praesumpserint, in eo non admittantur.

34. Abbates regulares qui intimati defuerunt Capitulo generali, et legitimas excusationes non miserunt, in poenam contumaciae mulctantur triginta coronatis aureis, a vicariis generalibus provinciae exigendis, et cum illius contributionibus Rmo D. Cistercii transmit-

tendis. Quod tamen non extenditur ad abbates monasteriorum in congregationes reductorum.

35. In Capitulis generalibus super omni re et materia gravi quae proposita fuerit cum Diffinitoribus deliberaliter, nisi communi omnium et unanimi consensu videatur negotium propositum, absque deliberatione resolvi et determinari posse.

36. Diffinitiones praesentis Capituli generalis et omnium aliorum in posterum celebrandorum, postquam in scriptis per abbates notarios fuerint redactae, a Rmo Cistercii et quatuor primariis abbatibus pro tempore existentibus, necnon a praefatis abbatibus notariis subscribentur, ut integra illis adhibeatur fides, alioquin nullius sint vigoris et roboris. Transumpta vero illarum quae ad vicarios generales provinciarum vel alios fuerint transmittenda, solius praefati Rmi D. vel alicuius ex praefatis quatuor primariis abbatibus manu subscripta, plenam et integram fidem facient.

37. Procuratores generales, vicarii provinciarum et alii publici officiarii Ordinis a Capitulo generali creabuntur, et illo non sedente, a Rmo D. Cistercii et quatuor primariis abbatibus, quando aderunt.

38. Vicarii a Capitulo generali vel a Rmo D. Cistercii instituti visitando monasteria suarum provinciarum tenebuntur in chartis visitationum exprimere, cuius lineae sive filiationis sit monasterium quod visitant, et si quae nascantur appellationes ab illorum decretis, servabitur forma praescripta in diffinitione Capituli generalis anni 1605 quae sic incipit : Occurrente aliqua difficultate, etc. Ita ut in huiusmodi appellationibus primo ad patrem immediatum, deinde ad Rmum D. Cistercii vel ad Capitulum generale provocetur ; sed nemini liceat nisi in re gravi et magni momenti, quae ad famam spectet, appellationem interiicere, non autem in materia correctionis particularis vel alicuius rei similis.

39. Quoties contigerit aliquem ex abbatibus Ordinis propter tenuitatem reddituum et proventuum sui monasterii alicui alteri ex monasteriis commendatis praefici, etiam si quae ad prioris officium spectant ibidem praestet, ratione tamen dignitatis abbatialis, qua fungitur, non prior sed commissarius appellabitur.

40. Cum propter temporum calamitatem in defendendis Ordinis privilegiis et iuribus ingentes quotidie faciendae sunt expensae, Capitulum generale committit Rdis abbatibus de Firmitate et de Charitate ad Lesinas, necnon cellerario monasterii Cistercii, ut quantocitius ibidem conveniant et maturo consilio taxas contributionum annuarum Ordinis diligenter examinent, illisque in summam totalem redactis, an subeundis per totum Ordinem oneribus sufficere possint, exacte discutiant, ita ut exinde sumptus ad Capituli generalis celebrationem necessarii desumantur, illique qui procuratori generali in Curia romana

subministrandi sunt, et illi qui fieri debent tam pro sollicitatione processuum et legationibus ab Ordine demandatis, quam pro aliis quotidie emergentibus negotiis et necessitatibus. Et casu quo sufficere non posse censeantur, Capitulum generale praefatis Rdis abbatibus et cellerario potestatem facit taxas ampliores et quae olim maiores vocabantur, renovandi, ut supradictis omnibus oneribus pares et sufficientes esse possint, in plenaria Ordinis potestate [d].

DIFFINITIONES SPECIALES

41. *Litterae Congregationis Superioris Germaniae.* — Reverendissime in Christo Pater ac Domine Domine observandissime, Rdi adm. Patres ac Domini Primates, ceterique in Capitulo generali congregati, Spiritus Sancti assistentiam et obsequi paratissimam. — Quia prima fuit semper et etiamnum est potissima nostra cura, ut ad primorum patrum eorumdemque legitime sibi succedentium superiorum mentem et voluntatem nos accommodaremus, dubitare non possumus, quin ad id ulterius promovendum aliorum etiam ope adiuvemur et imitemur. Incitati sumus a Rmo D. Nicolao Boucherat, piae memoriae, generali, et ipso etiam toto venerabilis Capituli consessu anno 1623 per specialem diffinitionem, qua commissarii tres eiusdem Rmi D. generalis et Capituli generalis nomine deputati sunt, R. adm D. abbas Salemitanus, R. adm pater Ioannes Caesariensis, R. adm pater Michael Alderspacensis abbates, ut ceteris Rdis adm patribus abbatibus Superioris Germaniae convocatis concorditer deliberarent, quae ad reformationem Ordinis, disciplinae regularis innovationem et congregationem aliquam ineundam, ut exin uniformitas introduci possit, accommodata et opportuna viderentur, paruimus monitis, et sepositis domesticis occupationibus in id unum incubuimus, ut et congregatio iniretur, et uniformitas per omnia quantum fieri posset institueretur. Flavit Spiritus et fluxerunt aquae gratiarum, nam in uno Spiritu congregati, quae Spiritus sunt sapientes, et in anteriora extensi statuta condidimus, non quasi nos separaturi ab obedientia et reverentia Rmae V. Paternitatis, RR. primorum patrum et Capituli generalis, quae pro temporis exigentia et religiosorum in partibus nostris necessitate opportuna visa sunt. Rogamus itaque Rmam V. Paternitatem totumque Capitulum generale ea qua par est reverentia et submissione, ut qui in eamdem congregationem suaserunt, imo imperarunt, iidem iam initam et glutini indissolubili coniunctam suis confirmationibus roborare et consolidare. Praeterea, cum unanimi consensu per vota secreta omnium RR. patrum

---

[d] P^3T^3 *add.* : Nos infrascripti approbamus supradicta decreta Cap. gen. fr. Carolus abbas Pontigniaci ; fr. Claudius abb. Claraev., fr. Claudius abb. Morimundi ; fr. Joh. abb. Charitatis ; fr. Tiraquellus abb. S. Georgii, notarii Cap. gen. — T^5 *add.* : Ego infrascriptus a secretis R. adm D. mei Claraevallis abbatis, omnibus quibus intererit fidem facio quod praesens transumptum concordat de verbo ad verbum suo originali. F. Stephanus Bourgoin.

iterato nominati sunt in vicarium quidem generalem congregationis nostrae R. adm pater Salemitanus, in vicarios vero provinciarum Sueviae R adm pater Caesariensis, Franconiae R. adm pater Ebracensis, Bavariae R. adm pater Alderspacensis, Helvetiae et Alsatiae R. adm pater Lucellensis. Eosdem ut Rmae V. Paternitatis approbare et confirmare dignetur, eoque magis, dum nihil nisi quae Ordinis sunt, et in statutis pluribusque Capitulis generalibus conclusa decretaque in istis reperiantur invenianturque. Quod si Rmae V. Paternitates petitionem nostram ratam et iustam habuerint, omnes nos quam maxime obligatos habebunt, dabimusque operam ut accepti beneficii aeternum memores simus.

Quibus omnibus longaevam sospitatem Sanctique Spiritus gratiam, opem et auxilium vovemus, eorumdem precibus et sacrificiis nosmetipsos commendantes. In quorum fidem manu propria subscripsimus et consueto maiori congregationis nostrae sigillo muniri fecimus. Datum in monasterio B. M. de Caesarea, 8 die septembris anno 1626.

Rmae Paternitatis Vestrae, adm RR. PP. ac DD. Primatum et aliorum coabbatum devotissimi et devoti filii et confratres : fr. Thomas abb. Salemitanus, fr. Laurentius abb. Lucellensis, fr. Iacobus abb. Caesariensis, fr. Michael abb. Alderspacensis, fr. Ioannes monasterii Brumbacensis abb., fr. Sigismundus abb. Schontalensis, fr. Thomas abb. in Stamps, fr. Leonardus abb. Furstenfeldensis, fr. Michael Schelerius loco R. D. abb. Ebracensis, fr. Ioannes Kronier loco adm R. D. mei Danielis Adami abb. Raithenaslacensis, fr. Bernardus Helm loco adm R. D. mei abb. de Sancto Urbano. Secretarii : fr. Benedictus Staub Salemitanus, et fr. Christoforus Kolichen Caesariensis.

42. Cum pro parte Coronae Arragonum, Romanae et Germaniae congregationum statuta nuper ut eis edita Capitulo generali ab ipso approbanda aut improbanda humiliter praesentata fuerint, idem Capitulum generale reverenter supplicat Rmo D. N. Cisterciensi, ut illa legere et examinare dignetur, vel legi curet et examinari, eaque prout sibi placuerit confirmet aut infirmet, ac insuper ut petitionibus a diversis abbatibus Germaniae factis annuere aut eas reiicere velit in plenaria Ordinis potestate.

43. Visa supplici libello pro parte patrum venerabilium Guillelmitarum monasterii Sanctae Catherinae in Palude comitis, in dioecesi Coloniensi, existentis, requirentium ut dictum suum monasterium in Ordinem nostrum recipiatur, eidemque incorporetur. Capitulum generale ipsorum desideriis satisfacere cupiens, illud omnesque et singulas personas in eo existentes tam praesentes quam futuras acceptat, dictoque Ordini nostro incorporat, et filiationis monasterii nostri de Veteri campo in eadem dioecesi esse et fore in perpetuum, necnon secundum dicti Ordinis nostri constitutiones regi, et omnibus nostris privilegiis debere frui et gaudere declarat, in plenaria Ordinis potestate.

44. Super iniustis vexationibus, quas monachi monasterii nostri de

Valle patiuntur a fratribus Fuliensibus, supplicatur humiliter Rmo D. N. Cisterciensi, ut christianissimam Maiestatem nomine Capituli generalis adire velit, easque illi exponere, et remedium ab illa impetrare; neve dictus Rmus D. N. sumptibus gravetur, promittit Ordo expensas quas fecerit ipsi refundere. Et interim supradictis monachis de Valle permittitur ut mutuas pecunias ad subveniendum praesentibus suis necessitatibus usque ad summam quatuor millium libr. turonen. accipere possint, pro quibus, si opus fuerit, hypothecae subiicientur bona immobilia collegii nostri Parisiensis, ea conditione ut cum praedicti monachi ipsorumque conventus istis molestiis liberati fuerint, supradictam summam mutuo acceptam solvere et restituere teneantur.

45. Visis processibus visitationum in monasterio monialium in urbe seu oppido de Ruremond existenti, per R. abbatem Campensem, in Germania inferiori et adiacentibus provinciis vicarium generalem factarum, simulque articulis ibidem pro introducenda reformatione et observantiae regularis restitutione relictis. Praesens Capitulum generale omnia et singula in illis contenta approbanda et confirmanda esse censuit prout approbat et confirmat, debitaeque executioni demandari praecipit, in plenaria Ordinis potestate; ad quam effectum, si quae pro parte abbatissae et monialium dicti monasterii nascantur difficultates, procuratori generali in Curia romana existenti mandatur, ut apud SS. D. N. dicti vicarii generalis pias intentiones totis viribus promoveat, et remedia necessaria procuret.

46. *Lettres à Son Altesse Sérénissime Infante d'Espagne.* — Madame, Notre Chapitre general a sceu par l'abbé de Vieuchamp la benignité, de laquelle il vous plait user envers l'ordre de Citeaux, et comme V. A. S. le favorise de sa libérale protection lorsqu'il en a nécessité, Vos louanges ausquelles on ne peut plus rien ajouter, n'en sont que renouvellées; et cela nous fait aussi souvenir des obligations que nous avons à votre pieuse bonté pour laquelle nos âmes sont tellement allumées d'affection et de service, que les flammes ne s'éteindront jamais. Nous vous supplions cependant très humblement, Madame, nous vouloir continuer cette douceur, et à cet effet d'agréer ce que ledit abbé de Vieuchamp a fait touchant l'abbesse de Munster à Ruremond, et la défendre et protéger contre les vexations de la noblesse des Pays de Gueldre et autres, qu'ils voudroient injustement molester; ce qui nous obligera toujours davantage à continuer par tout notre Ordre les sacrifices que nous faisons à Dieu pour l'accomplissement de vos saints désirs, étant à perpétuité, Madame, vos très humbles et très obéissants serviteurs.

Les abbés tenants le Chapitre général à Citeaux.

47. Nobilibus Viris et nobili prosapiae de Reusenbergs. — Nobiles et generosi Viri, Lectae fuerunt in Capitulo generali nobilium et generosarum vestrarum Dominationum litterae de negotiis monasterii de Ruremont agentes, quarum intuitu quidquid salvis Summorum Pontificum

decretis et huiusce Ordinis constitutionibus fieri potuisset, nobilibus et generosis V. Dbus concessum et indultum fuisset. Verum quia non solum Summo Iudici Deo, sed etiam ipsius in terris vicario Summo Pontifici reddenda est exactissima ratio regiminis et directionis omnium et singulorum huiusce Ordinis monasteriorum ; idcirco vestris in hac parte desideriis complacere Capitulum generale cum nequeat, vestras nobiles et generosas Dominationes rogat ut pensatis mature rebus, quae Domini sunt quaerentes, et nobilium istarum virginum suarum propinquarum et consanguinearum saluti consulentes, Rdo abbati Campensi, vicario generali et supradicti monasterii patri immediato, in omnibus favere, ac institutam ibidem iussu superiorum secundum Ordinis statuta reformationem omnibus suis conatibus promovere studeant, condignam mercedem ab eo recepturi, qui solus sui amantibus praemio aeternitatis largiri potest ; quem precamur, ut nobiles et generosas vestras Dominationes diutissime incolumes servet. — Nobilium et generosarum vestrarum Dominationum humiles et addicti amici, abbates in Capitulo generali congregati.

48. Diffinitionem factam in Capitulo congregationis Coronae Arragonum, ne qui fuerit secretarius dictae congregationis illico post illius egressum ab huiusmodi officio abbas constitui possit, Capitulum generale in favorem eorum qui fideliter in praedictae congregationis servitium strenuam operam navaturi sunt, cassat atque irritat, et nullius roboris in posterum fore decernit, in plenaria Ordinis potestate.

49. Ne monasteria nostra monialium de Trasovaren, de Sancta Lucia et de Tulebras in Caesaraugustana dioecesi et Corona Arragonum existentia, defectu visitatorum aliquod in spiritualibus et temporalibus detrimentum patiantur, praesens Capitulum generale illa praesidi congregationis Coronae Arragonum, aliter vicario generali dicto pro tempore existenti, commendat et subiicit, illique omnimodam super illa superioritatem iuxta Ordinis constitutiones attribuit, in plenaria Ordinis potestate.

50. Capitulum generale necessitatibus monasteriorum in Maguntinensi et Trevirensi dioecesibus existentium providere cupiens, illa omnia tam virorum quam monialium visitationi et curae vicarii generalis Inferioris Germaniae, accedente tamen RR. abbatum consensu subiicit, ac pro illorum et ceterorum sub ipsius vicariatu existentium prospera directione concedit, ut dictos omnes RR. abbates in certum aliquem locum statuta die convocare, et de rebus [e] Ordinis, communicato cum illis consilio, quae ad eiusdem conservationem et incrementum pertinent, feliciter constituere possit, in plenaria, etc.

51. Visa fundatione collegii in civitate Lovaniensi a Rdo abbate

[e] *Hic desin.* T^3.

monasterii de Alna in dioecesi Leodiensi, pro suis et aliis Ordinis nostri religiosis, ad ibidem studiis vacandum anno superiori constructi, Capitulum generale huiusmodi opus summopere laudat, et dicto collegio omnia et singula privilegia concedit, quibus collegium nostrum D. Bernardi in civitate Parisiensi existens, omnesque in illo studentes fruuntur et gaudent, in plenaria, etc.

52. Lettres de Mrs du Parlement de Dole au Chapitre général. — Messieurs, Vous savez avec combien de piété, de zèle et d'affection le Sérénissime Archiduc Albert, de glorieuse mémoire, notre Prince Souverain seconda de son autorité la résolution que vous prîtes, il y a quelques années, d'établir un séminaire de votre Ordre en cette ville de Dole, non seulement pour les religieux de la Franche Comté de Bourgogne, mais généralement pour tous ceux du même Ordre de quelque province qu'ils soient, et que pour avancer cette bonne œuvre, il leur accorda pour 20 ans, et fit confirmer par Sa Sainteté, l'octroy des fruits de la première année de la vacance de tous les bénéfices qui en dépendent en ce pays ; et les gratifia en plusieurs autres manières, comme fait encore présentement Sa Majesté la Sérénissime Infante, en sorte que nous voyons aujourd'hui ce séminaire heureusement avancé et conduit par la prudence de ceux que vous avez commis pour y être les directeurs ; et que plusieurs religieux étrangers y accourent pour y être élevés aux bonnes lettres, en la philosophie et théologie et autres sciences, que l'on enseigne en cette Université et au collège, que nous y avons accomply. Ce qui nous a porté à la vérité un singulier contentement, pour le désir que nous avons et aurons toujours de prêter la main favorable à une entreprise si salutaire, et que nous savons être tant à cœur à sa Majesté et à la Sérénissime Infante, ayant cru, Messieurs, que ce serait un moyen très propre pour le faire croître et de multiplier de jour à autre, s'il vous plaisait accorder en sa faveur, que l'Université de ce lieu fut aussi au nombre des privilégiés de votre Ordre, afin que les religieux non seulement de ce pays mais encore de toutes les autres provinces fussent d'autant plus affectionnés à y venir prendre la teinture de la piété, science et vertu. Nous vous en prions, Messieurs, et espérons de votre prudence et affection singulière à ce qui touche le bien et avancement de la discipline régulière et sainte érudition parmi les votres, que vous seconderez en ce point notre bonne intention, qui sera toujours portée à l'avènement et protection de ce séminaire et de tout ce qui peut regarder le bien d'un Ordre tant recommandable par son ancienneté et autres qualités signalées. En cette attente nous vous baisons les mains et nous disons, Messieurs, vos affectionnés à vous faire service. Les Présidents et Gens tenants la Cour souveraine de Parlement à Dole. — Richard, à Dole, ce 19 may 1628.

53. Réponse à Messieurs du Parlement à Dole. — Messieurs, Nous ne pouvons que nous n'ayons continuelle souvenance, et nous serions ingrats de ne la pas avoir des bienfaits, que nous avons reçus pour notre collège de Dole de la libéralité et bénignité du Sérénissime Archiduc Albert d'heureuse mémoire, Prince duquel la piété, le zèle et la dévotion ont tou-

jours relui et ecclatté en toutes ses actions ; et serions pareillement blamables si nous ne reconnaissions la faveur et l'aide dont il vous a plu honorer et protéger notre dit collège aux occasions. C'est pourquoi nous vous remercions du soin que témoignez en avoir, désirant qu'il soit mis au nombre des séminaires privilégiés de notre Ordre de Citeaux, ayant de ce un désir égal au votre. Mais d'autant que notre puissance ne s'étend pas jusque là, et qu'il y a plusieurs bulles des Papes, et particulièrement de Benoît XII, qui nous lient les mains en cette matière, nous sommes contraints d'avoir patience, et procurer avec le tems, qu'il plaise au Saint Siège d'incliner aux humbles supplications que nous lui en ferons. Et cependant nous sommes, Messieurs, vos très humbles orateurs les abbés tenans le Chapitre général à Citeaux.

54. Attendu les incommodités que pourroient souffrir les R. abbés de la Ferté, de Pontigny et de Morimond, lorsqu'ils sont à Paris pour leurs affaires et pour ceux de l'Ordre, le Chapitre général leur accorde à tous trois le logis de l'abbaye de Busay pour leur demeure, à la charge qu'ils en payeront 150 livr. tourn. de louage pour chacun an. Le jardin dudit logis n'étant compris en la présente concession, et ce en la pleine puissance de l'Ordre.

55. Visa sententia data per Rdos Michaelem Tartier, abbatem de Petris, doctorem theologum et Henricum de Genes, abbatem de Strata, a nobis ad hoc specialiter deputatos in causa in praesenti Capitulo mota inter monachos et conventum monasterii de Obazina ex una, et venerabilem priorissam et moniales monasterii de Coiroux ex altera partibus, super querela per dictum conventum de Obazina in dictas priorissam et moniales de Coiroux earumque bona, praesens Capitulum generale dictam sententiam dictorum RR. abbatum confirmat, volens et declarans illam suum integrum sortiri effectum, in plenaria Ordinis potestate.

56. Strenuos conatus quos exhibet R. abbas monasterii B. M. de Caesarea, dioecesis Augustanae Sacrae Caesareae Maiestatis capellanus et consiliarius, ad recuperanda Ordinis monasteria, quae per temporum calamitatem in alienas manus devenerunt, Capitulum generale plurimum laudat ipsique omnimodam suam auctoritatem pro recuperatione omnium et singulorum a cuiuscumque sexus, qualitatis vel conditionis personis detentorum, tum apud Caesaream Maiestatem quam alibi, et ubicumque opus fuerit prosequenda elargitur, et super illa omnia quae recuperaverit in proemium laborum et expensarum quas in illis recuperandis sustinebit, superioritatem, et paternitatem immediatam ipsi et successoribus suis perpetuis futuris temporibus attribuit, in plenaria Ordinis potestate.

57. La sentence du 14 jour d'avril 1627 donnée par notre Rme seigneur abbé de Citeaux entre les vénérables prieurs et religieuses du

monastère de Coiroux d'une part, et les vénérables prieurs et religieuses du monastère de S. Bernard en la ville de Tulle d'autre, sortira son plein et entier effet. Et néanmoins le payement des 15 mille livres adjugées par ledit seigneur Rme à la dite Dame de S. Bernard et à son convent commencera dès le jour de intimation du présent décret, et ce en pleine puissance de l'Ordre.

58. Veu le don et leg [f] faits aux prieurs et religieux et convent de notre monastère de Pontron par le sieur Guy Dupont, la donation de la closerie faite aux mêmes par Étienne Fouchais, l'acquet de 4 livr. 3 sols de rente faite par les mêmes de Michel Guyot marchand et Marie Barberaux sa femme ; veu baillée à rente du lieu de la huetterie faite par les mêmes à noble homme Isaac Lekestre et à Damoiselle Isabelle de la Valinière sa femme, et la donation de la closerie de la Meltière faite aux mêmes, par messire Pierre Briouleau, le Chapitre général l'agrée, confirme et ratifie le tout en pleine puissance de l'Ordre.

59. Audito promotore Capituli super gravi nimium dispendio quod patitur Ordo a suppressione monasterii de Castellariis in insula de Rhé nuncupata, Capitulum generale cassat et annullat decretum suppressionis praecedentis Capituli et quaecumque inde secuta sunt, attento maxime quod secundum *Clementinam* nulla diffinitio quae sit maximi momenti vigere debet quin a subsequenti Capitulo fuerit confirmata. Proindeque ipsum Capitulum deputat Rdos abbates de Claravalle et de Pinu ad recuperandum dictum monasterium cum omnibus suis annuis redditibus, in eoque convenientem religiosorum numerum introducendum ac stabiliendum, omniaque quae fuerint ad hoc necessaria agendum et prosequendum. Ad quem effectum illis tam coniunctim quam divisim conceditur omnimoda facultas coram quibuscumque iudicibus et apud quaecumque tribunalia, totius Ordinis nomine agendi, aliaque omnia circa illud necessaria vel opportuna ipsis visa fuerint plene et integre faciendi et praestandi, in plenaria Ordinis potestate.

60. *A Monsieur de Thoras, Gouverneur de l'Isle et citadelle de Rhé.* — Monsieur, Les considérations qui nous portent à chercher les moyens de recouvrer notre abbaye des Petits Chatelliers en l'Isle de Rhé, sont si fortes, qu'elles nous obligent d'en donner la commission au R. abbé du Pin. Et comme les diligences qu'il y fera ne sauraient être de grand fruit s'il n'est assisté puissamment de votre faveur et protection, le Chapitre général assemblé en cette maison de Citeaux vous supplie très humblement, qu'elle ne lui soit point déniée. C'est chose que votre bonté et courtoisie nous fait espérer, et dont nous tâcherons de nous rendre dignes par les

---

[f] lag. : *P*[3].

bonnes et devotes prières, qui se feront par tous les monastères de cet Ordre qu'il plaise à Dieu vous continuer de plus en plus ses saintes bénédictions, et vous élever aux grandeurs en toute prospérité. Nous nous disons, Monsieur, vos humbles et devôts serviteurs, les abbés du Chapitre général de l'Ordre de Citeaux.

61. Sur la requête présentée par les prieurs, religieux et convent de notre maison de l'Aumône, autrement dite le Petit Citeaux, le Chapitre général leur permet d'accepter les quatre mille livres à eux léguées par le sieur de la Vernusse en son vivant abbé commendataire dudit lieu, et de plus qu'ils puissent rentrer dans l'ancien règlement, qu'ils avoient emologué et veriffié par la cour du Parlement, attendu que les dix années pour lesquelles le Rme seigneur abbé de Citeaux de pieuse mémoire y avoit consenty certaine diminution en faveur des bonnes volontés du défunt commendataire, et des réparations notables qu'il promettoit faire tous les ans en la maison susdite, sont passées. Et au cas que le sieur abbé commendataire présent fasse difficulté de les laisser jouir du règlement susdit, on leur permet de l'y contraindre par les voyes de justice et de poursuivre pour cet effet en la cour du Parlement.

62. Stabilitatem promissam in manibus venerabilis abbatissae monasterii de Claravalle in civitate Metensi per sororem Suzannam Poerson, monialem quondam professam monasterii de Colongiis, quod auctoritate Capituli generalis unitum fuit monasterio de Onans in oppido de Dola, praesens Capitulum generale confirmat ipsique gradum et locum tam in choro quam alibi iuxta diem receptionis illius in praedicto monasterio de Colongiis, et per praedictam de Claravalle abbatissam assignari mandat.

63. Visis et maturo examine pensatis quae in monasteriorum Aquitaniae, Occitaniae et aliarum adiacentium provinciarum visitatione, praesertim vero circa seminarium Tholosanum et communes novitiatus Rdus abbas de Pontigniaco fecit, ordinavit et constituit, Capitulum generale illa omnia et singula approbat, ratificat et confirmat, vultque ut plenos et integros suos effectus sortiantur.

64. Nominationem Serenissimae Dominae Infantis Hispaniarum simulque acceptationem per dilectos fratres monasterii de Nizella circa assumptionem dilecti fratris Gregorii de Lattefeur in dicti monasterii coadiutorem cum futura successione, praesens Capitulum generale attenta relatione ipsi factae meritorum et capacitatis dicti fratris Gregorii approbat et confirmat.

65. Litteras Magisterii et gradus doctoralis a fratre Gaspare Borcadore [g], monacho professo monasterii de Valle digna, in Academia

---

[g] Bordatore : *A*[3].

Valentina, de licentia Rdi Praesidis vicarii generalis et Diffinitorum tunc existentium obtentas, Capitulum generale approbat et confirmat, illumque privilegiis quibus doctores theologi in Ordine nostro gaudent in dicta nostra congregatione Coronae Arragonum gaudere debere declarat.

66. Visis litteris Magisterii et gradus doctoralis, quas olim dilectus frater Michael Albelda monachus congregationis nostrae Coronae Arragonum abhinc 26 annis, cum adhuc in saeculo esset, obtinuerat, simulque eiusdem approbatione et confirmatione in Capitulo generali anni 1618 illum obtenta, praesens Capitulum generale in favorem et proemium laborum, quos dictus frater Michael iam a multis annis pro Ordine sustinuit, denuo approbat et confirmat, illumque omnibus et singulis privilegiis, quibus doctores ... *etc. ut supra.*

67. Monachi qui ex monasteriis de Castellione, de Cheminione, de Precibus, de Sancto Albino in Bosco, de Alba, et aliis quae strictiorem observantiam amplexa sunt, pro maiori illorum quiete ad alia Ordinis monasteria dimissi fuerunt, in eis remaneant, nec in illa priora deinceps recipiantur. Ipsis tamen providebitur, ut in illis monasteriis, in quibus remanent, vel in aliis stabilitatem promittant, ut ibidem religioso suo officio satisfacere possint.

68. Visis et attente consideratis atque examinatis supplicatione venerabilis abbatissae et religiosarum monasterii de Ferventibus Aquis super translatione dicti monasterii in urbem Sancti Quintini et confirmationem Rdi D. Dionisii Claraevallis abbatis supradictae translationis sub data diei 2 decembris 1623, praesens Capitulum generale confirmavit et confirmat praedictam translationem et omniaquae propter illam acta et ordinata a praedicto Rdo de Claravalle abbate fuerunt, vultque omnia illa suos sortiri effectus.

69. Attento quod Rdus abbas de Claravalle non multas pecuniarum summas ex taxis super monasteriis impositis ad defensionem illorum, ne decimas super bonis suis solvere cogerentur, receperit plurimaeque adhuc recipiendae supersint, praesens Capitulum generale eamdem facultatem quae Rdo Dionisio Largentier ipsius praedeccessori concessa fuerat, concedit ; ad quem effectum mandat et praecipit universis provinciarum vicariis generalibus, ut omnes et singulas summas huiusmodi taxarum, unusquisque in sua provincia, colligant, ac illarum debitores ad solutionem per omnes iuris et iustitiae vias compellant, collectasque ad praefatum Rdum abbatem transmittant.

70. Quia nonnulli abbates et priores Ordinis, vel privilegiorum ignorantia ducti, vel etiam metu perculsi Conciliis provincialibus et synodalibus episcoporum dioecesanorum aliis evocari contra ipsius Ordinis immunitates et privilegia etiam hac in parte saecularia nonnullis in partibus interesse dicuntur ; qua ex re dicti episcopi exercendae in

personas regulares iurisdictionis turbandaeque monasteriorum pacis occasiones nonnunquam assumant. Idcirco praesens Capitulum generale tam dictis abbatibus sub poena suspensionis a functione suae abbatialis dignitatis usque ad proxime futurum Capitulum, quam prioribus et officiariis sub poena amotionis ab officiis ; aliis vero monasteriorum eiusmodi personis paraeciis minime deputatis sub poena per vicarios provinciarum infligenda, ne ad dicta Concilia provincialia vel synodales conventus, nisi quando agitur de decimis et rebus temporalibus accedant et in iis compareant, districtissime prohibetur.

71. Viso supplici libello dilectorum fratrum prioris et conventus monasterii de Cheminione in Cathalaunensi dioecesi, per quem exposuerunt miserabiles ruinas nuper a fulgure et igne coelesti ibidem causatas, praesens Capitulum committit priori monasterii Trium fontium in eadem dioecesi, ut pro illis reparandis agat cum Ill. ac Rmo D. Commendatario, et de ipsius consensu obtineat relaxationem sequestrationis reddituum et proventuum ad praedictum de Cheminione monasterium pertinentium, et pro nunc in manu regia positorum, tanto tempore ut usque ad talem summam, quae ad illius integram reparationem pro celebrandis ibidem divinis officiis et observanda punctualiter regulari disciplina sufficit.

72. Sur les plaintes présentées de la part de frère Jean de la Croix, prieur de notre monastère de Gondon, diocèse d'Agen, à l'encontre de frère Raymond Bouchot, religieux demeurant audit Gondon, qu'il dit avoir attenté sur sa vie, et qu'allant aux champs, il quitte son habit religieux, avec autres choses semblables. Le Chapitre général renvoye le tout au prieur de Bonneval en Rouergue, afin qu'il en soit par lui informé à la diligence du syndic de la province, et que dessus les charges qui résulteront des procédures, il rende jugement définitif.

73. Supplicationem fratris Prudentii Desivia [h] monachi professi monasterii de Petra, qua petit translationem suam perpetuam a dicto suae professionis loco, ratione cuiusdam delicti ab eo commissi, in temporariam commutari. Capitulum generale Rdo Praesidi congregationis Coronae Arragonum aliter vicario generali dicto remitti ut praefato fratri, si emendationem viderit, benigne consulat.

74. Sur les plaintes faites par le Promoteur, des apostasies, actions scandaleuses et crimes énormes de frère Nicolas Du Tertre [i], religieux de notre maison de Fontenet, le Chapitre général a commis et commet les Rds abbés de Pontigny, de Foulcarmont et de la Charmoye, et chacun d'eux en particulier pour lui faire et parfaire son procez, et le juger et sententier diffinitivement selon les charges et preuves qui se trouveront contre luy.

---

[h] de Siria : A^3P^3. [i] Tartre : P^3.

75. Sur les plaintes faites par le Promoteur à l'encontre de frère Nicolas Grenaud, religieux de Morimond, de divers crimes, excez, apostasies et brisement de prisons, dont il est accusé, le Chapitre général a renvoyé et renvoye le tout au Rd abbé de Saint-George en la ville de Metz, pour en informer à l'instance de tel Promoteur qu'il voudra choisir et nommer pour cet effet, et sur les charges résultantes des informations, sententier et rendre jugement diffinitif à l'encontre dudit frère Nicolas ; si d'aventure les faits n'étoient si énormes qu'il jugeat plus à propos d'envoyer les procédures et informations à notre Rme seigneur abbé de Citeaux, pour le sententier lui-même.

76. Sur la requête présentée de la part du sieur abbé commendataire de Bonnefont au sujet du règlement y fait par le R. abbé de Pontigny, commissaire du Chapitre général, on renvoie l'affaire au R. abbé de Morimond, pour en ordonner par jugement diffinitif, selon qu'il verra être à faire selon Dieu et conscience.

77. Super quaerimoniis a Promotore factis de quibusdam commissis a provisore collegii nostri Tholosani, Capitulum generale committit Vicario provinciae Tholosanae et priori monasterii de Bonavalle, ut praehabita diligenti et fideli informatione dictum provisorem si ita ipsius demerita exigere videantur, a suo officio destituant ac deponant, aliumque idoneum et capacem in ipsius locum instituant. Insuperque mandat dictis Vicario et priori, ut praefatum collegium Tholosanum singulis annis secundum Ordinis constitutiones visitent, et quae necessaria videbuntur pro illius felici directione exsequantur.

78. Capitulum generale iustae supplicationi Rdi abbatis et conventus de Hemroid in dioecesi Trevirensi, annuens, decernit, ut occurrente dicti monasterii vacatione, Rdi de Herbach, de Heisterbach, de Veterimonte et de Vetericampo abbates pro tempore existentes, electioni in dicto monasterio de Heimroid faciendae praesideant, duoque ex illis ab eisdem priore et conventu, prout ipsis consultius visum fuerit, ad hunc effectum accersiri et vocari prossint, salva tamen confirmatione eius ad quem spectaverit.

79. Super difficultatibus, litibus et processibus motis et movendis inter venerabilem abbatissam monasterii B. M. de Claravalle, in civitate Metensi, ex una, et R. abbatem monasterii B. M. de Pontefrigido, alias de Sancto Georgio, in eadem civitate, ex altera partibus, ratione assertae unionis praedicti monasterii de Pontefrigido cum praedicto de Claravalle monasterio ; Capitulum generale committit Rdis abbatibus monasteriorum de S. Benedicto et de Alta sylva in dioecesi Metensi, vel eorum alteri, ut mature consideratis partium hinc inde iuribus sententiam diffinitivam ferant ac pronuntient, illamque debitae executioni demandent.

80. Sur ce que sœur Jacqueline du Cret, religieuse du monastère

de Sainte-Catherine près Nancy, supplie d'être dispensée de l'observance régulière à raison des grandes indispositions de sa personne qui ne lui permettent de faire son devoir selon le dû de sa profession ; le Chapitre général commet au R. Vicaire de la province qu'il en ordonne et fasse pour son soulagement ce qu'il jugera nécessaire selon Dieu et conscience.

81. Super expositione a Promotore facta cuiusdam insolentiae, quae in monasterio de Petrosa contigit, Capitulum generale committit Rdo abbati de Riveto et venerabili priori moderno de Bolbona, tam coniunctim quam divisim, ut super excessibus in Rdos abbates de Columna et de Stella commissis, necnon de moribus et vita prioris et monachorum inde expulsorum diligenter et fideliter informent, et secundum onera ex informationibus resultantia contra omnes illos, qui sufficienter convicti fuerint, sententiam diffinitivam ferant, si iuris esse iudicaverint, in dicto de Petrosa monasterio restituant.

82. Sur la requête présentée par les prieurs et religieux de Mercy Dieu tendante à ce que frère Pierre Guiry, religieux du monastère de Roches, accusé d'être lépreux, soit renvoyé au lieu de sa profession, le Chapitre général a ordonné et ordonne qu'il y soit renvoyé, et par le père immédiat soit pourveu d'un autre en sa place en ladite maison de la Mercy Dieu.

83. Sur la requête de l'oeconome député par le roy pour le régime et administration du temporel de l'abbaye de Bonnecombe, étant présentement en régale, se plaignant du nombre des religieux, que le R. abbé de Pontigny auroit en sa visite augmenté en ladite abbaye, les rentes et revenus de laquelle ne pourroient supporter cette charge ; le Chapitre général a commis et commet en pleine puissance de l'Ordre le R. abbé de Clairvaux pour prendre connaissance et écouter les griefs et raisons dudit oeconome, et des prieur et religieux dudit Bonnecombe, pour le tout mûrement considéré être par lui ordonné ce qu'il trouvera être de justice.

84. Auditis lacrimabili et deplorando statu devoti monasterii B. M. de Ponte regis, alias Kunigsbruch in dioecesi Argentinensi, quod ante paucos annos per milites Mansfeldicos in Alsatia et multis aliis provinciis crudeliter grassantes omnino exustum et flammis consumptum est ; summa quoque dilectae sororis Catharinae abbatissae in praecipuis magisque necessariis officinis reparandis et bonis eiusdem conservandis sollicitudine et praesertim in iis quae ad Dei cultum et animarum sibi commissarum salutem pertinent assiduitate et vigilantia ; licet paternae consolationis et auxilio aliquamdiu destituta remanserit praesens generale Capitulum providere cupiens, ne in posterum paterna visitatione et directione praefatum monasterium careat, R. D. Ioannem abbatem Clariloci in Tullensi dioecesi (de cuius ad restau-

randi Ordinis splendorem zelo plene est informatum) committit, quatinus se quamprimum ad eiusdem monasterii refugium, quod est in civitate Argentinen. tranferat, ibique et in dicto monasterio omnia et singula visitanda, reformanda, corrigenda, sive emendanda, instituenda et destituenda esse, tam in capite quam in membris, cognoverit, visitet, reformet, corrigat, emendet, instituat sive destituat, discordes ac rebelles religiosas, si quae fuerint, ad obediendum per omnes vias legitimas, etiam per translationem ad alia monasteria compellat. Patrem confessarium atque conscientiarum directorem de Ordine ipso, si idoneum reperire poterit, sin minus, alium quempiam capacem de quovis alio coetu familia nominet et praeficiat. Rationes accepti et expensi sibi a curatore et oeconomo, praesenta abbatissa et duabus senioribus fideliter exhiberi et reddi faciat, ipsumque curatorem continuet sive removeat, si sua id exigunt demerita, aliumque eius vice subrogat. Aeris alieni ante hoc necessario conflati exsolutionem quo meliori modo poterit procuret, etiam si aliquid ex minus necessariis redditibus divendi aut hypothecæ tradi necesse foret, ne temporis lapsu summam augeri contingat. Et generaliter omnia et singula ordinet, statuat, ... *etc.* Praesentibus usque ad proximum generale Capitulum in suo robore duraturis.

85. Committitur R. abbati de Ponte frigido, alias de S. Georgio in civitate Metensi, ut si post legitimam et debitam informationem per eum faciendam, ipsi constiterit concessionem quam R. abbas et conventus monasterii de Freistorff facere intendunt cuiusdam partis terrae, centum circiter et sexaginta iugera continentis, una cum quibusdam adiacentibus pratis incolis loci de Chemerii subditis eorum in perpetuam emphiteosim esse et fore in evidentem utilitatem dicti monasterii de Freistorff, petitam huiusmodi concessionis faciendae licentiam praefatis abbati et conventui impertiatur.

86. Viso et examinato contractu facto die 30 mensis augusti anni 1568 inter venerabilem et discretam personam magistrum Rogerium Le Gallois, priorem Sancti Pauli, ex una, et monachos et conventum de Thorigniaco ex altera partibus, circa victum, vestitum, mensam conventualem et numerum religiosorum in dicto monasterio de Thorigniaco, et alia in praefato contractu contenta et specificata, Capitulum generale praefatum contractum confirmavit et confirmat.

87. Audita relatione R. abbatis Claraevallis super supplicatione religiosorum prioris et conventus monasterii de Valle Richerii sub data die 15 mensis aprilis praesentis anni, visisque contractu facto die 19 novembris anni 1601, inter R. patrem Nicolaum... abbatem commendatarium dicti monasterii de Valle Richerii et monachos et conventum eiusdem monasterii, confirmatione dicti contractus facta a R. abbate de Claravalle sub data diei 12 mensis decembris anni 1602 ordinationi-

bus dicti abbatis sub data diei 28 mensis decembris anni 1613, et prioris de Voto Vicarii generalis Ordinis in Normannia sub data diei 29 mensis augusti anni 1627 ; Capitulum generale praefatum contractum ipsiusque confirmationem et ordinationes confirmat vultque suum sortiri effectum.

88. Viso et examinato contractu facto die 31 maii anni 1621 inter generosum dominum Nicolaum de L'Hôpital, Maiestatis christianissimae utriusque ordinis equitem et Galliae Mareschallum, ex una, et R. D. abbatem, monachos et conventum Claraevallis ex altera partibus, circa venditionem quam dictus R. abbas et monachi fecerunt dicto domino Mareschallo quorumdam iurium, iurisdictionum ac bonorum temporalium in dicto contractu specificatorum, Capitulum generale praefatum contractum confirmavit et confirmat.

89. Visis et examinatis contractu facto die 10 mensis decembris anni 1627, inter R. D. abbatem, monachos et conventus monasterii Pontis frigidi, alias S. Georgii apud Mediomatrices, ex una, et dominum Claudium Bouchot [j], dominum de Vaillet, ex altera partibus, circa permutationes quorumdam bonorum temporalium latius in dicto contractu specificatorum, simulque informationibus auctoritate et commissione R.abbatis Morimundensis per priorem monasterii de Villerio in Betnach, super commodo et incommodo dictarum permutationum pro dicto monasterio Pontis frigidi captis, praesens Capitulum generale praefatum contractum confirmavit et confirmat in plenaria Ordinis potestate, sub eadem exceptione et conditione qua R. abbas de Morimundo, tamquam pater immediatus dicti monasterii de Ponte frigido, praedictum contractum etiam confirmavit.

90. Veu la grande lesion que recoivent et souffrent les prieur religieux et convent de l'abbaye de Faise, en la transaction qu'ils ont passée avec le sieur abbé commendataire dudit lieu touchant leur mense conventuelle, laquelle est contre les privilèges concédés à notre Ordre, par lesquels ils doivent avoir la troisième partie du revenu temporel de leur monastère franche et quitte de toutes charges, le Chapitre général annulle, casse et rescinde ladite transaction, et assigne ausdits prieur et religieux la troisième partie de tous les biens et revenus temporels de ladite abbaye de Faise franche et libre, comme dit est, de toutes charges. Et de plus leur ordonne, qu'ils ayent à poursuivre et contraindre par toutes voyes de justice leur dit sieur commendataire à l'exécution du présent décret, et d'employer aux réparations toutes et une chacune les sommes de deniers qu'il a receu pour cet effet.

91. Veu la transaction faite le 10 jour du mois d'aout 1611 entre le sieur abbé commendataire de Perseigne d'une part, et les prieurs et

[j] Cometor dominum de Vaillier : *A*[3].

religieux dudit Perseigne d'autre part, par laquelle ledit sieur commendataire cède ausdits prieur et religieux tous les noms, droits et actions, pour retirer tous et chacuns les biens temporels aliénés de ladite abbaye et baillez à plus haut terme de neuf ans, afin de les unir et incorporer à la manse conventuelle desdits prieurs et religieux, aux conconditions portées par ladite transaction. Le Chapitre général a confirmé, approuvé et ratifié, confirme et approuve et ratifie ladite transaction avec les clauses et conditions contenues en icelle. Declarant au surplus que les métairies de Vermond en la paroisse de Bethon, Besmières en la paroisse de Lignières, Le Petit Perseigne en la paroisse de Noscy, les terres au Bureau en la paroisse d'Aucines, les pavemens et le Parc l'abbé en la paroisse de Neufchastel, et autres terres, censes et rentes retirées par lesdits religieux et prieur en vertu de ladite transaction, etre dès a présent comme dès lors unies et incorporées à la manse desdits prieurs et religieux.

92. Visa per nos supplicatione Rmis D. Boucherat defuncto et Nivelle praesenti, a R. P. Gabriele Durand abbate de Monte Sanctae Mariae ; visis item commissionibus eorumdem Rrum DD. quibus mandatur fratri Georgio Dournon, monacho et priori monasterii de Balerna in comitatu Burgundiae, ut de commoditate et incommoditate contentorum in dicta supplicatione inquirat, sub datis diei 2 februarii 1625 et diei 14 maii eiusdem anni; viso processu per dictum fratrem Georgium super commodo et incommodo ; viso item contractu inito 5 ianuarii 1624 inter dictum Rdum Gabrielem abbatem, priorem et conventum praefati monasterii de Monte, ex una parte, et Antonium Company notarium ex altera, super confectione libri recognitionum dominii directi dicti monasterii de Monte, necnon confirmatione dicti contractus facta per Rmum D. N. 6 novembris 1626, praesens Capitulum generale dictum contractum approbandum et confirmandum censet, et in plenaria Ordinis potestate et auctoritate approbat et confirmat.

93. Visa supplicatione R. Petri Frèriau abbatis de Leoncella, qua deponit se habuisse quamdam domum valde ruinosam in civitate Valentinensi in Delphinatu, cuius reparatio maximarum et notabilium creat expensarum et plurimi valoris quam maiori sui monasterii bono, coactus fuit vendere sub redditu annuo 30 librarum dicto abbati persolvendarum in festo Sancti Appollinaris die 5 octobris ; visa item relatione ruinarum dictae domus facta per Marcellinum Rignon et Natalem Mecronneur [k] magistros expertes, et recepta per magistrum Guichard notarium dictae civitatis die 27 maii 1628 ; viso denique contractu alienationis dictae domus factae per dictum R. Petrum abbatem

---

[k] Meironneur : *A^3P^3*.

Augustino Ferraudin sub dicto redditu annuo 30 libr. ut dictum est, recepta per dictum Guichard notarium die 30 maii 1626 cum clausula quod dictus Ferraudin solvendo sexcentes libras unica perfecta solutione poterit liberare se, et dictam domum a solutione et praestatione annua dictarum 30 librarum ; praesens Capitulum generale dictam alienationem ratam habet et confirmat ea lege quod si quando contigerit dictum Ferraudinum emptorem solvere dictas sexcentes libras, dictae sexcentae librae convertentur in bonum et utilitatem permanentem et non perituram dicti de Leoncello monasterii, alias praesens approbatio nulla sit.

94. Visa supplicatione Venerabilium prioris et conventus monasterii de Morimundo, qua petunt facultatem sibi fieri recuperandi medietatem quarumcumque decimarum per R.Gabrielem de Saint-Belin, nuper abbatem Morimundi, venditarum, quas antea dictum monasterium habebat et possidebat, in loco vulgo dicto Bourbonne les Bains, et cui venditioni metu in prudentem virum cadente ipsi tunc consenserunt. Quae quidem venditio dicto monasterio, ut in dicta supplicatione narratur, maximae est laesioni, et tamen a quodam Capitulo generali confirmata esse dicitur. Visa item in eadem supplicatione eorumdem venerabilium prioris et conventus petitione, qua exponitur dictum monasterium habere quoddam molendinum aquae in vico dicto Colombey tenuissimi proventus propter vicinum aliud in eodem vico molendinum Smi ducis de Lotharingia dicti vici de Colombey Domini, et proinde ad vitandas multiplices rumores inter praedictum Smum ducem et dictum monasterium, potestatem sibi fieri dictum molendinum vendendi, et aliud in alio commodiori loco et longe maioris redditus construendi. Praesens Capitulum generale dictis venerabilibus priori et conventui eos a praefato consensu, in quantum iuris est, relevando, dictas decimas recuperandi, dictumque molendinum vendendi, et novum, ut praefertur, construendi, facultatem facit.

95. Viso contractu emphiteutico facta die 23 iulii 1627 per R. Claudium abbatem Morimundi et priorem et conventum eiusdem, Ioanni Claussi mercatori loci dicti des Gouttesbas cuiusdam terrae incultae in dicto loco des Gouttes sub annuo redditu 28 solidorum turonen., et aliorum dominii directi iurium, praesens Capitulum generale dictam emphiteusim approbat et confirmat.

96. Viso contractu venditionis vineae cuiusdam sitae in territorio de Fouvans in comitatu Burgundiae factae Christophoro Bertiot mercatori dicti loci de Fouvans, per fratrem Gabrielem Montarby priorem et procuratorem R. abbatis et conventus de Theuley, mediante summa 240 libr. monetae currentis in dicto comitatu Burgundiae ; visa approbatione dictae venditionis per dicti de Theuley conventum ; viso item processu facto super commodo et incommodo dictae venditionis

ad requisitionem dicti Montarby procuratoris per Petrum Ojeuvat [l] locum tenentem Balliagii dicti loci de Fouvans cum dicti processus a R. abbate approbatione, attento quod nulla apparet praedictarum 240 libr. impensa et conversio in bonum et utilitatem dicti monasterii, praesens Capitulum generale dictum contractum venditionis, quarum pretium in bonum stabile monasterii convertatur.

97. Visa supplicatione venerabilium abbatissae et monialium monasterii de Lestanche in Lotharingia, facta R. Claudio abbati Morimundi ; visa attestatione et permissione dicti R. Claudii, qua conceditur dictis abbatissae et monialibus venditio cuiusdam domus cum torculari ruinosae et sitae in oppido Novicastri in Lotharingia ; viso item instrumento quo testatur et apparet Smum Principem de Salsbourg instituisse in dicto oppido Novicastri sua bannalia torcularia ; visa item venditione dictae domus cum torculari mediante pretio 300 libr. Barrensium facta Antonio Bourgogne pharmacopolae, praesens Capitulum generale dictam venditionem confirmat et approbat, ea tamen lege quod intra mensem a die datae praesentis approbationis, dictae abbatissa et moniales 200 libr. per eas, ut patet ex ipsa venditione, a dicto emptore, receptas dicto R. Claudio de Morimundo debitam reddent rationem.

98. Viso contractu emphiteosis facto per venerabilem D. Petrum Regnault, priorem de la Joye, cellerarium monasterii de Cistercio in favorem Claudii Roux et Mirlandae Masiré eius uxoris grangiae dictae de Folchetif cum reservatione annui redditus unius eminae frumenti aliorumque reddituum in dicto contractu contentorum, et id ad tertiam dicti Leroux eiusque uxoris generationem inclusive. Visa approbatione dicti contractus facta per f. m. R. D. Nicolaum Boucherat dicti de Cistercio monasterii abbatem et eius conventum. Visa denique praefati contractus ratificatione per dictam Mirlandam Masiré, le Roux uxorem sub datis tam contractus quam approbationis et ratificationis praefatarum 17 aprilis 1619, 11 maii 1621, 21 novembris eiusdem anni 1621. Praesens Capitulum generale dictam emphiteosim ad tempus dumtaxat in ea praescriptum approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

99. Visa alienatione facta cuiusdam domus seu grangiae, horti, vineae, aliarumque possessionum, sitae in vico dicto de Morey, et dictae alienationis confirmatione, cum augmentatione prioris pretii usque ad summam 600 libr. turonen., in favorem monasterii de Cistercio, facta praedicta alienatione per f. r. R. D. Nicolaum Boucherat dicti de Cistercio monasterii abbatem, et venerabilem D. Petrum

[l] Oiennot : A^3.

Regnault eiusdem monasterii cellerarium, sub data diei 7 mensis iunii 1623, praesens Capitulum generale dictas alienationem et confirmationem approbat et confirmat.

100. Viso processu facto super alienatione 15 iugerum terrae incultae et nullius proventus sitae in loco dicto de Bondre, cum attestatione facta maioris commodi pro dicto monasterio per arbitros et iudices expertos ad id vocatos et nominatos. Visa item emphiteusi facta dictorum 15 iugerum Henrico Maugin habitatori de Seriche, sub annuo redditu 45 solidorum turonen., per R. Carolum Crouin de Chaloché monasterii abbatem et eius conventum die 27 aprilis 1625 ; praesens Capitulum generale dictam alienationem confirmat.

101. Contractum alienationis emphiteuticae cuiusdam tenuis viridarii nullius proventus et redditus factam per R. Ioannem a Watteville, abbatem monasterii de Charitate in favorem Ioannis Guignard et per dicti monasterii priorem Gasparem Conseret, et alios probos viros ad id vocatos utilem iudicatum, sub annuo redditu sex grossorum monetae in dicto comitatu currentis. Alium item contractum per eumdem R. abbatem in favorem Nicolai Tissot le jeune, et Guiottae Rondot, factum sub redditu annuo 20 solidorum dicti comitatus, utilem, ut dictum etiam est iudicatum, cuiusdam vineae omnino deperditae. Tertium item contractum similis emphiteuticae alienationis alterius cuiusdam vineae item deperditae, sub annuo redditu 20 solid. praedictae monetae, utpote utilem dicto monasterio iudicatum, factum in favorem Nicolai Tissot le jeune et Guiottae Rondot, praesens Capitulum generale approbat.

102. Visa commissione Rmi D. N. facta Rdo abbati de Fulcardimonte 29 decembris 1627 pro permutatione facienda cuiusdam fundi dicti Renouillures, necnon 50 arpentorum terrae, pratorum, vinearum ; atque etiam quarumdam rentarum sitarum in vico dicto Saint Vrin, pertinentiarum monasterii de Villariis. Visis duabus informationibus per dictum R. abbatem de Fulcardimonte factis tam circa valorem dicti fundi et 50 arpentorum terrae, ut dictum est, quam circa quamdam firmam cum pratis, nemoribus et terris in vico dicto de Longeville in parochia de Duison usque ad numerum 43 arpentorum, quae pertinent ad domicellam dictam de Charron. Viso processu dicti abbatis de Fulcardimonte super commodo et incommodo dictae permutationis ; visa denique dicta permutatione inter venerabilem abbatissam et moniales dicti de Villariis monasterii, et praedictam domicellam de Charron facta die 10 currentium mensis et anni, praesens Capitulum generale dictam permutationem cum apposita clausula respectivae inter partes hypothecae approbat et confirmat.

103. Visa transactione facta inter R. abbatem de Petris, monachos et conventum ex una, et Gilbertum Le Groin ex altera partibus, super

pacificatione cuiusdam inter dictas partes litis pro solutione quorumdam iurium praetensorum per dictum R. abbatem de Petris et conventum in bonis et possessionibus dicti Le Groin ; qua transactione dictus Le Groin pollicetur in posterum se soluturum dicta iura, de quibus lis erat ; et praeterea praesenti pecunia daturum se, sicut dedit et numeravit die dictae transactionis, 180 libras in recuperationem cuiusdam villae seu grangiae dictae La Bergerie antea alienatae convertendas, praesens Capitulum generale dictam transactionem cum clausula conversionis dictarum 180 librarum in dictae grangiae de La Bergerie recuperationem confirmat et approbat.

104. Visa transactione facta inter R. abbatem commendatarium de Cheseriaco monasterii in Sabaudia et priorem et conventum eiusdem, tam super victu, vestitu, aliarumque rerum ad congruam dictorum prioris et conventus honestam sustentationem. Visis item in dicta transactione plurimis articulis in praeiudicium Ordinis ; praesens Capitulum generale dictam transactionem irritat, mandando Rdo abbati de Stamedio in illis partibus Ordinis Vicario generali, quatinus servata Ordinis in omnibus iurisdictione, dicto conventui de Cheseriaco numero personarum regularium debito prius stabilito, de necessariis ad eorum victum et vestitum aliasque ad dicti conventus decentem statum pertinentia sufficienter provideat.

105. Viso libro exhibito ex parte R. abbatis et conventus monasterii de Dunis in Belgio, et in dicto libro septem articulos conventionis factae inter Rmum episcopum Brugensem ex una, et praefatum R. abbatem et conventum ex altera partibus, super recuperatione bonorum monasterii Touzan quondam mensae episcopi Brugensis unitorum. Visis in dicto libro approbationibus dictae conventionis venerabilium canonicorum Ecclesiae cathedralis Brugensis, prioris et conventum B. M. de Dunis, duorum monachorum reliquorum de conventu dicti monasterii de Touzan, regis catholici, SS. Domini Urbani Papae, viso eiusdem regis catholici diplomate pro registratione bullae. Visa dictae bullae registratione in curia Brugensi ; permissione dicti catholici regis pro unione facienda dicti monasterii Touzan monasterio de Dunis, et pro translatione de Dunis monasterii in civitatem Brugensem. Visa denique approbatione dictae conventionis ab adm R. abbate de Claravalle patre immediato facta, supradictis omnibus tredecim foliis in dicto libro scriptis, praesens Capitulum generale ad dictas conventiones in dicto libro contentas, videndas et examinandas commisit Rdis abbatibus de Camberone, de Villario et de Laude, quatinus eorum informatione proximo Capitulo generali futuro relata, quid iuris sit iudicetur.

106. Visa alienatione quorumdam redditNuum seu rentarum et decimarum turris veteris et dirutae, terrae, nemoris, aliarumque pos-

sessionum dicti monasterii de Bonavalle in Delphinatu, in parochia dicta de Monceau factae Petro de Gratel domicello, mediante pretio 2800 librarum sub redditu annuo 135 librarum, donec praedictum pretium 2800 libr. penes emptorem remanebit. Visa Capituli seu conventus dicti monasterii deliberatione super dicta alienatione habita. Viso denique processu facto super necessitate dictae alienationis et valore bonorum alienatorum, praesens Capitulum generale dictam alienationem approbat et confirmat.

107. Viso contractu emphiteosis factae cuiusdam molendini dicti Bouxau ex dependentiis monasterii de Pinu in favorem Petri Demons mercatoris loci De la Tile, aliarumque terrarum et possessionum in dicto contractu contentarum, praesens generale Capitulum informationem de utilitate dicti contractus faciendam Vicario provinciae committit, quatinus dicta informatione visa, dictum contractum, si iuris esse reperiatur, confirmare valeat.

108. Viso contractu emphiteosis sexdecim iugerum quae vocant Septrée terrae incultae factae a R. abbate de Pinu et eius conventu in favorem Mathurini Roif mercatoris loci de Beruges, sub redditu annuo octavae partis fructuum in ea excrescentium. Visa item dicti contractus per adm R. abbatem de Pontigniaco ultimi Capituli generalis commissarium approbatione, praesens Capitulum generale praedictam emphiteosim approbat et confirmat.

109. Viso contractu alienationis factae reddituum et iuris dominii siti in locis de Dauthey, Sieu et Saint-Savin, Guidoni Du Bourg sub summa et pretio 675 libr. et sub annuo redditu 33 libr. 15 solid., quamdiu dicta summa dictarum 675 libr. penes dictum Guidonem remanebit. Visa prioris et conventus monasterii de Bonavalle super dicta alienatione et eius commodo, deliberatione facta, praesens Capitulum generale dictum contractum approbat et confirmat.

110. Viso processu facto die 8 mensis februarii anni currentis, quo testatur et apparet monasterium de Mellereio habere in civitate Andegavensi quamdam domum cum horto valde ruinosam, quaeque nisi cum ingentibus expensis reparari potest et in dicto processu attestatione qua dicitur dictam domum et hortum cum ea vulgo esse 45 libr. redditus annui. Visa item permutatione facta 10 die praedictorum mensis februarii et anni praesentis, inter D. abbatem et priorem procuratorio conventus nomine, et cum auctoritate R. Vicarii huius Ordinis in Britannia ex una, et venerandas priorissam et suppriorissam Ordinis Carmelitarum in dicta civitate ex altera partibus, qua dictae Rdae priorissa et suppriorissa una cum nobili et discreto viro Carolo Ereton presbytero de Oratorio, tam proprio nomine quam nomine Rmi archiepiscopi Lugdunensis. Item, Ludovici de Boysi legatarii universalis dominae quondam de Myon dicti conventus Carmelitarum fundatricis;

necnon cum nobili Oliverio Ereton filio supradicti Caroli Ereton, pollicentur possessiones certas in dicta civitate Andegavensi vel in eius suburbiis ab omni praestatione, quorumcumque iurium cuiuscumque naturae et conditionis esse poterunt, liberas, intra tempus in dicta permutatione statutum, usque ad valorem redditus annui 60 libr., et praefatis possessionibus instabilibus non datis, fundare tenentur dictae Rdae priorissa et suppriorissa una cum praefatis Carolo et Oliverio Ereton, et Ludovico Boysi, dictis abbati, priori et conventui de Mellereio pro tempore existentibus 80 libras annui redditus in constitutibilis dictur in renta constituta et fundata perpetua et nunquam extinguibili cum aliis obligatoriis clausulis in instrumento permutationis contentis, praesens Capitulum generale dictam permutationem approbat et confirmat.

111. Viso contractu emphiteosis factae per Ferrandum Christophile procuratorem abbatis de Landayo,praesente fratre Ioanne Charretier, priore, Renato Chosset, Francisco de Fougères, Philippo Olivier dicto de Landayo monachis, sex arpentorum terrae incultae et desertae in loco dicto Lapuisar sub redditu annuo 30 solidorum, duarum gallinarum, 18 denariorum, attenta et considerata laesione in supplicatione exhibita et dicto contractui alligata, per priorem et conventum dicti de Landeyo monasterii, praesens Capitulum generale laesionem allegatam, si vera sit, Vicario Ordinis in dicto loco committit, uti informatione per eum facta et ad proximum futurum Capitulum relata, quod iuris et rationis esse iudicabitur, decernatur.

112. Viso contractu pacificationis et recognitionis factae inter R. abbatem et conventum monasterii de Petris ex una, et Sylvanum du Doussat loci de Leffeon ex altera partibus, quo dictus du Doussat non obstante lite et eidem renuntiante fatetur, se tenere et possidere in loco dlcto des Bourdans quamdam domum seu grangiam et certas alias possessiones in dicto contractu nominatas, pro quibus recognoscit se quolibet anno solutorum unam mensuram quam dicunt boisseau siliginis mensurae loci de la Perousse dicto abbati et conventui, praesens Capitulum generale dictum recognitionis contractum confirmat.

VICARII ET SYNDICI PROVINCIARUM

113. *In Parlamento Parisiensi.* R. abbas de Septem fontibus, procurator generalis in Gallia.

114. *Tholosae.* Vicarius : Magister noster Garrice prior de Bolbona ; Syndicus : R. abbas de Riveto.

115. *Burdigalae.* Vicarius : R. abbas de Riveto. Promotor : fr. Iacobus de Saramea de Scala Dei.

116. *In utraque Marchia et Biturigia.* Vicarius : R. abbas de Petris. Promotor : prior de Fonte Morigniaco.

117. *In Alvernia, Vallaya, etc.* Vicarius : R. abbas de Sancto Sulpitio. Promotor...

118. *In Delphinatu.* Vicarius : R. abbas de Leoncella. Promotor : prior de Bonavalle.

119. *In provincia Provinciae.* Vicarius : Rector collegii Avenionensis. Promotor : prior de Sinanqua.

120. *In utraque Pictavia.* Vicarius : R. abbas de Columna. Promotor : R. abbas de Stella.

121. *In Britannia.* Vicarius : R. abbas de Villanova. Promotor : prior de Begario.

122. *In Blesensi, Turonensi, Andegavensi provinciis.* Vicarius : R. abbas de Strata. Promotor : prior de Tyronello.

123. *In Cenomania et monasteriis de Trappa et de Clerets.* Vicarius : Magister noster prior de Persenia. Promotor : fr. Guido Bricel.

124. *In Normannia.* Vicarius : prior de Voto. Promotor : prior de Mortuomari.

125. *In Picardia et Bellovacensi.* Vicarius : R. abbas de Loco Dei. Promotor : prior de Ursicampo.

126. *In Campania.* Vicarius ..., Promotor : R. abbas de Pietate.

127. *In Veromandia.* Vicarius : ... Promotor : prior de Fusniaco.

128. *In Burgundia.* Promotor : procurator Cistercii.

129. *In comitatu Burgundiae.* Vicarius : R. abbas de Monte S. Mariae. Promotor : R. abbas de Clarofonte.

130. *In Luxemburgo, Verduno et Trevirensi.* Vicarius : R. abbas de Aureavalle, cum potestate subdelegandi. Promotor : ...

131. *In ducatu Sabaudiae.* Vicarius : R. abbas de Stamedio. Promotor : fr. Alphonsus de Cumiana.

132. *In Pedemontio et universa Italia, eiusque congregationibus.* Vicarius visitator et commissarius : R. abbas de Ponte frigido, alias de S. Georgio Metensi. Promotor :

133. *In Polonia.* Vicarius : R. abbas de Oliva. Promotor : ...

134. *In Superiore Germania et Helvetia.* Vicarius : R. abbas Salemitanus. Promotor : ...

135. *In Bohemia.* Vicarius : R. abbas de Aula regia. Promotor : ...

136. *In Silesia.* Vicarius : R. abbas Lubensis.

137. *In Austria.* Vicarius : R. abbas de Sancta Cruce.

138. *In Styria.* Vicarius : R. abbas Rhunensis.

139. *In Bavaria.* Vicarius : R. abbas de Alderspach.

140. *In Franconia.* Vicarius : R. abbas Eberacensis.

141. *In inferiori Germania, Westphalia et Tractu Rheni.* Vicarius : R. abbas de Vetericampo.

142. *In regno Navarrae.* Vicarius : R. abbas de Oliva.

143. *In Hybernia.* Vicarius : R. abbas Dubliniensis.

144. *In Belgio.* Vicarius : R. abbas de Camberona. Promotor : R. abbas de Laude.

145. *In Leodio.* Vicarius : R. abbas de Alna.

146. *Procurator generalis totius Ordinis in Curia romana :* R. abbas de Ponte frigido, alias de Sancto Georgio in civitate Metensi.

COMMISSIONES

147. Rmus D. N. comitatum Burgundiae et Belgium visitandum suscepit.

148. Visitabunt R. abbas de Firmitate : Biturigiam, provinciam Turonensem, Andegavensem, Mayne, Britianniam, Normanniam et Alverniam. — R. abbas de Pontigniaco : Pictaviensem, Xantonensem, Franciae, utriusque Marchiae, Campaniae et Picardiae provincias. — R. abbas de Morimundo : universam Germaniam, Lotharingiam ac provinciam adiacentes. — Visitatio Poloniae Rdo abbati de Charitate ad Lesinas demandata est.

1635

CAPITULUM NATIONALE APUD CISTERCIUM CELEBRATUM anno 1635, 1 octobris et sequentibus.

1. Rmus, D. Cisterciensis s. th. d., R. abbas de Firmitate, R. abbas de Claravalle, R. abbas de Morimundo, R. abbas de Fulcardimonte s. th. d. provisor collegii Bernarditarum, R. abbas de Septem fontibus promotor causarum, R. abbas de Monte S. Mariae s. th. d. vicarius in comitatu Burgundiae, R. abbas de Albispetris, s. th. d. vicarius Bituricensis provinciae, R. abbas de Valle dulci, R. abbas de Pietate syndicus Campaniae, R. abbas de Riveto notarius Capituli, Magister noster Cottereul prior de Persenia vicarius provinciae Cenomanensis s. th. d., Mr N. Lafont prior de Fonte Ioannis, Mr N. de Pont prior de Bolbona vicarius in districtu Parlamenti Tholosae s. th. d., D. prior de Cistercio, s. th. bacc., D. prior de Firmitate, s. th. bacc., Mr N. Corcessin supprior Regalismontis, Mr N. de Beaufort notarius ad pedes, Mr N. de Guey prior de Crista Mr N. Rey prior de Thoroneto vicarius Provinciae, Desforges de Claravalle notarius, Iacobus Saramea promotor Aquitaniae, portarius, prior de Fulcardimonte portarius, Albericus de Pouilly Rmi D. generalis secretarius notarius ad pedes.

2. Iussu christianissimi regis ac etiam eminentissimi cardinalis de Richelieu congregati, Rmus abbas Cistercii totius Ordinis caput et superior generalis, admodum RR. abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, ceterique patres abbates, necnon vicarii et promotores provinciarum, ac etiam sacrae theologiae in academia Parisiensi Professores, de mandato Rmi D. Cisterciensis, ut praefatum est, totius Ordinis capitis et superioris generalis, apud Cistercium congregati, uti patet ex litteris dicti mandati sub data Divione prima die iunii anni cur-

---

1635. *Fons* : *L*[7].

rentis 1635, prima die mensis octobris eiusdem anni et sequentibus factae fuerunt iuxta tenorem articulorum inter dictum Eminentissimum cardinalem ducem et Rmum D. D. Cistercii, admodumque Rdos de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, editorum in monasterio de Regalimonte die 25 mensis martii elapsi anni praedicti sequentes diffinitiones.

3. Prima itaque die mensis octobris anni 1635, post invocationem S. Spiritus, missa de eodem Sancto Spiritu conventualiter et solemniter celebrata iussu Rmi D. D. Cistercii praefati, Rdis patribus abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, ceterisque ad Capitulum, ut moris est, convocatis, habita fuit exhortatio per Rmum D. D. ad congregatos, et exposita ratio huiusce congregationis, qua finita convenerunt dicti Rmus D. et admodum Rdi patres quatuor primi abbates cum ceteris superius memoratis in diffinitorio, in quo prima sessione matutina ad instantiam promotoris dictae congregationis decretum et ordinatum est preces esse faciendas et fundendas ad Dominum nostrum Iesum Christum pro S. M. Ecclesia catholica, Apostolica, Romana, pro SS. D. N. Papa, pro christianissimo rege nostro Ludovico XIII, pro christianissima regina, pro Rmo Emoque cardinali duce de Richelieu, pro potentissimo invictissimoque principe, pro rege et gubernatore generali Burgundiae, pro Rmo D. D. Cistercii, pro admodum Rdis de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, pro ceteris patribus abbatibus Ordinis, pro totius Ordinis pace et unitate, necnon pro benefactoribus tam vivis quam defunctis.

4. In eadem matutina sessione ad instantiam item promotoris, praestito prius et recepto fidelitatis iuramento consueto, considerata in primis absentia patrum Ordinis Sancti Benedicti reformatorum, qui huic Capitulo et Congregationi iuxta contenta in secundo articulo interesse debebant, secundum ordinationem praefati Emi cardinalis ducis, decretum fuit, quod dictus Emus cardinalis quamprimum monebitur de dictorum patrum Benedictinorum reformatorum absentia, deque Rmi D. admodumque Rum quatuor primorum abbatum, ceterorumque congregatorum intentione, et eorum omnium animi dolore ob istam dictorum patrum Benedictinorum absentiam.

4. Item, visa et attenta patrum nostri Ordinis dictorum de Abstinentia absentia, qui eidem Capitulo iuxta tenorem quarti et quinti articulorum editorum in dicto de Regalimonte monasterio, interesse, suaque statuta, constitutiones et regimina examinanda et approbanda exhibere et communicare tenebantur; decretum fuit ad instantiam promotoris, quod tempus comparendi dictis patribus nuncupatis de Abstinentia per totam praesentem diem prorogabitur, cum protestatione, quod dicta die elapsa ipsis non comparentibus procedetur a dicti Capituli patribus ad cetera, propter quae praesens Capitulum indictum est, et quod nihilominus de dictorum patrum de Abstinentia absentia monebitur etiam Rmus cardinal dux.

SECUNDA SESSIO

6. Iuxta ordinata in primo articulorum editorum in monasterio de Regalimonte, decretum est quod statua a Rmo D. et admodum Rdis quatuor primis abbatibus Emo Rmoque cardinali duci oblata accurrate et maturate examinabuntur a Rdis patribus de Petris, de Monte S. Mariae, de Valle dulci, et magistro nostro de Persenia, quibus mandatur, uti dicta statuta singillatim observent et examinent, et patribus congregatis referant cum primum.

7. Eadem sessione ex relatione facta per dilectum nobis in Christo fratrem Ioannem Tedenat, collegii nostri Parisiensis, vulgo Bernarditarum nuncupati, procuratorem, necnon, s. th. pr., innotuit praesenti Capitulo praefato fratri Ioanni Tedenat die quinta mensis septembris proxime elapsi, duas praetensas sententias, generalem unam sub data die 26 mensis iulii anii 1634, provisionalem alteram sub data diei 10 mensis augusti anni currentis ex parte Rmi et Emi cardinalis de la Rochefoucault se dicentis commissarium a SS. D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII, ad reformationem Ordinis Cisterciensis, et quorumdam aliorum per universam Galliam deputatum, per duos notarios regios intimatas fuisse.

8. Innotuit insuper die 6 eiusdem mensis septembris dictum Rmum et Emum cardinalem armata manu praeter et contra omnes iuris et iustitiae vias, quosdam qui in nostro Ordine perpetuam se a carnibus abstinentiam servare dicunt, in dictum collegium nostrum Parisiense intrusisse, illis in utroque statu praefati collegii directionem contulisse ; venerabilem confratrem nostrum Ioannem Pelletier, monasterii nostri de Fulcardimonte abbatem, doctorem theologum et eiusdem collegii provisorem absentem, et ad hoc Capitulum proficiscentem ; eumdem etiam fratrem Ioannem Tedenat procuratorem in urbe Parisiensi propter negotia dicti collegii existentem, ab officiis suis iniuriose deposuisse, abbatem monasterii nostri de Precibus commissarium usque ad adventurn fratris Caroli Bourgeois monasterii nostri de Barbello religiosi expresse professi, doctoris theologi, quem se provisorem designasse significavit, et fratrem Thomam Chenu dicti monasterii de Precibus monachum, procuratorem dicti collegii institutisse, multaque alia in summum totius Ordinis nostri praeiudicium attentasse. Praesens itaque Capitulum lectis ac examinatis huiusmodi praetensis sententiis, aliisque per praefatum Rmum cardinalem factis, diligenter consideratis, audito etiam et ita requirente promotore causarum, solum Deum et Ordinis bonum prae oculis habens, huiusmodi praetensas sententias latas a non legitimo, infenso et recusato iudice in praeiudicium appellationis a Rmo D. N. Cisterciensi et quatuor primariis abbatibus ad SS. D. N. Papam emissae, ut adversantes etiam sacris Conciliis, primis nostris constitutionibus, statutis, immunitatibus et privilegiis, honoribus ac praeeminentiis huius regni repugnantes, schismata, seditiones, rebellionem et confusionem horrendam in Ordinem inducentes, declaravit et declarat se pro nullis habere, praecipiens in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena Rmo nostro vel Capitulo reservatae, omnibus et singulis Ordinis personis, cuiuscumque sexus,

gradus, conditionis, et dignitatis existant, ne quovis quaesito colore et praetextu eis uti praesumant. Declarat insuper praedictum Capitulum abbatem et religiosum de Precibus praefatos, omnesque Ordinis professores, qui eis adhaeserunt, consenserunt, auxilium et consilium praebuerunt, sententiam excommunicationis et poenas in statutis nostris contentas contra conspiratores Ordinis, incurrisse, prohibens districte ne in huiusmodi officiorum functionibus quoquomodo sese immisceant, omnibusque tam graduatis quam non graduatis dicti collegii scolasticis, aliisque Ordinis personis, sub iisdem poenis iniungens, ne illis vel cuilibet alii, nisi praefatis confratribus nostris abbati de Fulcardimonte, et magistro Ioanni Tedenat respective obediant in praedictorum officiorum exercitio.

9. Rogat tandem humiliter praesens generale Capitulum Rmum D. N. Cisterciensem et quatuor primarios patres, ut Ordini labenti succurrant apud SS. D. N. Papam, regem nostrum christianissimum, Emum D. Cardinalem de Richelieu, de iniuria Ecclesiae, regno et toti Ordini facta conquerantur, patrum dictorum de Abstinentia iniustis et ambitiosis conatibus viriliter sese opponant collegium totius Ordinis per universum pene orbem christianum diffusi toti Ordini restituat.

10. Praesens nationale Capitulum attendens quanta cum laude et Ordinis nostri utilitate ac commendatione venerabilis noster in Christo confrater Ioannes Pelletier, monasterii de Fulcardimonte abbas, s. th. in Facultate Parisiensi doctor, provisoris officio in nostro Bernarditarum Parisiensium collegio, a 14 annis perfungatur, quodque ex quo a christianissimo rege nostro Ludovico iusto, ad dictam de Fulcardimonte abbatiam est nominatus, omnes suos redditus consumpserit in restauratione aedificiorum et locorum regularium, quae omnia ita eversa et adaequata solo ipsum comperisse constat, ut adhuc ibi cum canonico et competenti monachorum numero commorari minime possit, nisi quae feliciter et cum bonorum omnium applausu ac commendatione incoepit et hucusque prosecutus est, non sine gravi Ordinis et dicti monasterii detrimento imperfecta relinquat. Perpendens etiam praefatum Capitulum quod Rmus D. ac D. Cardinalis dux in articulis propositis Rmo D. N. Cisterciensi et quatuor primis patribus, die 26 mensis martii ultimo elapsi propositis, ut in praesenti Capitulo discuterentur, dimissionem praefati confratris nostri a praedicto officio improbare videtur, supplicationi ab ipso venerabili confratre, ut a dicto provisoris officio eximeretur coram patribus congregatis cum summa humilitate facta non innuit; eumque hortatur et quantum opus est illi serio praecipit, ut praedicti officii curam non abiiciat, omnibus dicti collegii personis tam graduatis quam non graduatis in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis mandat, quatinus illi soli, ut antea consueverunt, tamquam vero provisori obediant.

11. Audita in eadem sessione humili supplicatione dilecti nobis in Christo fratris Ioannis Tedenat, collegii nostri Parisiensis vulgo Bernarditarum appellati procuratoris, et in dicto collegio s. th. doctoris regentis ordinarii, ponderatis etiam aliis rationibus, quas ut officio procuratoris eximeretur, coram patribus congregatis exposuit. Attendendo etiam quod sedulo et fideliter a sex prope annis hoc munere sit perfunctus, illius votis annuen-

dum esse non censuit, nec censet, ei praecipiens et mandans ut praedicti officii, necnon lectoris ordinarii partes, ut solebat, exsequatur, inhibendo etiam omnibus personis nobis subditis, sub censuris Ordinis ne quavis ratione et praetextu illum in huiusmodi munerum sibi iniunctorum exercitio impediant.

SECUNDA DIES MENSIS OCTOBRIS — PRIMA SESSIO

12. Ad instantiam promotoris, quaestio est proposita iuxta praefatos articulos monasterii Regalismontis et singulariter iuxta articulum nonum de monasteriis in quibus novitiatus fieri possunt et debent. — Qua in re post maturam super his deliberationem, auditis provinciarum vicariis pro dictis novitiatibus, electa fuerunt monasteria sequentia ; scilicet in provincia Franciae monasterium de Regalimonte, in Normannia de Alneto, in provinciis Tholosana et Burdigalensi monasterium de Grandi sylva, in Pictaviensi et Bituricensi provinciis monasterium de Castellariis, in Alvernia monasterium de Monte petroso, in Andegavia, Cenomania et Turonensi provinciis monasterium de Bellabrancha, in Britannia monasterium de Villanova. Quibus dictis monasteriis providendum restat per praesens Capitulum et congregationem de locis scilicet et eorum reparatione, de supellectili et mobilibus necessariis, deque novitiorum Ordinis magistris, omnibusque aliis ad id necessariis.

13. Eadem sessione proposuit promotor et patrum decretum requisivit super modo celebrandi divini officii, tam in missis, horis canonialibus, meditationibus, lectionibus, manuum operis, cerimoniis aliisque ad divinum cultum et monasticos mores et vitam spectantibus.

14. Decretum quod Rdus admodum abbas de Morimundo et Rdus abbas de Fulcardimonte, his omnibus sedulo operam dabunt, primoque Capitulo generali proxime futuro quae ab ipsis facta fuerint, allaturi, quatinus ab eis gesta examinentur, et si iustum videbitur confirmentur idque fiet tam pro monachis quam pro monialibus.

SECUNDA SESSIO DICTAE DIEI

15. Ad instantiam promotoris, eoque exponente nonnullos Ordinis monachos diversis causis et occasionibus possidere beneficia alterius Ordinis una cum officiis et pensionibus nostri Ordinis, in praeiudicium auctoritatis et iurisdictionis Ordinis, hac ratione eludentes tam Ordinis quam aliorum iudicium ecclesiasticorum tribunalium, et ita fructibus dictorum beneficiorum et officiorum abutentes.

16. Decretum, quod monachi Ordinis huiusmodi beneficia extra Ordinem possidentes, intra mensem a die intimationis praesentis decreti, aut beneficia illa deponant et resignent, aut ad illa se transferant et quae in Ordine tenent et occupant, deserant, sub poena turpis ex Ordine eiectionis.

17. Et quia constitutum apparet per primum articulum articulorum ditorum in monasterio de Regalimonte, et statuta exhibita Emo Rmoque Cardinali duci a Rmo D. et ab admodum Rdis quatuor primis abbatibus

in praesenti congregatione esse examinanda, illis statutis per commissarios ad id deputatos, in secunda sessione primae diei praesentis congregationis rite et mature examinatis, et in diffinitorio de verbo ad verbum perlectis, patres congregationis sive Capituli dicta statuta utpote strictam regulae et diffinitionum Capitulorum generalium observantiam continentia approbarunt, confirmarunt et rata habuerunt praecipientes singulis provinciarum vicariis, uti dicta statuta plene observari procurent et ipsi observent sub inobedientiae poena.

18. Patribus nuncupatis de Abstinentia nedum comparentibus in dicto praesenti Capitulo iuxta prorogationem comparitionis, illis superiori die concessam, concessa est illis secunda dilatio per totam praesentem diem, ea nihilominus lege quod si non comparuerint pro contumacibus habebuntur et iudicabuntur.

19. Super defectu comparitionis litteras excusatorias Rdi abbatis de Charmeya praesenti Capitulo promotor exhibuit in manibus eorum, quibus praesens congregatio examinandi excusationes patrum non comparentium curam commisit, traditae sunt cum mandato referendi patribus congregationis, an causae excusationis in dictis litteris et quodam instrumento narratae rationi consentaneae sint et an recipiendae et admittendae.

20. Eadem sessione exposuit promotor et narravit ingentes et periculosos esse bellorum tumultus, plures militum turmas vias publicas occupare, monasterium de Cistercio nimium vicinum hostibus, itaque in maximo periculo patres congregationis constitutos esse, si diutius in dicto de Cistercio monasterio commorentur; eapropter instat uti praesens congregatio in civitatem Divionensem transferatur ibi continuenda.

21. Decretum, quod congregatio transferatur in dictam civitatem Divionensem, interim prior Cistercii de dicta translatione et continuatione monebit quoscumque qui Cistercium venient causa dictae congregationis.

TERTIA DIES MENSIS OCTOBRIS APUD DIVIONEM
PRIMA SESSIO MATUTINA

22. Exposuit promotor ad relationem vicariorum, loca monasteriorum superius pro novitiatibus designata, temporum praeteritorum iniuria, et nonnullorum incuria sufficienti commoditate esse destituta, supellectili mobilibusque necessariis omnino carentia, super his patrum decretum exigendo.

23. Decretum, quod expensis pro facultatibus cuiusque monasterii cumprimum a visitatoribus generalibus taxandis, loca novitiis in monasteriis novitiatuum destinata reparabuntur et aptabuntur, quod item praestabunt dicti visitatores generales pro supellectili, mobilibusque et aliis necessariis. Et quia novitios dirigere et in regula exercitiis instruere et edocere necesse est, petiit promotor dictis novitiis de magistris idoneis et capacibus esse providendum.

24. Decretum, quod provinciarum vicarii die sequenti nominabunt patribus congregatis, quos in districtibus suorum vicariatuum ad id ido-

neos iudicabunt, a praedictis visitatoribus generalibus examinandos et dictis novitiatibus praeficiendos.

25. Exposuit eadem sessione promotor fratrem Ioannem Bousquet monachum professum de Toroneto litem movisse contra quondam domnum... Chieuse Ordinis in provincia Provinciae vicarium, et contra magistrum nostrum Guillelmum Rey Ordinis nunc vicarium et monasterii de Toroneto priorem, in maximum Ordinis et eius iurisdictionis damnum et scandalum, humiliter petens a patribus quatinus tanto malo quantocius medeatur.

26. Decretum, quod processus inter dictos fratrem Bousquet et magistrum Rey videbitur et examinabitur a magistro nostro Cottereul et baccalaureo Saramea, ut dicti processus, facta patribus relatione, iudicent patres quod super his sit stabiliendum.

27. Et quia abbates qui ad praesentem congregationem vocati sunt, plures deficiunt, ut de eorum absentiis et earum legitimis causis iudicetur, petiit idem promotor dari a patribus examinatores eiusmodi absentiarum et earumdem excusationum, quatinus patres mulctare dignentur non legitime absentes.

28. Decretum, quod magistri nostri Tedenat et Paiot dictas absentias et earum causas videbunt et examinabunt, easque patribus congregationis referent, uti super his ipsi patres videant quid statuendum sit.

29. Et quia praecedenti die ad instantiam promotoris, attenta absentia patrum noncupatorum de Abstinentia prorogata eis fuerat per totam illam diem comparendi facultas, considerata eorumdem patrum de Abstinentia absentia, idem promotor dictos patres petiit debere ut contumaces mulctari. — Decretum quod prorogatur dictis de Abstinentia patribus comparendi facultas per totam praesentem diem.

SECUNDA SESSIO POMERIDIANA

30. Exposuit promotor pro monasterio de Ioyaco certas querelas et controversias, quae fuerant et sunt propter causas contentas in pluribus et variis libellis et requestis praesenti congregationi oblatis et a promotore lectis et relatis et mature consideratis.

31. Patres dictae congregationis decreverunt quod causa in praesenti congregatione proposita et mota inter admodum R. de Pontiniaco, contra magistrum Vincentium de Beaufort de Ioyaco, et inter quosdam de Ioyaco monachos contra dictum admodum R. de Pontigniaco. Item, inter dicti de Ioyaco monasterii monachos contra magistrum in theologia Franciscum Duchemin, committitur admodum R. D. de Firmitate, uti dictum de Ioyaco monasterium in utroque statu visitando, eam in plenaria Ordinis potestate tractet, iudicet et diffiniat.

QUARTA DIES OCTOBRIS

32. Ad instantiam promotoris et iuxta decretum primae diei praesentis congregationis, factum in praedictae diei sessione, quo decreto totis viribus tentanda est expulsio patrum nuncupatorum de Abstinentia e colle-

gio Ordinis in civitate Parisiensi contra conventos articulos in monasterio de Regalimonte, in quod sese intruserunt, quo decreto dicta expulsio debitis viis fieri valeat, et alia Ordinis negotia promoveri possint. Statutum est attenta contributionum ordinariarum tenuitate, aliisque Ordinis urgentibus negotiis, quod dupla pensio decreta prioribus claustralibus ; item pensiones seu portiones monachorum vacantium in quolibet Ordinis monasterio, aut earum valor in dictos expulsionis et aliorum Ordinis negotiorum agendorum usus impendentur, ultra ea quae abbates in praesenti congregatione convocati et praesentes ultro obtulerint. De numero autem locorum vacantium, et de valore duplae pensionis priorum, etiam de valore cuiuslibet pensionis locorum vacantium vicarii provinciarum cedulam praesentem et potissimam habebunt et gerent curam tam in monasteriis in quibus ipsi degunt quam in aliis sibi commissis ; idque nunc pro uno tantum anno; contributionum vero dupla taxatio et collectio facienda petetur et procurabitur apud regem.

SECUNDA SESSIO

33. Audito promotore in causa monasterii de Toroneto commissa magistro nostro de Persenia et baccalaureo de Scala Dei commissariis auditis et habita eorum relatione, decretum, quod frater Guillemus Rey monachus monasterii de Toroneto remittet in potestatem dominorum Parlamenti Aquensis in provincia Provinciae informationes auctoritate Rmi D. Cistercii factas contra fratrem Ioannem Bousquet, etiam de Toroneto monachum, ad quarum remissionem dictus Rey coactus et condemnatus reperitur per arrestum dominorum dicti Parlamenti, datum die 5 mensis septembris ultimo elapsi. Insuper litterae supplicatoriae in commendationem huius litis fient et mittentur ad dictos dominos Parlamenti ; dictae tamen litis sumptus fient de bonis communitatis.

34. Eadem sessione promotor requisivit quod attenta absentia patrum nuncupatorum de Abstinentia, attentis item binis dilationibus et favorabiliter concessis, ipsis tamen nondum comparentibus, declarentur a patribus congregationis pro vere contumacibus, ipsisque poena contumacium infligatur.

35. Decretum, quod pro omnibus dilationibus prorogatur dictis patribus nuncupatis de Abstinentia, tempus comparendi usque ad diem ultimam praesentis congregationis ; qua die ipsis non comparentibus, nec intra tempus prorogationis, videbunt patres congregationis super eorum non comparentia, et proinde contumacia, quid sit agendum et ordinandum.

QUINTA DIES OCTOBRIS — PRIMA SESSIO

36. Exposuit et dixit promotor quosdam abbates, abbatissas, monachos et moniales, spretis Ordinis statutis et consuetudinibus, divinum officium alio quam in Ordine statuto et consueto modo celebrare et recitare, in generale Ordinis et statutorum contemptum.

37. Decretum, quod inhibetur quibusvis abbatibus, abbatissis, mona-

chis et monialibus, ne alio quam quo in Cistercio et toto Ordine consueto utuntur modo divinum officium celebrent et recitent sub inobedientiae poena.

38. Eadem sessione, relatione facta ab examinatoribus excusationum absentium abbatum, excusantur pro hac dumtaxat vice abbates absentes.

39. Exposuit promotor et ex parte Rdi abbatis de Albis petris, patris immediati monasterii de Petris, dixit Rdum abbatem de Petris filiationis dicti abbatis de Albis petris, praetextu et occasione vicariatus Ordinis, quem in provincia Bituricensi exercet auctoritate Capituli generalis, visitationem facere in dicto de Albis petris monasterio dictum Rdum abbatem de Petris vicariatus sui praefati occasione, visitationem Rdi abbatis de Albis petris, vix sustinere posse, et vice versa, quod decori et honestati civili videtur dissonum ; ideo supplicat patribus congregationis ad vitandos controversiarum quae horum occasione accidere possent eventus, uti suo decreto venturis controversiis providere et mederi velint ; re igitur attenta et mature considerata.

40. Decretum, quod abbas de Petris, qui iam vicariatus sui concessi monasterium de Albis petris visitavit, imposterum a simili visitatione abstinebit, et ne monasterium de Albis petris visitatore careat, eius visitatio ex nunc committitur vicario provinciae Alverniae ; conceditur tamen secundum *Chartam charitatis* abbati de Albis petris, patri immediato, ut monasterium de Petris, quoties opus fuerit et negotia exegerint, visitare possit et teneatur.

SECUNDA SESSIO

41. Exposuit promotor et ex parte prioris et monachorum monasterii de Gondonio retulit Rdum abbatem de Fonte Guillelmi, fratrem Nicolaum La Vergne, in novitium dicti de Gondonio monasterii et ad votum stabilitatis in eodem suscepisse, inconsultis et invitis priore et conventu, quem Lavergne cum dictus abbas de Fonte Guillelmi anno praeterito in praefatum de Gondonio monasterium remisisset, cum mandato eum in numerum de Gondonio monachorum recipiendi. Dictus prior eum ad Rdum abbatem de Riveto Ordinis vicarium transmisit, qui vicarius auditis dictis de Gondonio priore et Lavergne, cui prior ultra superius allegata de modo receptionis ad novitiatum extraordinario morbum epilepticum quo laborat, opposuit, praefatis priori et conventui praesentem congregationem, ad quam recurrerent, et in qua negotium plenius repraesentare possent, iudicavit, et ad eam esse recurrendum ordinavit, humiliter dictus promotor supplicans ob dictas causas uti praesens congregatio domum et conventum de Gondonio a tali persona liberet, et abbati de Fonte Guillelmi eam remittat ; quibus auditis et mature consideratis, decretum, quod dictus Lavergne abbati de Fonte Guillelmi remittatur, quippe qui contra Ordinis statuta ipsum tam in novitium quam in professum susceperit.

42. Exposuit eadem sessione promotor ex parte monachorum monasterii de Dalone, quod non obstante ordinatione Rdi abbatis de Riveto, Ordinis vicarii, qua cautum et prohibitum est fratri Ioanni Rouveron, ne se

administrationi bonorum temporalium conventus ullo modo immisceret, his tamen neglectis, et pluribus aliis similibus iussionibus, et etiam in praeiudicium cuiusdam arresti magni Consilii regis pronuntiati contra dictum Rouveron die 27 mensis maii anni 1632,quo in exilium per spacium novem annorum extra regnum Galliae, Rouveron bona et redditus conventus sibi assumit, et ita monachis administrat ut parum abfuerit quin fame perierint ; ideoque ex monachis nonnulli ad vitae sustentationem ad parentum eleemosinas confugere fuerint coacti ; quocirca praefatus promotor petiit tantis malis opportuna dari remedia.— Decretum, quod visis arresto praefato et sententia abbatis de Riveto Ordinis vicarii, committitur Rdo abbati de Bona aqua, uti dictum fratrem Ioannem Rouveron, modis sibi bene visis corporaliter apprehendi procuret, apprehensum tuto in aliquo Ordinis monasterio incarceret, incarceratum super contentis in requesta et aliis inde dependentibus, audiri et examinari, aliterque in his et ea tangentibus a se fieri, ut iuris et rationis est, in plenaria Ordins potestate, imploratis, si opus fuerit, ad praemissa exsequenda brachii saecularis auxilio, consilio et favore. Ceterum litterae fient ad Rmum episcopum Lemovicensem dicti de Dalone monasterii abbatem commendatarium, ut huius decreti effectum iuvare velit.

SEXTA DIES OCTOBRIS — UNICA SESSIO MATUTINA

43. Expositum a promotore plures monachos reperiri apostatas, et per regnum errantes et vagabundos, tam in eorum animarum ruinam, quam in Ordinis dedecus. Item, multos etiam monachos passim diversas, et saepe turpes apud tribunalia saecularia movere lites, contra antiqua id prohibentia statuta. — Decretum, quod ad instantiam promotorum cuiuslibet in sua provincia tales apostatae ad reditum in suis monasteriis, in quibus de apostasiis poenas luant, cogantur. Item, prohibetur quibuscumque monachis Ordinis sub inobedientiae poena, ne imposterum suo vel alieno nomine lites ullas moveant, agitent et tractent, inconsultis vicariis et provinciarum promotoribus, secundum antiqua statuta advertant sedulo tam vicarii quam promotores, ne cuiquam monacho huiusmodi lites movere et tractare, nisi gravi eaque legitima interveniente causa patiantur et permittant.

44. In causa fratris Ioannis Michel, monachi de Mansiade, in carcere detenti ob violentum interitum fratris Ioannis Boneton, cuius praesumitur reus, processu super interitu dicti fratris Boneton viso et a commissariis relato, committitur dicta causa Rdo abbati de Septem fontibus, ut de dicto interitu diligenter inquirat et secundum iuris et iustitiae vias eam iudicet.

OCTAVA DIES OCTOBRIS — UNICA SESSIO

45. Exposuit promotor, iam a multis annis Ordinis privilegia tam a Summis Pontificibus quam a christianissimis regibus Ordini concessa, non fuisse confirmata, super hoc decretum patrum requirendo. — Decretum,

quod privilegiorum omnium Ordinis, tam a Summo Pontifice quam a christianissimo rege Ludovico, per commissarios ad maiora Ordinis negotia deputatos, confirmatio quamprimum procurabitur.

46. Exposuit item promotor, quosdam abbates commendatarios ad loca monachorum in eorum monasteriis vacantia, personas sibi bene visas, nominare velle, id iure facere posse praetendentes ; ideoque provinciarum nonnulli vicarii huiusmodi locis vacantibus de personis idoneis ad novitiatum et post completum novitiatum ad professionem admittere differunt, in antiquorum Ordinis statutorum detrimentum et contra generalem eiusdem Ordinis consuetudinem. — Decretum a patribus, quod vicarii provinciarum locis monachorum in monasteriis commendatos vacantibus, quoties occasio sese offerret, de personis idoneis et capacibus secundum antiqua statuta et generalem Ordinem consuetudinem providebunt.

DECIMA DIES OCTOBRIS — SESSIO PRIMA

47. Ad instantiam promotoris quaestio mota est super forma professionis imposterum faciendae et attestandae tam a monachis quam a monialibus, tandem re agitata : Decretum est quod imposterum professiones fient forma in *Breviario* praescripta, nihil aliud addendo quoad monachos ; quoad vero monialium professiones addetur tantummodo clausula clausurae ; ceterum professiones quae posthac fient, proprio profitentis nomine et cognomine cum consueta cruce firmabuntur cum duobus ad minus subsignatis testibus regularibus vel saecularibus, die, mense et anno, quibus ipsae fient, additis; scribentur autem dictae professiones in registro monasterii, in quo professus aggregatur, et eiusdem cartulario tuto servabuntur, et hoc potissimum in regno Galliarum. Recipientes vero profitentium vota, qua auctoritate recipiant in litteris acceptarum professionum enuntiabunt.

48. Exposuit promotor plura monialium monasteria a iurisdictione Ordinis reperiri separata, tam defectu probatorum confessariorum, crebrarum et ordinariarum visitationum, quam regulae, statutorumque Ordinis, in spiritualibus et temporalibus, instructionis, educationisque neglectu, in maximum animarum et conservationis Ordinis detrimentum. — Decretum et mandatum generalibus Ordinis procuratoribus tam in romana quam in regia Curiis constitutis, ut huiusmodi monasteriorum monialium ab Ordine separationem imposterum impediant, et separata iam reunire modis omnibus conentur, Rmus tamen D. et admodum Rdi quatuor primi abbates rogantur, uti imposterum, aut per se ipsos, aut per Ordinis vicarios monasteriis monialium de confessariis idoneis et capacibus providere dignetur, qui confessarii dictas moniales de regulae observantiae, deque aliis pietatis, humilitatisque exercitiis instruere sufficienter valeant, ipsisque tam in spiritualibus quam in temporalibus adiumento et solatio esse possint.

49. Proposuit promotor et dixit carnium abstinentiam maximos nunc temporis in Ordine movere tumultus, et ad illam omnes et singulas Ordinis personas regulares, modis non satis consultis cogi in praeiudicium

et contemptum privilegiorum Ordini a Summis Pontificibus concessorum, et etiam in constitutionum corporalium personarum eiusdem ruinam, quod non solum Ordini, sed etiam ecclesiastico decori et unitati contrarium videtur, iusque Pontificium aliquo modo laedere, humiliter super his petens patrum decretum, qua re mature et attente considerata. Decretum est quod Rmus D. et admodum Rdi quatuor primi abbates rogantur, uti tam ad Summum Pontificem quam ad christianissimum regem nostrum humillimas preces et supplicationes deferent et faciant, quatinus Sanctitati Suae et regiae Maiestati placeat ad animarum salutem et Ordinis unitatem, Ordinem privilegiis iam ante concessis et quibus hucusque gavisus est libere et licite uti.

1651

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

sacri Ordinis Cisterciensis, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo in Cistercio celebrandi.

Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii, sacrae theologiae in facultate Parisiensi doctor, Christianissimi Regis in supremo ducatu Burgundiae senatu primus Consiliarius, Cisterciensis Ordinis universi et quinque eius militiarum de Calatrava, de Alcantara, de Montesia, de Avis et de Christo, Caput ac Superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria fungentes auctoritate.

Omnibus et singulis nobis in Christo charissimis confratribus Reverendis Abbatibus, Praesidibus Congregationum, Praelatis, Prioribus titularibus, Vicariis ac Procuratoribus generalibus, Syndicis provinciarum, Collegiorum dictarumque Militiarum Rectoribus Cisterciensis Ordinis nostri in Imperio, Regnis, Provinciis, Ducatibus, et aliis quibuscumque christiani orbis locis consistentibus, salutem in Auctore salutis.

Cum primum sacri Cisterciensis Ordinis nostri generale regimen nostris (licet imparibus) humeris impositum, Divina sic disponente Providentia, suscepimus, de resumenda Capituli generalis celebratione propter multiplices temporum calamitates plurimis annis hactenus interrupta cogitavimus, sed continui bellorum tumultus, quibus tota fere Europa conflictari visa est, nos a nostro proposito executioni mandando avocarunt. Et quamvis nec dum hoc tempore sat desiderata rerum tranquillitate et

---

1651. *Fontes* : Indictio legitur apud P^3, T^5, et in foliis separatis typis impressis, et insertis cod. Ch^2 ; A^3 : B, 1-132 ; Ch^1 : B, 7-27, 35, 42, 43, 49, 50, 52-55, 58, 66-70, 80, 89; Ch^2 : A, B, 1-45 in follis typis impressis; L^8 : B, 1-132 P^3 : A, B, 1-132 ; T^3T^5 : B, 1-45 in foliis impressis ; T^7 : A (transl. in gall.) ; T^8 : B, 7, 45, 132 ; *Va* : B, 1-45.

pace generali (cuius spes affulget non modica) videamur perfrui ad primum nostrum generale Capitulum celebrandum, quia tamen ipsius celebrationem complures Praelati a nobis exquisierunt, ac diversa maximeque ardua in dies occurrunt negotia et difficultates, ob quas summopere veremur ne propter ulteriorem ipsius dilationem praefatus Ordo noster graviora in utroque statu dispendia patiatur, nisi vestris consiliis et auxiliis adiuvemur. Ideo praedicti nostri primi Capituli generalis celebrationem in nostro Cistercio, totius Ordinis capite, in ducatu Burgundiae et Cabilonensi dioecesi, anno Domini proximo millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, die octava mensis maii, feria nempe secunda post Dominicam in qua *Cantate* ad introitum missae dici consuevit, quartam post Pascha, vobis de consilio et assensu adm RR. quatuor primariorum nostrorum coabbatum indicendam et denuntiandam esse duximus, prout praesentium serie indicimus et denuntiamus. Quo in Capitulo de cultu divino devotius peragendo, de disciplina ascetica et regulari praxi promovenda, de morum reformatione introducenda, de disparitate rituum amovenda, de nostro Ordine pristino splendori restituendo, de privilegiis, iuribus et immunitatibus eiusdem tuendis et conservandis, ac denique de multiplicibus negotiis et difficultatibus, quae non nisi omnium nostrum sollicitudine et auctoritate dirimi ac terminari possunt, vobiscum agere et tractare intendimus. Quae licet omnia praesensque status Ordinis nostri ubique tot difficultatibus impliciti totque incommodis ac detrimentis afflicti vos omnes satis incitare debeant ut pro eiusdem salute procuranda celeriter et alacriter accedatis, ne tamen huic tam sancte operi absolvendo et perficiendo deesse velitis, vos paterno affectu rogamus et hortamur, et nihilominus vobis et cuilibet vestrum iurisiurandi quod Ordini nostro praestitistis, virtute scilicet obedientiae, nec non sub poenis in constitutione Benedicti Papae XII a successoribus ipsius Summis Pontificibus confirmata contentis aliisque mulctis arbitrio Capituli generalis infligendis praecipimus, quatinus legitimo infirmitatis cessante impedimento, in praefato nostro Cistercio die praedicta mensis maii octava anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, cum modesto et religioso comitatu compareatis, ut eadem die mane ipsum Capitulum generale inchoare et gravissimis ac perurgentibus eiusdem Ordinis negotiis, prudenti vestro consilio, prout operae pretium videbitur, consulere et providere valeamus. Volumus autem ut omnes personaliter comparentes, per se, vel in eventum legiti impedimenti, de quo quilibet eidem Capitulo fidem faciet, per Vicarios generales, vel Syndicos provinciarum, vel per procuratorem specialem, de monasteriorum utriusque sexus sibi subiectorum et commissorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus statu, regimine et administratione, non solum generaliter sed etiam specialiter scripto idem Capitulum informare tenantur.

Ne ulla vero ignorantiae causa praetendatur, mandamus universis nostris generalibus Vicariis, Congregationum Praesidibus, nostroque generali Procuratori in romana Curia, et aliis provinciarum Syndicis ac Promotoribus, ut praesentes nostrae Indictionis, citationis et convocationis litteras nulla interposita mora Reverendis Abbatibus, perpetuis, triennalibus,

quadriennalibus, Praelatis ac Superioribus monasteriorum utriusque sexus cuiuscumque Congregationis, Regiminis, Filiationis, et Observantiae Cisterciensis Ordinis existant legitime significari et intimari procurent, suarumque significationum et intimationum fidem ab eisdem, aut ab officiariis eorum, si eos abesse contigerit, recipiant nobis et patribus in dicto Capitulo congregandis exhibendum. Et quia nonnulli forsan renuentes causari poterunt et obiicere viarum periculum, vel difficilem aditum, meatum, aut transitum per Galliam, praesentibus annecti iussimus Christianissimae Maiestatis regias litteras, per quas mandat suis officiariis regiis ut omnibus Ordinis nostri professoribus ad nostrum Cistercium accedentibus liberum iter, protectionem et tutelam praebeant contra quoscumque molestiam ac iniuriam, inferre volentes, vel ausos, Serenissimis etiam Dominis optimis et catholicis principibus vestris non ingratum fore confidimus, si pro tam salutari negotio reformationis Ordinis nostri, quam tantopere et toties pro sua regia pietate a nobis efflagitarunt, vestris Superioribus morem sine mora geratis.

Iniungimus insuper praedictis Vicariis, Procuratoribus, Syndicis, ceterisque omnibus a Capitulo generali vel, eo non sedente, ab Antecessoribus nostris Cistercii Abbatibus, vel a nobis deputatis ad exigendas Ordinis nostri contributiones quotannis debitas, ut illas ab ultimae apochae seu schedulae solutionis cuiusque monasterii data usque ad praedictum proxime futurum Capitulum generale persolvi curent, deque receptis et acceptis summis pecuniarum pro dictis contributionibus solutis et infra dictum Capitulum generale solvendis, rationes ordinate digestas praedicto Capitulo generali fideliter exhibendas atque reddendas summasque residuas secum deferant pro expensis dicti Capituli generalis et pro aliis communibus Ordinis negotiis impendendas. Praecipimus porro ut in singulis Ordinis nostri utriusque sexus monasteriis praedicta die octava et sequentibus mensis maii, quibus idem Capitulum celebrabitur, missae de Spiritu Sancto, prout moris est, dicantur, et piae ad Deum preces, tam privatae quam publicae effundantur, ut divina gratia nobis omnibus in Dei nomine tum congregatis adsit in statuendis et ordinandis iis quae divinae Maiestati placita fuerint et nostro Ordini salutaria, qua de re Reverendi Vicarii nostri, aliique Visitatores et Praesides monebunt superiores et personas regulares monasteriorum suae curae subditorum. Prohibemus vero sub poenis arbitrio Capituli generalis et nostro infligendis ne praeter praedictos Reverendos Patres Abbates, perpetuos, triennales, quadriennales, Praesides Congregationum, Patres regiminis, Praelatos, Vicarios, et Procuratores generales, Priores titulares, Syndicos provinciales, Collegiorum et dictarum Militiarum Rectores, exceptis etiam doctoribus Parisiensibus, Salmanticensibus, Lovaniensibus, Germanicis, et Prioribus claustralibus monasteriorum commendatorum, qui sine incommodo communitatis venire voluerint, ulli alii sub quocumque praetextu non vocati aut citati sine gravissimo negotio et facultate Superiorum ad praedictum nostrum Cistercium tempore dicti Capituli generalis accedere praesumant. Et quoniam praesentium originale ad singulos deferri nequit, volumus ut eiusdem transumptis per aliquem ex Reverendis nostris coabbatibus,

Congregationem Praesidibus, Vicariis generalibus, et Syndicis provincialibus, aut per nostrum generale Procuratorem in romana Curia, aut per nostrum secretarium ordinarium subscriptis, eadem fides quam ipsarum originali adhibentur. — Datum Cistercii sub nostra subscriptione, maioris nostri sigilli appensione, et nostri secretarii ordinarii chirographo, die vicesima mensis maii, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo. Frater Claudius Vaussin, Abbas Cistercii, generalis totius Ordinis Cisterciensis. Locus sigilli.

fr. Ioannes Bougeret, secretarius.

* * *

Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, die 8 maii et sequentibus haec statuta sunt in Capitulo generali Cisctercii celebrato.

B) ORDINATIO CAPITULI GENERALIS

DIFFINITORES : Rmus D. N. (de **Cistercio**) s. th. d., R. D. de Lucella, D. de Tribus regibus, D. de Carmeia, D. de Villa nova, monasteriorum abbates. Adm R. D. de **Firmitate**, s. th. d., D. de Ebrach, D. de Parisio, D. de Monte Sanctae Mariae, D. de Columba, monasteriorum abbates. Adm R. D. de **Claravalle**, s. th. d., D. de Sancto Benedicto, D. de Barbereio, D. de Candelio, D. de Aula regia, monasteriorum abbates. Loco adm R. D. de **Pontigniaco** D. de Bellobecco, D. de Sancto Sulpitio, D. de Strata, D. de Castellione, D. de Fonte Guillelmi, monasteriorum abbates. Loco adm R. D. de **Morimundo** D. de Sancta Cruce in Austria, D. de Petris, D. de Claroloco, D. de Rauda, D. de Valledulci, monasteriorum abbates.

CONFESSARII : D. Bernoul prior Pontigniaci, D. prior de Bolbona, D. Gastonius Puteanus, s. th. d.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : Adm. R. D. de Claravalle, D. prior et supprior Cistercii.

AUDITORES COMPUTATIONUM : D. de Bona aqua, D. de Stella, D. Ruffier, D. Iamin [a], s. th. doctores.


CONTRACTUUM EXAMINATORES : D. de Fulcardimonte, D. de Charitate ad Lesinas, D. Lhoste prior de Faesia, et D. Iestard prior de Sacracella, s. th. doctores.

NOTARII ABBATES : De Roseriis, D. de Stamedio, monasteriorum abbates.

PROMOTORES CAUSARUM : D. Franciscus Du Chemin, prior Cistercii, D. Ioannes Tedenat, s. th. doctores.

---

[a] Jeannin : T^8.



subscripsimus, praefati anni millesimi sexcentesimi quinquag
[...]uarti die uigesima octaua mensis octobris, atque etiam ad
[...]ius robur minora sigilla nostra imprimi et affigi
[...]imus. Claudius Abbas

Ex Archivo Trecensi 3 H, 146; ann. 1654.

Receptores excusationum : D. prior de Sancto Lazaro, D. Grezel prior de Ardorello.

Notarii ad pedes : D. Ioannes Bougeret, secretarius Rmi D. N., Ioannes Malgoirez, s. th. d.

Portarii diffinitionii : D. Marcassus abbas designatus de Villa longa et D. Ioseph Brechiller[b] prior de Firmitate.

* * *

ORATIONES

1. Pro SS. Domino N. D. Innocentio, Divina Providentia Papa X, necnon ... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo... Ferdinando D. G. Romanorum Imperatore semper augusto, necnon pro christianissimo D. N. Ludovico XIV Francorum et Navarrae rege, ac pro inclyto rege Philippo IV Hispaniarum rege... *etc.*

3. Similiter pro R. D. Tristando de Bizet ... *etc.*

4. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

5. Pro pace etiam ... *etc.*

6. Postremo pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIO DE ANTIQUO DEBITO

7. Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii ... *etc. ut in annis praecedentibus.*

DIFFINITIONES GENERALES

8. Ad extinguendam veterum litium memoriam, et stabiliendam perpetuam inter filios obedientiae pacem, requirentibus Promotoribus, lectum publicatum et cum debita reverentia susceptum fuit *Breve* felicis vitae Innocentii X Summi Pontificicis, cuius tenor sequitur et est talis :

INNOCENTIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus pacis vices, meritis licet imparibus, gerentes in terris, sinceram animorum concordiam inter Christi fideles quoslibet, praesertim Altissimo sub suavi religionis iugo famulantes confovere studemus, et quae pro sopiendis litibus, et controversiis inter eos ortis facta fuerunt, ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, libenter Apostolicae confirmationis robore communimus, prout conspicimus in Domino

[b] Bresilles : T^8.

salubriter expedire. Cum itaque vertentibus alias inter dilectos filios abbates et monachos, seu communis observantiae ex una, ac Vicarium generalem et abbates monachosque strictae observantiae, seu abstinentes nuncupatos Ordinis Cisterciensis partibus altera, quibusdam controversiis circa reformationem dicti Ordinis, iudices desuper a Sede Apostolica delegati per suam diffinitivam sententiam inter alia, ut asseritur, praedictis antiquis seu communis observantiae monachis, vocem activam dumtaxat in electionibus abbatum Cistercii, capitis eiusdem Ordinis, Cabilonensis dioecesis, competere decreverint, ac quaedam circa esum carnium in eodem Ordine a centum et amplius annis, etiam ex privilegio Apostolico receptum, ac etiam circa receptionem novitiorum immutaverint et propterea praedictorum antiquorum, seu communis observantiae monachorum, se inde gravatos praetendentium nomine, habito ad Nos recursu, negotioque nonnullis S. R. E. Cardinalibus et romanae Curiae praelatis per Nos commisso, tandem dilectus filius Attilius Petra Sancta, abbas monasterii Sanctae Crucis in Hierusalem de Urbe dicti Ordinis, ab utraque parte procurator specialiter pro componendo iuxta mentem et voluntatem nostram negotio huiusmodi, acquieverit resolutioni seu determinationi per Cardinales praedictos in eodem negotio factae; videlicet quod circa electionem abbatis generalis, aliorumque abbatum, et officialium dicti Ordinis, ac esum carnium, et receptionem novitiorum servetur, prout ante sententiam per dictos iudices latam, iuxta eiusdem Ordinis constitutiones etiam Apostolicas servabatur. Nos inviolabili resolutionis seu determinationis huiusmodi, per dictum Attilium nomine ambarum partium acceptatae, firmitati, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, et singulares dictorum monachorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; supplicationibus dicti Attilii Nobis desuper humiliter porrectis inclinati, resolutionem seu determinationem praedictam, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, ac illi inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac ab utraque dictarum partium perpetuo inviolabiliter observari mandamus, sicque et non aliter in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales et de latere Legatos, iudicari et diffiniri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstante quacumque litis pendentia, ac Apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, con-

firmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. — Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die prima februarii M. DC. XXXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

Sic signatum : M. A. Maraldus, cum appositione annuli Piscatoris in cera rubea.

9. Strictiorem observantiam (excepta sola a carnibus abstinentia, cum legitimis usibus a Summis Pontificibus et Capitulis generalibus legitime introductis) omnes in posterum ita amplectantur, ut quicumque extra casum necessitatis singularis, praeter esum carnium ab Ordine virtute privilegiorum concessum, et alios usus legitimos, a Summis Pontificibus, et Capitulis generalibus legitime, ut praefatum est, introductos, dispensationem aliam usurpare tentaverit ; hoc ipso veniat iure stabilitatis suae privandus, et de facto sit transmittendus, si eiusmodi observantiae progressum, vel verbis vel exemplis impedire, ter monitus non desierit.

10. Abusum electionum in postulationibus, ambitionibus, appellationibus et oppositionibus, maxime coram laicis iudicibus, ferre non valens Capitulum generale districte prohibet omnibus eligentibus omnem in posterum postulationem et ambitum, sub poena nullitatis electionum, et privationis vocis activae et passivae, pro prima vice in eligentes, et vim excommunicationis Palmarum renovando, declarat et decernit Capitulum generale, eos in excommunicationem latae sententiae incidisse, quicumque processum superiorum in electionibus, sicut et in visitationibus impedierint. Similiter eos poenis iuris et Ordinis plectendos statuit Capitulum generale qui ex publicatione scrutinii, praetenderint sibi ius acquisitum in electionibus, in quibus electi non fuerint, ex eo quod alter electus suffragiorum pluralitate vicerit. Declarat autem Capitulum generale non esse postulationem, sed veram electionem, cum aliquis in sacro nostro Ordine ex eodem toto Ordine, etiam si non sit de gremio monasterii, assumitur ad gradus et dignitates ; dummodo aliunde sit idoneus et habeat omnia requisita a iure, et statutis Cisterciensibus.

11. Novitiatus in singulis provinciis instituantur, sicut in Cistercio, et quatuor primis Firmitate, Pontigniaco, Claravalle et Morimundo, in quibus novitii sufficientis aetatis, hoc est quindecim annorum, et sufficientis litteraturae, hoc est grammaticalibus sufficienter intructi, post aliqualem in habitu saeculari probationem, in propriis domibus factam, cum sufficienti pensione, a Vicariis pro ratione locorum determinanda, recipiantur et in iis vestiantur et probentur, et a probato magistro in strictiori observantia ita educentur, ut excepta sola a

carnibus abstinentia, virtute privilegiorum et decretorum Capituli generalis concessa, ad omnia sanctae regulae capita prout a Summis etiam Pontificibus et Capitulis generalibus determinata sunt, sese toto vitae decursu teneri intelligant nunquam relaxandos.

12. Seminaria simili ratione in singulis provinciis, ad pietatis et religionis excolendae opus erigantur, sicut in Cistercio, et quatuor primis, in quibus noviter professi cum pensione sufficienti a Vicariis similiter taxanda, recipiantur, et ad perfectionem sanctae regulae et Cisterciensis instituti praxi acquirenda ita erudiantur, ut quicumque vel ad studia vel ad ordines, sive etiam ad officia, aut gradus aut dignitates, in posterum assumendus erit, ex iis solis assumi valeat, qui post factam eiusmodi erectionem, saltem exercitiis spiritualibus in praefatis seminariis exerciti fuerint, et probae vitae et sufficientiae testimonia dederint, super quibus testimoniis non perperam dandis, conscientias praefatorum Vicariorum et seminariorum praefectorum, onerat Capitulum generale.

13. Similiter et collegia et studia, tam erecta quam erigenda, ad praxim regularis observantiae, et officii divini celebrationem, iuxta locorum commoditatem, et personarum numerum, ita teneantur, ut sese conforment praxi collegii S. Bernardi Parisiensis. Quod si in praefatis seminariis non vigeat observantia regularis, ad has leges nullus tenebitur. In eodem autem monasterio aut loco Ordinis, poterunt simul stare novitiatus et seminarium pietatis et studiorum, si modo amplitudo loci, capacitas praefectorum et observantia loci permittant.

14. Ad uniformitatem novitiatuum et seminariorum et studiorum confirmandam, et praecipuum charitatis vinculum retinendum, eorum omnium lex erit uniformis ; ad quem effectum, directorium a venerabili domno priore Cisterciensi formabitur per Rmum D. N. et R. adm de Claravalle approbandum. Quod quidem sic approbatum, accipient singuli praefatorum novitiatuum et seminariorum praefecti, ad cuius observationem procurandam, omnes et singuli, sive Vicarii, sive abbates, sive priores, sive alii quocumque vocentur nomine, sub poena amotionis a suo munere, tenebuntur.

15. Novitiatuum autem et seminariorum eiusmodi officiis deputata, aut per Rmum D. N. et Rdos adm quatuor primos designanda monasteria, vacuabuntur per Vicarios provinciarum omnibus monachis discolis, strictiorem observantiam, praeter abstinentiam carnis, et legitimos usus, refugientibus et impedientibus, et iuvenes in iis educandi, monasteriorum suae professionis sumptibus, aut alias ibi alentur, donec in disciplinae monasticae professione fortiores facti, et ad virtutem formati, ad propria monasteria remittantur, nullo relexationis exemplo frangendi. Quod ut fiat, vult et decernit Capitulum generale,

ut omnes omnino monachorum, in omnibus et singulis, totius Ordinis monasteriis, vacantium pensiones a die praesentis decreti, in usum praefatorum novitiatuum et seminariorum, in cellerariorum manibus retineantur, non alibi applicandae. Et ut praesens decretum debitum sortiatur effectum, districte iniungit Capitulum generale suis Procuratoribus et syndicis, quatinus humiliter regibus et potestatibus temporalibus et magistratibus, nomine Capituli generalis, supplicent et instent fortiter, pro eius executione, unicumque et quotiescumque necesse fuerit.

16. Diffinitionum a *Novellis* editarum, ad bonum Ordinis regimen pertinentium, compilationem, retractationem, examinationem et ordinationem in proximo Capitulo generali praesentandam fieri tandem cupiens praefatum Capitulum generale id muneris Rmo D. N. reverenter, et adm Rdis quatuor primis commisit. Interim vero, pro vitanda legum multiplicitate, quae mole sua plus gravat quam iuvat observantiam, solo spiritu non littera vivificandam, idcirco ex multis, hae solae quae sequuntur selectae diffinitiones, quae renoventur et confirmentur, prout auctoritate Capituli generalis de facto renovantur et confirmentur.

17. Quoniam hodiernus rerum status... *etc.* ex Cap. gener. anni 1605 [nº 24].

18. Item, ex eodem Cap. gener. anni 1650 [nº 28] : Quoniam radix omnium... *etc. et citatur in fine cap.* 20 *sess.* 25 *Concilii Tridentini.*

19. Item, ex eodem Cap. gener. anni 1605 [nº 62] : Praesens Cap. gener. indignum... *etc.*

20. Item, ex Cap. gener. 1609 [nº 32, 33] : Praesens Cap. gener. praecedentium vestigiis ... *etc.*

21. Item, ex eodem Cap. gener. 1609 [nº 34] : Dioecesanis episcopis... *etc.* — Hucusque diffinitiones renovatae et confirmatae.

22. Ad reparandam in officio divino sacri Ordinis uniformitatem, statuit Capitulum generale ut libri Ordinis corrigantur et imprimantur, ad quod correctionis et impressionis munus deputat R. D. abbatem de Carmeia cum DD. prioribus Cistercii et Claraevallis, dans eis plenariam potestatem addendi, tollendi et mutandi quae additione, sublatione et mutatione digna iudicaverint ; dummodo in proximis comitiis infra annum celebrandis, a Rmo D. N. cum Rdis adm quatuor primis abbatibus, talia iudicata fuerint. Interim vero omittentur in posterum solitae commemorationes per totas et omnes solemnes octavas, scilicet Paschae, Sacramenti, Sancti Bernardi, Omnium Sanctorum et omnium solemnitatum B. M. Virginis, et etiam a die Palmarum usque ad Pascha, ab Ascensione usque ad festum Sanctae Trinitatis inclusive, et a Nativitate usque ad octavam Epiphaniae ; statuunturque octavae solemnes festi Omnium Sanctorum, quibus non obstantibus, fiet

suo die officium omnium defunctorum. Omittuntur etiam diebus sermonum dictae commemorationes.

23. Ad residentiam in propriis domibus abbates teneantur in posterum, prout de iure ; et officia priorum aut commissariorum ultra duos menses, vel procuratorum vel regentium vel confessariorum ordinariorum apud moniales exercere non valeant, sed nec in domibus monialium, nec in castellis, nec in grangiis, aut alibi extra septa monasteriorum suorum commorari eis licitum sit, sed tantum hospitari.

24. Contractus a quibusdam abbatibus cum suis monachis initos pro separatione mensae conventualis ab abbatiali, censuit Capitulum generale esse rescindendos, tamquam paupertati religiosae dictorum abbatum contrarios, prohibens ne in posterum similes a quoquam attententur.

25. Monachus novam professionem, quam stabilitatis vocant, in aliquo monasterio emittens, acquirit sibi totum ius monasterii novae suae professionis, ita ut in electiva domo ad electionem sit vocandus.

26. Monachus qui sub praetextu beneficii ab Ordinis subiectione semel recessit, nunquam recipiatur sine licentia Rmi D. N. et Rorum adm quatuor primariorum, et receptus per totam vitam ultimus maneat.

27. Nullus contractus valeat pro alienatione et locatione in emphyteosim bonorum monasteriorum Ordinis, nisi prius a Capitulo generali fuerit approbatus, et qui facti sunt rescinduntur.

DIFFINITIONES SPECIALES

28. Ne praetextus contentioni in posterum relinquatur, legi iussit Capitulum generale *Breve* Apostolicum pro pace collegii S. Bernardi Parisiensis a f. r. Urbano Papa VIII datum, cuius tenor sequitur et est talis :

URBANUS PAPA VIII — Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius abbas generalis Cisterciensis Ordinis,quod nonnulli eiusdem Ordinis monachi in regno Franciae, sub praetextu introducendi in collegium dicti Ordinis civitatis Parisiensis, et alia ipsius Ordinis regularia loca, abstinentiam carnium, quarum usus eidem Ordini ab hac Sancta Sede concessus est, et specie aliarum reformationum praefati collegii superiores ab eodem abbate generali deputatos ex eodem collegio eiecerunt, et in eiusdem collegii regimine sese ambitiose intruserunt, in eoque continuant, non obstante protestatione et appellatione ad eamdem Sedem factis atque interpositis. Quare dictus abbas generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum generalem abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat

consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, monachis Ordinis huiusmodi, ac praesertim in collegio Parisiensi aliisque locis praefatis degentibus, districte iniungimus, ut omnino eidem abbati generali pareant, nec in aliquo eius superioritatem, cui subsunt, sub quovis praetextu, etiam introducendae reformationis, quoquo modo turbare audeant, ipseque abbas generalis possit et debeat, ut antea consueverat, in eodem collegio et locis supradictis deputare superiores, quibus, (ut par est) iidem monachi obedire teneantur, neque contra deputationem superiorum huiusmodi, aliquid attentare praesumant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque in contrariis quibuscumque. — Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die quinta decembris 1635, Pontificatus nostri anno decimo tertio. — Infra M. A. Maraldus cum appositione annuli Piscatoris in cera rubea.

Quod quidem *Breve* registrari post lectionem, et cum debita reverentia et submissione ab omnibus recipi decernit Capitulum generale, et non obstantibus a Rdo abbate de Castellione allegatis, statuit ut omnes illud admittant cum debita veneratione.

29. Dimissionem fratris Petri Gauthier, et institutionem fratris Petri de Lancy in Procuratorem, per Rmum D. N. Cisterciensem in collegio S. Bernardi Parisiensi factas, ratas habet et approbat Capitulum generale, in plenaria Ordinis potestate.

30. Convocationes quorumdam abbatum sine Capituli generalis auctoritate factas ferre non valens Capitulum generale, eas tamquam attentatas et illicitas condemnat, similesque prohibet in posterum, omniaque et singula in eis acta cassat et irritat in plenaria Ordinis potestate.

31. Inauditum in Ordine loquendi modum, novosque titulos sustinere non valens Capitulum generale, districte prohibet fratri Petro Gauthier collegii S. Bernardi Parisiensis antea procuratori, ne nomen et munus procuratoris generalis Patrum abstinentium, in prohibita illa apud Fulcardimontem convocatione, ipsi indebite collatum, amplius usurpare audeat, et ne ipsa nec quisquam alius simile nomen et munus assumat, sub poena privationis vocis activae et passivae usque ad proximum Capitulum generale vetat, in plenaria Ordinis potestate.

32. Ut visitatio annua facilius impleatur, vicariatus nimium amplos generale Capitulum censuit dividendos, unde decernit ut Tholosana

provincia et Patrum abstinentium monasteria in duos vicariatus respective separentur, et a duobus Vicariis etiam respective in posterum visitentur.

33. Dispendiis collegii S. Bernardi Parisiensis providere cupiens Capitulum generale prohibet ne hospites in posterum in illud admittantur, nisi prius hospitii sui impensas pro octo diebus solverint, ita tamen ut egredientibus restituantur quae superfuerint. Taxa autem singulorum erit 30 solidorum per diem pro quocumque monacho, 16 pro famulo et 20 pro equo. Provisor in posterum et Procurator cum solis duobus regentibus in theologia et sacrista, collegii sumptibus alentur et vestientur, sicut et servi communes, cum famulo provisoris. Regentes autem in philosophia 100 francos dabunt pro victu et vestitu.

34. Tabula monasteriorum totius Ordinis in claustro Cistercii asservari solita, in proximo Capitulo generali renovetur, ad quem effectum omnes et singuli abbates, vicarii et priores, tempus fundationis monasteriorum suorum, ad praefatum proximum Capitulum generale, in scriptis authenticis deferre tenebuntur.

35. Oblati in Germania veste talari huc usque usi, ab ea in posterum abstineant, et veste tantum saeculari induantur ; portare tamen poterunt signum aliquod suae oblationis, in iis terris in quibus necesse fuerit.

36. Ad quaestionem de casibus reservatis factam, respondit Capitulum generale, eos in proximis comitiis per Rmum D. N. cum Rdis adm quatuor primariis fore determinandos.

37. Vicariis provinciarum districte iniungitur, simul et syndicis, ut in proximo Capitulo generali, de non solutis huc usque contributionibus exactiorem reddant rationem.

38. Abusum subsidiorum coercere volens Capitulum generale districte prohibet ne quisquam exactiones, contributiones et subsidia sub quocumque praetextu exigat, in monasteriis Ordinis, sine auctoritate Capituli generalis.

39. Scribatur Serenissimo Archiduci Leopoldo nomine Capituli generalis, pro non impediendis in posterum dominis abbatibus Belgii ne ad Capitulum veniant ; et de ipsis abbatibus conquerendum vult Capitulum generale quod allegatam prohibitionem amoveri non satis strenue et devote procurasse aliqui videantur.

40. Ut antiqua in Ordine erga mortuos pietas excitetur, missionem brevium pro singulo mortuo, ad Vicarios fieri ordinavit Capitulum generale, et Vicariis vicariatus sui relationem, in praedicto Capitulo generali facientibus, omnium in districtu suo defunctorum nomina, ad supradictum Capitulum deferre praecepit.

41. Festum sanctae Lutgardis in posterum celebrari per totum Ordinem statuit Capitulum generale, fietque de ea sicut in communi virginum, cum XII lectionibus et una missa die 16 iunii.

42. Ad quaestionem propositam de ordine magistrorum in theologia, declarat et decernit Capitulum generale et servetur ordo dudum concessus doctoribus Parisiensibus super omnes alios doctores et priores, exceptis priore Cistercii et prioribus titularibus conventum actu habentibus [c].

43. Electione Protectoris facta de Eminentissimo D. D. Cardinale Franciotti, scribatur nomine Capituli generalis Summo Pontifici littera congratulatoria, pro protectione Ordinis in tantum virum collata, et ipsi Eminentissimo supplicatoria, pro benevola eius acceptatione.

44. Procurator collegii S. Bernardi Parisiensis immediate sequatur bachalaureos primi ordinis, deinde priores ante bachalaureos secundi ordinis, ordinem teneant.

45. Cum negotiorum multiplicitas non permittat, ut in diffinitorio Cisterciensi omnia terminentur, idcirco decernit Capitulum generale ut quaecumque tractanda restant Divione tractentur et determinentur a Rmo D. N. et Rdis adm quatuor primis, ac aliis dominis Diffinitoribus, qui adesse voluerint et potuerint, in plenaria Ordinis potestate [d].

46. Commissariatus per Germaniam et Hungariam ad recuperanda Ordinis monasteria e manibus haereticorum Rdo abbati de Campoliliorum conceditur; et si aliqua recuperaverit, paternitatis ius in illa habebit ad vitam.

47. Non liceat abbatibus aut abbatissis a Praelatis extra Ordinem benedictionis munus sibi impendendum postulare, sed a Vicariis a Rmo D. N. potestatem ad id habentibus benedici se faciant.

48. Ad instantiam D. Polonorum et aliorum, frequentior communis et celebratio missarum ut fiat, delendos iussit ex eorum statutis hos terminos, « bis saltem in hebdomada celebrent » et eorum loco « saepius » reposuit Capitulum generale, et pro iuvenibus alternatim communicantibus, ut simul communicent, indixit.

49. Petitio monachorum Pontigniacensium super prohibitione venditionis sylvarum faciendae exauditur, et expediantur litterae Capitili generalis quibus detur ipsis facultas procurandi rescisionem contractuum a novissimis abbatibus defunctis pro similibus venditionibus initorum.

---

[c] *Ch*[1]. *add.*: Doctores autem Tholosani nulli amplius imposterum fiant, sine auctoritate et licentia Cap. gen. sedentis et non alias. [d] *A*[3] *add.*: Sic signatum: fr. Claudius Vaussin abb. Cist., fr. Yvo abb. Firmitatis, fr. Claudius abb. Claraevall., fr. Cosmas abb. de Bellobecco pro R. adm. abb. de Pontigniaco, fr. Michael abb. de S. Cruce de Austria loco adm. R. abb. de Morimundo, fr. Petrus Besancon abb. de Roseriis, fr. de la Forest de Somon abb. Stamedii.

50. Visis litteris testimonialibus celebris Academiae Viennensis in Austria, de peracto cum laude cursu theologiae R. Patris Michaelis Schnabel [e] abbatis B. M. de Sancta Cruce, et mature ponderata eius capacitate, Capitulum generale bene merito capiti lauream doctoralem imponi decernit, simul et honorifice imposuit, statuens ut litterae expediantur.

51. Idem concessit R. D. Emmanueli de Montfort, abbati de Tribus regibus in comitatu Burgundiae ; propter singularem eius doctrinam et praeclaras animi dotes.

52. Idem concessit praefatum Capitulum generale D. Ioanni Bougeret in mercedem studiorum et laborum, quos pro dignitate Ordinis tuenda sustinuit.

53. Petitio fratris Thomae de Moncel et fratris Petri Renaud [f], monachorum Cistercii, super esu carnium, propter allegetas rationes infirmitatis, et propter uniformitatem servandam, iuxta privilegia Ordinis exauditur.

54. Ius suum unicuique servari cupiens generale Capitulum, nihilominus praecipit Procuratori generali in Curia romana, ut bullas Sixti IV et earumdem bullarum confirmationem a Clemente VIII factam, quibus contra statuta Ordinis et in praeiudicium abbatis et monasterii Sanctae Crucis in Austria ius paternitatis immediatae abbati de Rhuna in monasterio Campililiorum conceditur, revocari a SS. D. N. procuret.

55. Contributiones Ordinis a Rdis D. abbatibus Austriae, Bohemiae et Silesiae, videlicet centum ducatorum pro abbatibus Austriae, 60 pro abbatibus Bohemiae, 30 pro abbatibus Silesiae, sicut et 100 pro abbatibus Poloniae, acceptat Capitulum generale, gratiose ipsis praeteritas alias contributiones remittens, sub promissione ab ipsis facta de solvendis in posterum pro Procuratore generali et negotiis communibus Ordinis.

56. Procuratoris generalis officium in Curia romana exercendum magistro Malgoirez de Bonacumba professo, commitit generale Capitulum, decernens ut patri Hilarioni Rancati pro exercitio hucusque munere gratiae agantur.

[DIFFINITIONES] PARTICULARES

57. Incorporationem et unionem monasterii monialium S. Bernardi in Austria in praeiudicium Ordinis factam collegio Viennensi Societatis Iesu aegre ferens Capitulum generale, mandat dominis de Sancta Cruce

---

[e] Schaabel : *A*[3]*L*[8]*P*[3]. [f] Regnault : *Ch*[1].

et de Zwetla abbatibus per omnes iuris et iustitiae vias praefatam unionem rescindi, et dictum monasterium Ordini restitui procurent in plenaria Ordinis potestate, iniungendo Procuratori generali in Curia romana ut eis pro muneris sui partibus operam praestet.

58. Scribatur Imperatori et Serenissimo Archiduci pro Bohemis et Silesianis, ut a decimarum solutione subleventur.

59. In executionem decreti Capituli generalis de seminariorum erectione, cum praefato Capitulo generali innotuerit, fuisse olim Viennae erectum huiusmodi seminarium sub R. D. a Sancta Cruce iurisdictione ; idcirco statuit et ordinat saepe dictum Capitulum generale, ut praefatus de Sancta Cruce in Universitate Viennensi seminarii erectionem ita procuret, pro provinciis utriusque Austriae, Silesiae, Carinthiae et Carniolae, ut infra annum cum Rdis illarum partium abbatibus, quos vocaverit, de locorum emptione, aedificiorum constructione, dotatione et conservatione et disciplinae monasticae instauratione conveniat ; et illius sic erecti seminarii regimen et administrationem praefato Rdo a Sancta Cruce committit Capitulum generale in perpetuum, in plenaria Ordinis potestate.

60. Ad petitionem de recuperandis et seminario Viennensi incorporandis monasteriis monialium, videlicet Friesachio in Carinthia, sicut et S. Bernardo in Austria pro isto, Capitulum generale deputavit et deputat commissarios Rdos abbates de Sancta Cruce et de Lucella, pro illo autem praefatum dominum de Sancta Cruce, et dominum de Campoliliorum, qui praefata monasteria recuperent, et si visum fuerit, praefato seminario incorporent vel redditus inde provenientes eidem applicent.

61. Ad quaestionem propositam an religiosus dissolutus vel incorrigibilis eliminari possit ab Ordine sola auctoritate cuiuscumque abbatis, respondet Capitulum generale non posse propter novissimas Summorum Pontificum prohibitiones ; et in casu quo posset, causam ad Vicarium generalem deferendam censuit.

62. Ad querelam Rdi a Valle Dei, quod Rdus de Rhuna usurpare velit paternitatem in Aulam B. M. Virginis, vulgo Schlierbacum, decretum fuit ut filia restituatur patri suo, ea conditione, ut si qui forte sumptus in illa recuperatione facti fuerint, a Schlierbaco refundantur.

63. Contractus permutationis quae R. abbas de Rhuna aut eius antecessor comparavit dominium Roch a monasterio S. Trinitatis in Novacivitate Austriae, quod etiam est de Ordine, ad Rdos a Sancta Cruce et de Campoliliorum remittitur examinandus et confirmandus, aut etiam rescindendus, prout aequum fuerit, in plenaria Ordinis potestate.

64. Ad quaestionem de electione facta per R. Rhunensem de D. Victoriensi absque scrutatoribus et testibus, an talis valeat, respon-

sum fuit, non valere taliter factam. Sed an talis fuerit prius informandum a Vicario generali. Quod intelligendum de electione facta per viam scrutinii.

65. Ad questionem de togis nigris, an in via licitae sint, responsum fuit, nigras nullibi esse licitas cum cucullis tantum, sicut scapularibus nigris uti liceat, non autem tunicis, quas ubique et semper albas habere debemus.

66. Viso decreto electionis sororis De la Vie, eiusdem cassatur electio facta per moniales S. Bernardi prope Bayonas.

67. Sancti Sigismundi moniales per confessarium de Ordine a Vicario provinciae deputandum regentur, et sub poenis eiusdem Ordinis confessarium illum Franciscanum et omnem alium de aliis Ordinibus dimittere tenebuntur.

68. Petitio domini Ioannis Seufridi pro filia sua primogenita exauditur.

69. Petitio D. abbatum de Austria et Silesia pro diebus lunae ratione necessitatum allegatarum, committitur Vicariis illarum partium cum potestate concedendi esum carnium iuxta privilegia Ordinis.

70. Scribatur Regi catholico et serenissimo Archiduci Leopoldo nomine Capituli generalis, supplicando ut monasteria comitatus Burgundiae non amplius commendentur ; nec nisi personis de Ordine tradantur.

71. Cum extrema necessitas non habet legem, solaque necessitate huiusmodi (ob immensum videlicet Sueviae militiae satisfactionis pensum) monasterio Salem vigore instrumenti pacis imperialis impositum solvendum, et inde irreparabile executionis militaris damnum evitandum, pacisque diu anhelanter desideratae effectum tandem potiendum, compulsi R. abbas et conventus eiusdem monasterii Salem non solum praefecturam et pagum vendere Lechingen non procul ab imperiali civitate Ulma sitam cum suis pertinentiis pro mutuis octo mille cum centenis florenis Helveticae monetae cathedralis ecclesiae Curiensis capitulo ad sex secundum ipsius, sed ad quinquaginta annos secundum arbitrium suum hypothecaverint, sed etiam illi ex praefectura Moskirchensi ideo oppignorata certum annuum et perpetuum censum frumentarium, utpote centum duo cum dimidio maltera farris pro itidem numeratis decem mille florenis vendiderint. Idcirco etsi dolens, tamen in posterum meliora sperans Capitulum generale, eiusmodi hypotheticationem et venditionem ab illis in favorem dictae cathedralis ecclesiae Curiensis factam, ratam habuit, prout habet per praesentes.

72. A praxi decreti [g] de novitatibus communibus erigendis ob spe-

---

[g] a priori decreto : *L*[8].

ciales rationes, domini abbates de Austria, de Bohemia, de Silesia et de Belgio per Rmum D. N. excusabuntur, si velint.

73. Contractum abbatis commendatarii monasterii B. M. de Noa cum Patribus Fuliensibus, pro eorum in illud introductione initum, tamquam Ordini iniuriosum et in Ecclesia pernitiosum cassari et annullari nullumque prout de iure et de facto talis est, declarari cupiens Capitulum generale omnibus Vicariis et Syndicis atque procuratoribus suis, sicut et monachis, priori et conventui praedicti monasterii de Noa et ceteris ad quos pertinuerit, districte iniungit, quatinus eiusmodi attentata contra sacri Ordinis dignitatem et praefati monasterii de Noa iura et pacem ubicumque et quotiescumque opus fuerit, revocare procurent, in plenaria Ordinis potestate.

74. Novitiae receptae a Rionette [h] in loco nuncupato usque huc Villae longae unito nullum ius ad professionem acquirent, lite pendente super dicti loci unione ; nec liceat aliis habitum dare, nisi prius pacifica monialium possessio constiterit.

75. Devotionem Christi fidelium in sanctum Leonardum promoveri cupiens Capitulum generale in capella seu ecclesia sibi dicata monasterio Campi principum, vulgo Furstenfeld incorporata, sita in Bavaria inter Menoquium et Augustam, praefatam capellam praecedentibus Capitulis generalibus inhaerendo sub sua protectione speciali retinet, omnibusque Christi fidelibus illam devote visitaturis bonorum et suffragiorum Ordinis participationem concedit.

76. Hybernis hospitium petentibus dominus noster providebit tamquam dispersis.

77. Pro monialibus in Helvetia a Nuntio Apostolico vexatis et iurisdictionem Ordinis contra Patrum Societatis Iesu usurpationes reclamantibus, scribatur Summo Pontifici et dominis cantonibus catholicis et comiti de Brienne, totumque negotium et res dominus Santurbanensis strenue curet.

78. Procurator generalis Rdo abbati de Mulbrunn per Vicarium generalem providebitur. Scribeturque Regi Christianissimo pro monasterii ipsius protectione ; eidemque Rdo abbati iniungitur ut de redditibus et recuperatione monasterii monialium siti quondam in Brisat informet proximum generale Capitulum.

79. Lis Rdi abbatis de Mulbrunn cum abbate Benhusen [i] dirimetur a patre immediato utriusque partis, scilicet domino de Lucella ex una parte et domino de Salem ex altera. Quod si ambo non convenerint, cum tertio terminabunt.

80. Datur Vicariis Poloniae omnimoda potestas reducendi onera

---

[h] Rionette : *apud* A^3 *tant., locus vacuus apud alios.* [i] Renhosen : L^8.

missarum gravia monasteriis suis imposita, ad numerum quem ex bona conscientia iustum iudicaverint.

81. A decreto de residentia excusatur usque ad Capitulum generale proximum Provisor Parisiensis.

82. Ad petitionem de erigendo in urbe Carolipoli seminario nomine domini prioris de Elancio factam, deputat Capitulum generale R. D. de Claravalle cum R. de Charmeia qui quod ex re Ordinis fuerit, exsequantur in plenaria Ordinis potestate.

83. Vicarius Silesiae divisus esto a Vicariatu Bohemiae.

84. Abbatissae de Laval liceat ex ruinis antiqui monasterii novum construere.

85. Responsa data ad articulos dominorum Polonorum per R. de Columba, a Capitulo approbantur.

86. Scolastici Silesiae student in collegio Bohemiae, donec ipsimet collegium erexerint.

87. A praxi decreti de mensae conventualis ab abbatiali separatione non facienda domini Poloni excusantur, ex eo quod eorum abbates ex aula, ut plurimum assumpti, res Ordinis parum curant.

CONFIRMATIONES CONTRACTUUM

88. Confirmatur contractus de Pratea.

89. Item, contractus Montis S. Mariae et de Alta ripa. — Item, de Sancto Albino. — Item, de Loco Dei. — Item, de Rotensmunster quod est monialium, confirmantur [j].

SUFFRAGIA

90. Suffragia petentibus gratiose conceduntur.

EXCUSATIONES ABBATUM REMANENTIUM A CAPITULO GENERALI.

91. R. adm abbas de Morimundo per authenticum instrumentum procuratorium, per priorem de Crista eius excusatorem specialiter ad hoc delectum, suae demorationis causas Capitulo generali transmittit declarandas.

92. Congregatio Romana paupertatem, itinerum pericula et commendarum incommoda declarat.

---

[j] *Ch[1] add.* : Committitur negotium prioris et monasterii de Ponte alto Vicario illius provinc. ut auditis partibus iudicium ferat in plen. Ord. potest.

93. Congregatio S. Bernardi in Italia, idem ; praeterea Capitulum provinciale eodem tempore opponit.

94. Congregatio Calabriae idem quod Romana, et promittit missurum unum specialiter excusatorem.

95. Procurator generalis dictarum Congregationum excusationes confirmat.

96. Austriaci per R. D. de Sancta Cruce deputatum. — Silesiani per D. abbatem Raudensem. — Bohemi per D. abbatem de Aula regia. — Poloni per duos mandatarios.

97. Congregatio Superioris Germaniae propter bella et paupertatem. — Helvetii partim ob morbos, partim ob domestica negotia. — Comitatus Burgundiae per D. abbates de Monte S. Mariae, de Tribus regibus, de Roseriis. — Sabaudia per D. de Stamedio, Vicarium.

98. Hispanis Congregationis S. Bernardi in Castilia non fuit intimata Indictio Cap. gen.

99. Congregatio Arragoniae ob bella. — Catalauni ob bella. — Inferioris Germaniae ob bella. — Belgae propter inhibitionem Principis. — Leodienses ob bella. — Galli partim ob morbum, partim ob bella. — Hyberni nihil scripserunt.

100. D. abbas de Runa in Styria se excuset propter comitia provinciae quibus interesse debet. — D. abbas in Salem mittit excusatorem specialem suae demorationis.— D. abbas Brunbach itinerum pericula et diversas lites pro bonis recuperandis brevi terminandas affert. — D. abbas in Bildhausen senio confectus, monachorum paucitatem et itinerum pericula affert. — D. abbas Langheimensis procuratorem sive excusatorem mittit. — Domini abbates de Vetri monte et de Campo S. Mariae ad Tractum Rheni excusant se ob persecutiones Hollandorum et Lotharingiorum misere omnia depopulantium. — D. abbas Raitenhaslach in inferiori Bavaria excusat se ob egestatem et itinerum diversa pericula. — D. abbas de Bredelar excusat se ob penuriam et bellorum turbines. — D. abbas Vangrovecensis Polonus excusat se ob bella et itinerum pericula. — D. abbas in Stamps ab Archiducibus iussus est domi manere, nec licentiam veniendi potuit obtinere. — D. Abbas Regiofontanus excusat se ob egestatem qua maxima laborat.

101. D. abbas Vallis S. Lamberti excusat se ob furiam belli et specialiter Lotharingi militis in Leodiensi ditione omnia misere devastantis et nuperrime templum spoliavit. — D. abbas de Bullione in comitatu Burgundiae se excusat a Capitulo generali quia nondum professus. — D. abbas de Caroloco se excusat propter infirmitatem. — D. abbas de Villario in Betnach se excusat propter bellorum insultus. — D. abbas de Valcellis se excusat propter bellorum tumultus. — D. abbas de Camberone scribit omnibus abbatibus in Belgio a Principe Archi-

duce esse inhibitum, ne ad Capitulum generale se transferant. — D. abbas Nizellensis eamdem prohibitionem affert. D. abbas de Iardineto itinerum pericula et militum incursus proponit. — D. abbas Dunensis edictum Archiducis pro excusatione specialiter affert.

INSTITUTI VICARII ET PROMOTORES SYNDICI PER CAPITULUM GENERALE.

102. *In universa Italia, Lombardia, Venetia.* Vicarius : D. Ioannes Malgoirez procurator in Curia Romana. — *In Calabria* : idem.

103. *In utraque Austria, Styria, Carinthia et Carniola.* Vicarius : D. de Sancta Cruce abbas, s. th. d.

104. *In Bohemia.* Vicarius D. de Aula regia abbas.

105. *In Silesia.* Vicarius : D. Lubensis abbas.

106. *In Polonia et Prussia.* Vicarius : D. Obrensis abbas.

107. *In Superiori Germania.* Vicarius ...

108: *In inferiori Germania et provinciis Rhenanis, Vestphalia, Saxonia.* Vicarius : D. de Veteri monte abbas.

109. *In Belgio.* Vicarius : D. Dunensis abbas.

110. *In Leodiensi patria.* Vicarius : D. de Alna abbas.

111. *In Helvetia, Alsatia et Brisgoya.* Vicarius : D. de Sancto Urbano abbas.

112. *In Sabaudia et Pedemontio.* Vicarius : D. de Stamedio abbas, comprehensis Haynis, vulgo Les Hayes, in Delphinatu sitis.

113. *In comitatu Burgundiae.* Vicarius : D. de Monte S. Mariae abbas.

114. *In Lotharingia.* Vicarius : ... — *In Hybernia.* Vicarius :... — *In Castilliae et Hispaniarum Congregatione.* Vicarius : ... *In Portugallia.* Vicarius : ...

115. *In Catalaunia, Navarra et Congregatione Coronae Arragonum.* Vicarius : D. de Populeto abbas.

116. *In Luxemburgo, Virdunensi et Trevirensi provinciis.* Vicarius : ...

117. *In Gallia.* Procurator generalis : D. de Valle dulci abbas.

118. *In senatu Tholosano.* Vicarius : D. Gastonius de Poulx prior Bolbonae, s. th. d. Syndicus : ...

119. *In districtu Burdigaliae.* Vicarius : D. Antonius Lhoste prior de Faesia, s. th. d. Syndicus : ...

120. *In utraque Marchia et Biturgia.* Vicarius : D. de Stella abbas. Syndicus : D. Benignus Beruchot prior de Barzella.

121. *In Alvernia.* Vicarius. D. de Petris abbas. Syndicus : prior de Mansiada.

122. *In Delphinatu.* Vicarius : D. de Sancto Sulpitio abbas, comprehensis Chassania et de Bonis campis. Syndicus : ...

123. *In provincia Provinciae.* Vicarius : D. Ioannes Tedenat, s. th. d., comprehensis de Bacholeo et de Aletz. Syndicus : prior de Sinaqua.

124. *In utraque Pictavia.* Vicarius : D. de Colomba abbas, s. th. d.

Sexto die vero vigesima quinta octobris, atque etiam ... m


sigilla nostra imprimi et affigi voluimus.

Claudius Abbas Cisterciensis [illegible]

f. Petrus Abbas Firmitatis.

Ludouicus abbas pontigniacensis

Petrus Abbas Claraevallis

Ex Archivo Trecensi 3 H, 146; ann. 1656.

125. *In Britannia.* Vicarius : D. Largentier de Villa nova abbas, s. th. d.

126. *In Cenomannia et Perch.* Vicarius : D. de Strata abbas.

127. *In Andegavensi in Turonensi provinciis.* Vicarius : D. Nicolas Consig, s. th. d. Syndicus : ...

128. *In Normannia.* Vicarius : D. de Bello becco abbas, s. th. d. Syndicus : D. Lucianus Libert.

129. *In Abstinentium monasteriis.* Vicarius : D. de Barberio et D. de Columba abbates.

130. *In Picardia et Veromannia.* Vicarius : D. prior de Ursicampo.

131. *In Campania.* Vicarius : ... Syndicus : ... *In ducatu Burdungiae.* Syndicus : procurator Cistercii.

* * *

132. Ad prosequendum negotia Ordinis deputat Capitulum generale dominum Ioannem Tedenat, s. th. d., qui sumptibus Ordinis ea prosequetur, ubi opus fuerit. Sic et correctio et impressio librorum Ordinis sumptibus eiusdem Ordinis fiet. Et expediantur ei litterae patentes.

1654

Acta sunt haec in comitiis Cistercii iuxta indictionem Reverendissimi Domini nostri.

1. Lectis ante omnia litteris Reverendi admodum Domini Morimundensis excusatoriis, habitus fuit legitime excusatus, et nihilominus conclusum ut sessiones et deliberationes super proponendis negotiis haberentur.

2. Imprimis accurrate perpenso rerum statu, propter bellicos tumultus, defectumque contributionum, Capitulum generale in annum 1656 aut etiam 1657, prout expedire visum fuerit, differri placuit.

3. Deinde ad restaurandam regularem disciplinam, visitationis annuae munus provinciarum Vicariis impositum, de novo iniungendum visum est, cum obligatione iis significanda introducendae praesertim verae et perfectae communitatis, et servandi et servari faciendi decreta novissimi Capituli generalis.

4. Praeterea post seriam inquisitionem de erigendorum novitiatuum, et pietatis seminariorum locis et mediis, iuxta Capituli generalis intentionem ordinatum fuit, ut praeter Cistercium et quatuor primas domos, Bellus beccus pro Insula Franciae et Normannia, Mellearium pro Britannia, et Ursicampus pro Picardia etc., tamquam monasteria apta ad educationem novitiorum et noviter professorum deputata usque ad proximum Capitulum generale sint et remaneant.

1654. *Fons* : *T*[7].

5. Simul etiam provisum fuit ut Vicarii provinciarum sumptibus monasteriorum numerum competentem monachorum non habentium, idoneos ad habitum monachalem adolescentes sine dilatione illuc transmittant probandos et erudiendos, renitentesque censuris Ordinis coerceant, et invocato etiam brachii saecularis auxilio compellant.

6. Quo certior et promptior decreti de novitiatuum et seminariorum erectione executio fiat, conclusum fuit, ut Rdus adm D. Pontigniacensis ex Rmi D. N. commissione per totam Britanniam, utramque Pictaviam, Vasconiam, Xantonensem, Bituricensem et Perchiae provincias visitationem hoc proximo vere instituat, simileque onus ad praedictum effectum Rdus adm D. Claraevallensis per Campaniam, Picardiam et Normanniam suscipiet.

7. Circa *Breviarii* correctionem haec monita deputatis eiusdem correctoribus insinuanda visa sunt, nempe ut prolixitas vitetur potissimum in lectionibus ; historiae non receptae passim ab Ecclesia non admittantur ; vitae sanctorum non nisi ex Patribus orthodoxis desumantur ; lectiones in commune sanctorum multiplicentur ad varietatem ; ex scriptis sanctissimi patris nostri Bernardi homiliae et lectiones, ubi fieri potuerit, seligantur ; hymni corrigantur et ubi conveniens erit, ex romano *Breviario* assumantur; cantus eorumdem, etiam servatis, ut in psalmodia, accentibus, ubi fieri poterit, varietur. Evangelia dominicalia iuxta romanum usum legantur. Nova festa fundatorum Ordinum, et praecipuorum Ecclesiae doctorum colantur. In festis sanctorum quatuor psalmi ex romano ad vesperas sumantur. Omnia festa unius missae cum tribus tantum lectionibus, omisso defunctorum officio celebrentur. Diebus Sabbati non impeditis sine cursus B. Virginis omissione, de eadem Beata iuxta morem romanum fiat. Aestivo tempore in eiusdem cursus vigiliis unica sit tantum lectio de Beata cum brevi responsorio, sine invitatorio, ut in maiori officio fieri privatis diebus solitum est. In Prima, Tertia, Sexta et Nona eiusdem cursus ultra tres Psalmos, Capitulum et unam Collectam cum Versu et Hymno solito, nihil addatur, et a maiori etiam officio *Spiritus Sanctus* amoveatur, exceptis Laudibus aut Prima secundum tempus, Vesperis et Completorio, in officio defunctorum *Lauda anima Dominum*, et *De profundis* ante Collectam non amplius dicantur.

8. Decretum Capituli generalis de residentia abbatum a plerisque Abstinentibus neglectum denuo visum est ipsis inculcandum et debite significandum.

9. Visitatio a Rdo abbate de Castellione in plerisque Britanniae et aliarum partium monasteriis suscepta visa est et iudicata attentata, et propterea Rmo D. N. supplicatum fuit ut, pro Capituli generalis dignitate sustinenda, dictum abbatem coerceat.

10. Pro privilegiorum Ordinis confirmatione apud Summum Pontificem in meliori forma, etiam extensione, et Mendicantium et aliorum communicatione obtinenda iniungendum visum est Procuratori generali, ut strenue se gerat, et Rmo D. N. supplicatum, ut apud christianissimum Regem pro eadem gratia instare non gravetur.

11. Eidem procuratori generali dandum visum est pro obtinendo *Brevi*

Apostolico de manutenendo iuxta Concilium Tridentinum iure visitationum in exteris provinciis, et pro monasteriorum de Eischenbach et de Rathusen recuperatione.

12. Ad quaestionem de casibus reservatis propositam, responsum fuit unicuique locorum Ordinario, sive abbati sive priori, Clementis VIII constitutionem de dictis casibus reservatis esse servandam, et quoad casus tenorem et explicationem bullae in coena Domini esse describendam, donec Capitulo generali aliud addere placuerit.

13. Compilatio diffinitionum committitur venerabili priori Cistercii, ea ratione ut eas tantum seligat quae possunt observari, atque ita in unum corpus contrahat, ut tamen penes Capitulum generale maneat interpretatio pro locorum et temporum varietate.

14. *Usus* et *Caeremoniale* Ordinis conformiter ad *Usus* antiquos et *Pontificale* ac *Caeremoniale* romanum, resecatis resecandis et additis addendis, condentur, idemque prior Cistercii in iisdem edendis hoc praesertim observabit, ut sacri Ordinis caeremoniae, quantum fieri poterit, retineantur.

15. Vicario Britanniae per Rdum adm D. de Claravalle de melius obeundo suo munere facienda visa est monitio, et vacante per obitum Rdi abbatis de Strata, Cenomaniae et Perchiae, vulgo Perche, vicariatu, usque ad proximum Capitulum generale, de persona D. Fiacrii Le Mercier de Fonte Danielis prioris pro Cenomania et de persona Rdi abbatis de Bellobecco pro Perchia seu Perche provisum fuit, et supplicatum Rmo D. ut litteras expedire dignetur.

16. Emanavit etiam edictum de subsidio charitativo exigendo, simul et litterae ad Vicarios provinciarum et alios deputatos pro eiusdem exactione expeditae sunt, et auditis venerabilis magistri nostri Tedenat in prosecutione litis adversus Abstinentes procuratoris generalis rationibus, tam pro eiusdem sollicitatione quam aliis expensis, inventa est summa expensae usque ad hanc diem factae extendere ad summam trium millium centum viginti novem librarum, tredecim solidorum ; et summae receptae ad summam trium millium quingentarum viginti quinque librarum, decem solidorum, et sic in eiusdem manibus ad eiusdem litis prosecutionem remansisse summam quadringentarum sexdecim librarum, septindecim solidorum, conclusum est et iisdem rationibus subscriptum, et simul ordinatum ut eiusmodi rationes proximo Capitulo generali exhibeantur, ut ex dicta expensae pecunia, summa mille nongentarum nonaginta novem librarum, decem solidorum a Rmo D. N. collata et summam mille quingentarum triginta quinque librarum Rdo adm D. de Claravalle similiter data refundantur.

17. Denique omni meliori modo in omnibus monasteriis disciplina regularis restauranda, fovenda et augenda visa est per diligentem priorum et doctorum superiorum selectionem et institutionem.

18. In horum omnium fidem nos infrascripti post relectionem subscripsimus, praefati anni millesimi sexcentisimi quinquagesimi quarti, die vigesima octava mensis octobris, atque etiam ad eius robur minora sigilla nostra imprimi et affigi voluimus.

f. Claudius abbas Cisterciensis generalis.
f. Yvo abbas Firmitatis.
f. Ludovicus abbas Pontigniacensis.
f. Petrus abbas Claraevallensis.

1656

Acta sunt haec in comitiis Cistercii iuxta Indictionem Reverendissimi Domini nostri, anno 1656 die 23 octobris et sequentibus celebratis.

1. Expectato et non comparente Reverendo admodum Domino Morimundensi decretum fuit ut rationem absentiae reddere teneatur, et nihilominus ad negotiorum discussionem et definitionem procederetur.

2. Primo Capituli generalis dilatio etiam si multum displicuerit, necescaria tamen visa est, donec lis in Curia Parlamenti Parisiensis pendens finem habeat; unde etiam si de diligentia venerabilis magistri nostri domini Ioannis Tedenat procuratoris et Capituli generalis deputati nemo hucusque dubitaverit, litteris tamen placuit quantumvis sponte currentem ad prosecutionem et terminatiouem litis excitavit.

3. Praeterea licet huiusmodi litis ab Abstinentibus adversus Ordinem et generale Capitulum excitatae prompta extinctio per arbitros non improbata fuerit, nihilominus decretum fuit, ut procurationes nonnisi sub conditionibus ab illustri Domino de Montholon communi Ordinis consilio propositis cum effectu adimplendis, et sub praecautione evitandae omnis inde emergentis morae, et tergiversationis Abstinentium, transmittantur.

4. Deinde *Breviarii* usus iuxta novissimam correctionem per totum Ordinem admittendus est, monebiturque dominus Cramoisy ut *Breviariorum* in-12 impressionem, sicut et *Lectionariorum* in-folio cum accentibus, et antiquorum *Psalteriorum* correctionem acceleret.

5. Scribendum etiam visum est venerabili procuratori generali in Curia romana pro sollicitatione confirmationis privilegiorum cum effectu procuranda. Et interim Rdus abbas de Stamedio, Vicarius generalis in Sabaudia, monendus et excitandus visus est, ne quid ab abbatibus commendatariis, et potissimum ab Illustrissimo et Excellentissimo principe Domino Antonio adversus Ordinis auctoritatem, et dignitatem attentari patiatur.

6. Reverendum abbatem de Columba, qui commissum sibi a Capitulo generali Vicariatum antehac contempserat, a Vicariatu Pictaviensi excusare placuit, in cuius locum venerabilis Dominus Fiacrius Le Mercier, prior monasterii Fontis Danielis, communibus votis sufficiendus visus est.

7. In provinciis item Vicariis destitutis, nempe in Cenomania, Rdus D. Io. L. Alex. de la Gueste, abbas de Strata; in Britannia, Rdus D.

1656. *Fons*: T[7].

Nicolaus Paget, abbas de Villanova ; in Leodiensi districtu, Rdus D... *(locus vacuus)* abbas de Alna ; in Bituricensi et locis adiacentibus, venerabilis D. Benignus Bruchot, prior monasterii de Barzella, digni qui in Vicarios assumantur visi sunt, donec Capitulum generale aliter ordinaverit.

8. Alienatio hortuli cum medio dormitorio collegii Parisiensis cumque ea domo quae Caroliloci dicitur, pro liquido triginta sex millium librarum turonensium pretio, post debitam informationem non reiicienda iudicata est, unde litterae procuratoriae ad ineundum cum ecclesia Sancti Nicolai de Cardoneto contractum Rdo adm D. de Firmitate tradendae visae sunt. sub his tamen duabus clausulis reservatoriis, nempe primo ut ius Caroliloci, itemque Pontigniaci, quodcumque fuerit, salvetur et integrum maneat sicut et omne ius proprium et alienum ; et secundo ut redditus tantum annui non autem summa principalis ex alienatione proveniens in aedificia impendantur. In horum fidem nos infrascripti post relectionem subscripsimus, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, die vero vigesima quinta octobris, atque etiam ad maius robur minora sigilla nostra imprimi et affigi voluimus.

f. Claudius abbas Cisterciensis generalis.
f. Petrus abbas Firmitatis.
f. Ludovicus abbas Pontigniacensis.
f. Petrus abbas Claraevallis.

1661

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

sacri Ordinis Cisterciensis anno Domini M.DC.LXI. in Cistercio celebrandi.

Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii, s. th. in Facultate Parisiensi doctor, Christianissimo Regi a sanctioribus Consiliis, et in supremo Ducatus Burgundiae Senatu primus Consiliarius natus, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria fungentes potestate.

Omnibus et singulis nobis in Christo charissimis confratribus Reverendis Abbatibus, Praesidibus Congregationum, Praelatis, Prioribus ti-

---

1661. *Fontes* : INDICTIO *legitur apud Ch*[2] *T*[5], *qui continent folium typis excussum, et in suo codice Petrus Benedictus Besançon notat in fine huiusce Indictionis* : Praedicta Indictio fuit quidem publicata, sed Capitulum generale non fuit congregatum nec celebratum propter... *(sic desin.).* REVOCATIO *legitur in folio typis excusso quod in Archivo publico Trecensi habetur sub signo* 3 *H* 146 *(T*[7]*).*

tularibus, Vicariis ac Procuratoribus generalibus, Syndicis provinciarum, Collegiorum Militiarumque Rectoribus Cisterciensis Ordinis nostri, in Imperio, Regnis, Ducatibus, Provinciis, Dominiis, et aliis quibuscumque christiani orbis locis consistentibus, salutem in Domino sempiternam.

Quantum in religiosis Ordinibus utilitatis atque splendoris ex communibus Praelatorum comitiis oriatur, attendentes, ad monasticae disciplinae conservationem et omnimodae reformationis opus, semper existimavimus maximam inde vim sumi, cum Spiritus consilii inter plures habitare delectetur, et eorum executio facilior sit, quorum est conspirantibus omnium votis ordinatio stabilita. Quare generalium Capitulorum celebrationem sacrosancta oecumenicorum Conciliorum saepius auctoritas commendavit, et Cisterciensis Ordo noster ita semper in usu habuit, et cum ea natus et adultus videatur. Quae quidem aliquamdiu iniquitate temporum interrupta, a Nobis primis Generalatus nostri annis resumpta fuerat, non amplius intermittenda, nisi continuati bellorum motus obstitissent, quominus constituto termino haberetur. Verum eam nunc, toto fere christiano orbe per summum Dei beneficium feliciter hisce diebus in pace composito, non esse duximus differendam ; ideoque habita cum Reverendis admodum primis Coabbatibus nostris deliberatione matura, de eorumdem consilio et assensu proximum nostrum generale Capitulum in nostro Cistercio totius Ordinis capite, in Ducatu Burgundiae et Cabilonensi dioecesi, ad 16 mensis maii anni proximi 1661, feriam nempe secundam post quartam a Sancto Pascha dominicam, in qua *Cantate* ad introitum missae dici consuevit, praesentium serie indicimus, ibique celebrandum denuntiamus, convocamus, statuimus atque decernimus. Eapropter vos omnes et singulos paterno affectu rogamus et monemus, ac nihilominus vobis et cuilibet vestrum districte praecipiendo mandamus in virtute salutaris obedientiae, in vi quoque iuramenti, quod Nobis seu Ordini nostro praestitistis, necnon sub poenis in constitutione Benedicti Papae XII, a successoribus ipsius Summis Pontificibus confirmata, contentis, aliisque mulctis arbitrio Capituli generalis infligendis, quatinus legitimo infirmitatis cessante impedimento, ad Capitulum generale ibi celebrandum conveniatis intra eam diem ; ut ea ipsa die mane primam nostram sessionem habere valeamus. Quo in Capitulo de salute animarum nostrarum, de observatione sanctae regulae et Ordinis, de morum reformatione promovenda, de iuribus et immunitatibus nostris tuendis et conservandis, ac denique de multiplicibus negotiis et difficultatibus, quae nonnisi omnium nostrum sollicitudine, et generalis Capituli sedentis auctoritate dirimi possunt, vobiscum agere et tractare, Deo dante, intendimus. Volumus autem ut omnes personaliter comparentes per se, vel in eventum legitimi impedimenti, de quo tamen quilibet eidem Capitulo fidem faciet, per Vicarios generales aut Syndicos provinciarum, vel per procuratorem specialem de monasteriorum utriusque sexus sibi subditcrum et commissorum tam in spiritualibus quam temporalibus, statu, regimine et administratione, non solum generaliter, sed etiam specialiter scripto idem Capitulum informare teneantur.

Ne ulla vero ignorantiae causa praetendatur, *etc. ut in forma consueta ann.* 1651.

Iniungimus insuper ... *etc. ut supra.*

Et quoniam praesentium ... *etc. ut supra.*

— Datum Cistercii, sub nostra subscriptione, nostri secretarii ordinarii chirographi, et maioris nostri sigilli appensione, die decima quinta mensis maii, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo. Fr. Claudius, abbas Cistercii generalis totius Ordinis Cisterciensis. Fr. Franciscus Destrechy, secretarius.

B) [REVOCATIO INDICTIONIS PRAECEDENTIS]

Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii, sacrae Theologiae in Facultate Parisiensi doctor, christianissimo Regi a sanctioribus consiliis, et in supremo Burgundiae senatu primus Consiliarius natus, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungentes, omnibus et singulis reverendis abbatibus, vicariis ac procuratoribus generalibus, syndicis provinciarum, ceterisque ad quos spectat monasteriorum Cisterciensis Ordinis nostri ubicumque constitutorum praepositis, salutem. Capitulum nostrum generale ad decimam sextam proxime futuri mensis Maii diem habendum indixeramus, ut vobiscum in nostro Cisterciensi archicoenobio iuxta statuta nostra et laudabilem consuetudinem de sacri Ordinis reformatione, eiusdemque ruinis reparandis, Deo consultationibus nostris praeeunte, decerneremus. Verum cum illorum negotiorum de quibus vos antehac fieri certiores curavimus, is modo status esse videatur,ut Apostolica denuo veniant auctoritate decidenda ; Nobisque propterea incumbat quamprimum Romam petere ; cogimur tempus agendi generalis illius Capituli prorogare. Cuius quidem dilationis licet aegre admodum consilium ceperimus, eo tamen utiliorem ipsam fore confidimus, quod solutis implicatissimarum difficultatum nodis quibus sacer Ordo noster involutus cernitur, magis expedita inerit huiusmodi Comitiis auctoritas ; atque Apostolicae resolutionis, pro qua iterum, in quantum opus fuerit, obtinenda, ipsi ad Sanctissimum D. N. supplices accedere constituimus, executioni poterit commodius provideri. Quapropter ab admodum Reverendorum quatuor primorum Coabbatum nostrorum consilio et assensu, praesentium tenore celebrationem dicti nostri generalis Capituli suspendimus donec aliter a nobis fuerit ordinatum, nostraeque Indictionis praefatae litteras de die novissimi mensis Maii decima quinta revocamus et revocatas declaramus, omnes et singulos, quos illae litterae comprehendunt, a quavis obligatione Cistercii statuta in eisdem litteris die comparendi, absolventes. Rogamus interea et vehementer hortamur in Domino omnes qui salvum cupiunt Ordinem nostrum, ut assiduis precibus et piis operibus Divinam ipsi misericordiam conciliare satagant, quatinus advocato supernae benedictionis ac protectionis auxilio eum praefata negotia sortiantur exitum, qui supremo numini sit placitus, et nobis omnibus salutaris. Quoniam vero praesentium originale ad singulos deferri nequit, volumus ut eius transumptis a secretario nostro ordinario subscriptis et nostro sigillo munitis eadem fides quae ipsarum originali, valeat adhiberi.

Datum Parisiis in nostro Sancti Bernardi collegio die prima mensis februarii anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, sub nostro manuali signo, secretarii nostri ordinarii chirographo, nostrique maioris sigilli appensione.

Fr. Claudius abbas Cistercii generalis totius Ordinis Cisterciensis.

F. Franciscus Destrechy, secretarius.

(Locus sigilil)

1662

INDICTIO

Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii, sacrae theologiae in facultate Parisiensi doctor, christianissimo Regi a sanctioribus consiliis, et in supremo Burgundiae Senatu Primus Consiliarius natus, universi Cisterciensis Ordinis caput, ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria authoritate fungentes, omnibus praesentes litteras inspecturis, quorum interest, aut interesse poterit, salutem. Notum facimus quod cum nos de beneplacito christianissimi Regis personaliter ad Sanctissimum D. N. supplices accesserimus pro canonice promovenda Ordinis nostri Cisterciensis per diversa mundi regna diffusi reformatione salva eiusdem Ordinis unione, et integra subordinatione, placuit eidem Sanctissimo D. N. per *Breve* de die decima sexta mensis ianuarii praesentis anni 1662 nobis mandare, ut viros idoneos Ordinis nostri Cisterciensis, tam ex Gallia, quam aliunde advocaremus, seu moneremus, quatinus articulos concernentes Ordinis nostri praefati reformationem ab ipso Sanctissimo D. N. instituendam, mittant Congregationi particulari ad hunc finem deputatae. Quare nos cum ea, qua per est, reverentia praefatum *Breve* suscipientes in vim et executionem illius per litteras nostras, tamquam idoneos monuimus RR. admodum DD. quatuor primos coabbates nostros, scilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, ac imprimis etiam Reverendum P. D. Hilarionem Rancati abbatem S. Crucis in Hierusalem de Urbe tamquam virum de universa romana Ecclesia, et de toto Ordine nostro benemeritum ; necnon venerabilem magistrum D. Ioannem Tedenat nostrum in universis Galliis Vicarium generalem. Et per similes litteras nostras pariter monuimus ex RR. abbatibus, monachis Abstinentibus, seu Strictioris Observantiae R. abbatem de Fulcardimonte, R. abba-

---

1662. *Fons* : Folium typis impressum apud T^5, ubi legimus : *Haec Indictio* (1661) *revocata fuit variis ex causis, sequens vero* (1662) *ipsius loco missa fuit ad abbates et superiores ibi nominatos.*

tem de Pinu, R. abbatem de Carmeia Provisorem collegii nostri S. Bernardi Parisiensis, et R. abbatem de Precibus, necnon utrumque s. th. Magistrum professorem in dicto collegio scilicet D.Michaelem Herman monasterii nostri de Castellione, et D. Carolum Louvet monasterii de Vallibus religiosos professos, ac per dictum nostrum generalem in Galliis Vicarium moneri iussimus alios ex DD. abbatibus et monachis Abstinentibus, seu Strictioris Observantiae, si qui commode moneri poterunt. Deinde per alias nostras litteras ex RR. coabbatibus et prioribus nostris generalibus Vicariis in provinciis Galliarum, et aliis adiacentibus, R. abbatem de Bello becco in Insula Gallicana, R. abbatem de Bonavalle Ruthenensi in Alvernia, R. abbatem de S. Sulpitio in Sabaudia, R. abbatem de Villanova in minori Britannia, R. abbatem de Caroloco in comitatu Burgundiae, et R. abbatem de Valle dulci in Lotharingia. Venerabilem D. priorem de Bolbona in Tolosana provincia, V. D. priorem de Oratorio in Andegavia, et Turonia, V. D. priorem de Bonacumba in Ruthen. et Cadurcen. V. D. de Roissey in Normannia, V. D. priorem de Fesia in Vasconia, V. D. priorem de Moroliis in Pictavia. Postmodum vero per posteriores litteras nostras, tamquam idoneos monuinus RR. abbates nostros et Cisterciensis Ordinis nostri Vicarios generales extra Galliam, scilicet R. abbatem de Cistello Congregationis nostrae Cisterciensis Tusciae, et Lombardiae Praesidem, R. abbatem de Claravalle Mediolanensi caput regiminis provinciae Lombardiae, R. abbatem de Succursu Congregationis nostrae Cisterciensis Calabriae, et Lucaniae Praesidem, R. P. Cirinum Loca Visitatorem Siciliae, R. abbatem de Salem in tota Congregatione nostra Cisterciensi Superioris Germaniae, R. abbatem de Caesarea in Suevia, R. abbatem de S. Urbano in Helvetia, R. abbatem de Ebrac in Franconia, R. abbatem de Alderspach in Bavaria, R. abbatem de Campo liliorum in regno Hungariae, et archiducatu Austriae, R. abbatem de Sedelitz in regno Bohemiae, R. abbatem de Runa in Carinthia et Carniola, R. abbatem de Henrichovio in Silesia; R. abbatem de Landa in regno Poloniae, R. abbatem de Veterimonte ad Tractum Rheni et partes Westphaliae, R. abbatem de Dunis in Belgio, R. abbatem de Alna in Leodio, R. abbatem de Tractu in regno Hiberniae, R. abbatem de Valledigna in Congregatione nostra Cisterciensi regnorum Aragoniae, Navarrae, Valentiae, Maioricarum et principatus Cataloniae, R. abbatem de Palatiolis Congregationis nostrae Cisterciensis regnorum Castellae, Legionis Asturiae et Galleciae Reformatorem, necnon R. abbatem Lusitaniae Visitatorem, quibus omnibus nostris et Cisterciensis Ordinis nostri Vicariis generalibus praedictum *Breve* intimavimus, et ab iisdem intimari mandavimus omnibus et singulis monasteriis suae curae commissis, et praenominatos abbates ac vicarios generales monuimus, quatinus intra terminum trium mensium per praefatum *Breve* praefixum mittant Congregationi particulari hic ad examinandum, informandum et referendum a Sua Sanctitate deputatae (cuius Illustrissimus Praesul Dominus de Alteriis est caput) articulos concernentes reformationem praedicti Ordinis nostri a Sanctissimo D. N. iustituendam, quos articulos Romam dirigere poterunt, vel ad venerabilem Patrem D. Ioannem Malgoires nostri Cisterciensis

Ordinis Procuratorem generalem in romana Curia, (quem etiam tamquam idoneum monuimus ad effectum supradictum) vel ad quemlibet alium maluerint, ut praefatae Congregationi valeant exhiberi, de quibus omnibus praefatis praesentes litteras conficiendas esse duximus.

Actum Romae in aedibus monasterii nostri S. Crucis in Hierusalem die vigesima octava mensis ianuarii anno Domini 1662, sub nostra, et secretarii nostri subscriptionibus, et maioris nostri sigilli appositione.

F. Claudius abbas Cisterciensis generalis.
De mandato praefati Rmi D. abbatis generalis.
fr. Franciscus Destrechy secretarius.

1666

CONSTITUTIO [a] ALEXANDRI PAPAE VII PRO GENERALI ORDINIS CISTERCIENSIS REFORMATIONE

Alexander Papa VII, Ad perpetuam rei memoriam. — In suprema Sedis Apostolicae specula dominicum gregem coelitus Nobis commissum circumspicientes, mentis nostrae aciem convertimus in sacrum Ordinem Cisterciensem, cuius odor, sicut agri pleni suavitas cui Dominus benedixit, totam replevit Ecclesiam, et veluti fons hortorum irriguus ceteras irrigavit religiones et Ordines. Verum, volventibus annis, non sine magno animi nostri moerore cognovimus ordinem memoratum a primaevae institutionis tramite, ob temporum iniuriam et calamitatem, non modicum deflexisse et plurima passum esse in spiritualibus et temporalibus detrimenta. Quare Nos ex debito pastoralis officii singulari zelantes affectu, ad tanti Ordinis instaurationem et reformationem, divino freti auxilio, nostrae sollicitudinis partes duximus impendendas, ut monastica disciplina ubi collapsa fuerit restituatur, et constantius ubi conservata est perseveret, unitas servetur in Ordine, et praecisis dissensionibus ac dissidiis quae in regno Galliae inter Communis et Strictae Observantiae monachos iamdudum exorta sunt, sincera pax et mutua charitatis officia, benedicente Domino, reintegrentur.

Alias siquidem per nostras litteras in forma *Brevis* expeditas die 16 ianuarii 1662, pontificatus nostri anno septimo, de voto particularis Congregationis a Nobis desuper deputatae, quae scripturas hinc inde datas vidit et examinavit, causam ipsius reformationis in statu et terminis in

[a] Saepe saepius transcriptus fuit et typis excussus huius Constitutionis textus, v. g. in codice Divionensi 603 *(D²)*, in codice Cameracensi 1369. Anno 1679, ex typis Sebastiani Mabre-Cramoisy, Parisiis, prodibat ipse textus simul cum eius translatione in linguam gallicanam. Legitur etiam haec Constitutio apud L. Meschet, *Privilèges de l'Ordre de Cisteaux* .. Paris, 1713, p. 234, et in *Nomastico Cisterc.* edit. H. Séjalon, Solesmis, 1892, p. 592-606.

quibus tunc temporis reperiebatur, a quocumque tribunali ad Nos avocavimus, ac dilecto filio Claudio Vaussin, abbati Cistercii, totius Ordinis generali, dedimus in mandatis ut advocaret seu moneret viros idoneos Ordinis sui, tam ex Gallia quam aliunde, ad exhibendum infra tres menses dictae Congregationi particulari deputatae, articulos concernentes dictam reformationem a Nobis instituendam, et alias, ut in memoratis litteris plenius continetur.

Cumque praedictus Claudius nostris parendo mandatis, reformationis articulos ad Nos transmiserit, idemque praestiterint dilecti filii abbates Strictae Observentiae in Gallia multis ab hinc annis introductae, Nos huiusmodi articulos utrimque exhibitos, Congregationi nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ac dilectorum filiorum romanorum Curiae praelatorum a Nobis desuper institutae, sedulo ac mature examinandos et expendendos commisimus. Quorum quidem articulum ad generalem reformationem Ordinis Cisterciensis conveniens restrictio, et ad capita sancti Benedicti regulae reductio talis est. Videlicet :

I. Circa caput 2 regulae : *Qualis debeat esse abbas.*

1. Iuxta sancti Concilii Tridentini decreta, summa cura satagant dicti Ordinis abbates et superiores, ut a suis utriusque sexus subditis essentialia vota, quae sunt bases et fundamenta totius regularis disciplinae, inviolabiliter observentur. Ipsi vero abbates et superiores, forma gregis facti ex animo, exemplum praebeant in omnibus magistram sequentes regulam.

2. Habeant abbates et conventus propria sigilla, et teneantur novi abbates praestare iuramentum de non alienandis et impignorandis bonis monasterii, ac de pecuniis et reditibus illius inutiliter non expendendis. Et omnes officiales idem iuramentum praestabunt de suis muniis fideliter exercendis ac de mutuis non contrahendis, nisi servatis constitutionibus apostolicis.

3. Cum ad monasticam disciplinam restaurandam et restitutam conservandam, maxime visitationes regulares conducant, Capitulum generale, abbas Cistercii Ordinis generalis, et quatuor primi abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, provideant diligenter ut singulis annis sollicite, caritative, prudenter et cum pietate fiant, ad animarum salutem, cultum divinum, votorum essentialium observantiam, et alia quae ad morum correctionem et personarum regularium aedificationem, necnon administrationem et statum temporalem pertinent. Caveant vero maxime visitatores ab omni donorum receptione, et etiam ne nimium numeroso comitatu aut familia gravioribus quam expediat expensis monasteria onerent ; et manducent tempore visitationis in refectorio cum fratribus, propter disciplinam servandam.

4. Abbates regulares, etiam perpetui, subiaceant visitationi et correctioni visitatorum, etiam non abbatum, et ab ipsis ad sufficientem numerum monachorum debite et religiose nutriendum, aedificiorum reparationes, annuas Ordinis contributiones persolvendas et communia Ordinis et provinciarum onera sustinenda, iurisdictionis suspensione aliisque ecclesiasticis poenis et censuris servato iuris ordine cogantur.

5. Ad residentiam in suis propriis monasteriis, prout de iure, teneantur abbates, nec in castellis nec in grangiis aut alibi extra septa monasteriorum suorum commorentur, neque quarumcumque monialium alterius Ordinis regimen et visitationem, absque expressa Summi Pontificis licentia, sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrenda, suscipere audeant.

6. Inter abbates regulares et conventus aut officiales monasteriorum nulla fiat partitio bonorum, fructuum, redituum et proventuum eorum, sed communibus ipsorum usibus deputentur, iuxta statutum Benedicti Papae XII, nisi pro meliori regimine et utilitate quorumdam monasteriorum, ad impediendas dilapidationes, a Capitulo generali vel a comitiis intermediis aliter iudicaretur.

7. Procurent tamen superiores et visitatores Ordinis, ut in monasteriis commendatis, quantum fieri poterit, pensiones religiosorum et famulantium in bonis stabilibus assignentur.

II. Circa cap. 3 : *De adhibendis in consilium fratribus.*

8. Capitula generalia quolibet triennio apud Cistercium celebrentur, eisque omnes abbates, nisi legitime impediti aut ob iustas causas excusati, simul et abbates a Congregationibus deputati, procuratores generales, visitatores et syndici provinciarum, collegiorum provisores seu rectores adesse teneantur, de sibi commissis muneribus, actis et per se gestis rationem reddituri, et de agendis aut reformandis in posterum in timore Dei iuxta regularia Ordinis instituta et constitutiones apostolicas tractaturi.

9. Licet autem soli diffinitores vocem decisivam in diffinitionibus condendis habeant, tamen omnes abbates et aliae personae idoneae et de Ordine bene meritae, iudicio abbatis generalis et quatuor primorum abbatum designandae et post electionem diffinitorum nominandae, vocem consultativam habebunt.

10. Serventur quoque constitutiones circa numerum eorum, quos abbates dicti Ordinis venientes ad Capitulum secum ducere olim poterant, nullusque qui non habet ius interveniendi, vel non fuerit vocatus, absque licentia petita et obtenta ab abbate generali, ad dicta Capitula accedere audeat.

11. Et quia in dies multa emergunt negotia quae matura deliberatione indigent, quolibet tempore intermedio inter duo Capitula, die ac loco per abbatem Cisterciensem designandis, ipse Cisterciensis et quatuor primarii abbates conveniant cum aliis ex visitatoribus provincialibus monasteriorum utriusque Observantiae, praesidibus Congregationum, procuratoribus generalibus et syndicis provinciarum, qui negotia magni momenti agenda habebunt. Et ut celebratio dicti conventus sit omnibus nota, ipse generalis abbas eam more solito ante sex menses praesidibus Congregationum, visitatoribus provinciarum, procuratoribus generalibus et syndicis indicere tenebitur, ut ad dictam congregationem accedant vel mittant, certioresque faciant dictum abbatem generalem et quatuor primarios de statu Congregationum suarum. Praeter quem conventum nullus alius in

toto Galliae regno fiat sub quocumque praetextu, nisi a Capitulo generali illis concedatur.

12. Visitatores provinciarum monasteriorum Communis Observantiae a Capitulo generali, aut, ipso cessante, ab abbate Cisterciensi, de consilio et assensu quatuor primariorum abbatum, sicut alii publici officiales, instituantur non solum ex numero religiosorum probatorum Communis Observantiae, sed etiam, si ita expediens iudicaverint, ex numero religiosorum Strictae Observantiae seu Abstinentiae, quorum consilio et opera uti poterunt ad praesentem reformationem instituendam.

13. Item, provisor collegii Parisiensis, procurator, doctores regentes et alii officiales secundum Benedicti Papae XII constitutionem, per Capitulum generale Ordinis, aut, eo cessante, sicut consuetum est, ab abbate Cisterciensi auctoritate Capituli generalis fungente, instituantur et destituantur usque ad Capitulum generale, vel intermedium, sive sint ex Communi Observantia, sive ex arctiori.

14. Similiter, consultis provinciarum visitatoribus super merita vel demerita religiosorum, instituantur vel destituantur a dicto abbate generali, vel quatuor primariis patribus et aliis filiationem habentibus respective, priores claustrales et confessores in monasteriis monialium ad nutum amovibiles, observato moderamine, ut in monasteriis commendatis Strictioris Observantiae virorum ac monialium nullum instituere possint, qui non profiteatur abstinentiam. Et licet omnes Ordinis officiales et monasteriorum priores sint ad nutum amovibiles, attamen quolibet triennio suorum officiorum et prioratuum voluntariam demissionem in scriptis faciant Capitulo generali, abbati Cistercii, et quatuor primariis abbatibus et aliis superioribus a quibus respective fuerint instituti, cum facultate tamen eos continuandi in officiis et prioratibus, quamdiu ipsos repererint et iudicaverint idoneos.

III. Circa cap. 6: *De taciturnitate.*

15. Laudabilem morem servandi silentium a Completorio usque ad tempus capituli diei sequentis in omnibus, et semper in locis regularibus, puta ut in claustro regulari, in ecclesia, in dormitorio et in calefactorio, omnes teneant, cum facultate tamen petendi necessaria submissa voce, absque conscientiae scrupulo.

IV. Circa cap. 8 usque ad cap. 20 inclusive: *De forma officii et modo psallendi.*

16. Forma exactissime observetur, et materia ab Ecclesiae romanae usu ad Dei gloriam et proximi aedificationem sumatur, prout hactenus consuevit ecclesia Cisterciensis, cui tamquam matri omnes ecclesiae dicti Ordinis, ex *Charta charitatis*, Eugenii III et Pii V diffinitionibus, conformari tenentur. Ut autem haec uniformitas in divino officio persolvendo teneatur, in omnibus monasteriis Ordinis, iisdem ritibus et cantu et libris omnibus ad diurnas et nocturnas horas et missas necessariis, secundum praedictam formam Cisterciensis monasterii, omnes utantur.

17. Horis canonicis, officio B. Virginis et defunctorum, iuxta usus et consuetudines laudabiles huius Ordinis in choro recitandis, omnes et singuli cum cucullis intersint et horas canonicas cum cantu gregoriano iuxta regulam persolvant.

18. Diebus festivis solemnioribus surgent hora secunda post mediam noctem, aliis vero diebus temperatius, prout a Capitulo generali determinabitur. Horis matutinis post officium B. M. Virginis et post Completorium aut aliis horis competentibus, vacent per mediam horam, qualibet vice meditationi, et per decem dies exercitiis spiritualibus semel in anno.

V. Circa cap. 22 : *Quomodo dormiant monachi.*

19. Omnes tam abbates quam monachi, tam abbatissae quam moniales in communi dormitorio recumbant, illis exceptis quos aut quas ratione officiorum suorum, aut negotiorum, aut ob alias iustas causas, ab eo excusari oporteat, iuxta abbatis aut aliorum officialium iudicium. Quamvis autem regula iubeat, et etiam Benedicti Papae XII constitutio praecipiat, ut omnes in uno loco dormiant sine cellis separatis ; tamen ob maiorem modestiam et vitae honestatem, sicut longa experientia comprobatum est, et ad consulendum cuiuslibet infirmitatibus, dictarum cellarum usus venit tolerandus, dummodo iuxta Clementis Papae VIII decreta, habeat superior clavem, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit ; nullusque cellam etiam noctu ita clausam teneat, quin a superiore possit aperiri. Sit etiam in ostio foramen pendula vel ductili tabula coopertum. Vestiti dormiant omnes cum parvo caputio albo ; lectisternia secundum regulam in eis disponantur, et supellex talis sit, ut statui paupertatis, quam professi sunt monachi, conveniant ; nihil superflui in ea sit, nihil etiam in ea necessarii desit.

VI. Circa cap. 28 : *De his qui saepius correcti, non emendantur.*

20. Observentur sanctae Congregationis decreta de Regularibus apostatis et eiectis, et iuxta illa dumtaxat incorrigibiles et e monasteriis et Ordine eiiciantur.

VII. Circa cap. 31 : *De cellerario.*

21. Administratio bonorum temporalium secundum Concilii Tridentini decretum fiat per officiales ad nutum amovibiles, prout scilicet eis iniunxerit abbas, sic ut de omnibus receptis et expensis coram abbate seu superiore et senioribus domus, fidelem teneantur reddere rationem. Pecuniae vero omnes ab uno bursario, per abbatem vel superiorem de consilio seniorum stabiliendo, serventur in arca sub tribus clavibus, quarum una apud abbatem aut superiorem maneat, aliam custodiat senior domus, tertiam vero ipse bursarius. Nullus ex superioribus locorum administrationem bonorum aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum et redditūum sui conventus, etiam nomine conventus, per se ipsum habere aut exercere possit ; sed universum id onus tribus fratribus eiusdem con-

ventus a generali ita demandetur, ut unus rerum et bonorum, reddituumque colligendorum ac exigendorum curam habeat; alter tamquam depositarius pecunias ac cetera ab illo collecta et exacta fideliter asservet; alius de pecuniis et rebus a depositario acceptis superiori et fratribus ac conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso superiore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator, provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

VIII. Circa cap. 33 : *Si debeant monachi proprium habere.*

22. Observetur ubique vita communis, iuxta Concilii Tridentini, Benedicti Papae XII et Clementis VIII decreta; nec cuiquam regularium tam virorum quam mulierum dicti Ordinis liceat aliqua bona tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; nec fas sit superioribus alicui regulari concedere bona stabilia, aut certi bladi, panis, vini, vel pecuniae pensiones dare, vel etiam praetextu contractuum initorum vel ineundorum inter monachos Communis et Strictioris Observantiae, quos Summus Dominus noster Alexander VII declaravit per suas in forma *Brevis* litteras de die 8 mensis martii anni 1660, nullos irritos, illicitos et paupertati religiosae contrarios; sed omnia omnibus sint communia, et dentur unicuique secundum cuiusque monasterii facultates, regionum qualitates, omnia necessaria tum ad victum, tum ad vestimentum, sive sano sive aegro, sive seni sive iuveni, sine ulla personarum acceptione, et habita tantum ratione necessitatis.

IX. Circa cap. 39 : *De mensura ciborum.*

23. Qui abstinentiam a carnibus amplexi sunt, aut in posterum amplectentur, illam exacte retineant, et nemini illorum liceat ad Communem ipsius Ordinis Observantiam transire, nisi petita et obtenta facultate a Summo Pontifice pro tempore existente, aut saltem a Capitulo generali, vel, eo cessante, ab abbate generali. Nulli etiam Communis Observantiae professori, propter pacis et charitatis custodiam, liceat ad dictam perpetuam abstinentiam transire, non petita licentia a suo saltem patre immediato; ad quam abstinentiam amplectendam superiores nullum qui non fuerit in ea educatus possint cogere. Nec ullus licentia uti carnibus auctoritate Apostolica omnibus personis regularibus Ordinis etiam sanis et bene se habentibus data, et ab eadem approbata et denuo concessa, frui possit, nisi tribus diebus tantum in hebdomada extra tempus Adventus, Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, et aliud ab Ecclesia prohibitum.

X. Circa cap. 41 : *Quibus horis oporteat reficere fratres.*

24. Ieiunia non solum ecclesiastica, sed etiam a regula et constitutionibus praescripta serventur, iuxta ecclesiasticam moderationem. Circa tempus refectionis, senum, iuniorum et infirmorum habeatur ratio. Insuper de ieiuniis regulae aliquando possint dispensare superiores pro personarum, locorum, regionum et anni tempestatum consideratione; et aliqui fructus, et alia id genus alimenta, in collatione seu refectiuncula concedi ieiunantibus possint.

XI. Circa cap. 51 : *De fratribus qui non satis longe proficiscuntur.*

25. Laudabilis consuetudo introducta servetur.

XII. Circa cap. 53 : *De hospitibus suscipiendis.*

26. Ad hospitalitatem tantopere commendatam sint ferventiores monasteriorum superiores; sed in hospitibus suscipiendis frugalitas appareat, nullusque excessus permittatur ; nec religiosis cum consanguineis et aliis supervenientibus, in dormitorio, in cameris privatis, nec extra loca a superioribus designata, manducare concedatur ; sicut nec monialibus ad crates et in locutorio cum quibuscumque tam saecularibus quam regularibus. Circa vero lotionem pedum hospitum, standum consuetudini.

XIII. Circa cap. 54 : *Quod non debeat monachus litteras accipere.*

27. Litterae directae non sine superioris licentia aperiantur, nec dirigendae mittantur ; sitque unicum sigillum in monasterio, quod penes priorem maneat, eoque omnes litterae sigillentur.

XIV. Circa cap. 55 : *De vestimentis et calceamentis fratrum.*

28. Quia humilitas personas religiosas maxime decet, et modestia omnium virtutum splendor et ornamentum exsistit, abbates omnes et monachi eiusdem Ordinis habitu uniformi, modesto atque decenti utentur, qui eiusmodi virtutes simul et paupertatem redoleat. Abbates intra claustra monasteriorum suorum pileos non ferant, sed religiorosum more tegantur ; monachi vero tam intra quam extra monasteriorum septa, nunquam sine caputiis incedant. Omnes etiam, tam abbates quam monachi, pannis nigri et albi dumtaxat coloris simplicibus, honestis tamen et mundis vestiantur, sic ut nihil in eis appareat, quod novitates saecularium sapiat et quod possit offendere intuentes ; ab indusiis et colaribus lineis abstineant, solisque laneis tam intra quam extra monasterium utantur, sicut et femoralibus. Nullus abbas vel monachus audeat barbam aut capillum nutrire, vel prominentes superiori labro pilos alere, aut aliter quam uniformiter vel aequali pectine capillos vel barbam circumquaque tondere, relicto in capite eo circulo quem monasticam coronam vocant, et religiosi monasterii Cistercii deferre solent.

XV. Circa cap. 57 : *De artificibus monasterii.*

29. Procurent superiores ut iuvenes, quos ad studia non propensos esse iudicabunt, honestam aliquam artem ediscant, cuius exercitio otiositatem et solitudinis toedium vitare possint.

XVI. Circa cap. 58 : *De disciplina suscipiendorum fratrum.*

30. Circa novitiatus et professoria designanda, servabitur quod statuitur in litteris SS. D. N. Circa receptionem et educationem serventur regulae et constitutiones Apostolicae, maxime decreta f. m. Clementis

VIII. Et recipientur novitii sufficientis litteraturae, hoc est grammaticalibus, et, si fieri possit, philosophicis instructi, post aliqualem in habitu saeculari probationem in propriis domibus factam, cum sufficienti pensione a visitatoribus aut aliis superioribus pro ratione locorum determinanda, et a monasteriis pro quibus suscipiuntur solvenda et compensanda.

31. Recipientur autem a visitatore provinciae et a novitiorum magistro, et ab ipsis examinati et idonei inventi vestiantur et probentur, atque in hac Communi Observantia ita educentur, ut, excepta sola a carnibus abstinentia, ad omnia sanctae regulae capita, prout sunt hic denotata, sese toto vitae decursu teneri intelligant.

32. Seminaria seu professoria simili ratione ad pietatis et religionis excolendae opus eligantur, in quibus noviter professi cum pensione sufficienti aut compensatione maneant, et ad perfectionem sanctae regulae et dicti Ordinis Cisterciensis praxim acquirendam ita erudiantur, ut nullus ex illis ad studia, vel ad ordines, vel ad gradus assumantur, qui probatae vitae et sufficientiae testimonia non dederit.

33. Quia aliqui dicti Ordinis monachi, sub praetextu stabilitatis promissae, dum solemnem votorum professionem emiserunt, in aliquo certo et determinato monasterio, praetendunt se etiam pro maiori monasteriorum ipsorum commodo, bono et utilitate Ordinis, aut qualibet alia iusta et legitima ratione, si ipsi renuant, in alia monasteria transferri non posse, nisi ob grave aliquod crimen quod in eodem loco facile emendari non possit, unde experientia ita comprobante multae saepe oriuntur dissentiones, inobedientiae, rebelliones, lites et incommoda innumera ; renovatur constitutio Pii II anni 1461, qua facultas datur visitatoribus et superioribus Ordinis pro tempore existentibus, ut si eis ita expediens videatur, personas ipsas ad alia eiusdem Ordinis monasteria transferant, et alias idoneas in earum locum usque ad sufficientem numerum substituant, in beneficium novitiatuum et seminariorum communium, et faciliorem praesentis constitutionis et reformationis exsecutionem ; ita ut qui in locis novitiatuum et seminariorum communium, et in aliis reformandis monasteriis noluerint in omnibus praesenti reformationi se submittere, cogantur sub poena carceris sese transferre ad alia monasteria per visitatorem provincialem eis designanda, ibique commorari ; quae monasteria tenebuntur illos recipere et eos tamquam filios et professos habere, solo excepto iure electionis abbatum, sub poena interdicti aliisque censuris contra renuentes et huic ordinationi sese opponentes.

XVII. Circa cap. 61 : *De monachis peregrinis qualiter suscipiantur.*

34. Quilibet visitator seu praeses provinciarum habeat sigillum provinciae eius visitationi commissae ; nec praeter ipsum possit quisquam dare licentiam conveniendi superiores maiores, nec extra quatuor dietas ex monasterio proficiscendi ; quae licentia in scriptis detur et provinciae sigillo muniatur.

XVIII. Circa cap. 64 : *De ordinando abbate.*

35. Nullus in posterum in abbatem generalem Ordinis Cisterciensis,

qui eumdem Ordinem non sit expresse professus, eligatur ; et electio aliter facta, sit ipso iure nulla, et sic eligentes poenam privationis vocis activae et passivae in perpetuum, eo ipso, absque alia declaratione incurrant ; praeterea, eligendus in iis dotibus et virtutibus sit instructus, quas sanctus Benedictus in hoc capite et secundo in abbate requirit. Vitentur autem in electionibus eiusmodi omnes inordinati ambitus et processus, et secundum canones fiant per scrutinium, in quibus omnes dicti Ordinis utriusque Observantiae monachi voce passiva gaudeant, nisi aliunde intercedat impedimentum.

XIX. Circa cap. 67 : *De fratribus in via directis.*

36. Meminerint superiores se et religiosos obligari ad solitudinem, nec ex illa debere et posse exire, nisi propter gravem et necessariam causam, idque cum maximo tremore, ne conceptus devotionis fructus dissipetur. Unde sanctus Legislator, a solitudinibus exeuntes ad orationem propter tantum periculum recurrendum esse iubet. Non ergo permittantur ire religiosi ad oppida vel pagos viciniores, nisi contingeret gravis aliqua necessitas, et semper cum socio a superiore designato.

XX. Circa cap. 70 : *Ut non praesumat quis alium caedere.*

37. Causae mere regulares inter personas dicti Ordinis emergentes, intra Ordinem terminentur, iuxta antiquas illius constitutiones ; nec liceat alicui extra Ordinem appellare, sub poenis in ipsis contentis.

* * *

38. Omnia supradicta respective ad moniales pertinere volumus, praecipiendo abbati generali et quatuor primariis et aliis patribus abbatibus, ut omnes sibi subditas ad clausuram a Bonifacio VIII et a Concilio Tridentino ordinatam, utique reducant et cogant.

39. Ut autem in posterum una regula, una charitate similibusque moribus ubique vivatur, et omnes utriusque sexus Ordinis personae sciant in quo strictior observantia (excepta sola a carnibus abstinentia) consistat, fiat brevis et dilucida compilatio et reductio omnium constitutionum apostolicarum et statutorum, quae aut per usum contrarium, aut per aliquam aliam rationem non sunt abrogata ; et per selectos ab abbate generali et quatuor primariis abbatibus viros, in disciplina, iuribus et privilegiis dicti Ordinis exercitatos, distribuantur in certa capita a Capitulo generali approbanda et promulganda, et demum typis mandanda, et in vernaculam linguam pro monialibus vertenda, atque ad calcem regulae beati Benedicti apponenda, ut in capitulis singulorum monasteriorum post lectionem regulae, aliqua eorum capita successive legantur.

40. Cum vero in Congregatione Cardinalium et praelatorum, ut supra instituta, praeinserti reformationis articuli diligenter discussi et examinati, et qua parte opus fuit emendati et aptati fuerint : Nos de omnibus

plene instructi et informati, comperimus illos pro felicis monachorum dicti Ordinis statu et salubri directione, provide compilatos ac prescriptos fuisse, et cum beati Benedicti regula, quam primi Cistercienses in primaevo instituto, *Charta Charitatis* nuncupato, a multis romanis Pontificibus praedecessoribus nostris approbato, tenendam et intelligendam posteris reliquerunt, in omnibus esse congruentes, praeterquam in aliquibus, quae, vel ex rationabili inveterata consuetudine abrogata, vel ex legitima Sedis Apostolicae dispensatione pro temporum varietate lenita ac temperata fuere. Quocirca motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium eosdem superscriptos articulos reformationis in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, atque in universo Ordine Cisterciensi, tam in regno Galliae quam in aliis regnis et provinciis, ab omnibus tam Communis quam Strictae Observantiae religiosis, firmiter et inviolate servari praecipimus et mandamus sub poenis in regula contentis.

41. Cupientes autem ut nostra haec reformatio non sit verbo tenus, sed divino auxilio realis et cum effectu, eidem Claudio districte iniungimus, ut primo quoque tempore convocet generale Capitulum apud monasterium Cistercii celebrandum in mense maio sequentis anni 1667, ad quod vocentur et convenire teneantur omnes et singuli abbates et priores conventuales monasteriorum totius Ordinis praepeditionem canonicam non habentes ; et in eo abbas Cistercii et quatuor primarii abbates eligant de more generales diffinitores ; ita tamen ut unusquisque illorum eligere debeat saltem duos ex abbatibus Strictae Observantiae, adeo ut in universum in diffinitorio vocem decisivam habeant abbates viginti quinque, videlicet abbas Cistercii et quatuor primarii abbates, item diffinitores decem ex Communi, et totidem ex Stricta Observantia. In Capitulo autem seu diffinitorio, ut praemittitur, congregato, diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis et observantia regulari, deque aptiori modo exsequendi et ad praxim deducendi praeinsertos reformationis articulos ; et quod deliberatum et statutum fuerit, inviolate observetur.

42. Ordinentur etiam in eodem Capitulo seu diffinitorio religiosae ac circumspectae personae, quae singula monasteria cuiuscumque provinciae secundum formam eis praefixam visitare studeant, corrigentes et reformantes quae correctionis et reformationis officio viderint indigere.

43. Praeterea fiat divisio seu partitio monasteriorum Strictae Observantiae in regno Galliae existentium, in duas saltem provincias ; et ab ipso abbate Cistercii et quatuor primariis abbatibus et decem diffinitoribus eiusdem Strictae Observantiae, per secreta schedularum suffragia eligantur ex eadem Observantia duo provinciales Visitatores nuncupandi, usque ad sequens generale Capitulum duraturi, quorum quilibet iurisdictionem ordinariam habeat in monasteriis provinciae suae.

44. Item, in singulis provinciis, etiam extra Galliam, designentur duo monasteria monachorum Communis Observantiae, unum scilicet pro novitiatu et alterum pro professorio seu secundo novitiatu, una cum magistris pro educandis novitiis et noviter professis, et cum familia selecta ;

quae quidem designationes, una cum actis Capituli in scripturam redactae, atque ab eodem abbate Cistercii et quatuor primariis abbatibus subscriptae, et consueto sigillo obsignatae, transmittentur ad procuratorem Ordinis in Urbe existentem, qui statim illas Nobis exhibeat, ut recognoscantur et approbentur.

45. Interea vero motu, scientia et potestate similibus prohibemus et interdicimus, tam praedicto abbati Cistercii et quatuor primariis abbatibus, quam ceteris abbatibus et superioribus monasteriorum Communis Observantiae, sive in Gallia sive in aliis regnis et provinciis existentium, ne quemquam ad habitum suae religionis recipiant, aut in posterum contra huiusmodi prohibitionem forsan recipiendos ad professionem admittant, donec antedictae designationes pro novitiatibus et professoriis, ut supra factae et ad procuratorem transmissae, Nobis realiter et cum effectu exhibitae fuerint, atque, ut praefertur, approbatae. Alioquin sic recipientes vel admittentes, sententiam excommunicationis incurrant, a qua non per alium quam a Nobis et Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constituti, absolvi possint.

46. Ad haec, de voto eiusdem Congregationis Cardinalium et praelatorum, qui iussu nostro rationes et motiva voce scriptoque proposita tam a procuratore Ordinis, quam a duobus abbatibus Strictae Observantiae pro reformationis negotio ex Gallia ad Urbem ablegatis, iterum ac tertio accurate matureque consideraverunt et discusserunt, Nobisque plenam de omnibus relationem fecerunt; auctoritate Apostolica praesentium tenore declaramus litteras in forma *Brevis* datam diebus 10 novembris 1657 et 8 martii 1660, necnon 2 iulii 1661 respective, nullo obreptionis, subreptionis, intentionis nostrae defectu, vel alio nullitatis vitio laborasse nec laborare, ac proinde omnino esse servandas et executioni demandandas, prout servari et executioni mandari iubemus, perpetuum desuper silentium imponentes, sub poenis contentis in primodictis nostris litteris editis die 16 ianuarii 1662.

47. Ceterum, in hac nostra declaratione, quoad ea quae memoratis litteris nostris et his praesentibus non adversantur, monasteriis monachorum reformatorum in regno Galliae eorumque Strictae Observantiae, aliquod praeiudicium generare non intendimus; sed in sua firmitate et robore volumus permanere, perinde ac si eaedem litterae non emanassent. Quinimo nostrae intentionis est eamdem Strictam Observantiam in sua laudabili vivendi ratione confovere, ac pro illius conservatione et incremento pastoralis nostri officii partes gratiose ac favorabiliter impendere. Unde abbatem Cistercii et quatuor primarios abbates serio in Domino monemus atque adhortamur, eisque in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus, ut ipsam Strictam Observantiam non modo protegere ac zelo charitatis complecti, verum etiam diffundere et propagare pro viribus studeant, ut in dies, benedicente Domino, in Ecclesia militante fructus ferat uberiores.

48. Similiter declaramus validas fuisse et esse professiones a monachis Strictae Observantiae in hanc usque diem emissas, necnon absolutiones cum actis hucusque gestis, quae suum plenarium sortita sunt effectum;

ita ut praedictarum et praesentium nostrarum litterarum vigore nullitatis vitio minime subiacuisse aut subiacere censeantur, nec propterea a quoquam impugnari, infringi, aut in controversiam adduci nullatenus possint, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, et alios quoslibet qualibet praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere ; ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentare, decernimus.

49. Non obstantibus praemissis ac Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non tollendo iure quaesito aliisque Apostolicis ac universalibus provincialibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis eiusque Congregationum, provinciarum, monasteriorum et locorum quorumcumque, aliisve quibuslibet etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et constitutionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis etiam Ordini eiusque Congregationibus, provinciis, monasteriis et locis, ac illorum superioribus, abbatibus, monachis et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus aliisque decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, et quantiscumque viribus innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expressa derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

50. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manus alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 19 aprilis 1666, pontificatus nostri anno duodecimo.

Sigillatum cera rubea. S. Corinthensis.

1667

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS
sacri Ordinis Cisterciensis, anno Domini 1667, ex decreto SS. D. N. Alexandri Papae VII, in Cistercio celebrandi.

Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii, s. th. in Facultate Parisiensi doctor, Christianissimo Regi a sanctioribus consiliis, et in supremo ducatus Burgundiae Senatu primis consiliarius natus, universi Cisterciensis Ordinis et quinque eius Militiarum de Calatrava, de Alcantara, de Montesia, de Avis, et de Christo caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungentes.

Omnibus et singulis nobis in Christo charissimis confratribus reverendis Abbatibus, Praesidibus Congregationum, Praelatis, Prioribus conventualibus titularibus, Collegiorum dictarumque Militiarum Rectoribus Cisterciensis Ordinis nostri in Imperio, Regnis, Provinciis, Ducatibus, Dominiis, et aliis quibuscumque christiani orbis locis consistentibus, salutem in Auctore salutis.

Ex quo ad generale Ordinis nostri regimen, (meritis licet imparibus), assumpti sumus, sollicitudo omnium nostrarum ecclesiarum seu monasteriorum in cunctis christiani orbis partibus consistentium, animum nostrum assidue pulsavit et impulit ; ut nullis laboribus, sumptibus et periculis parcentes, libenter cum Apostolo pro animabus nobis commissis impenderemur, et cum supremo Pastore, pio gregis nostri amore moti, pro necessitate animam poneremus. Sane nihil non tentavimus ex iis quae paterna in filios amantissimos charitas suggerere potuit, ut tumultuosas, quas commovit in Ordine nostro spiritus divisionis procellas compesce-

---

1667. INDICTIO legitur in foliis typis impressis, sive separatis, sive insertis v. g. cod. *Ch²T⁵*. — *A³* : B, 1-138 ; *Ch²T⁵* habent ipsum textum Parisiis impressum anno 1669, sub titulo : *Capitulum generale apud Cistercium celebratum anno Domini M.DC.LXVII, die* 19 *maii et seq. a SS. DD. NN. Clemente Papa IX approbatum et confirmatum.* Qui textus refert : *Breve Clementis IX « Exponi nobis »* 20 *dec.* 1667 ; *Decretum S. C. deputatae a SS. ad reformationem Ord. Cist. super actis Cap. gen. anni* 1667 *in Cist. celebrati* 9 *maii et seq.*, approbans, citata primo Ordinatione Capituli, quaedam eiusdem statuta, nempe quae in hac editione praesenti leguntur sub n⁰ 10, 13, 23, 24, 26, 27, 34, 37-40, 43, 45, 47-53, 56, 63, 75, et in fine additur : *Et quantum spectat ad protestationes in dicto Cap. factas ab abbatibus de Fulcardimonte, de Veteri villa, de Trappa, et ipsis adhaerentibus, illas eadem Sacra Congregatio reiicit, et hanc ultimam temerariam declarat ; factas vero ab abbatibus Claravallensi, Lucellensi, Ebracensi, Caesariensi et Germanicis, admittit, salvis hinc inde iuribus.* Post hoc decretum legitur *Breve SS. DD. NN. super actis praefati Cap. gen. « Ecclesiae catholicae »*, 26 *ianuar.* 1669. *L⁸* : B, 1-138 ; *Sa* : B, 1-83 ; *T⁷* : B, 1-83 : *T⁸*: B, 7ᵃ, 78ᵃ ; D¹ : 26, 27, 37, 45, 51 *(transl. gall.)*

remus, nostrisque laboribus et desideriis concessa, quam mundus dare potuit, pace, esset multitudo Cisterciensium uni Regi ac Domino ubique militantium, cor unum et anima una ; sed cum vota nostra de congruo tot malis adhibendo remedio, hucusque praepedita fuissent, a quinque circiter annis, favore, facultate, imo et iussu Regis nostri christianissimi, semel et iterum Apostolorum limina adivimus, ac felicis vitae SS. D. N. Alexandri Papae VII pedibus advoluti humiliter supplicavimus, quatinus litibus et contentionibus huiusmodi dirimendis Apostolicam auctoritatem interponeret ; paceque tandem reddita, generali Ordinis reformationi instituendae incumbere dignaretur. Votorum vero nostrorum, sollicitudine, zelo, summaque tanti Pontificis prudentis per emanatum ab eo die 19 mensis aprilis proxime elapsi, *Breve*, cuius transsumptum ad vos mittimus, compotes facti, Regem christianissimum convenimus deprecantes, ut praefati *Brevis* executionem sua regia auctoritate protegere dignaretur. Annuit Rex christianissimus et sanctioris sui consilii solemni decreto, ore proprio pronuntiato, hanc executionem non modo permisit, verum etiam omnibus et singulis nostri Ordinis regularibus personis intra suae ditionis limites imperavit. Nos igitur tam sancta et salutaria Vicarii Christi in terris, ac christianissimi Regis mandata, ea qua par est animi submissione suscipientes, habita cum reverendis admodum nostris coabbatibus de Firmitate, de Pontigniaco et de Claravalle (sede Morimundi vacante) matura deliberatione, ac de ipsorum consilio et assensu, Capituli nostri generalis celebrationem apud archicoenobium nostrum Cisterciense vobis omnibus indicendam esse duximus, prout praesentium serie, de mandato SS. D. N. Papae, nostra etiam paterna, plenaria totius Ordinis, eiusdemque Capituli generalis qua fungimur auctoritate, indicimus et denuntiamus ; vos omnes in visceribus Christi adhortantes, et nihilominus vobis in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis per constitutiones nostras contra demorantes ab ipso latis praecipientes, quatinus legitimo infirmitatis cessante impedimento, de quo, si contigerit, quilibet eidem Capitulo per Vicarios generales, vel Syndicos provinciarum, vel per specialem procuratorem fidem faciet, in praefato nostro Cistercio totius Ordinis capite, in ducatu Burgundiae et dioecesi Cabilonensi, anno Domini proximo 1667, die 9 mensis maii, feria nempe secunda post dominicam in qua *Cantate* ad introitum missae dici consuevit, quartam post Pascha, cum modesto et religioso comitatu compareatis ; ut eadem die mane ipsum Capitulum inchoare nobiscum valeatis, de vobis commissis muneribus, actis, et per vos gestis rationem reddituri, ac de agendis et reformandis in posterum in timore Dei iuxta regularia nostra instituta, constitutiones apostolicas ac praefatum *Breve*, unanimi consensu serio et diligenter tractaturi. Volumus autem, et in quantum opus sit districte iniungimus, ut ante dicti Capituli celebrationem, Patres abbates, Praesides Congregationum, Vicarii provinciarum, Syndicis illorum secum assumptis, per seipsos, aut si ob rationale impedimentum aliqui aut aliquis ipsorum id praestare non potuerint, per alios idoneos viros zelum Dei et Ordinis habentes a se deputatos seu subdelegatos, omnia monasteria et loca regularia sibi respective subiecta visitent, et in huiusmodi visitatione de anti-

quitate fundationis eorum, et de illorum tam spirituali quam temporali statu diligenter inquirant ; accuratos processus verbales faciant de dictis statibus, de numero religiosorum qui est aut esse debet in illis, de commodis et incommodis illorum pro erigendis novitiatibus communibus et seminariis seu professoriis iuxta praefatum *Breve*, de moribus superiorum Abbatum, Abbatissarum, Priorum, Priorissarum, Officiariorum, Confessariorum monialium, aliorumque omnium, sic ut de ipsis Nobis et Patribus Capituli constet ; et quos vita laudabilis commendaverit, secundum talenta sibi a Domino credita ad officia et dignitates respective promoveamus ; contra discolos vero, criminosos, fugitivos, apostatas et incorrigibiles, secundum leges nostras praefatumque *Breve* Apostolicum procedamus ; ineptos seu inhabiles officiales ab officiis sibi iniunctis amoveamus, magisque idoneos et utiles in eorum locum sufficiamus. Praecipimus quoque ut Procuratores nostri generales, et Syndici provinciarum, diligenter Nos et Capitulum informent de litibus et processibus omnibus coram quibuslibet tribunalibus ecclesiasticis aut saecularibus motis et agitatis, in quibus de communibus iuribus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis et emptionibus Ordinis nostri agitur, necnon de attentatis aut attentandis in illorum praeiudicium, de bonorum temporalium usurpationibus, dilapidationibus, sylvarum degradationibus, alienationibus, debitis contractis, aut contrahendis et aliis huiusmodi. Exigant etiam Syndici provinciarum contributiones annuas non solutas ab omnibus Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Priorissis, aliisque omnibus ad quos illarum solutio spectat, summasque pecuniarum ex iis provenientes vel secum ad Capitulum generale deferant, vel ad Cellerarium nostrum Cisterciensem mittant pro ipsius Capituli sumptibus, et aliis oneribus pro negotiis Ordinis supportatis aut supportandis. Brevia accurata et exacta faciant de solutis Auditoribus computationum a Capitulo generali instituendis offerenda, et ab is examinanda.

Ne ulla vero ignorantiae causa... *etc. ut in forma usitata anni* 1651.

Datum Parisiis in nostro S. Bernardi collegio, sub nostra et secretarii nostri subscriptionibus, et maioris nostri sigilli appensione, anno R. S. H. millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, die vero prima mensis augusti. — Sic signatum, Frater Claudius Vaussin abbas Cistercii, generalis totius Ordinis Cisterciensis. Et infra, De mandato praefati Rmi D. D. mei abbatis generalis, frater Georgius Bourée, secretarius.

Locus sigilli.

* * *

Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo, die 9 maii et seq. haec statuta sunt in Capitulo generali Cistercii congregato.

B) ORDINATIO CAPITULI

DIFFINITORES : Rmus D. N. [de **Cistercio**] s. th. d., R. D. de Columba, s. th. d., R. D. de Osseco, R. D. de Pietate, R. D. de Rota, monasteriorum abbates. — Adm R. D. de **Firmitate** s. th. d., R. D.

de Septem Fontibus, R. D. de Barberio, R. D. de Bonavalle, s. th. d., R. D. de Campoliliorum. — Adm R. D. de **Pontigniaco**, s. th. d., R. D. de Caduino, R. D. de Lucella, R. D. de Riveto, R. D. de Altaripa, monasteriorum abbates. — Adm R. D. de **Claravalle**, R. D. de Hemmenroda, R. D. de Valleclara, R. D. de Trappa, s. th. d., R. D. de Valle Sancti Lamberti, monasteriorum abbates. — Loco adm R. D. de **Morimundo**, R. D. de Sancto Urbano, R. D. de Ebraco, R. D. de Precibus, R. D. de Sancto Sulpitio, R. D. de Castellione.

CONFESSARII : R. D. de Charitate, s. th. d., D. Gasto de Poulx [a] s. th. d., D. Franciscus Bayet, procurator collegii Parisiensis, s. th. d.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : Adm R. D. de Claravalle, D. prior et supprior Cistercii.

AUDITORES COMPUTATIONUM : D. R. de Pinu, R. D. de Porta Gloni, s. th. d., D. Iacobus de la Varende, prior de Pontigniaco, D. Carolus Jamin [b] s. th. d., D. Nicolas Louvet, prior de Vallibus Cernaii, s. th. d.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : R. D. de Valle Richerii, D. Marcus de Montels, prior Cistercii, s. th. d., D. Benedictus Henry, prior de Tribus fontibus, D. Iacobus Ardelu, prior de Locoregio s. th. d., D. Grezel, prior de Ardorello, s. th. d.

NOTARII ABBATES : R. D. de Stamedio, R. D. de Rauda.

PROMOTORES CAUSARUM : D. Ioannes Tedenat, prior titularis de Gratia, s. th. d., D. Ioannes Malgoirez, s. th. d.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : D. Stephanus Bidard, s. th. d., D. Claudius Brisbart, prior de Regalimonte.

NOTARII AD PEDES : D. Carolus Louvet, s. th. d., F. Stephanus Bourée, secretarius Rmi D. N.

PORTARII DIFFINITORII : D. Franciscus Destrechy, prior titularis de Gaudio, s. th. d., D. Petrus Robertus Pyr, prior titularis de Palude Comitis.

CONSULTORES : R. D. de Chalocheyo, R. D. de Fulcardimonte, s. th. d., R. D. de Marciliaco, R. D. de Roseriis, R. D. de Veteri villa, s. th. d., R. D. de Bona aqua, R. D. de Porta coeli, R. D. de Alta sylva, R. D. de Leoncello, R. D. de Charmeia, s. th. d., R. D. de Bono loco, R. D. de Recluso, R. D. de Sancto Remigio, R. D. de Salem, R. D. de Petris, R. D. de Gratia Dei, R. D. de Valle dulci, et ceteri Capituli generalis officiales.

BENEMERITI DE ORDINE : D. Franciscus Crevel, prior de Firmitate s. th. d., D... de Roissey [c] s. th. d., D... de Lonjon [d] provisor collegii Sancti Bernardi Tolosae, s. th. d., D. Hieronymus Blanco, s. th. d.,

---

[a] Pous : *text. impr.* 1669 ; Sons : *text. impr.* 1766. [b] Jannin : L^8.
[c] Rossey : A^3 ; [d] Lonion : A^3.

D. Petrus Capolade, prior de Bona cumba, D. Ioannes Gouyet, prior de Valle lucenti, s. th. d.

ORATIONES

1. Pro SS. Domino Nostro D. Alexandro, divina providentia PP. VII, necnon pro eminentissimis ac reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus, et maxime pro eminentissimo Iacobo cardinale Ninio, clementissimo Ordinis protectore; necnon... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo et invictissimo D. D. Leopoldo D. G. Romanorum imperatore semper augusto; necnon pro christianissimo D. N. D. Ludovico XIV Francorum et Navarrae rege; ac pro inclyto rege Carolo II Hispaniarum rege catholico, ... *etc.*

3. Similiter per R. D. Tristando de Bizet ... *etc.*

4. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

5. Pro pace etiam ... *etc.*

6. Postremo pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIONES GENERALES

7. Cum a Rmo D. N. ante omnia alia in diffinitorio peragenda quaeretur a Procuratore generali in Curia, si quae ex parte Summi Pontificis dicenda haberet, R. de Fulcardimonte strictioris observantiae insistens petitionibus, oppositionibus et protestationibus in Capitulo a se factis, eas renovavit, quibus ceteri abbates eiusdem strictioris observantiae iterum adhaeserunt. Tandem lecta fuit epistola sub forma *Brevis* SS. D. N. Alexandri Divina Providentia Papae VII, transmissa ad Capitulum generale, et eidem praesentata manibus Procuratoris generalis in Curia, quam Capitulum generale iussit actis inseri.

Alexander papa VII. — Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. — Cum ex dilecto filio nostro cardinali Ninio, Ordinis vestri Protectore, audivimus, in comitiis generalibus quae proxime celebraturi estis, de pluribus et gravibus ad regularis disciplinae et communis concordiae rationes pertinentibus rebus agendum esse, pro paterna praecipuaque charitate qua religionem Cisterciensem, tot eximiae sanctitatis exemplis virisque longe praeclarissimam et usque adhuc Sancta Sedes necnon Ecclesia universa catholica optime meritam, in Domino complectimur, minime passi sumus pontificiae sollicitudinis officia pastoralia a vobis tali tempore desiderari. Quam ob rem etsi non dubitamus, quin sponte vestra unum Deum et Ordinis bonum prae oculis habituri estis, tamen currentibus calcar addere, et ad omnia rite religioseque peragenda vos etiam atque hortari voluimus, in quo profecto suberit admonuisse, ut attendatis ad petram unde excisi estis et ad cavernam loci ex qua praecisi estis, memores nimirum divi Bernardi patris vestri et illius antiquae pietatis gloriaeque Cisterciensis, quae peperit vos. Porro cuncta latius et distinctius ex ipsius cardinalis, cum observantiae tum aliarum rerum omnium

vestrarum studiosissimi, litteris agnoscere poteritis; Nos rectis piisque consiliis vestris adiutorem ac retributorem Dominum enixe precamur, apostolicam ad id benedictionem tibi, dilecte fili generalis et singulis vestrorum permanenter impertientes. — Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die martii 22.

8. Lecta fuit etiam epistola Ser. et Invict. D. N. Leopoldi Dei gratia Romanorum Imperatoris semper augusti, allata per R. abbatem de Campoliliorum, tenoris sequentis — Leopoldus, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus.— Venerabiles, religiosi, honorabiles, devoti, fideles, Nobis dilecti, eos quos insignia apud Nos virtutum specimina, et perspecta omnibus in rebus religio, atque egregia singularisque in Nos magnopere commendat observantia, et plurimi semper fecimus, et ea omnia quae tum ad conservandam illorum integritatem, tum vero ad ampliandum eorum numerum conducibilia sunt, perlibenter ac propenso animo nullo non tempore amplexi sumus. Quorum nullo inferior est honorabilis lator praesentium, consiliarius noster devotus sincere Nobis dilectus Mathaeus abbas monasterii Campililiorum, spectatae integritatis vir, omni eximia ad virtutes indole perspicuus, eruditioneque ac sapientia clarissimus, quas excellentes animi dotes, exemplaris vitae consuetudo morumque gravitas, illustrem adeo reddidere ut unanimi omnium abbatum Cisterciensium, his in provinciis nostris haereditariis existentium voto tamquam magnum totius Ordinis ornamentum et in quo uno quasi reliquorum virtutes, doctrina cumulata, vigere conspicitur, in deputatum et legatum ad Capitulum generale in ipso Cistercio proxime celebrandum condignissime electus fuerit. Cum itaque ille aliter eo fine suscipiendus benignissimum assensum nostrum pro debita solitaque subditorum nostrorum observantia dimittissime postularit. Idcirco non modo submissae petitioni eius indubitate annuimus, verum etiam illum hisce nostris tamquam optimo praedictorum meritorum atque virtutum testimonio comitari decrevimus, a vobis perbenigne contendentes, ut eumdem non solum peramice suscipiatis, sed etiam votorum suorum in omnibus quae sibi Ordinique suo impetrare volet, vel quam maxime huiusce nostrae efficacis recommendationis intuitu rationem habeatis voluimus. Praeterea vos certiores reddere Ordinem vestrum in nostris provinciis haereditariis vel quam maxime florere, cultum divinum diu noctuque ad gloriam Dei et populi aedificationem perfici, animarumque salutem maximo fructu promoveri, necnon monasteria a talibus feliciter regi et gubernari abbatibus quos et propria virtus vitaeque integritas magnopere commendat, et omnibus reddit amabiles, non dubitantes, quod hanc floridae Ordinis vestri vitae gloriam laeto animo sitis percepturi, et vos quoque in id allaboraturi,ut hic vigor et flos in posterum constantior conservetur, adeoque nihil admittatur aut statuatur quod florem, aut vigorem hanc marcidum atque flavidum efficere posset. De reliquo Nos una cum coniuge nostra totaque domo Austriaca vestrarum ac totius sacri Ordinis vestri piarum orationum, meritorum suffragiis benignissime commendamus, et vobis totique coetui vestro benigno affectu ac Caesarea gratia propensi manemus. — Datum in civitate nostra Viennae die 2 aprilis 1667, regno-

rumque nostrorum Romani 9°, Hungarici 12° et Bohemici 11°. Leopoldus.

9. Legi etiam iussit Capitulum generale epistolam Eminentissimi Cardinalis Ninii, Ordinis Protectoris, Capitulo allatam per Procuratorem generalem in Curia, tenoris sequentis. — Minime patitur Paternitatum vestrarum religio et in Ordinem Cisterciensem propensa studia me pluribus agere, illas in Domino cohortando, ut oblatam in generalibus comitiis rei pro eiusdem Ordinis felicitate bene gerendo occasionem strenue amplecti velint, neque enim opus quisquam habet sibi res ac salutem suam ab aliis commendari. Committere tamen non debeo, ut in re tanti ponderis, in qua de tuenda religiosissimi Ordinis disciplina et de communi quiete auctoribus mutuae charitatis vinculis colligenda agitur, mei officii partes desiderentur. Cum enim SS. D. N. mihi Ordinis vestri patrocinium curamque commiserit, probe intelligo, omni ope adnitendum mihi esse, non tam honorifico Sanctitatis Suae de me iudicio respondeam, quam ut huic quoque in vinea Christi commissae mihi villicationi satisfaciam. Paternitates itaque vestras ex animo rogo obtestorque, ut in his comitiis ab omni rerum humanarum affectu vacui, et suae quisque privatae rationis obliti, publicae causae partes suscipiatis, ea statuentes, quae ad Dei gloriam vestrique Ordinis incrementum profutura intelligetis. Quod sane a singulari paternitatum vestrarum pietate et in hanc Sanctam Sedem observantia mihi polliceor ; paratissimus quidquid a consiliis diligentia, labore, officiisque meis proficisci unquam poterit, in vestri Ordinis bonum alacriter aggredi, et omni animi contentione curare. Rogo interim Deum ut paternitates vestras omnibus bonis cumulet et diutissime servet incolumes. — Romae kalendas martii 1667. Uti Pater Cardinalis Ninius protector.

10. Requirentibus demum Promotoribus, et ex parte Summi Pontificis et regis christianissimi lectum, publicatum et cum debita reverentia, genibus scilicet flexis, ore Rmi D. N. et unanimi omnium consensu susceptum fuit *Breve* Apostolicum a SS. D. N. Alexandro Divina Providentia Papa VII emanatum die 19 aprilis, pontificatus autem ipsius anno 12°,quod sic incipit : *In suprema Sedis Apostolicae.*

11. Cum autem R. D. de Trappa super supradicti *Brevis* receptione aliqua proponere ut sibi liceret supplicavit, data est ei a Capitulo generali licentia, ut quae vellet in praesentia proponendi, et ne ab ipso dictorum periret memoria, eadem scripto mandandi et actis Capituli generalis inserendi. Abbates autem de Fulcardimonte, de Precibus, de Veterivilla, de Caduino et alii strictioris observantiae abbates protestati sunt, se adhaerere dictis a R.D. de Trappa, et subscripturos memoriali ab eo Capitulo generali praesentando.

12. Quibus auditis, RR. DD. de Lucella et de Campoliliorum et exteri Germani protestati sunt, se in omnibus et communi humilitate recipere supradictum *Breve* Apostolicum. Et quoniam multa possent in tali *Brevi* contineri, quae dilucidiori indigerent explicatione Capitulo generali supplicarunt, ut cum unica voce omnia exponere non li-

ceret, gratum Capitulo foret, ea in memoriali praesentari aut Summum Pontificem adire. Cui supplicationi benigne annuit Capitulum generale.

13. Cum orta fuerit difficultas ex iterata protestatione facta per R. D. de Fulcardimonte contra Promotores causarum et alios officiales praesentis Capituli generalis non abbates, quod praetenderet usitatum Ordinis morem convelli, si suppetente abbatum numero, alii non abbates quocumque alio fungantur munere, officiales Capituli eligantur; Capitulum generale, matura super hoc deliberatione habita, praecedentium Capitulorum generalium vestigiis inhaerendo diffinit, quascumque personas de Ordine tamen benemeritas, etiam non abbates, ad Capituli generalis officia posse promoveri.

14. Huic autem diffinitioni sese opposuit R. D. de Fulcardimonte, inhaerendo oppositioni a se prius factae tam in publico Capitulo quam in Diffinitorio contra formam habiti Capituli, quam petiit actis inseri.

15. Ad quaestionem de loco ubi possit iuxta *Breve* Apostolicum haberi consultatio de rebus postea in Diffinitorio terminandis, respondit Capitulum generale, non in Diffinitorio, sed in alio loco per Rmum D. N. designando fieri debere, statuitque rem illorum consilio remissam ab antiquiore inter ipsos consultores abbate ceteris proponendam esse, mentemque ipsorum per unum ex ipsis Capitulo generali referendam. Exinde supra protestatione facta per aliquos ex Rdis Diffinitoribus Abstinentiae contra ordinationem Capituli generalis, quod adm R. D. de Pontigniaco, R. D. de Altaripa in unum ex Diffinitoribus ab ipso ex abbatibus strictae observantiae assumendum elegerit, cum tantum ex Gallia abbates iuxta mentem *Brevis* deberent intelligi. Re in deliberationem missa declaravit praesens Capitulum generale, R. D. de Altaripa in Diffinitorem ab adm R. D. de Pontigniaco rite assumptum fuisse.

16. Cui diffinitioni R. D. de Veterivilla sese opposuit tamquam contrariae et supradicto *Brevi* Apostolico et bullae *Clementinae*, quam petiit actis Capituli generalis inseri. Cui protestationi omnes illi adhaesere, qui eius memoriali infra referendo subscripserunt.

17. Ad requisitionem adm R. D. de Firmitate, ut exacte serventur statuta in bulla *Clementina* praescripta, et maxime circa iuramentum Diffinitorum et aliorum Capituli generalis officialium, omnes tam Diffinitores quam notarii abbates iurarunt se sua fideliter munera ad bonum Ordinis obituros, nec quidquam contra propriam conscientiam in iis facturos.

18. R. D. de Altaripa protestatur contra R. D. de Veterivilla, quod in suo monasterio dixerit, non satis firme strictam observantiam custodiri; quam protestationem petiit actis Capituli generalis inseri.

19. Capitulum generale, ut omnia quae diversi sibi proponenda attu-

lere negotia ad suam facilius possint audientiam pervenire, statuit et mandavit ut omnes chartae rei petitae vel examinandae aut decidendae informationem continentes ab omnibus tam abbatibus quam prioribus et ceteris, in manibus Promotorum causarum Capitulo generali proponendae consignentur.

20. Licet ad omne dissidium praecavendum a Promotoribus fuerit requisitum, ut in explicationem *Brevis* supradicti declararet Capitulum generale, quaenam iurisdictio visitatoribus competat, quidque nomine iurisdictionis ordinariae, quam visitatores monasteriorum strictioris observantiae in suas singuli provincias habent, intelligi debeat ; et tandem ut (si Capitulo fuerit visum) aliquos velit deputare huiusce difficultatis examinatores. Capitulum tamen generale nullos decrevit ad huius negotii examen deputandos, nec huic amplius difficultati statuit immorandum.

21. Cum et ad reparandam, ubi collapsa fuerit, monasticam disciplinam, et ubi illibata perseveraverit, conservandam, maxime visitationes regulares conducant, timendumque foret, ne multa strictioris observantiae monasteria ob nimiam inter se distantiam paternae visitationis officio privarentur, si unus aut etiam duo tantum eiusdem observantiae eligerentur visitatores, praevio R. D. de Precibus ut tres ad summum eligerentur consensu, praemissaque protestatione ab eodem facta contra maiorem numerum visitatorum, quam petiit actis inseri, Capitulum generale statuit et decrevit, ut omnia intra Gallias sita strictioris observantiae monasteria in tres provincias separentur et a tribus visitatoribus respective in posterum visitentur.

22. In hoc ergo *Brevis* Apostolici inhaerendo mandatis per secreta scedularum suffragia a prius electis scrutatoribus adm R. D. de Claravalle et RR.DD. de Columba et de Precibus a Rmo D. N., quatuor adm RR. primis abbatibus et decem Diffinitoribus strictae observantiae in visitatores monasteriorum illius observantiae tres in provincias diversorum rite electi sunt abbates sequentes eiusdem observantiae : R. D. de Fulcardimonte electus est visitator provinciae Armoricae seu Britannicae, Normanniae, et Cenomanensis.— R. D. de Pinu visitator provinciae Burdegalensis, Pictaviae, Lemovicensis et adiacentium. — R. D. de Precibus visitator provinciae Campaniae et Insulae Franciae.

23. Cum uniformitas nostro Ordini congenita a SS. D. N. in suo praefato *Brevi* nobis tantopere commendetur, nullo aptiori remedio sensim latius serpenti unitatemque destruenti difformitatis malo succurri posse putat Capitulum generale, quam ut brevis fiat et dilucida compilatio et reductio omnium constitutionum apostolicarum, Capitulorum generalium, usuum, ceremoniarum tam intra quam extra ecclesiam, et specialiter in celebratione Capituli generalis observari

solitarum, et [e] ceterorum, si quae sint in Ordine statutorum, ut una regula, una charitate, similibus ritibus et moribus ubique vivatur. Hoc autem tam necessarium tamque utile opus praesens Capitulum generale RR. DD. de Firmitate, de Fulcardimonte, Provisori [f] collegii Parisiensis et D.Ioanni Petit religioso Cistercii nunc priori Boni portus, viris utpote in disciplina, iuribus et privilegiis Ordinis exercitatissimis, iuxta *Breve* committit peragendum, speremus fore ut assidua eorum diligentia hoc opus iam dudum speratum brevi in lucem prodeat, postquam in sequenti generali Capitulo examinatum fuerit et confirmatum. Ut autem in divino officio persolvendo in omnibus Ordinis monasteriis hoc religionis vinculum uniformitas teneatur, Capitulum generale statuit et decernit, nullam de cetero in novo *Breviario* faciendam esse mutationem, sed ipsius ordinationi standum esse ex integro ab omnibus Ordinis professoribus.

24. Et ne librorum penuria in officio et in cantu foveri difformitas videatur, Capitulum generale mandat et committit R. D. de Fulcardimonte, Provisori et Procuratori collegii S. Bernardi Parisiensis, ut quam citius fieri poterit, novam *Breviariorum, Missalium, Antiphonalium, Gradualium,* et aliorum quorumcumque librorum ad divinum officium necessariorum editionem curent, et ex parte Capituli generalis bibliopolam conveniant, de iusto horum librorum pretio, nullatenus postea immutando.

25. Ad quaestionem propositam, an sit in Ordine obligatio, qualibet sexta feria per annum VII Psalmos poenitentiales recitandi, sicut et aliquas preces tempore Quadragesimae,verbi gratia *Tribularer*, et alias. Respondit Capitulum generale nullam talem esse in Ordine obligationem, nisi recitandi VII Psalmos poenitentiales tempore Quadragesimae omni sexta feria, festo XII lectionum non impedita, iuxta rubricam novi Breviarii.

26. Iuxta facultatem per *Breve* iam saepe dictum Capitulo generali a SS. D. N. datam, qua hora diebus minorum solemnitatum surgendum sit, determinandi, statuit et determinat Capitulum generale diebus solemnioribus hora 2, ceteris vero 3 ad vigilias surgendum esse, et declarat intentionis suae non esse per praesentem determinationem ut consuetudo, si quae in aliquibus vigeat monasteriis, maturius tam solemnioribus quam aliis diebus surgendi enervetur, sed potius per superiores locorum et visitatores foveatur.

27. Cum in quamplurimis Ordinis monasteriis sufficiens non habeatur numerus monachorum, ut cum cantu gregoriano horas canonicas persolvant, et ideo circa hoc generalis diffinitio fieri non possit, mandat et praecipit Capitulum generale omnibus visitatoribus provincia-

---

[e] et... statutorum : *desunt in text. impr.* 1669. [f] *deest in text. impr.*

libus, ut proxima[g] monasteriorum provinciae suae facta visitatione, singuli illorum statum, et specialiter numerum monachorum in illis ordinarie residentium, ad Rmum D. N. et ad adm RR. quatuor primos abbates quamprimum transmittant, ut examinato numero monachorum in singulis monasteriis et situ loci, an sit minor vel maior congregatio (quae ultima solum ex regula obligatur ad cantum) iudicare possint.

28. Die autem 10 maii, soluto pomeridianis horis diffinitorio, RR. DD. de Fulcardimonte, de Trappa et de Veteri villa, nobis notariis Capituli generalis in manibus consignarunt suam quilibet scripto traditam protestatiomem manibus propriis subsignatam, ex decreto Capineralis actis ipsius inserendam.

29. Protestatio R. D. de Fulcardimonte. — Post recitationem ordinationis supradicti Capituli anni 1667 et enumerationem officialium eiusdem, cum frater Iulianus Paris, abbas monasterii Fulcardimontis strictioris observantiae dicti Ordinis Cisterciensis, observasset in eadem enumeratione et descriptione officialium eisdem Capituli plures recenseri qui non essent abbates, surrexit et cum humilitate a Rmo D. Cisterciensi abbate eiusdem Ordinis generali et eidem Capitulo praesidente postulavit, ut secundum Ordinis statuta et praxim illius in hunc usque diem perdurantem in locum eorumdem officialium non abbatum, sufficientur et subrogarentur abbates veri, qui plane et plene gauderent abbatiali caractere ; maxime cum in eodem Capitulo plurimi adessent ad omnia eiusdem Capituli generalis munera rite obeunda capaces et idonei, iique nullis huiusmodi muniis occupati. Postulavitque subinde cum eadem humilitate idem abbas Fulcardimontis, ut in eodem Capitulo generali observarentur ea quae SS. D. N. Papa Clemens huius nominis IV circa celebrationem eiusmodi Capitulorum generalium ordinavit, et maxime circa assumptionem Diffinitorum ex generatione et filiatione uniuscuiusque primariorum abbatum, a quibus et pro quibus assumerentur. Circa iuramentum quoque ab iisdem Diffinitoribus et aliis eiusdem Capituli generalis officialibus praestandum et emittendum ; ac denique circa notationem et ventilationem in eodem Capitulo in praesentia omnium Capitulantium faciendam eorum omnium, quae subinde in diffinitorio eiusdem Capituli diffinienda essent. Alioquin idem abbas Fulcardimontis intercessit et se opposuit omnibus in eodem Capitulo et Capituli Diffinitorio proponendis, diffiniendis et agendis. Et protestatus est de nullitate eorumdem si secus ageretur. Petiit etiam idem abbas sub eadem protestatione, intercessione et oppositione, supradictam suam petitionem, intercessionem, oppositionem et protestationem in acta eiusdem Capituli generalis referri, et actum seu

[g] prima : *text. edit.*

instrumentum earumdem sibi dari tam a notariis eiusdem Capituli quam aequissimis et integerrimis viris regiis in eodem generali Capitulo praesentibus. Et subsignavit die 9 mensis maii anno 1667. — Quibus supradictis petitionibus, oppositionibus et protestationibus aliisque supra memoratis adhaeserunt et subscripserunt infra subsignati abbates strictae observantiae, scilicet fr. Armandus Ioannes abb. de Trappa; fr. Eustachius abb. de Septem fontibus ; fr. Robertus abb. de Valle clara ; fr. Guillelmus abb. de Veterivilla ; fr. Dominicus abb. de Valle Richerii ; fr. Claudius abb. de Columba ; fr. Iacobus abb. de Castellione ; fr. Guillelmus abb. de Bono loco ; fr. Nicolaus abb. de Barberio ; fr. Stephanus abb. de Charmeia ; fr. Vincentius abb. de Petris ; fr. Ioannes abb. de Precibus ; fr. Ioannes abb. de Pietate ; fr. Ioannes Le Comte abb. de Charitate [h].

30. Protestatio seu Memoriale R. D. de Trappa. — Etsi testis fuerim illorum quae in reformatione generali Romae peracta sunt, noverim quibus consiliis totum negotium confectum fuerit, atque plura dubia, obscura, sanctae regulae et antiquis Ordinis statutis adversantia *Brevi* inserta fuisse contra Summi Pontificis mentem, cui de re ob valetudinem infirmam perpauca relata sunt ; nihilominus Sedis Romanae nomine et Regis auctoritate compulsus *Brevi* assentiendum sentio, usque dum tamen concedente Rege facultas Romam refugiendi, ut felicius, et efficacius Ordinis misere collapsi saluti consulatur, haec suadente conscientia nunc et palam declaranda existimavi, plura pro tempore et opportunitate dicturus. [i] — Cui protestationi adhaesere infra scripti abbates eiusdem strictae observantiae scilicet ...... *ut supra, et adduntur* : fr. Petrus abb. de Caduino ; fr. Iulianus abb. de Fulcardimonte ; fr. Petrus abb. de Pinu [j].

31. Protestatio R. D. de Veterivilla. — De 9 maii anni 1667 in Diffinitorio Capituli generalis Cistercii congregati, ego infrascriptus Almae Facultatis Parisiensis doctor theologus, abbas monasterii B. M. de Veterivilla, postquam a Rmo N. Cisterciensi abbate eiusdem Capituli praeside loquendi facultatem petii, declaravi publice, quod nominationi R. abbatis de Altaripa in Diffinitorem strictioris observantiae pro filiatione de Pontigniaco me opponerem, tum quia ipse abbas Altaeripaee in Helvetia nullam unquam unionem aut societatem cum abbatibus aut monasteriis strictioris observantiae in Galliis habuit, e quibus tamen SS. Papa Alexander VII in suo *Brevi* Apostolico duos in qualibet filiatione abbates assumi iubet, quia potius ipsa

---

[h] *Sic apud Sa* ; L^8 *nullum citat nomen* ; A^3 *refert tant. nomina abbatiarum, non vero abbatum, excepto tamen primo,* Armand. Joann. [i] fr. Armandus Joannes [de Rancé] abb. de Trappa : A^3. [j] L^8 *nullum citat nomen* ; *Sa scribit insuper* Petrus Marry abb. de Caduino.

Altaeripae abbatia visitationi et vicariatui R. abbatis de Sancto Urbano Germaniae visitatori semper subiacuerit et adhuc subiacet, prout R. abbas Sancti Urbani in eodem Diffinitorio declaravit, nunquam vero vicariatui aut visitationi vicarii generalis strictioris observantiae in Galliis hactenus existentis; tum etiam quia idem abbas Altaeripae de generatione ipsius monasterii de Pontigniaco non est, sed de generatione seu filiatione Claraevallis; cum tamen alii essent abbates strictioris observantiae in Galliis in eadem filiatione de Pontigniaco valde capaces et idonei, qui in Diffinitores pro eadem filitione de Pontigniaco assumerentur, prout statuitur in bulla Clementis IV. Propter quas rationes et alias pro tempore, loco et opportunitate fusius explicandas, praefatam oppositionem emisi et protestatus sum de nullitate et abusu eorum omnium, quae in contrarium gerentur. Quam quidem oppositionem et protestationem meam actis publicis eiusdem Capituli generalis inseri et illius actum legitimum a secretariis mihi concedi postulavi die, mense et anno quo supra [k]. — Cui protestationi adhaesere infra scripti abbates eiusdem strictae observantias, scilicet abbates de Caduino ... *etc. ut supra.*

32. Qui omnes supradicti abbates Strictioris Observantiae nominibus tantum propriis his protestationibus adhaesere, nulla instructi procuratione abbatum absentium suorum propriorum conventuum et alirum quarumcumque communitatum.

33. Data est a Capitulo generali licentia ceteris praeter Diffinitores, officiales Capituli, consultores et alios qui negotia magni momenti agenda haberent, ad vesperam diei mercurii 11 maii a Cistercio recedendi.

34. Ad quaestionem propositam quem locum tenere debeat secundam faciens stabilitatem, an primae suae professionis an secundae stabilitatis, respondit Capitulum generale debere in omnibus locis suae secundae stabilitatis, non primae professionis, locum obtinere.

35. Petitioni venerabilis dominae abbatissae de Maloduno de celebrando solemniter festo s. Archangeli Gabrielis, annuit Capitulum generale, ut in eius ecclesia de cetero tamquam festum sermonis minoris celebretur. Quod idem concedit venerabili priori Prulliaci de festo S. Stephani abbatis Cistercii celebrando.

36. A Capitulo generali his qui curam habent editionis librorum mandatur, ut in prima *Breviarii* impressione scribantur in kalendario ad 15 diem iulii sancti Martyres Eutropius, Zozima et Bonoza sub simplici commemoratione.

37. Iuxta regulam et Constitutiones, praescriptus numerus ieiuniorum diebus mercurii et veneris a Pentecoste ad Exaltationem S.

[k] fr. Guillelmus abb. de Veteri villa : *A*[3]*Sa*.

Crucis, et inde ad Pascha singulis diebus quibus non vescimur carnibus, in omnibus Ordinis monasteriis communis observantiae inviolabiliter observetur.

38. Cum SS. D. N. sacrae Congregationis decreta de Regularibus, apostatis et eiectis exactissime praecipiat observari ea legi iussit Capitulum generale, actisque inseri tenoris sequentis. » Sacra Congregatio cardinalium ... *etc.* [1].

39. Ne praetextus perniciosae illi appellationi *ab abusu* in posterum relinquatur, mandatur adm R. D. de Firmitate, R. D. de Fulcardimonte et D. Ioanni Petit, religioso Cistercii nunc priori Boniportus, ut compilationi omnium statutorum, ceremoniarum, etc. iuxta *Breve* faciendae, modum, formam et tenorem inserant a Vicariis et aliis Ordinis superioribus unicuique ius suum reddendi, seriemque iustitiae ab illis administrandae.

40. Ut autem sicut et laborum pro Ordine suscipiendorum, ita et vigoris in retinendis sanctorum Patrum institutis Rmus D. N. toti suo Ordini magnificum praeberet exemplum, quam obnixe potuit Capitulo generali supplicavit, ut ab adm Rdis quatuor primis Cistercium quamprimum, et si posset fieri, finito Capitulo visitari statuat ac decernat. Quare permotum Capitulum generale Rdos adm primos hortatur atque obtestatur, ut cuiuscumque alterius rei dimissa sollicitudine, terminato praesenti Capitulo, ut filii patrem ea qua maior esse non debet veneratione, matrem Ordinis Cistercium visitent, ut exinde et ad illos et ad ceteros Ordinis superiores et professores per paternae visitationis officia et zelus observantiae regularis et morum sanctitas a capite ad membra diffundantur.

41. Circa alienationem bonorum immobilium monasteriorum Ordinis, renovatur decretum Benedicti Papae XII in sua bulla vulgo *Benedictina* contentum.

42. Cum ex contextu *Brevis* abbates regulares subiacent visitationi et correctioni visitatorum etiam non abbatum, mota quaestione, an tales visitatores non abbates debeant praecedere abbates quos visitant ? Diffinit Capitulum generale in nullo loco debere praecedere etiam tempore visitationis.

43. Ut autem provideatur residentiae abbatum, nec ulla eis non residendi ansa subministretur, omnibus abbatibus prohibet Capitulum generale, ne in urbibus aut Academiis publice suscipient docendam theologiam, Reverendoque domino de Bonavalle optandum tradit, ut intra annum ex abbatia et cathedra theologica unam suscipiat et alteram dimittat.

---

[1] A^3L^8Sa transcribunt totum decretum diei 21 sept. 1624. Videsis apud auctores, v. g. VERMEERSCH, *De Religiosis inst. et pers.* t. II, *Supp. et Monum.* Brugis, 1902, p. 311 sq.

44. Renovat ac confirmat Capitulum generale latum a praecedente Capitulo generali decretum de non locandis in emphiteosim bonis monasterii sine Capituli generalis approbatione. Quod decretum est tenoris sequentis : Nullus contractus... *etc. ut in anno* 1651, *nº* 27.

45. Ut autem caveatur, ne variis et insolitis exactionibus tam pro visitationibus quam professionibus Vicarii monasteria onerent, statuit Capitulum generale pro omnibus tam expensis quam iuribus honorificis in qualibet visitatione a monasteriis visitatis in adventu et reditu, dandos esse Vicariis sexdecim francos, et Syndicis octo ; pro professionibus autem etiam extra tempus visitationis faciendis, prius computati ab illis sumptus itineris a monasteriis exsolventur. Sumptus autem quos visitatoribus et syndicis fieri contigerit, ut eant ad Capitula generalia vel intermedia, a propriis illorum domibus in quibus ordinarie resident, exsolventur.

46. Decernit etiam Capitulum generale ut antequam visitatores se ad suae provinciae monasteriorum visitationem accingant, a duobus vicinioribus abbatibus, quorum unus sit ex communi alter ex strictiori observantia, semel tantum in triennio debere visitari. Nulla autem sit provincia quae suum non habeant visitatorem.

47. Cum provide cautum sit, ut monasteriorum priores quolibet triennio suorum prioratuum voluntariam demissionem in scriptis faciant, a quibus fuerint instituti, Capitulum generale statuit ac decernit ut intra anni huius reliquum eam faciant.

48. Ut inordinati processus in appellationibus de cetero non fiant, Capitulum generale statuit gradatim procedendum, ut a Visitatore ad Patrem immediatum, a Patre immediato ad Rmum D. N., a Rmo ad Capitulum generale debeat provocari ; lisque ad illos per appellationis ius delata intra tres menses terminari.

49. Nec tam patribus immediatis quam maioribus Ordinis superioribus, alios quoscumque commissarios, nisi Visitatore suspecto aut absente, liceat deputare.

50. Cum multa Ordini numero ex assumptione aliquarum ex aliis Ordinibus aut etiam e clero personarum in abbates mala obvenerint, per Procuratorem generalem in Curia SS. D. N. Capitulum generale duxit supplicandum, ut poena contra sic eligentes abbatem Ordinis generalem decretae, aliis simili auctoritate infligantur.

51. Capitulum generale advertens ex nimia affinium multitudine monasteriis, maxime in quibus viget electio, varia mala suboriri, prohibet omnibus monasteriorum illorum superioribus, nisi maior, id est excedens numerum duodecim congregatio fuerit, duos fratres aut sorores recipere.

52. Ut omnis tollatur licentia extra monasteria ob curam animarum divagandi, statuit Capitulum generale, ut illam de novo nullus sus-

cipere audeat aut possit, quin prius a visitatore de eius capacitate cognitum fuerit.

53. Ceterum post varia in executionem *Brevis* Apostolici praescripta in vanum laborasse putaret Capitulum generale, si novae studens reformationi, ad strictioris multis ab hinc annis introductae, et favente Deo in dies succrescentis, non conservationem tantum, sed eius etiam incrementum officii sui partes sollicite non impenderet. Ideo triplici medio a R. D. de Precibus ad tam sanctum opus promovendum proposito 1° ut inter se convenire possint strictioris observantiae abbates. 2° Ut ipsorum monasteria communis observantiae monachis vacuentur et in alia diversae observantiae transmittantur. — 3° Ut in monasteria communis observantiae, ubi maior pars religiosorum ad illos etiam sine pensione convolat, introducantur, ut, v. g. in monasterium de Chassania ; huiusque petitionis seu propositionis a se factae actum petiit. — Circa 1, statuit Capitulum generale singulos quosque strictioris observantiae abbates serio admonendos, ut ad quodcumque Capitulum sive generale sive intermedium de suae observantiae negotiis tractaturi conveniant. Ad 2°, cum huiusmodi monachi in monasteriis strictioris observantiae efficacius quam in aliis possint in officio contineri, statuit Capitulum generale, non ab illorum monasteriis ad alia communis observantiae, nisi ex causa a statutis praescripta esse transmittendos. Illos tamen declarat ad omnimodam erga strictioris observantiae superiores obedientiam teneri, nec illis licere aliquid proprium habere, sed omnia eis a superioribus domorum necessaria debere ministrari. — Circa 3°, praevia oppositione R. D. de S. Sulpitio, committitur adm R. D. de Firmitate, ut quo spiritu ducantur religiosi de Chassania perpendat, ut si eos ferventiores factos ex animo ad strictiorem observantiam profitendam repererit, eorum desiderio satisfaciat, deliberatione habita super electione domorum in tribus provinciis strictioris observantiae pro illarum novitiatu et professorio designandarum, infrascripta monasteria nominata et approbata fuere die 11 maii.

54. *In provincia Franciae et Campaniae.* Novitiatus in monasterio Vallis clarae. Professorium in monasterio de Castellione.

55. *In provincia Burdegalensi et Pictavensi.* Novitiatus in monasterio de Caduino. Professiorum in monasterio de Columba.

56. Omnia autem strictioris observantiae monasteria tres in provincias sunt distributa ordine sequenti.

In provincia Insulae Franciae, Picardiae et Campaniae. Monasteria de Regalimonte, de Lanneyo, de Ursicampo, de Boheriis, de Longoponte, de Firmitate Milonis, de Bonofonte, de Valle clara cum filiabus suis de Recluso et de Charmeya, de Castellione, de Caladia, de Cheminione, de Altofonte, de Pietate, de Charitate ad Lesinas, de Valle

lucenti, de Ioyaco, de Prulliaco, de Barbello, de Vallibus Cernaii ; de Argensoliis monialium.

In provincia Normanniae, Britanniae et adiacentibus. Monasteria de Fulcardimonte cum filia sua de Loco Dei, de Valle Richerii, de Barberio, de Trappa, de Alneto, de Thorigniaco tam virorum quam monialium, de Veterivilla, de S. Albino de Bosco, de Boquiano, de Begario, de Sylva Melonis, de S. Mauritio, de Landavalle, de Precibus, de Villanova, de Melerayo, de S. Catherina Andegaven. monialium, de Persenia, de Campania, de Tironello, de Insula Dei, de Brolio Grollandi.

In provincia Burdegalensi, Pictaviensi et adiacentibus. Monasteria de Stella, de Pinu, de Columba, de Misericordia Dei, de S. Leonardo, de Bono loco, de Caduino cum filia sua, de Fonte Guillelmi, de Petris, de Fonte Morigniaco, de Septem fontibus, de Maceriis, de Loco Dei monialium apud Belnam.

57. Die autem 13 eiusdem mensis ex omnibus monasteriis communis observantiae in Gallia in varias provincias distributis, in unaquaque illarum pro novitiatu et professorio designata sunt infrascripta. — *In Burgundia et Insula Franciae.* Pro Novitiatu et Professorio : Cistercium. — *In Delphinatu, Lugdunensi et Bituricensi provinciis.* Pro Novitiatu et Professorio : monasterium de Firmitate. Pro monasteriis Karoliloci, Noae, Quinciaci, Boniradii, Sigilleriarum, Rupium, Fontis Ioannis, Stratae et Callovii ; pro Novitiatu et Professorio monasterium de Pontigniaco. *In Campania et Picardia.* Pro Novitiatus et Professorio monasterium de Claravalle. *In Lotharingia et pro aliis monasteriis Morimundo reservatis :* pro Novitiatus et Professorio monasterium de Morimundo. — *In Occitania :* pro Novitiatus et Professorio monasterium de Grandi sylva. — *In provincia Ruthenensi et Provinciae :* pro Novitiatu et Professorio monasterium de Bona cumba. — *In Arvernia :* pro Novitiatu et professorio monasterium de Bonavalle. — *In Burdigalensi et Pictaviensi provinciis :* pro Novitiatu set Professorio monasterium de Obazina. — *In Andegavensi, Turonensi et Cenomanensi provinciis :* pro Novitiatu et Professorio monasterium de Claritate. — *In Normannia :* pro Novitiatu et Professorio monasterium de Bonoportu. — *In Britannia :* pro Novitiatu et Professorio monasterium de Reliquiis.

58. Ex Congregatione Lusitaniae nullus Capitulo generali interfuit, nec se excusavit, nullaque fuerunt designata pro Novitiatu et Professorio monasteria.

59. Ex Congregatione Castellae nullus venit ad Capitulum praeter duos religiosos, ad praesentanda Capitulo generali memorialia contra regimen dictae Congregationis.

60. Ex Congregatione regnorum Arragoniae, Navarrae, Valentiae et Principatus Catalonis venere deputati a tota Congregatione R. D.

Bernardus Guiral abbas de Rota, et Magister Hieronymus Blanco religiosus de Petra; qui non nominarunt Novitiatus et Professoria, sed et suis constitutionibus uti permittantur supplicarunt.

61. Nomine Congregationis Calabriae comparuit Procurator generalis in Curia cum speciali mandato Procurae, et designatum fuit monasterium de Succursu pro Novitiatu dictae Congregationis et monasterium de Sancto Ioanne in Flore pro Professorio.

62. Nomine etiam provinciae Siciliae comparuit idem Procurator generalis. In qua provincia designatum est pro Novitiatu monasterium Roccomadiae, et pro Professorio monasterium de Altofonte serio de Parco.

63. Nullus etiam comparuit ex parte Congregationis Lombardiae et Tusciae nec nominarunt monasteria pro Novitiatu et Professorio. Unde Capitulum generale patrem Damianum Latovadam [m] Congregationis illius vicepraesidem, sicut et patrem Petrum Oviedo Vicarium, vulgo dictum Reformatorem generalem Congregationis Castellae et Vicarium generalem Congregationis Lusitaniae declarat contumaces, et privat voce activa et passiva.

64. Ex Polonia nullus accessit ad Capitulum sed omnes excusationes miserunt ob bella et infidelium incursiones. Et quod Novitiatum et Professorium rogarunt, ut more antiquo conservarentur.

65. Ex Silesia comparuit nomine totius provinciae R. D. Andreas Emmanuel abbas de Rauda; et in illa provincia designatum fuit pro Novitiatu monasterium Grissoviense et pro Professorio Lubense.

66. Ex Bohemia, Moravia et Lusatia comparuit R. D. Laurentius Scipio abbas Ossecensis nomine totius provinciae.

67. Ex Austria comparuit R. D. Mathaeus abbas de Campoliliorum nomine totius provinciae.

68. Ex Franconia comparuit R. D. abbas Ebracensis.

69. Ex Suevia comparuerunt R. D. electus abbas Salemitanus et D. Eugenius ex monasterio Caesariensi.

70. Ex Helvetia comparuere RR. DD. de Lucella, de Porta coeli, de Altaripa, et de Sancto Urbano.

71. Ex Leodiensi provincia comparuerunt RR. DD. abbates de Valle Sancti Lamberti, et de Sancto Remigio, et praeses collegii Alnensis apud Lovanium.

72. Ex Belgio nulli venerunt, sed propter timorem belli se excusaverunt.

73. Ex Tractu Rheni adfuerunt R. D. abbas de Hemmerode et D. Petrus Robertus Pyr prior titularis Paludis comitis.

---

[m] Lauthuadam: *text. edit.*

74. Qui omnes rogarunt ut in propriis ipsorum monasteriis Novitiatus et Professoria secundum regulam continuentur.

75. Haec autem sunt nomina omnium Galliae monasteriorum communis observantiae in varias provincias distributorum.

— *In provincia Occitaniae.* Monasteria de Bolbona, de Calercio, de Elnis, de Bonofonte, de Nisortio, de Scala Dei, de Gimonte, de Grandi sylva, de Bella pertica, de Custodia Dei, de S. Marcello, de Florano, de Porta Gloni, de Salanqua monial., de Oratione Dei monial., de Fabasio monial.

— *In provincia Ruthenensi.* Monasteria de Bonavalle, de Bonacumba, de Bello loco, de Loco Dei, de Candelio, de Sylvanesio, de Valle magna, de Villalonga, de Ardorello, de S. Sulpitio monial., de Benedictione Dei prope S. Genesium, monial., de Nonnatico [n], monial., de Vignoliis monial., de Olivis monial., de Frigido fonte, de Costa Ioannis monial., de Vico [o] monial., de Lizaco, monial., de Abbatia nova, de Rivo nitido [p] monial.

— *In Provincia.* Monasteria de Thoroneto, de Sinaqua, de Sylvacana, de Valle sancta, de Francis vallibus, de S. Petro Almanaria [q], de Monte Syon monial., de S. Cruce monial. ; de S. Magdalena monial., de Nostra Domina d'Esplan, alias de S. Petro du Puy, monial., de Valle saura, alias de Bagnols, monial., de Fontibus, alias d'Alais [r], monial.

— *In provincia Burdegalensi.* Monasteria de Obazina, de Valeta, de Perigniaco, de Faisia, de Ponte alto, de Riveto, de Petrosa, de S. Ioanne monial., de S. Bernardo prope Bayonam, monial., de Palatio, de Sylva lata, de Dalone, de Bona aqua [s], de Bosco cavo [t], de Gireil monial., de Gondonio, de Coyresio [u] monial., de S. Bernardo Tutellensi, monial., de S. Sigismundo monial.

— *In provincia Arverniae.* Monasteria de Monte petroso, de Boscheto, de Medio monte, de Bella aqua, de Campis bonis, de Mansiade, de Feneriis, de Valle benedicta, de Benedictione Dei monial., de Sylva benedicta monial., de Flabasia [v], de Esclasia monial., de Lavecy [w] monial., de Bellacumba monial., de Clavasio monial., de Mercoria monial.

— *In provincia Andegavensi, Turonensi et Cenomanensi.* Monasteria de Oratorio, de Buxeria, de Claritate, de Bonoloco monial., de Virginitate monial., de Fontanis albis, de Monceyo monial., de Pietate Dei, de Bella branca, de Ponte octrano, de Porreto [x] monial., de Chalocheyo.

— *In provincia Picardiae.* Monasteria de Frigido monte, de Vallo-

---

[n] Noninquo : L^8. [o] Irico : L^8. [p] Rioneto : L^8. [q] de la Manara : L^8. [r] Dalais : A^3. [s] *deest in text. edit.* [t] Bouchold : L^8. [u] Coyroux : A^3L^8Sa. [v] *deest in text. edit.* [w] Suob : A^3L^8. [x] Perrodio : A^3Sa.

liis, de Caro campo, de Monchiaco, de Pantemonte monial., de Libera abbatia in Bosco, monial., de Hispania monial., de Bella curia [y] monial. de Gardo, de Longovillari, de Belloprato, de Gaudio, de Biacho monial., de Fervaquiis monial., de Monsteriolo monial., de Paraclito monial,

— *In provincia Pictaviae.* Monasteria de Castellariis, de Valentia, de Moroliis, de Grosso bosco, de Gratia Dei, de Gratia B. M. Charon, de Bonavalle, de Trisagio, de Frenada.

— *In provincia Bituricensi.* Monasteria de Loco regio, de Bello visu monial., de Barzella, de Baugeriaco, de Varenis, de Palatio, de Bonoradio, de Nigro lacu, de Callovio, de Oliveto, de Loco Nostrae Dominae monial., de Landesio, de S. Aniano monial., de Albigniaco, de Prato Benedicti, de Bono loco, de Pratea, de Albis petris.

76. VISITATORES ET SYNDICI PROVINCIARUM. — *In Polonia,* Visitator R. D. Landensis. — *In Bohemia, Moravia et Lusatia,* Visit. R. D. Ossecensis. — *In Silesia,* Visit. R. D. Henricoviensis. — *In Austria,* Visit. R. D. Campililiensis cum commissariatu Hungariae. — *In Suevia,* Visit. R. D. Caesariensis. — *In Bavaria,* Visit. R. D. Alderspacensis. — *In Franconia,* Visit. R. D. Ebracensis. — *In Helvetia, Alsatia et Brisgoia,* Visit. R. D. de Sancto Urbano. — *In Tractu Rheni, Westphalia et Saxonia,* Visit. R. D. de Veteri monte ; Syndicus : D. Petrus Roberti Pyr prior titularis Paludis comitis. — *In Leodiensi provincia,* Visit. R. D. de Alna ; Synd. R. D. de Valle S. Lamberti. — *In Sabaudia,* Visit. R. D. de Sancto Sulpicio ; Synd. prior de Cheseriaco [z]. — *In Occitania,* Visit. Gastonius de Poulx prior Bolbonae ; Synd. D. Nivard prior de Frigido fonte. — *In provincia Ruthenensi,* Visit. D. Petrus Capolade prior de Bona cumba, s. th. d. ; synd. D. Grezel prior de Ardorello. — *In Arvenia,* Visit. R. D. de Bonavalle ; Synd. prior de Mansiada. — *In districtu Burdegalensi,* Visit. D. Antonius Lhoste prior de Faesia, s. th. d.; Synd. prior de Obazina. — *In Normannia,* Visit. D. de Roissey, s. th. d. ; Synd. D. Ioannes Petit prior de Bono portu. — *In Belgio,* Visit. R. D. de Baudelo ; Synd. R. D. de Boneffia. — *In Carinthia et Carniola,* Visit. R. D. Runensis. — *In Andegavensi, Turonensi et Cenomanensi provinciis,* Visit. D. Carolus Jamin prior de Oratorio, s. th. d. ; Synd. D. prior de Fonte Danielis. — *In Provincia,* Visit. D. Tedenat prior titularis de Gratia, s. th. d. ; Synd. D. Teissier prior de Sinaqua. — *In Picardia,* Visit. D. Crescent prior de Bello prato, s. th. d. — *In Britannia,* Visit. D. Bidart, s. th. d. ; Synd. prior de Gratia Dei. — *In utraque Marchia et Biturigia,* Visit. D. Ardelu prior de Loco regio, s. th. d. ; Synd. D. Vallée prior de Albiniaco. — *In Delphinatu,* Visit. D. de Leoncello ; Synd. D. Brisseau prior de Bonavalle. — *In tota Italia,* Visit. D. Procurator in Curia. — *Procurator generalis in Curia :* D. Ioannes Malgoirez, s. th. d. — *Procurator generalis in Gallia :* D. Franciscus Bayet, s. th. d.

[y] Villencuria : *A*³. [z] D. Blasius Leaulté prior de Alpibus : *text. edit.*

77. Confirmavit etiam praesens Capitulum generale D. Carolum Bourgeois, s. th. d. in Provisorem collegii Parisiensis, et D. Franciscum Bayet eiusdem collegii Procuratorem.

78. Hanc autem infrascriptam protestationem adm R. D. de Claravalle, ne suo iuri detrahatur, Capituli generalis actis inseri petiit tenoris sequentis. — Absque praeiudicio reverentiae et venerationis debitae R. D. Cisterciensi et D. adm R. Patribus primariis, ceterisque Rdis abbatibus Diffinitoribus in praesenti Capitulo generali congregatis, nos frater Petrus abbas Claraevallis protestamur tam nostro nomine quam patrum abbatum, qui in hac parte nobis adhaerere voluerint, licet ad praedictum Capitulum accesserimus vigore Indictionis ipsius a dicto R. D. Cistercii factae, nihilominus formam ipsius Indictionis improbamus, protestantes illam esse insuetam et patrum primariorum iurisdictioni et auctoritati ac Ordinis statutis simul et protestationibus a nostris praedecessoribus et Rdis adm D. de Pontigniaco et Morimundo anno 1627 factis contrariam. Item, declaramus nos tota animi demissione et obedientia recepisse et recipere *Breve* SS. D. N. Papae cum protestatione observandi et observare faciendi ab immediate nobis et ecclesiae nostrae Claraevallis subditis monasteriis universa quae in dicto *Brevi* continentur, idque iuxta primaevas Ordinis constitutiones, *Chartam charitatis*, *Clementinam* et bullam Pii II, quibus omnibus adhaerentes, protestamur contra omnia decreta, sententias et statuta in Capitulo praesenti in contrarium facta vel facienda. Item, protestamur contra nomen et titulum *generalis* in dicta Indictione et passim tam in praedicto *Brevi* quam in aliis litteris a dicto R. D. Cisterciensi obtentis insertum minime nec tuta conscientia ferre valentes, praesenti huius Generalatus praetextu Ordinis nostri fundamenta convelli; ac proinde protestamur de nullitate diffinitionum, usurpationum paternae nostrae auctoritatis ac ceterorum patrum immediatorum iurisdictioni in subdita nobis et sibi monasteria adversantium; idque maxime quoad visitationes, confirmationes Vicariorum et Ordinis officialium nominationes, correctiones et cetera huiusmodi ad nos de iure aut indulto Summorum Pontificum pertinentia. Requirentes insuper, ut praesens nostra protestatio in actibus Capituli generalis inseratur, nobisque desuper transcriptum authenticum concedatur. Actum et lectum praesentibus RR. D. Cistercii ceterisque DD. Diffinitoribus 13 maii 1667. Petrus [a] abbas Claraevallis.

79. Ne autem per quaelibet Congregationis Germanicae statuta contra ius paternitatis patribus abbatibus aliquid damni inferri possit, contra protestati sunt RR. DD. Lucellensis, Ebracensis nomine pro-

---

[a] *deest* : *L*[8].

prio, et R. D. Caesariensis per procuratorem, quam protestationem actis Capituli generalis inseri requisierunt tenoris sequentis : Nos frater Bernardinus Lucellensis et fr. Albericus Ebracensis monasteriorum abbates hisce profitemur, quod publicae protestationi pro conservandis in Ordine iuribus paternitatum antiquissimis, nos quoque subscripsimus, et contra eorumdem iurium in Capitulo nationali anno 1654 Rotwillae celebrati sine primi patris nostri adm R. D. abbatis de Morimundo consensu, et in ipsius praeiudicium factam suppressionem solemniter protestamur ; eorumque restitutionem in integrum de iure et iustitia reposcimus, Capitulo generali humillime supplicantes, ut hanc nostram protestationem actis Capituli inserere, nobisque desuper actum in scripto concedere dignetur. In cuius fidem nos propriis chyrographis subscripsimus. Actum Cistercii die 14 maii 1667.

80. Protestatio D. Eugenii Selze nomine R. D. Caesariensis. — Cum principalem meum dominum abbatem de Caesarea eiusdemque conventus gravatum sentiam per decretum Capituli generalis, quo stabilitur possessio visitandi Vicariis generalibus contra patres immediatos, et maxime Caesariensem abbatem ; ideo nomine eiusdem contra huiusmodi diffinitionem cum debita reverentia excipio ac protestor contra quamcumque obligationem ex constitutionibus Germaniae ab adversa parte praetensam et allegatam, reservando omni meliori modo quaelibet iura iurisque remedia, etiam recursus et appellationis ad Sedem Apostolicam, si necessarium foret. Fr. [b] Eugenius Selze pocurat. R. D. Caesariensis.

81. Cum a Capitulo generali decretum fuerit et statutum ut nullus sit in Gallia Visitator, qui non a duobus vicinioribus abbatibus debeat visitari, ideo in praesentiam determinavit ut semel in triennio, visitetur Vicarius provinciae Andegavensis a R. D. abbatibus de Chalocheio et de Trappa ; Visitator provinciae Burdigalensis a R. D. abbatibus de Riveto et patre immediato ; Visitator Occitaniae a RR. DD. de Caduino et de Bonavalle ; Visitator provinciae Rutinensis ab iisdem ; Visitator Arverniae a R. D. de Petris et Visitatore provinciae Rutinensis; Visitator provinciae Bituricensis a R. D. abbate de Petris et R. priore de Oliveto ; Visitator Delphinatus a RR. DD. abbatibus de S. Sulpitio et de Septem fontibus ; Visitator Sabaudiae a RR. DD. abbatibus de Septem fontibus et de Leoncello ; Visitator Picardiae a RR. DD. abbatibus de Belloloco et de Fulcardimonte ; Visitator Pictaviae a R. D. abbate de Pinu et D. Visitatore provinciae Burdigalensis.

82. Ad praedictam autem protestationem adm R. D. de Claravalle, Rmus D. N. palam et publice declaravit, se titulo *Generalis* in Ordine

---

[b] *deest* : L^8.

consueto nullum ius novum praetendere. Attamen in actis Capituli generalis idem Rmus D. N. inseri mandavit quod nullus ex quatuor adm RR. DD. primis abbatibus, nec etiam ex patribus immediatis voce aut scripto dictae adm R. D. de Claravalle protestationi adhaesit.

83. Ad quorumdam supplicationem circa varias quae in executione *Brevis* Apostolici iam saepe dicti occurrere possent difficultates, et in eius explicatione dubia, eos Capitulum generale ad SS. D. N. prout de iure remittit [c].

DIFFINITIONES PARTICULARES

84. Ad supplicationem D. Christophori De la Sarga et fratris Ferdinandi Rodriguez, religiosorum monasterii B. M. de Spina, Congregationis Castellae, decreta fuit a Capitulo generali commissio magistro Petro Del Castillo, religioso Hortensi, s. th. d., ut informet de gravaminibus illatis eisdem duobus supramemoratis, et quid vi illius commissionis circa tale negotium egerit, ad Rmum D. N. referat.

85. Ad varias quaerimonias de iure patrum immediatorum violato per statuta Congregationis Superioris Germaniae factas a multis earumdem partium abbatibus, Capitulum generale decrevit ut ad proximum Capitulum generale et fundamenta et statuta ipsius Congregationis afferantur et interim nihil innovetur.

86. Circa ius paternitatis praetensum in monasterio de Nizella a Rdis DD. Camberonensi et Molinensi abbatibus, statuit Capitulum generale ab utraque parte proximo Capitulo generali afferenda esse scripta authentica sui iuris affirmativa. Et interim dictum monasterium de Nizella subsit directioni et visitationi R. D. Visitatoris in Belgio absque eo quod dicti abbates contendentes eius regimini se immisceant.

87. Cum grave ortum sit dissidium inter RR. DD. Plassensem et de S. Cruce in Austria abbates ob ius paternitatis ab utroque praetensum in monasterio de Spinea Corona, iussit Capitulum generale ad illud proximum Capitulum fundationem illius monasterii et alia authentica afferri. Et interim R. D. Visitatori Bohemiae commisit ut seniore provinciae abbate sibi advento (casu quo decederet et vivus abbas modernus) alterius electioni praesideret, lite tamen manente indecisa, sine praeiudicio utriusque partis.

---

[c] *Sa add.* : fr. Claudius abb. Cisterc. generalis, fr. Petrus Bouchu, abb. Firmitatis. fr. Petrus abb. Claraev. fr. Edmundus abb. S. Urbani vicesgerens R. adm de Morimundo. -- De la Forest de Somont abb. Stamedii, notar. Cap. gen. ; Andreas Emmanuel abb. de Rauda not. Cap. gen. *Item apud* A^3 : fr. Claud. abb. Cist. gen., fr. Petrus Bouchu abb. Firmitatis, abbates de Pontigniaco, de Claravalle, de S. Urbano, de Stamedio et de Rauda.

88. Committitur RR. DD. de Ossecho et de Campoliliorum abbatibus gravis quae inter RR. DD. Hilariensem et S. Crucis abbates ob ius paternitatis intercessit discordia, amicabiliter, si fieri possit, componenda ; sin minus in plenaria Ordinis potestate terminanda.

89. Confirmatur decretum praecedentis Capituli generalis, quo contra R. D. de Valle Dei ius paternitatis in monasterio Aulae B. M. Virginis, vulgo dicto Schlierbacensi, R. D. Rhunensi adiudicatur.

90. Confirmatur R. D. abbati de Campoliliorum ius paternitatis in monasteriis ab illo in Hungaria recuperandis, ipsi a praecedenti Capitulo generali delatum.

91. Petitionis factae a R. D. abbate de Rota, Congregationis Arragonicae, ut cum speciali decreto in eadem Congregatione cautum sit, ut omnes tam hieme quam aestate tunicis grossioribus induantur, cum suo monasterio dispensetur, annuens Capitulum generale concedit ut grossioribus in hyeme et levioribus in aestate pannis, iuxta regulam uti possint.

92. Ad eiusdem abbatis de Rota petitionem, nomine totius Congregationis Arragonicae, ut Capituli provincialis celebrationi dies, annus et praeses statuerentur, Capitulum generale illud indixit ad proximum festum Inventionis S. Crucis, cuius praesidem R. Patrem Raphaelem Trovado in s. th. magistrum nominavit.

93. Propter singularem doctrinam et praeclaras animi dotes, quibus P. Hieronymus Blanco, religiosus monasterii de Petra in Arragonia, toti Capitulo generali ornatus innotuit, idem iussit Capitulum generale et concessit, ut quem in sua Congregatione obtinuit magistri titulum confirmando, novo magistri scilicet iubilati a toto Ordine insigniatur; cuius rei testimoniales litteras illi experidi mandavit.

94. Ut dispendiis et utilitati collegii S. Bernardi Parisiensis provideat Capitulum generale, eiusdem collegii Procuratori litteras decrevit, ut quoscumque Ordinis nostri monasteriorum superiores sub poena suspensionis ad debita, quae restant eidem collegio exsolvenda, quamprimum adigat.

95. Litem, quae inter conventum monasterii de Caroliloco et adm R. D. de Pontigniaco ex una parte pro indiviso, et eiusdem collegii Parisiensis Procuratorem ex altera, vertebatur, de quadam domo in eodem collegio sita, quae vulgo dicebatur de Caroliloco, nunc destructa et a collegio vendita, ita terminavit Capitulum generale, ut declaraverit, nullum ius competere pro tunc in dictam domum conventui Caroliloci, nec etiam dicto adm R. D. de Pontigniaco, cui tamen Capitulum generale quoslibet redditus annuales ex quacumque causa proveniant, ab eo eidem collegio a quocumque tempore debitos gratissime remisit (exceptis pecuniis ob certas pensiones ab eodem eidem collegio debitas, super quibus non adhuc pronuntiavit Capitulum ge-

nerale). Cui etiam optandum dedit, ut aut maneat in domo de Buzaio, modo solvat 50 scuta pro locatione annua per quemlibet annum, aut in domo in qua manere solebat, modo solvat pro locatione annua 100 francos.

96. Districte praecipit Capitulum generale domino Petro de Lancy, ut quamprimum fidelem reddat rationem de omnibus receptis et expensis, dum Procuratorem agebat in dicto collegio Parisiensi, coram commissariis a Rmo D. N. ad hoc specialiter deputatis, ita tamen ut si inter se concordare non possint, res ad consilii collegii iudicium devolvatur. Ad quod etiam consilium collegii permisit Capitulum generale negotium D. Desiderii Drapier, religiosi professi B. M. de Castellione.

97. Quoad dissidium, quod inter RR. DD. abbatissas de Benedictione Dei et de Eschlasia vertebatur, occasione cuiusdam monialis vocatae Dugast de Lusseau, professae Benedictionis Dei, sed manentis in Eschlasia, Capitulum generale statuit ac mandavit, ut illa monialis teneretur ad suum monasterium de Benedictione Dei reverti, et illius monasterii abbatissae illam recipere.

98. Requirentibus Promotoribus ut deliberaretur super convocatione priorum claustralium ad Capitulum generale, statutum ac diffinitum fuit, nullum omnino debere convocari.

99. Pro conventu B. M. de Monasteriis a proprio abbate vexato, scribatur D. de Lionne secretario senatus Regis christianissimi, ut sua auctoritate huiusmodi vexationes compescat.

100. Nomine etiam Capituli generalis Electori Coloniensi in favorem monasterii Loci Sanctae Mariae scribatur.

101. Scribatur etiam eodem nomine ad SS. D. N., ut dignetur remittere taxam Apostolicam, quo in Curia tenetur pro confirmatione suae electionis electus abbas Salemitanus ; commisit Capitulum generale R. D. de Valle S. Lamberti, ut discordiae et rixae quae in monasterio, in plenaria Ordinis potestate sopiantur.

102. Mandatur Procuratori generali in Curia, ut apud SS. D. N. curet, ne gravamina ab episcopo Bambergensi plurimis ab hinc annis monasterio Langheimensi facta, illi in posterum inferantur.

103. Ut inobedientia et rebellio priorum de Ponte alto et de Sylva lata se manu armata contra superiorum decreta in dictarum domorum superioritate contuentium impunita relinquatur, eos Capitulum generale declaravit privatos voce activa et passiva, et suspensos a divinis, donec obedierint. Mandavitque ut in ea quae commodior fuerit domo, quocumque loco reperiatur, iuxta canones carceri mancipentur usque ad congruam satisfactionem, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

104. Committitur R. D. electo Salemitano a Capitulo generali

directio et administratio monasterii illius de Salem usque dum eius electio a Sancta Sede fuerit confirmata.

105. Ad petitionem monasteriorum totius Siciliae, ut illis liceat uniri et incorporari Congregationi Calabriae, propter extremam illorum monasteriorum inopiam. Capitulum generale mandavit Procuratori generali in Curia, ut quanta poterit instantia hanc unionem procuret, salva tamen Ordinis auctoritate.

106. Capitulum generale RR. DD. de S. Urbano et de Porta coeli abbatibus commisit controversiam quae inter RR. DD. Lucellensem et Parisiensem abbates vertitur ob tria plaustra vini, quae R. D. Parisiensis renuit solvere praefato Lucellensi, in plenaria Ordinis potestate dirimendam.

107. Commissa etiam sunt RR. DD. de S, Cruce et de SS. Vincentio et Anastasio ad Aquas Salvias de Urbe abbatibus negotia D. Thomae Segreto, religiosi de Curatio Congregationis Calabriae, suae Congregationis praeside conquerentis et R. P. Hilarionis Philippaldi [d] de sua depositione ab abbatia ad Capitulum generale provocantis, in plenaria Ordinis potestate terminanda.

108. Cum a monasteriis strictioris observantiae nullae a longo tempore solutae sint ad communia Ordinis onera supportanda contributiones, licet ea ad integram summae solutionem cogere posset Capitulum generale, mediam tamen illius partem gratissime remisit, et ad alteram mediam partem teneri declaravit. Quod idem de contributionibus Belgii hucusque non solutis ob bella diffinit.

109. Quaestioni propositae, an successores teneantur ad contributiones debitas etiam tempore praedecessorum, satisfaciens Capitulum generale eos ad hoc teneri declaravit.

110. Ut autem omnis Ordinis monasteria iuxta suos quosque redditus contributiones exsolvant, mandat Capitulum generale omnibus Visitatoribus, ut suorum monasteriorum facultates referant ad proximum Capitulum generale, ut exacta ibi tabula conficiatur.

111. Ne autem variis effugiis retardetur solutio contributionum annuarum, statuit Capitulum generale singulos quosque monasteriorum conventus ad hoc obligari, non obstantibus quibuslibet transactionibus inter conventus et abbates commendatarios initis, quibus se ad tales contributiones solvendas illi abbates obligaverint, ad quos tamen conventus recurrere licebit.

112. Ut autem Rmus D. N. quacumque data occasione Ordinis sui bono consulat, tandem ut Capituli generalis quibus maxime Cisterciensi monasterio obstrictum erat debita exoneraret, liberaliter omnino et gratissime Capitulo generali adeoque toti Ordini, quod antiquum dice-

---

[d] Sittipaldi : *A* [3].

batur debitum, remittit. Cui tam liberali ac munifico Patri ea qua potuit animi gratitudine dictum Capitulum generale gratias egit, quas totus Ordo speratur acturus.

113. Cum multas audierit Capitulum generale a monasteriis pensiones solvi religiosis absentibus aut etiam alterius Ordinis, declarat Capitulum generale ad illarum solutionem non teneri,et ea qua pollet auctoritate prohibet ne de cetero hoc fiat.

114. Ad supplicationem conventus monasterii de Fonte frigido tendentem ad hoc, ut cum frater Petrus Escaich, dicti monasterii religiosus, ad strictiorem observantiam convolarit, et soli dictae observantiae superiorum directioni subditus in collegio Bernarditarum Parisiensium philosophicis ac theologicis suam a dicto monasterio de Fonte frigido pensionem annuam repetierit, a dictae pensionis solutione eximeretur. Statuit ac decernit Capitulum generale, ut dictum monasterium de Fonte frigido pensionem annuam a tempore quo dictus frater Petrus Escaich in collegio studet praedicto exsolvat ; ita tamen ut in posterum de domo seu monasterio strictioris observantiae, in quo maneat, non oneri deinceps dicto monasterio de Fonte frigido futuro, a superioribus eiusdem observantiae provideatur.

115. Cum multis turbatum discordiis Capitulo generali relatum fuerit monasterium monialium Vallis benedictiae, committit idem Capitulum generale R. D. de Valle S. Lamberti abbati, ut quid in illo monasterio ad tumultus sedandos faciendum senserit, peragat in plenaria Ordinis potestate.

116. Iniungitur RR. DD. de Veteri campo et de Heisterbacensi abbatibus, ut quascumque moniales per Tractum Rheni ad clausuram et regularem disciplinam utique reducent et cogant.

117. Moniales Pontis regii remaneant in civitate Haguenae, nec illis liceat ad antiquum monasterium reverti.

SUFFRAGIA

118. Conceduntur clarissimo viro Praesidi Senatus Lucernensis, et aliis petentibus.

CONFIRMATIONES ET REPROBATIONES CONTRACTUUM

119. Approbatur contractus initus inter monasterium Cisterciense et Baronem de Chevrello, pro quibusdam iuribus mancipii, pertinentibus ad abbatiam Miratorii.

120. Approbatur alius contractus inter eumdem D. et D. Nicolaum Brulart [e].

121. Approbatur contractus initus inter monasterium Pontigniacense et Philippum Maulvernii die 17 octobr. 1665.

122. Approbatur contractus initus inter eamdem domum seu monasterium de Pontigniaco et D. Guidonem Chamiliard die 9 febr. 1654.

123. Approbatur contractus factus inter idem monasterium et D. Franciscum Fraguier anno 1653.

124. Reprobatur contractus initus inter abbatem et quosdam particulares religiosos monasterii de Silvanesio et pharmacopolam quemdam.

125. Reprobatur quidam contractus transactionis factus inter abbatem et conventum monasterii de Maceriis die 19 mensis decembr. anno 1665.

126. Reprobatur quidam contractus initus inter abbatem monasterii de Toroneto et quosdam particulares.

127. Reprobatur quaedam transactio facta inter abbatem de Alpibus et conventum eiusdem loci, de Claudium Mudry, qua ipse Claudius eius filii et haeredes asseruntur in libertatem, omnesque eius possessiones et oneribus eximuntur, modo singulis annis in perpetuum dictis abbati et conventui 14 florenos Sabaudiae monetae exsolvant.

128. Approbatur quidam contractus venditionis factus inter abbatem et conventum monasterii de Septem fontibus, et Stephanum Gervais et Ioannem de Bosse et alios.

129. Approbatur contractus quidam transactionis initus inter abbatem de Monasteriis et conventum dicti loci die 16 iunii anni 1663.

130. Approbatur contractus quidam venditionis dominii dicti De la Couvers factus inter conventum de Persenia et Carolum Farsy, ea conditione ut si ab onere dictae pensionis annuae se eximere voluerit dictus Carolus, pecuniae inde provenientes in bona monasterii recuperanda expendentur.

131. Approbatur contractus factus inter conventum de Oratorio et Petrum Goguin iuniorem die 14 febr. 1661.

132. Reprobatur transactionis contractus initae inter abbatem et conventum de Gratia Dei.

133. Approbatur contractus inter conventum de Charitate et Renatum Gousard factus die 31 maii anni 1666.

134. Reprobatur contractus venditionis initus inter conventum de Bella brancha et Claudium Collotte et Annam Sagotte die 4 octobr. 1636.

---

[e] Bruslard : *A* [3].

135. Approbatur contractus initus inter Petrum Ioannem Thibou de Berry et Petrum Piedmond et alios.

136. Approbatur transactio facta inter conventum et abbatem de Mansiade et Benedictum et Ioannem Oliers.

137. Reprobatur contractus inter monasterium de Monceio et Michaelem et Mariam Briaut.

138. Approbatur contractus factus inter monasterium Lucellense et sorores Sancti Francisci die 21 martii anni 1666.

fr. De [f] la Forest de Somont abbas Stamedii, notarius Cap. gen., fr. Steph. Bourée, notarius ad pedes Cap. gen.

1668

INDICTIO CAPITULI INTERMEDII

in Cistercio celebrandi die prima octobris anni 1688, iuxta *Breve* f. r. Alexandri Papae VII.

Nos, frater Claudius Vaussin abbas Cistercii, s. th. in Facultate Parisiensi doctor, christianissimo Regi a sanctioribus consiliis, in supremo Burgundiae Senatu primus consiliarus natus, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungentes, omnibus et singulis nobis in Christo charissimis confratribus Reverendis admodum quatuor primis coabbatibus nostris, Praesidibus Congregationum, Visitatoribus provincialibus monasteriorum utriusque Observantiae, Syndicis provinciarum, Collegiorum Provisoribus ac Procuratoribus generalibus Ordinis nostri, salutem in Domino sempiternam.

Quantum in religiosis Ordinibus splendoris oriatur ex communibus Praelatorum comitiis attendentes, ad monasticae disciplinae conservationem et plenum reformationis opus maximam semper inde existimavimus vim sumi, cum certum sit spiritum consilii inter plures habitare, et eorum executionem faciliorem fore quorum est unanimiter conspirantium eadem vox amicaque concordia, inde Capitulorum generalium in Ordine nostro mos, quem sacrosanctae Conciliorum oecumenicorum auctoritas saepius commendavit, quique in Ordine nostro quasi primitus innatus videtur. Attamen quia in dies multa emergunt negotia, quae matura deliberatione indigent, f. r. SS. Dominus noster Alexander Papa VII, per *Breve* suum apostolicum die 19 aprilis anni D. 1666 emanatum, voluit aciussit

[f] *Haec duo nomina apud* L^8 *tant.*

1668. *Fontes* : INDICTIO *legitur in folio typis impresso apud* Ch^2T^5 ; A^3 : 1-15 ; L^8 : 1-13 ; *Sa* T^5 : 1-14.

ut quolibet tempore intermedio inter duo Capitula per nos dies et locus designentur in quibus conveniant Reverendi admodum primi quatuor abbates, Visitatores provinciarum monasteriorum utriusque Observantiae, Praesides Congregationum, Procuratores generales, Vicarii ac Syndici generales qui negotia magni momenti habebunt. Quare cum Sanctae Sedi Apostolicae praecipua votorum nostrorum observantia omnimoda ipsi obedientia commendetur, per praesentes omnibus et singulis vobis Reverendis primis quatuor coabbatibus nostris, Visitatoribus provinciarum monasteriorum utriusque Observantiae, Praesidibus Congregationum, Procuratoribus generalibus, Vicariis ac Syndicis generalibus, praecipimus ac mandamus in virtute *Brevis* apostolici, quatinus legitimo infirmitatis cessante impedimento ad Capitulum intermedium die prima octobris anni currentis in Cistercio celebrandum convenitis, ut ipsa die mane primam nostram sessionem habeamus, quo in Capitulo de salute animarum nostrarum, de observatione sanctae regulae Ordinis, de morum reformatione promovenda, de iuribus et immunitatibus nostris tuendis ac conservandis, ac denique de multiplicibus negotiis et difficultatibus quae non nisi nostrorum omnium sollicitudine et vigilantia dirimi possunt, vobiscum agere intendimus. Volumus autem ut omnes Vicarii et Visitatores utriusque Observantiae visitationum monasteriorum sibi commissorum utriusque sexus, tam in spiritualibus quam temporalibus, statum afferant, processusque suos verbales praebeant, per quos nobis de eorum regimine et administratione non solum generaliter sed etiam specialiter innotescat. Ne ulla vero ignorantiae causa... *etc. ut in forma usitata*. Iniungimus insuper... *etc*. Prohibemus autem... *etc*. Datum Cistercii die 12 iunii 1668, sub nostra et secretarii nostri ordinarii subscriptionibus et sigill nostri maioris appensione.

Concordat cum originali. fr. G. Bourée Rmi generalis secretarius.

* * *

ACTA CAPITULI INTERMEDII

celebrati apud Cistercium diebus 1ª et 2ª octobris 1668.

1. Habito praeludio per Rmum D. N. factaque religiosa et efficaci exhortatione praesentibus Reverendis adm quatuor primariis patribus, Visitatoribus provinciarum, tam Communis quam Strictioris Observantiae, scilicet abbate de Precibus Visitatore monasteriorum Strictioris Observantiae in Insula Franciae et Campania, Rdo abbate de Fulcardimonte Visitatore S. O. in Normannia et Britannia, Rdo abbate de Bonavalle Visitatore Alverniae, Rdo abbate de S. Sulpitio Visitatore in Sabaudia, D. Priore de Bonacumba Visitatore in Ruthenensi provincia, D. Priore de Oratorio Visitatore in Andegavensi, Turonensi, D. Bidard Visitatore in Britannia, D. Priore de Belloprato Visitatore in Picardia; qui omnes rationes reddidere suarum visitationum, exceptis praedicto R. abbati [a]

[a] *reliqua huius statuti desunt apud L⁸*.

de Bonavalle et D. priore de Bonacumba qui declararunt se non visitasse monasteria suarum provinciarum eo quod R. adm abbas de Morimundo eadem visitaverit, sicut et alia in Delphinatu, Vasconia, Languedoc, Alvernia, Ruthenensi, Lemovicensi provinciis visitavit ex speciali commissione Rmi D. N. et R.R. adm de Pontigniaco et de Claravalle, quarum omnium visitationum idem R. adm abbas de Morimundo dixit se rationem reddidisse patribus immediatis, utpote peractorum in decursu visitationis monasteriorum suae filiationis in iisdem provinciis sitorum.

2. Lecta est ultima conclusio computationum Capituli generalis anni 1667, et pro ratione praesenti examinanda, designati sunt magistri nostri Jamin et Bidard, doctores theologi.

3. Auditae sunt excusationes scripto transmissae ad Capitulum a Reverendis abbatibus et Vicariis generalibus Helvetiae, Alsatiae, Brisgoiae, Austriae, [b] Tractus Rheni, Vestphaliae, Saxoniae, Superioris Germaniae, Sueviae, Franconiae, Bavariae, Delphinatus ; a Praesidibus Congregationum Italiae, Lombardiae, Calabriae, Siciliae ; a Procuratore generali in Curia ; a Vicariis generalibus Vasconiae, Tholosanae, Burdegalensis [c], Provinciae, Normanniae ; a Syndico Tholosano ; quae omnes receptae sunt et approbatae.

4. Referentem R. abbatem de Precibus statum monasteriorum suae visitationi commissorum monuit paterno affectu Rmus N. ut in posterum in actis visitationum non sibi tribueret nomen superioris ordinarii, sed Visitatoris et habentis auctoritatem ordinariam iuxta *Breve* Apostolicum.

5. Ad facilem executionem eiusdem *Brevis* Apostolici circà demissionem faciendam a prioribus, statum est ut singuli Visitatores provinciarum utriusque Observantiae eas colligant, et secum ad Capitulum generale deferant, deponendas apud patrem immediatum ad quem attinet monasterium.

6. Actus exhibitus ex parte R. abbatis de Trappa per R. abbatem de Fulcardimonte pro susceptis 1500 libris cum onere perpetuo sex missarum privatarum per singulos menses, remittitur ad adm R. abbatem de Claravalle patrem immediatum, postea referendus Capitulo generali.

7. Propositio facta de obligatione Vicariorum generalium, Visitatorum, Praesidum Congregationum et Syndicorum veniendi ad Capitulum intermedium remittitur solvenda ad Capitulum generale proxime futurum.

8. Denegatur domino Luciano, religioso de Frigidomonte, gratia resumendi suum gradum et locum professionis, postquam possedit beneficium extra Ordinem.

9. Visitatorum curae committitur colligenda et deferenda ad Capitulum generale debita per quodcumque monasterium contributio Ordinis iuxta rotulum [d], qui ad ipsos dirigetur. Illisque datur potestas cogendi priores et cellerarios sub poenis et censuris Ordinis ad solutionem praedictae contributionis.

10. Libellus supplex exhibitus ex parte prioris et conventus de Frigi-

---

[b] Austriae : *deest apud L*[8]. [c] Burdegal. : *deest apud L*[8]. [d] titulum : *L*[8].

domonte pro irritando contractu inito inter D. abbatem commendatarium eiusdem loci et dominum Mezière, remittitur ad adm R. abbatem de Claravalle.

11. Super libellum supplicem per R. abbatem de Precibus ab ipso et R. abbate de Fulcardimonte subscriptum nomine RR. abbatum et religiosorum Strictae Observantiae exhibitum, R. D. N. et adm RR. abbatibus primariis in Capitulo intermedio congregatis pro obtinenda concessione trium articulorum iam in ultimo Capitulo generali propositorum et discussorum, attendentes Rmus D. N. et adm RR. quatuor primarii abbates praedictos RR. abbates de Fulcardimonte et de Precibus nulla esse instructos procuratione, sive RR. abbatum Strictae Observantiae, sive priorum, sive communitatum, absentem esse R. abbatem de Pinu unum a Visitatoribus S. O., sine ulla ex parte ipsius missa ad Capitulum intermedium excusatione aut instructione status monasteriorum sibi commissorum, suae non esse potestatis aliquid innovare circa Capitulum generale, se denique fovisse pro sua auctoritate strictam observantiam iuxta *Breve* Apostolicum, eamque auxisse per concessionem novi monasterii de Langoneto, remittunt praedictum libellum supplicem ad proximum Capitulum generale.

12. Cuius responsionis facta lectione in Capitulo, declararunt praedicti RR. abbates se esse munitos sufficienti procuratione, quam tamen praesentem non habeant, sed exhibebunt proximo Capitulo generali, et ubicumque necessarium fuerit.

13. Contractus initus inter D. abbatem commendatarium de Gratia Dei et conventum, ad Capitulum generale remittitur examinandus, et interim ratificationes factae per adm R. D. abbatem de Claravalle effectum suum sortientur.

14. Sic signatum : f. Claudius abbas Cisterc. generalis, f. Petrus Bouchu abbas Firmitatis, f. Ludovicus abbas de Pontiniaco, f. Petrus Henry abbas de Claravalle, f. Franciscus abbas Morimundi, f. C. Louvet secretarius Capituli, et f. Iacobus Ardelu secretarius Capituli.

* * *

15. Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii generalis Ordinis, omnibus quorum interesse poterit, notum facimus, quod iuxta *Breve* Apostolicum Alexandri VII datum die 19 aprilis anni 1666, indiximus Capitulum intermedium celebrandum Cistercii die 1 octobris anni 1668. Ad quod convenerunt quatuor RR. adm primi coabbates nostri cum ceteris Vicariis ac Visitatoribus ac Syndicis provinciarum, exceptis eorumdem Visitatorum aliquibus maxime extraneis, quorum excusationes ad Capitulum delatae sunt ac receptae, ut habetur in actis eiusdem Capituli. Cuius prima sessio habita est in Diffinitorio, post missam solemniter celebratam ab abbate Rdo de S. Sulpitio hora circiter 8 praedictae et indictae diei, officio secretariorum commisso magistris Louvet et Ardelu doctoribus Parisiensibus. Secunda sessio inchoata est pomeridianis horis eiusdem diei, in quibus praedictis sessionibus negotia plurima quae emer-

serunt a tempore Capituli generalis ultimi celebrati, discussa sunt et terminata ; auditae sunt relationes factae a Visitatoribus, de statu monasteriorum sibi commissorum, scilicet a RR. abbatibus de Fulcardimonte, de S. Sulpitio, de Precibus, et ab aliis Picardiae, Bituricensis, Ruthinensis, aliarumque provinciarum Visitatoribus. — Tertia sessio die sequenti matutinis horis habita terminavit speciales difficultates et negotia, excepitque relationes factas per commissarios deputatos pro examine computationum et contributionum Ordinis, ac tandem lectione facta articulorum in eodem Capitulo peractorum, finis Capitulo impositus est.

Actum Cistercii die 2 octobris anni 1668. — F. Claudius abbas Cistercii generalis, F. Petrus Bouchu abbas Firmitatis, F. Ludovicus abbas Pontigniacensis, F. Petrus abbas Claraevallis, F. Franciscus abbas Morimundi, F. C. Louvet secretarius Capituli et F. Iacobus Ardelu secretarius Capituli.

1670

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

Sacri Ordinis Cisterciensis anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo in Cistercio celebrandi.

Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii, ... *etc. ut in anno* 1667. Ex quo ad generale Ordinis nostri regimen (meritis licet imparibus), assumpti sumus, sollicitudo omnium nostrarum ecclesiarum, seu monasteriorum in cunctis christiani orbis partibus consistentium, animum nostrum assidue pulsavit et impulit, ut nullis laboribus, sumptibus et periculis paventes libenter cum Apostolo pro animabus nobis commissis impenderemus, et cum supremo pastore pio gregis nostri amore moti pro necessitate animam poneremus. Sane nihil non tentavimus ex iis quae paterna in filios amantissimos charitas suggerere potuit, ut tumultuosas quas commovit in Ordine nostro spiritus divisionis procellas compesceremus, nostris laboribus et desideriis concessa, quam mundus dare non potuit, pace, esset multitudo Cisterciensium uni Regi ac Domino ubique militantium, cor unum et anima una ; votorum nostrorum facti compotes per *Breve* SS. Domini nostri Alexandri PP VII a Nobis in Capitulo nostro generali elapso receptum. Ipsum executioni demandare volentes maxime in iis quae ad Ordinis nostri splendorem et restaurationem conducunt. Et cum Capitula generalia ad huiusmodi utilitatem, ac Ordinis incrementum non minimum inserviant, et per dictum *Breve* quolibet triennio celebranda nobis

---

1670. *Fontes* : INDICTIO (A) legitur apud T^5, et in folio ms. separato subsignato a f. Depoutz v[icar.] g[ener.] 5 octobr. 1669, asservato in bibl. abbatiae Succurmontensis in Belgio. REVOCATIO (B) legitur apud Ch^2 transcript. per Benedictum Besançon.

iniungantur, Capituli nostri generalis celebrationem apud archicoenobium nostrum Cisterciense vobis omnibus indicendam esse duximus, prout praesentium serie, de mandato Domini Papae, nostra etiam paterna, plenaria totius Ordinis, eiusdemque Capituli generalis qua fungimur auctoritate, indicimus et denuntiamus. Vos omnes in visceribus Christi adhortantes et nihilominus vobis in virtute salutaris obedientiae et sub poenis per constitutiones nostras contra demorantes ab ipso latis praecipientes, quatinus legitimo infirmitatis cessante impedimento, de quo si contigerit quilibet eidem Capitulo per Vicarios generales, vel per specialem procuratorem fidem faciat, in praefato nostro Cistercio totius Ordinis capite, in ducatu Burgundiae et dioecesi Cabilonensi, anno Domini proximo millesimo sexcentesimo septuagesimo die quinta mensis maii, feria nempe secunda post dominicam in qua *Cantate* ad introitum missae dici consuevit, quartam post Pascha, cum modestc et religioso comitatu compareatis, ut eadem die mane ipsum Capitulum inchoare nobiscum valeatis, de vobis commissis muneribus, actis et per vos gestis rationem reddituri, ac de agendis ac reformandis in posterum in timore Dei iuxta regularia nostra instituta, constitutiones Apostolicas, ac praefatum *Breve*, unanimi consensu serio et diligenter tractaturi. Volumus autem, et in quantum opus sit, districte iniungimus, ut ante dicti Capituli celebrationem, Patres Abbates, Praesides Congregationum, Vicarii provinciarum, Syndicis illarum secum assumptis, per seipsos, aut si ob rationabile impedimentum aliqui aut aliquis ipsorum id praestare non potuerint, per alios idoneos viros zelum Dei et Ordinis habentes, a se deputatos seu subdelegatos, omnia monasteria, loca regularia sibi respective subiecta visitent, et in huiusmodi visitatione de illorum tam spirituali quam temporali statu diligenter inquirant ; accuratos processus verbales faciant de dictis statibus, de numero religiosorum qui est aut esse debet in illis, de commodis et incommodis illorum, de statu novitiatuum erectorum, et seminariorum seu professoriorum iuxta praefatum *Breve*, de moribus Superiorum, abbatum, abbatissarum, priorum, priorissarum, officiariorum, confessariorum monialium, aliorumque omnium sic ut de ipsis nobis et patribus Capituli constet ; et quos vita laudabilis commendaverit, secundum talenta sibi a Domino credita ad officia et dignitates respective promoveamus ; contra discolos vero, criminosos, fugitivos, apostatas, et incorrigibiles, secundum leges nostras, praefatumque *Breve* Apostolicum procedamus ; ineptos seu inhabiles officiales ab officiis sibi iniunctis amoveamus, magisque idoneos et utiles in eorum locum sufficiamus. Praecipimus quoque ut procuratores nostri generales et syndici provinciarum diligenter nos et Capitulum informent de litibus et processibus omnibus coram quibuslibet tribunalibus ecclesiasticis aut saecularibus motis et agitatis in quibus de communibus iuribus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis et exemptionibus Ordinis nostri agitur ; necnon de attentatis aut attentandis in illorum praeiudicium, de bonorum temporalium usurpationibus, dilapidationibus, sylvarum degradationibus, alienationibus, debitis contractis aut contrahendis et aliis huiusmodi. Exigant etiam hi quibus contributionum colligendarum cura commissa est a Capitulo nostro intermedio ab omnibus abbatibus, abbatissis, priori-

bus, priorissis, aliisque omnibus ad quos illarum solutio spectat, summasque pecuniarum ex iis provenientes vel secum ad Capitulum generale deferant, vel ad cellerarium nostrum Cisterciensem mittant pro ipsius Capituli sumptibus et aliis omnibus pro negotiis Ordinis supportatis vel supportandis. Brevia accurrata et exacta faciant de solutis et non solutis auditoribus computationum a Capitulo generali instituendis offerenda et ab iis examinanda. Ne ulla vero ignorantiae causa ... *etc.* Praecipimus porro ut in singulis ... *etc.* Prohibemus vero ... *etc.*

Datum Cistercii sub nostra et secretarii nostri subscriptionibus, et maioris nostri sigilli appensione, anno R. S. H. millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, die vero prima mensis iunii.

Sic signatum : frater Claudius Vaussin abbas Cistercii generalis totius Ordinis Cisterciensis. Et infra : de mandato praefati Rmi D. D. mei abbatis generalis, frater Georgius Bourée secretarius [a].

* * *

B) REVOCATIO INDICTIONIS CAPITULI GENERALIS Ordinis Cisterciensis anni 1670.

Nos, frater Philibertus Bezancenot, prior Cistercii, Vicarius generalis natus Ordinis Cisterciensis et s. th. in Facultate Parisiensi doctor, omnibus et singulis Reverendis Abbatibus, Praesidibus Congregationum, Praelatis, Prioribus titularibus, Vicariis ac Procuratoribus generalibus, Syndicis provinciarum, Collegiorum Militiarumque Rectoribus praefati Cisterciensis Ordinis nostri in Imperio, Regnis, ducatibus, provinciis, dominiis ,et aliis quibuscumque christiani orbis locis consistentibus salutem in eo qui est omnium salus. — Capitulum generale dicti Cisterciensis Ordinis nostri ad sextam proxime futuri mensis maii diem apud Cistercium celebrandum, iuxta emanatum a f. r. Alexandro Papa VII *Breve* Apostolicum, indixerat Rmus D. N. Claudius Vaussin, abbas Cisterciensis generalis, ut vobiscum secundum statuta nostra, laudabilemque consuetutinem de ampliori sacri Ordins nostri reformatione promovenda, ruinisque reparandis, Deo consultationibus vestris praeeunte, decerneret. Verum tam pio, tamque sancto operi persolvendo, superstitem remanere eum suprema Divini Numinis Maiestas non sinit, quippe qui prima huiusce mensis die, totos integros decem dies gravissima vexatus aegritudine, Ecclesiae sacramentorum omnium praesidio munitus, necnon editis omnibus, quae decent, patientiae, pietatisque signis, de labore ad requiem, de periculo ad securitatem, de hoc mundo transivit ad Patrem. Unde in eas delapsi sumus rerum augustias, ut tanto patre, tamque vigilanti pastore orbati, coepto animi eius proposito ea qua par est observantia, respondere non possimus, maxime

---

[a] *apud* T^5 *add.* : Concordat cum originali : f. Julianus abbas Fulcardimontis.

cum de canonice eligendo eius successore iam nobis agendum sit, et vacante Cisterciensi sede, non modica pati cogamur in temporalibus detrimenta, nec ullo modo fieri queat, ut dum ablatum est Ordini suum caput reformationi eius sagaciter consulatur. Quapropter his rationibus moti, celebrationem dicti Capituli generalis suspendendam esse duximus, prout per praesentes suspendimus, donec aliter ab eligendo Cisterciensi generali abbate nostro fuerit ordinatum, praefatasque Indictionis litteras de die prima mensis iunii anni proxime elapsi 1669, revocamus et revocatas declaramus ; omnes et singulos quos illae litterae comprehendunt a quavis obligatione Cistercii statuta in eisdem litteris die comparendi, absolventes. Rogamus interea et vehementer hortamur in Domino omnes, qui salvum cupiunt Ordinem nostrum, ut assiduis precibus et piis operibus divinam ipsi misericordiam conciliare satagant, quatinus advocato supernae benedictionis et protectionis auxilio, eum praefata futurae nostrae electionis negotia sortiantur exitum, qui Deo cedat in honorem, Ordini in munimentum et decus, nobisque omnibus in solatium. — Quoniam vero praesentium originale ad singulos quos spectat, deferri nequit, volumus ut eius transumptis a secretario nostro subscriptis, et nostro sigillo muniti, eadem fides, quae ipsarum originali, adhibeatur. — Datum Cistercii die tertia mensis februarii anno reparationis salutis humanae 1670, sub nostro manuali signo, secretarii nostri subscriptione, nostrique sigilli Vicariatus generalis Ordinis impressione.

Signatum : fr. Philibertus Bezancenot, prior Cistercii et vicarius generalis natus Ordinis. — Et inferius : fr. Stephanus Bourée, secretarius. Sigillatum. Concordat cum originali, fr. Steph. Bourée, secret.

1672

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS
Ordinis Cisterciensis, anno Domini 1672, die 16 maii in Cistercio celebrandi.

Nos, frater Ioannes Petit, abbas Cistercii, in supremo Burgundiae senatu primus Consiliarius natus, totius Ordinis Cisterciensis et quinque eius Militiarum et Calatrava, de Alcantara, de Montesa, de Avis et de Christo caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria potestate fungentes. Omnibus et singulis nobis in Christo charissimis con-

---

1672. *Fontes* : Indictio legitur in folio separato typis impresso. A^3 : 1-229 ; L^8 : 1-227 ; *Sa* : 1-229 : Domnus Benedictus Besançon in codice a se confecto *(Ch²)* transcripsit manu propria A, deinde inseruit fasciculum typis excessum cuius titulus : *Capitulum generale Ord. Cisterc. apud Cistercium celebratum anno Domini M. DC. LXXII, die XVI maii et sequentibus.* Lutetiae Parisiorum,

fratribus, Reverendis admodum Abbatibus, Praesidibus, aut Vicariis generalibus, seu Reformatoribus nuncupatis, Congregationum, Praelatis, Prioribus titularibus, Vicariis seu Visitatoribus ac Procuratoribus generalibus, Syndicis provinciarum, Collegiorum, dictarumque Militiarum Rectoribus Cisterciensis Ordinis nostri, in imperio regnis, provinciis, ducatibus, principatibus, dominiis, et aliis quibuscumque christiani orbis locis consistantibus, salutem in eo qui est nostra salus.

Inter praeclara quae vel maxime sacrum Ordinem nostrum commendant, illud praecipuum et omni acceptione dignum invenitur quod prisci Patres nostri litteris consignarunt, ut nimirum cuncti abbates Ordinis Cisterciensis de remotioribus etiam terrae partibus certo tempore apud Cistercium convenientes ibidem generale Capitulum celebrarent, et de totius vitae suae ordine ac indissolubili pace inter se custodienda diligentissime tractarent, quatinus tenor vitae saepius replicatus non facile posset tepescere, seu etiam negligentiae quae omnino in tot et tantis conventibus nequeunt evitari, emendarentur. Hac ratione f. m. Alexander PP. VII pro suo quem erga Ordinem nostrum Cisterciensem gerebat affectu, serio perpendens huiusmodi Capituli generalis frequentem celebrationem esse monasticae institutionis custodiam et reparatricem, eo quod in ipso prava in rectitudinem, et aspera in vias planas, evellendo nociva et plantando salubria, dirigantur, ipsam aliquamdiu temporum nequitia interruptam ad triennium revocavit, cuius quidem sanctionis tenorem piae memoriae dominus Claudius praedecessor noster pro sua in Sanctam Sedem observantia vobis altera vice suis litteris intimaverat, sed ipso sublato cum necesse esset quantocius ecclesiae Cisterciensi viduatae et orbato Ordini de patre seu pastore providere (quod iterata vice factum esse intellexistis) ipsa eius Indictio suspensa est. Nobis ergo, meritis licet imparibus, ad generalatus fastigium assumptis, fuit quidem in votis vos omnes et singulos praesentes, in Cistercio hoc anno videre et amplecti, sed obstiterunt tam tardatio

---

apud Sebastianum Mabre-Cramoisy, M. DC. LXXIV. Iste tamen codex selecta tantum refert statuta, quae nempe in editione hac nostra leguntur sub sequentibus numeris : 1-4, 7, deinde ORATIONES : 38-43 ; DIFFINITIONES GENERALES : 33 *(abbr.)*, 122, 124, 123, 90, 91, 93-96, 52, 62, 65, 106, 66, 89, 137, 138, 75-77 [b], 139, 147, 105, 107, 131, 132, 81, 144, 109 [b], 143, 59, 212, 79 [b], 140, 92, 200, 204, 203, 225 ; DIFFINITIONES PARTICULARES : 56 *(abbr.)*, 58, 63, 64, 67, 69, 73, 74, 78, 80, 82-88, 97-104, 108 [b], 110-119, 125, 127-129, 126, 133-135, 142, 145, 146, 150-155, 201, 202, 205, 208, 216-218, 196, 197, 199, 220-222, 224, 223, 157, 225, 227. Nota etiam quod in isto impresso textu, quaedam statuta sunt abbreviata, v. g. 33, 77, 79, 100, 108, 102 ; alia quaedam nomina propria sive personarum sive monasteriorum sub silentio premunt, v. g. 69, 82, 101, 103. *Bol.* transcribit statuta quae leguntur in foliis impressis *(Ch^2)* et fere in eodem ordine usque ad nº 199, paucis tantum mutatis, et propriis nominibus restitutis ; T^5 habet folia typis impressa : A, codicem Sebast. Mabre-Cramoisy, et insuper : *Mémoire de ce qui s'est passé au sujet de l'Etroite-Observance de l'Ordre de Cisteaux, dans le Chapitre général dudit Ordre, convoqué à Cisteaux, le* 16 *may* 1672 ; T^7 : 1-229.

litterarum Apostolicarum quam varia et adversa impedimenta, ita ut in sequentem annum (sic annuente Sancta Sede, prorogare decreverimus saepe dictum Capitulum nostrum generale, quod vobis indicendum duximus, prout praesentium serie nostra paterna, plenaria totius Ordinis, eiusdemque Capituli generalis qua fungimur auctoritate in archicoenobio nostro Cistercii, totius Ordinis capite in ducatu Burgundiae et Cabilonensi dioecesi, ad diem decimam sextam mensis maii proximi millesimi sexcentesimi septuagesimi secundi feria nempe secunda post dominicam in qua ad Introitum missae *Cantate* dici consuevit indicimus, ibique celebrandum denuntiamus, convocamus, statuimus atque decernimus. Quo in Capitulo de pacis et charitatis custodia, disciplinae et sacri Ordinis censura custodienda, deque observatione sanctae regulae promovenda, de rituum disparitate amovenda et uniformitate restituenda, de agendis et reformandis in posterum in timore Dei iuxta regularia Ordinis instituta, et constitutiones Apostolicas, ac de aliis multiplicibus et arduis negotiis quae non nisi omnium nostrum mutua sollicitudine et auctoritate dirimi ac terminari possunt, vobiscum agere, Deo bene iuvante, et tractare intendimus. Ne tamen huic tam sancto operi absolvendo et perficiendo deesse velitis, vos paterno affectu rogamus et hortamur, et nihilominus vobis et cuilibet vestrum districte praecipiendo mandamus in virtute salutaris obedientiae necnon sub poenis in constitutione Benedicti PP. XII, aliisque arbitrio nostro et Capituli nostri generalis infligendis, quatinus canonico seu legitimo cessante impedimento (de quo per nuntium aut litteras sicut etiam de statu monasteriorum vestrae curae commissorum certos Nos faciatis) ad Capitulum generale, intra eam diem, ibi celebrandum conveniatis, ut ea ipsa die mane primam nostram sessionem habere valeamus. Ne ulla vero ignorantiae causa... *etc. ut in forma consueta.*

Iniungimus insuper ... *etc.*

Et quoniam praesentium ... *etc.* — Datum Cistercii sub nostra, et nostri secretarii subscriptionibus, et maioris nostri sigilli appensione, die prima mensis octobris anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

Sic signatum : F. Ioannes Abbas Cisterciensis generalis. Et infra : de mandato praefati Reverendissimi Domini D. mei Abbatis Cisterciensis Generalis. F. Gabriel Girard secretarius.

ACTA CAPITULI GENERALIS

celebrati apud Cistercium die 16 maii et sequentibus anno Domini 1572.

SESSIO PRIMA

1. Celebrata missa solemniter de Spiritu Sancto, ut moris est, convenerunt simul in Capitulo, cum conventu Cistercii, Reverendissimus Dominus noster, Reverendi admodum quatuor primarii abbates,

Reverendi domini abbates viginti quinque, officiales Ordinis, et alii ad praesens Capitulum vocati.

2. Habita oratione per Rmum D. N. stetit in medio D. Ioannes Malgoirez Procurator in Curia, qui *Breve* Apostolicum exhibuit Rmo D. N. declarans Summum Pontificem se commendare precibus Capituli et totius Ordinis. Quo *Brevi* perlecto, prodiit in medium R. D. de S. Urbano cum socio sibi adiuncto, qui alterum *Breve* Apostolicum eidem Rmo D. N. consignavit ; quod similiter lectum, acceptatum, opponentibus solis abbatibus Strictioris Observantiae, et registratum fuit. Utriusque autem *Brevis* tenor hic erat.

3. Dilectis filiis abbati generali, ceterisque abbatibus Ordinis Cisterciensis in Capitulo generali congregatis.

CLEMENS PP. X.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Perspecta Nobis adeo est religiosa praestantia vestra, ut profecto non dubitemus, quin novis usque evangelicae perfectionis incrementis proficere omni studio sitis curaturi ; ut ad paternam tamen sollicitudinem nostram praecipue vos pertinere intelligatis, proficiscente istuc ad Capitulum Procuratore Ordinis generali, omittendas non duximus pontificias ad id hortationes, a quibus scilicet in via Domini currentibus valida vobis calcaria admoveantur, ut comprehendatis. Vestrum igitur fuerit pronas eisdem cordis aures praebere, extirpatisque funditus privatarum contentionum radicibus unice incumbere, ut optimis instituti vestri constitutionibus vosmetipsos magis magisque conformetis, clarioribus in dies christianarum virtutum fulgoribus reliquis Ordinibus incitamento futuri. A singulari vero pietate vestra intimi huiusce solatii argumentum prorsus expectantes, vobis, dilecti filii, apostolicam interim benedictionem ex animo impertimur. — Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die secunda aprilis anno 1672, Pontificatus nostri anno secundo.

Marius Spinola.

4. CLEMENS PP. X.

Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator generalis Ordinis Cisterciensis, quod in Capitulo generali dicti Ordinis nona et sequentibus diebus maii 1667 Cistercii, in executionem litterarum f. r. Alexandri PP. VII, praedecessoris nostri in simili forma *Brevis* super reformatione generali eiusdem Ordinis, die 19 aprilis 1666 expeditarum, celebrato, tunc existentes abbates Germaniae Ordinis praefati protestati sunt de recurrendo ad Summum Pontificem pro dilucidatione quorumdam punctorum difficilium in eisdem litteris contentorum, eamque protestationem r. m. Clemens PP. IX, etiam praedecessor noster, de nonnullorum S. R. E. cardinalium, et romanae Curiae praelatorum, super reformatione generali Ordinis huiusmodi deputatorum consilio,

per quasdam suas pariter in forma *Brevis* die 26 februarii 1669 emanatas litteras admisit, et puncta proposita ad eosdem cardinales et praelatos discutienda atque decidenda remisit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, inter puncta sic proposita, unum fuerit, quod in praefatis Alexandri praedecessoris nostri litteris dispositum reperiretur, ut abbas Cistercii et quatuor primarii abbates in dicto Capitulo eligerent de more generales Diffinitores, ita tamen, ut unusquisque illorum eligere deberet saltem duos ex abbatibus Strictae Observantiae, adeo ut in universum in diffinitorio vocem decisivam haberent abbates viginti quinque, videlicet abbas Cistercii, et quatuor primarii abbates, item Diffinitores decem ex Communi, et totidem ex Stricta Observantia, et hoc quidem in Capitulo supradicto factum fuerit. Verum si ad futura subsequentia Capitula generalia Ordinis praefati traheretur huiusmodi aequalitas Diffinitorum ex utraque Observantia assumendorum, id abbatibus Communis Observantiae, quippe qui in longe maiori sunt numero quam abbates Strictae Observantiae huiusmodi, nimis grave esset. Nobis propterea dictus Procurator generalis mox in Galliam ad generale Capitulum dicti Ordinis profecturus, ut occurratur controversiis, quae super hoc inter abbates Communis et Strictae Observantiae oriri possent, et ad pacem inter eos magis firmandam humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque equibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium et praelatorum consilio, praenarratam dispositionem supradictarum Alexandri praedecessoris litterarum super aequalitate numeri Diffinitorum ex Communi et Stricta Observantis huiusmodi assumendorum sat impletam fuisse unica vice in Capitulo, ut praefertur, celebrato, nec afficere in futurum, auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus ; decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari ; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari et diffiniri debere, ac irritum ac inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari ; non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ipsis praesentibus, si forent exhibitae et ostensae. — Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 22 aprilis 1672, Pontificatum nostri anno secundo.

Sic signatum : J. G. Slusius.

5. Statim ac hoc ultimum *Breve* publice perlectum est, modeste et cum reverentia, accepta prius licentia, surgens R.D. de Caduino supplicavit ut executioni mandaretur *Breve* Apostolicum Alexandri PP. VII insertum registris magni Consilii virtute patentium litterarum Regis christianissimi, quo praescribitur ut in Capitulo generali decem Diffinitores Strictioris Observantiae assumantur constituturi cum aliis vicenarium quintum numerum Diffinitorum eiusdem Capituli, maxime cum *Breve* Apostolicum in praesenti lectum quo explicatur *Breve* Alexandri PP. VII circa Diffinitores Capituli fuerit obtentum partibus non auditis, et non sit munitum patentibus litteris regiis, sicut de more est in Gallia.

6. Hoc peracto, secesserunt Rmus D. N. et RR. adm quatuor primarii abbates in diffinitorium, sicut moris est, et post elapsam horam cum media circiter reversi sunt in Capitulum, toto coetu expectante et audiente interim lectionem *Clementinae*, hoc est bullae Clementis IV circa regimen Cisterciense editae.

7. His reversis, lecta est per D. Ludovicum Meschet, secretarium Rmi D. N. ordinatio totius Capituli quae talis est.

Diffinitores : Rmus D. N. de **Cistercio**, R. D. de Stamedio, R. D. de Altaripa, R. D. de S. Urbano, R. D. de Pietate, monasteriorum abbates. Rdus adm D. de **Firmitate**, R. D. de Novo Castro, R. D. de Veteri villa, R. D. de Valle dulci, R. D. de S. Ioanne in Stambs, monasteriorum abbates. Rdus adm D. de **Pontigniaco**, R. D. de Caduino, R. D. de S. Sulpitio, R. D. de Leoncello, R. D. de S. Remigio, monasteriorum abbates. Rdus adm D. de **Claravalle**, R. D. de Fulcardimonte, R. D. de Morimundo Mediolanensi, R. D. de Laude, R. D. de Precibus, monasteriorum abbates. Rdus adm D. de **Morimundo** R. D. de S. Benedicto, R. D. de Valle Richerii, R. D. de Porta Gloni, R. D. de Grissovio, monasteriorum abbates.

Confessarii : D. Blasius Leaulté prior de Thoroneto, D. Renatus Du Bois prior de Fontanis albis, D. Germanus l'Evesque prior de Castellariis.

Magistri caerimoniarum : Rdus adm D. de Claravalle, DD. prior et supprior Cistercii.

Auditores computationum : R. D. de Pinu, R. D. de Feneriis monasteriorum abbates ; D. Franciscus Crevel prior de Voto, D. Iacobus Ardelu prior de Loco regio, D. Carolus LeBourgeois prior de Karoli loco.

Contractuum examinatores : R. D. de Columba, R. D. de Carmeia monasteriorum abbates ; D. Carolus Jamin prior de Oratorio, D. Claudius Crescent prior de Bello prato, D. Franciscus Faypoux prior de Eschalariis.

Notarii abbates : R. D. de Castellione, R. D. de Ponte frigido monasteriorum abbates.

PROMOTORES CAUSARUM : D. Ioannes Tedenat prior titularis de Gratia nostrae Dominae, D. Benedictus Henry prior Claraevallis.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : D. Edmundus La Teule prior Cistercii. D. Ioannes Malgoirez procurator generalis in Curia, D. Altinus Proust prior de Firmitate.

NOTARII AD PEDES : D. Ludovicus Meschet secretarius Rmi D. N., D. Gabriel Girard capellanus eiusdem Rmi D. N.

PORTARII DIFFINITORII : D. Philippus Briand prior de Buxeria Andegavensi, D. Stephanus Bidard prior de Reliquiis.

BENEMERITI DE ORDINE : D. Ioannes Malgoirez procurator generalis in Curia ; D. Magnus Herbst prior Salemitanus, secretarius Congregationis Superioris Germaniae ; D. Edmundus Perinelli secundus Visitator et deputatus Congregationis Tusciae ; D. Candidus Pfeiffer, prior Montis Pomerii, deputatus Austriae, Styriae, Carinthiae, et Carniolae; D. Michael Guardiola, prior et administrator monasterii de Escarp ex Arragonia, Navarra, Valentia et Cathalaunia ; D. Eugenius Hauman, religiosus de Nova cella, praepositus Vallis S. Mariae syndicus et deputatus Bohemiae, Moraviae et utriusque Lusatiae; D. Michael Antonius Hacki deputatus provinciae Poloniae et Prussiae.

8. Hac serie et ordinatione perlectis, surrexit cum gravitate et modestia praedictus R. D. de Caduino qui, petita et obtenta licentia, inhaerens praefatae suae protestationi, declaravit tam nomine suo quam RR. DD. abbatum omnium Strictioris Observantiae, quorum etiam nominibus antea, ut praefatum est, locutus fuerat, se protestari de nullitate omnium gerendorum in praesenti Capitulo nisi compleatur numerus Diffinitorum secundum tenorem praefati *Brevis* Alexandri VII, in tabulis magni Consilii Regis inserti. Statimque surrexit R. D. de Precibus et cum eo qui aderant octo alii RR. DD. abbates Strictioris Observantiae, quorum nomine sicut et suo idem protestatus est, et omnes praefati S. O. RR. DD : abbates declaraverunt se recessuros a Capitulo generali nisi praedictum *Breve* Alexandri VII circa decem Diffinitores S. O. pro Capitulo celebrando observetur. Quo dicto, finita hac prima sessione, omnes abierunt.

SESSIO SECUNDA

9. Hora secunda pomeridiana, dato signo pro diffinitorio, convenerunt in solitum locum cum Rmo D. N. quatuor RR. adm primarii abbates, ceterique RR. DD. abbates tam Diffinitores quam officiales iuxta sui praescripti muneris partes, exceptis RR. DD. abbatibus S. O., qui in prima sessione protestati fuerant, et primus de Promotoribus D. Ioannes Tedenat tria requisivit : primo vocandos esse et amice inducendos praefatos S. O. RR. DD. abbates ad exercenda sua munia in diffinitorio. Secundo deliberandum esse si qui benemeriti de Ordine recensiti sunt in ordinatione Capituli debeant adesse praesentes diffinitorio, ut ibi sua voce consultativa gauderent. Tertio monendos esse omnes qui habent negotia

in praesenti Capitulo peragenda, ut sua instrumenta et memorialia porrigant Promotoribus, qui possint pro suo munere, de illis referre Capitulo.

10. Circa primam requisitionem votis et suffragiis praesentium RR. abbatum quatuor primorum et aliorum RR. DD. Diffinitorum collectis per Rmum D. N. per capita personarum diffinitum est, mittendos esse duos RR. DD. abbates de S. Sulpitio et de Stamedio et praefatos RR. DD. S. O. abbates absentes pro illis provocandis amica via ut interessent diffinitorio. Tunc adm R. D. de Firmitate tribus aliis adm RR. DD. primis abbatibus et adhaerentibus declaravit se non posse nisi ventilando et non opinando suam sententiam dicere usque dum completum sit Diffinitorium, et more consueto sententiae ferantur.

Circa secundam et tertiam requisitionem tunc nihil decretum est.

11. Post elapsum aliquot tempus, reversi sunt RR. duo abbates deputati ad RR. DD. abbates S.O. et renuntiarunt RR. DD. abbates S.O. desiderare antequam responsum darent ut sibi proferentur authentica transumpta tam ordinationis Capituli quam *Brevis* Apostolici praefati spectantis numerum Diffinitorum Capituli ex utraque Observantia.

12. Hac audita relatione,collatis suffragiis a Diffinitoribus praesentibus, simul et a RR. adm primariis abbatibus, conclusum est mittendos esse ad RR. DD. abbates S. O. duos notarios ad pedes, videlicet D. Ludovicum Meschet et D. Gabrielem Girard, qui deferrent praedicta transumpta tam *Brevis* Apostolici quam ordinationis Capituli, signatae ab unico superstite notario abbate Capituli, videlicet R. D. de Ponte frigido.

13. Sed cum protraheretur mora reditus praedictorum deputatorum, et audito signo ad Vesperas, surrexit totus coetus praescribente Rmo D. N. et exivit rediturus post aliquod tempus et auditurus responsionem referendam a praedictis deputatis notariis ad pedes. Iterum congregato coetu in diffinitorio remissi sunt ad praefatos RR. DD. abbatae S. O. praedicti notarii ad pedes responsionem ab iis audituri et relaturi.

14. Qui reversi retulerunt praefatos RR. DD. abbates S. O. postulare ut sibi non tantum proferentur transumpta sed et originalia praedictorum *Brevis* Apostolici et ordinationis Capituli. Super quo praemissa deliberatione et suffragiis auditis capitatim ut supra, pronuntiatum est per Rmum D. N. non iuxta rigorem iuris sed amica via procedendum esse et deferenda praedicta originalia ad praefatos RR. DD. abbates per notarios praedictos ad pedes.

15. Quod cum notarii praedicti fecissent, reversi retulerunt RR. DD. abbates S. O. respondisse se non posse venire in diffinitorium, nisi in eo compleatur numerus denarius Diffinitorum S.O. et se sufficienter esse instructos per exhibitionem originalium et responsum daturos quamprimum secundum formam iuris. Ad eosdem RR. DD. abbates S. O. moram responsionum protrahentes, iterum remissus est alter ex praedictis notariis ad pedes, videlicet D. Ludovicus Meschet, pro responso audiendo et referendo.Qui rediit dicens eos intra breve tempus responsuros post peractos quosdam actus seu instrumenta in quibus aliquid deerat perficiendum.

16. Elapso aliquanto adhuc tempore idem notarius ad pedes remissus eadem de causa ad eosdem. Qui retulit eosdem praedictos RR. DD. abbates

S. O. sua acta nondum absolvisse, et eos dixisse quod etiam si essent absoluta non possent ea tradere in manus praefati notarii tamquam personae deputatae a Capitulo, cum Capitulum seu diffinitorium completum non agnoscant iuxta formam Ordinis et *Brevis* Apostolici Alexandri PP. VII. Attamen sui esse propositi sua responsa confidenter tradere in manus eiusdem D. Ludovici Meschet tamquam secretarii ordinarii Rmi D. N. — Hic terminata est pro prima die congregatio Diffinitorii.

SESSIO TERTIA

17. Sequenti die, scilicet 17 post missam solemnem de Beata Maria, ad sonum campanae maioris,ut solitum est, congregatum est Diffinitorium, e quo absentes fuerunt praedicti RR. DD. abbates S. O. Et dixit Rmus D. N. RR. DD. abbates S. O. ad se venisse petituros facultatem recedendi a Cistercio, seque eis respondisse non fas esse sibi hanc licentiam concedere nisi prius admonito diffinitorio. Postea Rmus D. N. proposuit praestandum esse iuramentum ab illis Diffinitoribus et ceteris officialibus, qui illud adhuc non praestiterant iuxta morem solitum, de obeundis fideliter suis muneribus. Quo audito, R. adm D. de Firmitate cum gravitate et modestia declaravit non esse hoc iuramentum praestandum nisi dum compleatur ex iure Diffinitorium per praesentiam 25 Diffinitorum. Et cum non ita res se haberent in praesenti protestari se contra praefatam propositionem ; et illi adhaeserunt tres alii RR. adm. primarii abbates huiusque protestationis omnes actum postulerunt.

18. Contra institit Rmus D. N. et dixit non propterea debere impediri tam iuramentum reliquorum Diffinitorum quam Capituli prosecuticnem, cum Diffinitores habeant ius suum pro tenendo Capitulo ex ordinatione et dispositione Diffinitorum et officialium. R. adm. D. de Firmitate reposuit inquirendum esse quare Germaniae RR. DD. abbates ad Capitulum non accesserint, ut cognoscatur ex quo defectu proveniat incompletum Capitulum per absentiam abbatum. Et statim R. D. de Altaripa declaravit sufficere Germanis ut per deputatos suos conveniant iuxta suae Congregationis statuta. Petito rursus iuramento per Rmum D. N., RR. adm quatuor primi abbates propter praefatam rationem incompleti Diffinitorii iurare se non posse protestati sunt. Et addidit R. adm D. de Claravalle sibi quidem imputari a quibusdam, ut accepit per rumorem, se esse in causa cur recedere velint RR. DD. abbates S. O., et propterea se sincere et ex conscientia iurare id sibi tribui contra veritatem, seque postulare actum huius sui iuramenti et publicae declarationis.

19. Declaravit exinde Rmus D. N. se solum cum iis vel etiam paucioribus Diffinitoribus qui iurarent habiturum Capitulum generale, quia illi soli censentur plene Diffinitores qui iuramento astricti sunt ; et huius suae declarationis actum petiit. Et cum R. adm D. de Claravalle proposuisset non sic haberi posse Capitulum quamdiu denudaretur Diffinitorium tot suis Diffinitoribus, Rmus D. N. dixit suae non fuisse intentionis prohibere neque directe neque indirecte celebrationem Capituli per tot recedentes Diffinitores et per causas eorum recessus, et huius rei actum petiit ; et

addidit Rmus D. N. multa fuisse Capitula generalia celebrata, in quibus nec numerus 25 Diffinitorum fuerat, imo in quibus nec abbas Cistercii et alii duo ex quatuor primariis abbatibus aderant.

20. Requisivit R. adm D. de Firmitate ut publice legeretur instrumentum relictum et intimatum a RR. DD. abbatibus S. O. ut eorum absentiae rationes innotescerent. Respondit Rmus D. N. prius esse iurandum a RR. DD. Diffinitoribus illis qui huc usque non iuraverant. R. D. de S. Urbano, nomine RR. DD. abbatum Germaniae protestatus est se tam apud Summum Pontificem quam apud Imperatorem conquesturum, nisi observetur *Breve* Apostolicum quod exhibuerat in Capitulo et procedatur sine mora ad ulteriorem celebrationem Capituli generalis. R. adm D. de Firmitate ad hoc respondit difficultates istas oriri ex defectu abbatum Germaniae ; ii enim si, sicut iuris est, accessissent non ex penuria abbatum perturbaretur ordo Capituli generalis, quod 25 Diffinitoribus iuxta praedictum *Breve* debet constare. Retulit R.D. de S. Urbano deputatos Germaniae accessisse.

21. Instante Rmo D. N. ut fieret iuramentum, institit R. adm D. de Firmitate istum ritum non debere fieri nisi adsit numerus completus Diffitorum 25, qui tot constitutionibus Apostolicis et Ordinis et etiam ultimo *Brevi* Apostolico praescribitur necessarius, et antiqua ac inviolabili consuetudine confirmatur. R. adm de Claravalle exposuit necessario videnda esse acta per RR. DD. abbates S. O. exhibita, ut inde possit iniri consilium de rebus agendis in praesenti casu insolito. Tunc lectum est praefatum instrumentum porrectum per RR. DD. abbates S. O. (quod quidem instrumentum gallico idiomate expressum est) D. Ludovico Meschet a quo fuit exhibitum, et lectum per D. Benedictum Henry priorem Claraevallis, alterum Promotorem nominatum, quod est tenoris sequentis.

22. Les abbés soussignés s'étant transporté en l'abbaye de Cisteaux en conséquence de l'Indiction du Chapitre général de la présente année 1672, qui leur a été envoyée par le Rme abbé de Cisteaux, ont comparu audit Chapitre le lundy seizième du mois de mai, dudit an, où étant, après l'ouverture faite dudit Chapitre par ledit Rme abbé de Cisteaux, et après la lecture de la *Charte de charité*, se seroit présenté D. Jean Malgoirés, procureur général dudit Ordre en Cour de Rome, et auroit présenté un Bref de N. S. Père le Pape Clément X a présent séant, adressé au Chapitre, par lequel Sa Sainteté se recommandoit aux prières dudit Chapitre et les exhortoit à célébrer leur Chapitre pour les fins pour lesquelles il a été établi, sçavoir : pour la manutention et la perfection de l'Observance régulière dudit Ordre, duquel Bref la lecture ayant été faite publiquement, le R. abbé de S. Urbain auroit présenté un autre Bref de Sa Sainteté donné à la requeste dudit Malgoirés, procureur général en cour de Rome, sans avcir entendu ni appelé aucune partie, par lequel Sa Sainteté déclaroit que ce qui avoit été ordonné par un autre Bref du Pape Alexandre VII du 19 avril 1666, que dans ledit Chapitre il seroit nommé dix Définiteurs du nombre des abbés de l'Étroite Observance dudit Ordre, sçavoir : deux au moins par chacun des cinq premiers Pères, n'avoit été ordonné que pour le Chapitre de l'année 1667. Après lecture duquel Bref

le R. abbé de Cadouin, le plus ancien des abbés de ladite Etroite-Observance se seroit levé et auroit représenté avec respect que ledit Bref dudit Pape Alexandre VII du 19 avril 1666 avoit été reçu en France par arrêt duConseil d'État de Sa Majesté très chrétienne du 14 juillet 1666, et revêtu de ses lettres patentes du même jour et renvoyé au grand Conseil de Sa Majesté, où il auroit été enregistré par arrest du 6e jour d'aout suivant, en conséquence de quoy ledit Bref auroit été reçu dans le dernier Chapitre général dudit Ordre du 9 mai 1667, et que les abbés de ladite Etroite-Observance se seroient soumis audit Bref pour obéir aux autorités souveraines du Pape et du Roy, sous le bénéfice néanmoins des protestations par eux faites dans ledit Chapitre et insérées dans les registres d'iceluy, lesquelles il réiteroit et renouvelloit ; qu'au contraire ledit nouveau Bref du 22 du mois d'avril 1672 avoit été rendu sans aucune connaissance de cause, et sans avoir entendu ni appelé les parties, et n'étoit point reçu en France par Sa Majesté ni revêtu de ses lettres patentes, et conséquemment ne pouvoit être exécuté suivant les lois du royaume, qu'il s'opposoit à l'exécution d'iceluy, tant en son nom qu'en celuy des abbés et religieux de ladite Étroite-Observance, et requéroit qu'il fut procédé à la nomination des Définiteurs du présent Chapitre général aux termes et conformément au Bref du Pape Alexandre VII, 1666 ; autrement et à faute de quoy il protestoit de nullité de ce qui seroit fait ou pourroit être fait cy après. Sur quoy le Rme abbé de Cisteaux auroit ordonné que lui et les quatre premiers abbés se transporteroient au Définitoire pour y procéder à la nomination des Définiteurs dudit Chapitre, où estant demeurez environ deux heures de tems, il seroient rentré dans ledit Chapitre et ledit Rme abbé de Cisteaux auroit ordonné à son secrétaire de faire la lecture de la disposition et ordination des Définiteurs et officiers dudit Chapitre, laquelle ayant été faite, ledit R. abbé de Cadouin ayant remarqué que dans icelle on n'avoit nommé pour Définiteurs que six des dits abbés de l'Étroite-Observance au lieu de dix que le Bref du Pape Alexandre VII ordonne être nommez, se seroit de ce chef levé et auroit respectueusement remontré et déclaré qu'attendu que ladite nomination des Définiteurs n'avoit point été faite conformément audit Bref du Pape Alexandre VII, authorisé des lettres patentes du Roy et registré au grand Conseil, il s'opposoit à l'exécution d'icelle, tant en son nom qu'en celuy de tous les abbés et religieux de l'Étroite-Observance, protestoit de nullité de tout ce qui seroit fait, réglé et ordonné dans ledit Chapitre, comme étant contraire aux formes prescrites dans ledit Bref du Pape Alexandre VII, et composé d'autres personnes que celles que ledit Bref requéroit, déclaroit qu'il ne pouvoit assister audit Chapitre, ni lui ni les autres de ladite Étroite-Observance, protestoit de se pourvoir par toutes voyes dues et raisonnables ; le tout sans se départir des protestations faites par lesdits abbés de l'Étroite-Observance dans ledit Chapitre de l'an 1667, auxquelles il adhéroit et les renouvelloit autant que besoin en seroit. Et à l'instant tous les abbés de ladite Étroite Observance présents audit Chapitre se seroient levés et auroient d'une voix déclarez qu'ils adhéroient aux déclarations, oppositions et protestations faites par ledit R. abbé de Cadouin. Et le R. abbé de Prières

l'un d'iceux adhérant aussy de sa part à tout ce que dessus, auroit d'abondant requis et supplié mon Sieur le lieutenant général du Baillage de Dijon, et mon Sieur le Procureur du Roy présens audit Chapitre de se souvenir de leurs dites déclarations, oppositions et protestations, et de leur en vouloir donner acte. Et auroit ledit R. abbé de Cadouin requis les Pères dudit Chapitre de luy en donner aussy pareillement acte. A laquelle réquisition tous lesdits abbés de l'Etroite Observance présens ont encore adhéré, et surtout ce que dessus ledit Rme abbé de Cisteaux auroit dit qu'il seroit délibéré dans le Définitoire, après il se seroit levé et retiré dudit lieu avec tous les autres abbés et autres personnes présentes audit Chapitre. Après quoy vers les trois heures après midy, les R. abbés de S. Sulpice et de Tamiers seroient venus de la part du Rme abbé de Cisteaux et autres abbés dudit Ordre les avertir qu'ils les attendoient au Définitoire ; à quoy ils auroient fait réponse qu'ils demandoient copie tant de l'ordination du Chapitre général que du Bref susdit du 22 avril 1672. Lesquelles copies leur ont été données par Dom Louis Meschet secrétaire dudit Rme abbé de Cisteaux. Ensuite de quoy, lesdits abbés soussignez voyant qu'il n'y avoit aucun changement dans les nominations des Définiteurs, ont persisté en leurs réquisitions, oppositions et protestations cy dessus, et déclaré qu'ils ne peuvent se trouver au Définitoire, protestant de se pourvoir pardevant qui ils trouveront bon être, et demandant acte tant audit Rme abbé de Cisteaux et autres abbés qu'au Sieur Lieutenant général du Baillage de Dijon, qui s'est trouvé présent lors de la nomination desdits Définiteurs. — Fait à Cisteaux ledit jour 16 du mois de mai 1672. Ainsy signé : fr. Pierre abbé de Cadouin ; fr. Jacques abbé de Foucarmont ; fr. Guillaume abbé de la Vieuville ; fr. Pierre abbé de Pin ; fr. Pierre abbé de la Colombe ; fr. Dominque abbé de Valricher, fr. Claude abbé de Chatillon ; fr. Etienne abbé de la Charmoye ; fr. Jean abbé de Prières ; et fr. Jean abbé de la Piété.

23. Hoc actu lecto R. adm D. de Claravalle, cui adhaeserunt tres alii, RR. adm primarii abbates, exhortatus est omnes praesentes ad pacem, concordiam et unitatem spiritu pro felici successu huius Capituli et boni regiminis Ordinis, ad idque rogandos esse, et si opus sit interpellandos, atque etiam per vim obedientiae adducendos RR. DD. abbates S. O. ad exsequenda munia sibi iniuncta in ordinatione Capituli, ut sic Capitulum possit perfici iuxta leges et consuetudines Ordinis. Quod si renuerint adesse protestandum esse quod ab illis repeterentur sumptus et impensae istius Capituli, quod ob illorum absentiam et recessum non poterat absolvi secundum Ordinis morem per 25 Diffinitores. Attamen si perseveraverint in suo proposito RR. DD. abbates S. O. supplendum esse alia via numerum Diffinitorum pro habendo quantum fieri poterit, Capitulo generali, secundum legem de 25 Diffinitoribus.

24. R. D. de S. Benedicto, cui se adiunxit R. D. de Porta Gloni, declaravit se libentissime deserturum esse locum Diffinitoris ut posset repleri per aliquem ex RR. DD. abbatibus S. O., et sic ad vicenarium quintum numerum perduci Capitulum posset per reditum RR. DD. abbatum S. O., dummodo fieri posset sine violatione *Brevis* Apostolici. Requisivit D.

Franciscus Tedenat, alter e Promotoribus, ut cogerentur S. O. RR. DD. abbates ad implendas suas partes, sibi in ordinatione Capituli commissas, cum iam satis essent amice invitati. Super quo unanimi consensu omnium praesentium deputati sunt RR. DD. de Novo Castro et de Stamedio, qui praefatis RR. DD. abbatibus S. O. nomine Rmi D. N. et totius Ordinis quantum fieri potest, in praesenti casu, eis praeciperent adesse Diffinitorio et suis fungi officiis.

25. Redierunt praefati DD. deputati et retulerunt responsum praedictorum RR. DD. abbatum S. O. esse, se non posse obedire nisi habeatur Capitulum secundum formam praescriptam in *Brevi* Alexandri VII, quod receptum est in Gallia, ultimum autem *Breve* delatum per R. D. de S.Urbano non esse munitum iis litteris quae in Gallia desiderantur ut vim possit habere. Requisivit alter e Promotoribus praefatus D. Tedenat, ut consultorum desumeretur mens circa praesentem casum, et videretur si posset haberi Capitulum, quamdiu esset incompletus numerus solitus Diffinitorum. Cum inciperet Rmus D. N. ab iis consultoribus vocatis siscitari sententiam, respondit R. adm D. de Firmitate non posse id fieri nisi prius habita deliberatione Diffinitorii et collectis vocibus praesentium ; et cum Rmus D. N. inciperet suffragia praesentium Diffinitorum desumere capitatim, exposuit R. adm D. de Firmitate non eum esse morem in Ordine ut a singulis Diffinitoribus sumerentur sententiae sed unumquodque caput filiationis debere suos Diffinitores convocare atque ab iis recipere sententiam, et postea per filiationes esse opinandum patre filiationis cum sua filiatione proferente sententiam, et huic declarationi adhaerere se protestati sunt tres alii RR. adm primarii abbates.

26. Instante Rmo D. N. debere fieri decretum de continuando Capitulo generali, etiam incompleto numero Diffinitorum, surrexit R. D. de Stamedio dicens se tamquam primum Diffinitorem Rmi D. N. postulare ut fiat decretum de prosequendo Capitulo, etiam si numerus Diffinitorum solitus non esset absolutus et ut capitatim, non per filiationes, a Diffinitoribus sententiae dicerentur. Requisivit D. Ioannes Tedenat, unus e Promotoribus, ut deliberaretur an possit et debeat suppleri Diffinitorum deficiens numerus ob absentiam eorum qui recesserunt, per religiosos non abbates ; circa hanc requisitionem Rmus D. N. a R. adm D. de Firmitate rogavit sententiam, qui respondit deliberandum esse per filiationes secundum consuetudinem servatam huc usque in Capitulis generalibus, et huic suae responsioni se adiunxerunt tres alii RR. adm primarii abbates.

27. Statim requisivit R. D. de Stamedio, tamquam primus Diffinitor, ut Rmus D. N. ante omnia exigeret a RR. adm quatuor primariis abbatibus iuramentum, exegit Rmus iuramentum a R. adm D. de Firmitate qui respondit se non posse iurare nec debere nisi pro habendo Capitulo iuxta morem solitum, deliberando per filiationes et numero completo Diffinitorum. Tunc imminente hora fere duodecima, dixit R. adm D. de Pontigniaco horam esse plusquam provectam ut termineretur praesens sessio, seque non posse ob infirmitatem diutius remanere, et sic salutato Rmo D. N totoque coetu praesenti, exivit e Diffinitorio. In deliberationem autem misit Rmus D. N. an et per quos esset supplendus numerus Diffinitorum

absentium S. O., sed volens capitatim vota Diffinitorum colligere, tres RR. adm DD. primi abbates tempus rogaverunt ut de re tanti momenti serius consultare possent; quod cum eis concessum fuisset, statim totus consessus solutus est.

SESSIO QUARTA

28. Eadem die, hora circiter secunda pomeridiana, dato signo ad Diffinitorium, in illud convenire Diffinitores et officiales Capituli antea nominati, exceptis praefatis S. O. RR. DD. abbatibus, qui iam recesserant, et incepit D. Ioannes Tedenat Promotor urgere diversis rationibus et niti probare non esse supplendum numerum Diffinitorum per religiosos non abbates, nec vota per filiationes esse sumenda in Diffinitorio, requirens ut ea de re deliberaretur. Tunc R. adm D. de Firmitate declaravit huc usque in praecedentibus sessionibus nihil esse propositum et deliberatum, nec potuisse quidquam proponi et deliberari ob defectum absoluti numeri Diffinitorum, et quidquid dictum fuit tantum ventilando et non opinando ac veluti inquisitione mediorum pro inchoando Capitulo et habendo, res esse agitatas, et cum medium illud non potuerit per tot consultationes inveniri, nihil superesse in tanto discrimine nisi cessandum neque viam ullam apparere deliberandi capitulariter super propositione facta a Promotore, addiditque quod cum hic tempus tereretur inutiliter et iam quarta sessio fieret sine ullo progressu, protestatus est se ex impossibilitate peragendi Capitulum iuxta ritum et leges Ordinis recessurum; declarans tamen ne labor itineris ingratus et inutilis videretur paucis abbatibus numero sex aut septem qui de provinciis extra regnum accessere paratum se esse tractare negotia Ordinis more comitiorum intermediorum. Quibus negatis, recessit, eiusque protestationi adhaerere se declararunt RR. adm alii primarii abbates, maximeque R. adm D. de Claravalle, qui multis sermonibus ad pacem et concordiam conferentibus, tam Rmum D. N. quam universum coetum adhortatus est, sicuti antea pluries et fere semper fecerat. Super quae alii duo primarii adm RR. abbates recesserunt, protestando omnes se tamquam nullum reputaturos id omne quod ageretur sub nomine Capituli, nisi sit coetus completus more solito per numerum Diffinitorum constitutum, et se daturos in scriptis protestationem, sed ipsam ultimam protestationem R. adm D. de Claravalle praecesserat protestatio Rmi D. N. qua respondens protestationi iam factae a R. adm D. de Firmitate protestatus est et se celebraturum Capitulum generale etiam si duo vel tres haberet solum secum remanentes Diffinitores, quos RR. adm DD. quatuor primarios abbates interpellavit Rmus D.N. simul et alii Diffinitores ut antequam exirent vellent subscribere actis Capituli hoc usque gestis. Qui responderunt nihil factum esse nisi ventilando ideoque actis se non posse subscribere, ordinationi tamen Capituli se libentissime subscripturos. Surrexit D. Benedictus Henry, nominatus secundus Promotor in ordinatione Capituli generalis, et protestatus est se non posse iuramento astringi neque fungi officio Promotoris, cum nullum existimet Capitulum generale ob absentiam plurimorum abbatum, necnon officialium, iuxta

constitutiones Summorum Pontificum Clementis IV et Alexandri VII requisitorum ad illud constituendum et celebrandum, seque adhaerere protestationibus quatuor primariorum abbatum.

29. RR. adm quatuor primariis abbatibus a Diffinitorio modo iam praefato egressis, proposuit Rmus D. N. an videretur RR. DD. Diffinitoribus interpellari debere RR. adm praefatos primarios abbates ut redeant interfuturi Diffinitorio, ibique munere suo ex more solito defuncturi, et decretum est affirmative. Itaque missi sunt RR. DD. de Novo Castro et de S. Benedicto, qui eos et convenirent et rogarent nomine Rmi D. N. et nomine totius Diffinitorii ut redirent ad Capitulum, in eo sua munera, ut moris est, obituri ; addens Rmus D. N. quod si ad dictam interpellationem non redirent, se ipsum demisso coetu dictos RR. adm abbates primarios conventurum et obnixe rogaturum ut non velint se a RR. DD. Diffinitoribus separare, imo ut redeant simul cum aliis decreturi et ordinaturi quod bono Ordinis convenire iudicabitur.

30. Tunc R. abbas notarius, petita copia loquendi, exposuit Rmo D. N. coram omnibus RR. DD. Diffinitoribus se non posse amplius remanere, quando quidem solutum videbatur esse Capitulum per separationem et protestationes factas contra ipsius validitatem a RR. adm primariis abbatibus. Itaque se petere facultatem exeundi, ceterum se omnia quae hucusque gesta essent ab inchoatione Capituli et actus fideliter et sincere exhibiturum et daturum. Rmus D. N. dixit R. D. abbatem notarium electum fuisse ut officialis Capituli munere fungeretur, atque adeo illum nullatenus posse discedere, maxime cum iam exceperit omnia quae ad hanc usque horam ab incepto Capitulo gesta fuerunt. Se itaque iubere illum remanere, et sicut prius munere suo notarii Capituli fungi. Respondit dictus R. D. abbas notarius obtemperaturum se iussioni, sed se petere dari actum iussionis, et ea conditione se mansurum. Quod concessum est.

31. Redierunt interim qui ad RR. adm quatuor primarios abbates fuerant deputati, et retulerunt praefatos RR. adm quatuor primarios abbates respondisse interpellationi ipsis a se factae nomine Rmi D. N. et ceterorum RR. DD. Diffinitorum, non recusare se praesentiam suam Diffinitorio, imo libenter redituros dummodo completum esset Diffinitorium, in eoque omnia fierent ex more solito et secundum leges Ordinis. Super quo respondit Rmus D. N. esse de essentia Diffinitorii seu integritate ut semper constet 25 Diffinitoribus suis, cum videre sit in quamplurimis Capitulis generalibus dictum numerum non fuisse completum. Et productis registris Capitulorum generalium exhibitis a D. L. Meschet, notario ad pedes, viderunt omnes et notaverunt dictum numerum incompletum fuisse in Capitulis generalibus 1483, 1507, 1522, 1535, 1540, 1546, 1548, 1550.

32. Rmus D. N. petiit a R. D. de Laude, ut praestaret iuramentum fieri solitum a Diffinitoribus, quandoquidem ipse electus fuerat Diffinitor in ordinatione Capituli. Respondit praedictus R. D. de Laude se ad iuramentum adigi non posse, quia non erat integrum Capitulum, neque amplius subsisteret post discessum et protestationes contra validitatem ipsius factas a RR. adm primariis abbatibus. Institit D. Ioann. Tedenat, unus

e Promotoribus Capituli, et requisivit ut praefatus R. D. de Laude iuraret secundum morem Ordinis. Cui requisitioni respondit praefatus D. abbas se iuraturum, sed protestari se non iurare nisi in quantum continuaretur Capitulum generale. Et de sua protestatione actum petiit.

33. Hoc facto requisivit idem D. Promotor ut citarentur et audirentur Vicarii generales provinciarum, magistri novitiorum, Procuratores generales, et omnes denique officiales Ordinis, qui rationem ministerii sui reddere cogantur. Sed interim quaesitum est a Rmo D. N. de novitiatibus et de modo uniformi educandi novitios, sive per annum probationis, sive in professorio post professionem. Decretum est statuendam esse hanc uniformitatem. Et quia tunc examinari non poterat talis modus, electi sunt qui huius uniformitatis regulas conderent, et conditas RR. DD. Diffinitoribus praesentarent examinandas et approbandas, scilicet R. D. de Altaripa, D. prior Cistercii, D. Procurator generalis in Curia, D. prior de Reliquiis, D. supprior Cistercii, qui et ipse est magister novitiorum. Quaesitum est ulterius, per quot tempus debeant remanere novitii in professorio post emissam professionem solemnem. Et decretum est per annum in eo remanere debere sub regimine magistri destinati, nisi eidem magistro novitiorum et Vicario generali provinciae visum fuerit diutius ibi retinendos, habita ratione vel aetatis vel profectus in vita spirituali. In quo tamen decreto non est mens Capituli comprehendere Congregationes Germaniae et Italiae, quae suum habent vivendi ritum in statutis Summorum Pontificum.

34. Quaesitum est tandem an deberet imperari omnibus tam RR. DD. Diffinitoribus, quam aliis officialibus electis in ordinatione Capituli non exire de Capitulo ante eius absolutam conclusionem. Et decretum est affirmative.

SESSIO QUINTA

35. Die 18 eiusdem mensis et anni, post celebratam missam solemnem pro defunctis, dato signo, ut moris est, convenerunt in Diffinitorium cum Rmo D. N., RR. DD. Diffinitores, et alii officiales Capituli, exceptis tamen RR. adm quatuor primariis abbatibus, qui in ultimo consessu protestati fuerant se non redituros ; exceptis etiam RR. DD. de Laude, de Valle dulci et de S. Benedicto Diffinitoribus, necnon et exceptis D. Benedicto Henry priore de Claravalle, D. Michaele de Guardiola priore et administratore monasterii de Escarp, et D. Michaele Antonio Hacki deputato provinciae Poloniae, qui duo nominati fuerant inter benemeritos. Hi omnes abfuerunt e Diffinitorio huius matutinalis consessus initio. Aberat etiam R. D. notarius abbas, sed paulo post ingressus est, et petita venia loquendi, exposuit Rmo D. N. quod in hesterno consessu rogaverat suam Rmam Paternitatem ut vellet providere de notario Capituli, quia amplius remanere non poterat post discessionem RR. adm quatuor primariorum abbatum ; cui petitioni S.R. Paternitas non annuens iusserat ut remaneret ; quod exsequi paratum se esse dixit praefatus R. D. notarius abbas, dummodo daretur sibi actus iussionis quam faciebat illi Rma Paternitas sua. Adiecit insuper idem D. Notarius se hodierna die iterato petere actum dic-

tae iussionis, et iterato protestari se adhaerere quatuor RR. adm primariis abbatibus, et cum eis censere non posse teneri Capitulum incompleto Diffinitorio ; atque adeo se iam existimare non debere se fungi officio notarii Capituli, cum omnes actus faciendi post protestationem RR. adm primariorum abbatum sint nulli. Quare rogare se iterum Rmum D. N. vel se permittat exire e Diffinitorio tamquam iam inutilem ; vel si iubeat absolute se remanere, videret in qua qualitate se hoc posse. Et de hac protestatione sua petiit sibi dari actum ut prosit sibi suo tempore. Ceterum huius protestationis suae et petitionis exhibuit actum sua manu subsignatum et coram omnibus tradidit D. Ionann. Tedenat, Promotori Capituli generalis. Huic eius postulationi neque etiam hac die annuens Rmus D. N. iussit et imperavit eum remanere et scribere sicut prius.

36. Quo facto, cum dixisset Rmus D. N. missum ad se esse actum et significatum sibi a quatuor RR. adm primariis abbatibus, requisivit D. promotor ut exhiberetur et legeretur coram omnibus. Decreto facto de eo legendo, lectus est a D. Lud. Meschet, notario ad pedes, et requirente praefato D. Promotore ut insereretur in actis Capituli, insertus est tenore sequenti : Les quatre abbés de la Ferté, Pontigni, Clairvaux et Morimond premiers abbés de l'Ordre de Cisteaux, soussignés, declarent au Rme abbé dudit Cisteaux, que s'étant rendus dans ladite abbaye de Cisteaux le 15[e] jour du présent mois de mai, pour la célébration du Chapitre général de l'Ordre, et à cet effet le 16 dudit mois après avoir assisté au Chapitre régulier ensuitte de la messe célébrée suivant la louable coutume dudit Ordre, ils se seroient transportés avec ledit Rme abbé de Cisteaux au Définitoire et lieu accoutumé pour conjointement avec lui procéder à la nomination des Définiteurs et officiers du Chapitre général. Ce qu'ayant fait de bonne foy le nombre de vingt et cinq Définiteurs ordonnés par le statut qui prescrit la forme des Chapitres généraux vulgairement appelé *Clémentine*, ayant été remply, sans néanmoins que les soussignés ayant eu dessein de déroger en quelque façon que ce soit au Bref de N. S. P. le Pape Alexandre VII, confirmé par les lettres patentes de S. M. T. C., non plus qu'à celui de N. S. P. le Pape Clément X à présent séant en datte du 22 avril dernier, duquel Bref néanmoins ils n'avoient aucune connaissance que par la lecture qu'auroit commandé en être faite ledit Rme abbé de Cisteaux à l'ouverture dudit Chapitre, le même jour 15 du présent mois et qui auroit donné lieu aux protestations du R. abbé de Cadouin, tant en son nom que desdits autres abbés de l'Étroite Observance, au nombre de dix. En conséquence desquelles protestations, lesdits abbés ne s'étant trouvés au Définitoire, se seroient ensuite retirés et party de la dite abbaye de Cisteaux le 17 dudit mois ; pour raison de quoi et au moyen de leurs absences un nombres suffisant d'abbés ne s'étant trouvés pour suppléer au défaut desdits absents et composer le nombre des 25 requis pour la célébration dudit Chapitre général, cela auroit donné lieu à diverses contestations et difficultés pour lesquelles lever et pacifier et notamment pour ne rendre pas tout à fait inutile le voyage entrepris par six ou sept abbés députés des Congrégations étrangères et des autres venus pour ledit Chapitre général, les soussignés auroient proposé plusieurs expédiens, et entre

autres requis que pour ne pas rompre l'assemblée à cause des défauts essentiels qui l'empêcheroient de la qualifier du nom de Chapitre général, on y conclut et définy toutes choses pour le bien et réformation de l'Ordre en la manière que l'on définit aux assemblées intermédiaires, ordonnées être faites de temps en temps, tant par les Chapitres généraux que par ledit Bref d'Alexandre VII. Ce qui leur a été refusé par le Rme. Et voyant même qu'il vouloit introduire une façon d'opinion toute opposée à la pratique de l'Ordre, et qui au lieu de terminer les difficultés et procurer la paix, ne tendoit qu'a confondre toutes choses, ils ont cru être obligéz en conscience de n'authoriser pas par leur présence tels changemens qui vont au renversement de l'ordre étably par les statuts, et se retirer quoiqu'à très grand regret de la dite abbaye, où ils n'étoient venus que dans la seule vue d'y travailler de tout leur pouvoir à procurer le bon reglement et réformation de leur Ordre. Protestant cependant de nullité de tout ce qui s'est fait et porroit faire par le Rme abbé de Cisteaux, ou par ses ordres, sous prétexte de quelque assemblée que ce soit, comme de se pourvoir et déduire plus amplement leurs raisons en tems et lieu, devant qui et ainsi qu'ils aviseront bon être. — A Cisteaux ce 18 mai 1672. f. Pierre Bouchu abbé de la Ferté ; f. Jacques abbé de Pontigni ; f. Pierre abbé de Clairvaux ; f. François abbé de Morimond.

L'acte cy dessus a été par moi soussigné signifié à Mgr le Rme abbé de Cisteaux, parlant à sa personne, auquel j'ai délivré la présente copie en présence de Dom Mathurin Henault, secrétaire de Mgr le Rme abbé de Clairvaux et de Dom Arnaud Foulques docteur en théologie et secrétaire de Mgr le Rme abbé de Morimond, le dit jour et an que dessus, sur les 7 heures du matin. Signé : f. de Monthalambert secrétaire de Mgr le Rme abbé de Pontigny, f. Mathurin Henault secrétaire de Mgr le Rme abbé de Clairvaux. f. Arnoud Souleques docteur en théologie et secrétaire de Mgr le Rme abbé de Morimond.

37. Requisivit D. Ioannes Tedenat Promotor ut contrariae huic actui fierent a Capitulo protestationes, quibus RR. DD. Diffinitores protestantur nonobstante dicto actu non esse propterea interrumpendum Capitulum, imo prosequendum, et ita conclusum est. Requirente Promotore indictae sunt orationes infra scriptae.

ORATIONES

38. Pro SS. D. N. Domino Clemente Divina Providentia PP. X, necnon pro EE. ac RR. Dominis S. R. E. Cardinalibus, et maxime pro Emo D. Iacobo Cardinali Ninio clementissimo Ordinis Protectore, necnon pro Ill. *etc.*

39. Praeterea pro serenissimo et invictissimo D.N. Leopoldo, Dei gratia Romanorum Imperatore semper augusto ; necnon pro christianissimo D. N. Ludovico XIV, Francorum et Navarrae Rege, ac pro inclyto Rege Carolo II, Hispaniarum Rege catholico, pro serenissimis quoque ... *etc.*

40. Similiter pro R. D. Tristando de Bizet, Xantonensi episcopo ... *etc.*

41. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

42. Pro pace etiam ... *etc.*

43. Postremo pro felicis ... *etc.*

44. His peractis eodem Promotore requirente, decretum est, scribendum esse Summo Pontifici, Imperatori et Duci Bavariae, pro redditis Ordini quibusdam monasteriis in Superiore Palatinatu sitis, et ab ipso Duce Bavariae aliquamdiu ex indulto Sedis Apostolicae detentis.

45. Mandatum est insuper D. Procuratori generali in Curia, ut nomine totius Capituli quam maximas reddat gratias Emo ac Rmo Cardinali Protectori nostri Ordinis, ob clementissimae suae protectionis officia, quam libentissime frequentius exhibita. Sed quia multi ex Diffinitoribus et officialibus Capituli aberant, illi scilicet quorum nomina habentur in principio huius sessionis, ad requisitionem D. Promotoris missus est unus notarius ad pedes, scilicet D. Gabriel Girard, qui eos citaret ut venirent. At illi renuentes venire miserunt actum per dictum notarium, in quo rationes recessus exponebant. Hic autem actus sic se habet : Nous religieux abbés et prieurs de l'Ordre de Cisteaux soussignés déclarons à Mgr le Rme abbé dudit Cisteaux, que nous étant rendus audit lieu seulement pour la célébration du Chapitre général, et y rendre compte de notre gestion conformément au Bref de N. S. P. le Pape Alexandre VII, où le nombre de Définiteurs requis pour ledit Chapitre général ne s'étant trouvé complet, nous ne pouvons reconnoitre ladit assemblée pour un vrai chapitre, et en conséquence déclarons ne pouvoir rendre compte de notre dite gestion, et demandons de nous retirer en nos monastères, protestants que sur le refus, qui nous seroit fait, nous n'y demeurerons que par force, et de nous pourvoir ainsi que de raison. — Signé, f. Gaspard abbé de Los ; f. Antoine abbé de S. Benoit ; f. François abbé de Vaux la douce ; f. Jean abbé de Fenières ; f.C. Louvet proviseur du collège des Bernardins ; f. Crescent vicaire général nommé pour examiner les contrats présentés au Chapitre ; f. Crevel prieur de Valasse nommé pour l'examen des comptes des contributions ; f. Levesque prieur de Chastelliers nommé confesseur du Chapitre général ; f. Michael Antonius Hacki superior Olivensis missionarius et notarius apostolicus, serenissimae Reginae Sueciae eleemosinarius et ad Capitulum generale nomine provinciae Poloniae mandatarius, ob absentiam RR. DD. quatuor abbatum capitum Ordinis sacri non possum recognoscere hoc Capitulum, potissimum quod cum protestatione ex illo discesserint ; fr. C. Le Bourgeois prieur de Chaalis nommé pour l'examen des comptes du Chapitre général ; fr. Fraipoux nommé pour examiner les contrats du Chapitre général ; fr. P. Briand prieur de la Boisière nommé portier du Définitoire ; fr. Benoit Henry nommé promoteur du Chapitre général ; fr. Michael de Guardiola prior et administrator regalis monasterii B. M. de Escarp a Rege Spaniarum nominatus et procurator congregationis coronae Arragonum et Navarrae S. O. Cisterc. ob absentiam RR. DD. quatuor abbatum capitum Ordinis sacri non possum recognoscere

hoc Capitulum, potissimum quod cum protestatione ex illo discesserint.

46. Hoc actu perlecto et requirente Promotore, diffinitum est vocandos esse rursus Diffinitores et officiales, cum protetastione tamen integritatis Capituli subsistentis, etiam illis recedentibus. Vocati igitur RR. DD. abbates de Laude et de Valle dulci comparuerunt, et interrogati de causa separationis suae a Capitulo, respondit primus se iam per actum manu sua subscriptum una cum multis aliis officialibus Diffinitorii declarasse, non posse remanere facta protestatione contra validitatem Capituli, cuius declarationis actum petebat. Iussus tamen manere, non recusavit modo sibi daretur actum suae iam factae protestationis. Eadem fuit responsio R. D. de Valle dulci, similis protestatio, par obedientia, subsistente eadem protestatione.

47. Idem factum est circa alios, qui praeinserto actui subscripserant; ii enim vocati comparuerunt, protestati sunt contra validitatem Capituli ob rationes in actu suo expositas, non renuerunt tamen manere post iussionem, modo subsisterent suae protestationes, quarum et actum ipsi petierunt.

48. Vocatus etiam fuit deputatus Poloniae D. Michael Antonius Hacki, qui interrogatus de causa recessus, dixit se in scripto cum aliis rationem exposuisse, in ea scilicet se mente esse, non posse subsistere Capitulum post separationem et protestationem contra validitatem illius factam a RR. adm DD. primariis abbatibus. Ceterum se potius esse directum ad Rmum D.N. cum eius Rda Dominatione negotia sua tractaturum, quam ad Capitulum generale. Iussus tamen remanere non renuit. Addente insuper Promotore, adigendum esse praefatum deputatum ad acquiescendum diffinitionibus faciendis a Capitulo, cuius validitas in dubium revocari non poterat.

49. Inter moras euntium et redeuntium deputatorum ad praefatos officiales absentes requisivit D. Promotor, ut committerentur aliqui qui examinarent instrumenta missa circa negotium, quod vertitur a longo tempore inter D. abbatem Lucellensem et quosdam cives Solodorenses; commissi sunt RR. DD. de Novo Castro et de S. Urbano et decretum est, inseri debere in actis Capituli epistolam quam ad ipsum direxerat super eo negotio magnifica Respublica Solodorensis in Helvetia; huius autem tenoris est epistola:

A Monsieur le Révérendissime Général et à Messieurs les très RR. Pères abbés, Prieurs et Députés de l'Ordre Saint Bernard assemblez à la Congrégation générale de Cisteaux, Nos Très honorés Pères, à Cisteaux.

Messieurs le Révérendissime Général et très honorés Pères.

Nos bien aimés conseilliers et bourgeois, les héritiers de feu M. le Colonel Greder nous ayant fait connoitre la prétention qu'ils ont d'une somme capitale de 12000 florins bons et passe trente censes envers Monsieur l'abbé et monastère de Lucellin, fondés en lettres et documents fort authentiques, dont une partie a été par fondation léguée à l'hôpital de cette ville, et le surplus doit revenir à plusieurs particuliers, parmi lesquels il y a des veuves, orphelins et mineurs, qui sont en grande nécessité, et qu'ayant fait depuis 15 années toutes les diligences et poursuites possibles pour en

faire le recouvrement, ils n'auroient pourtant obtenu que des bonnes paroles et beaucoup de remises sans aucun fruit, nonobstant les grands frais, missions et dépenses qu'ils ont souffert, et un tiers qui leur a été gratuitement relâché de la somme principale pour le bien et avantage dudit monastère, dans l'espérance que l'on avoit d'en tirer la satisfaction suivant l'ordonnace obtenue du tems du feu M. le Rme Général, qui n'a point eu de suite ni d'effet. Ils nous ont fait instance pour implorer votre protection et assistance moyennant cette lettre de recommandation. Or ayant considéré cette requête comme une chose très juste et équitable, lesdits abbé et couvent de Lucellin étant depuis longues années en pleine paix et possession de leurs biens, fort opulens et commodes, nous avons cru être obligez d'assister les nôtres pour vous prier, comme nous faisons très affectueusement par la présente, qui vous sera rendue par M. le Bailly Baumgartner au nom desdits héritiers et consorts, à ce qu'il vous plaisse, Messieurs, d'ordonner par votre authorité, que lesdits débiteurs ayent à satisfaire leurs créanciers nos bourgeois sans plus long delay. Vous assurant que non seulement vous ferez chose agréable à Dieu et conforme à la justice, mais que vous nous obligerez fort, et que nous chercherons avec soin les moyens pour vous en témoigner la reconnoissance par les plaisirs et services que nous tacherons de vous rendre aux occasions, qu'il vous plaira de nous faire naître, étant de bien bon cœur, Messieurs, vos très affectionnés à vous servir. Lavoyer, et conseil de la ville et canton de Soleurre. — A Soleurre, ce 5 mai 1672.

50. Promotor Capituli protestatus est contra titulum Provisoris collegii Parisiensis, quem sibi etiam nunc in praeinserto actu arrogat dictus Carolus Louvet, quamvis ab officio illo fuerit destitutus die 24 decembr. anni praeteriti per Rmum D. N. haecque destitutio declarata fuerit legitima et valida per arrestum sanctioris consilii Regis christianissimi die 22 martii sequentis. Post quod arrestum licet ab eodem Rmo D. N. certis de causis in processu verbali de hoc facto die 9 mensis aprilis ultimo elapsi deductis in eiusdem officii muniis fuerit restitutus, hoc tamen fuit solum usque ad praesens Capitulum generale exclusive prout constat ex actu eidem Louvet intimato die 13 huius mensis maii. De hoc placuit Capitulo generali edere decretum, quo et diffiniendo prohibetur dicto Louvet, ne deinceps Provisorem se vocet et gerat dicti collegii Parisiensis, et approbatur destitutio illius facta a Rmo D. N. et in locum eius facta est subrogatio de persona fratris Bernardi de Teillé, religiosi de Persenia, quod decretum edi iussit Capitulum generale ad instar aliorum decretorum alias circa destitutiones et institutiones bedellorum dicti collegii editorum a Capitulis generalibus de anno 1487 et 1499.

51. Protestatus est etiam Promotor contra D. Michaelem Guardiola, quia deputatus se dicit a Vicario generali Congregationis regnorum Coronae Arragonum, quem sub eo nomine Vicarii agnoscere non debet Capitulum generale, utpote cum in eo officio contra formam Ordinis et statutorum fuerit institutus.

52. Ad requisitionem eiusdem promotoris diffinitum est *Rituale* Ordinis iam confectum examinandum esse ; ad quod commisit Capitulum

generale RR. DD. de Stamedio, de Altaripa et de Grissovio, qui de eo ad Capitulum referant.

53. Cum multi conquesti fuerint nimium esse pretium librorum Ordinis apud Bibliopolam Parisiensem, Capitulum generale ultimi Capituli vestigiis inhaerendo decrevit pretium esse determinandum, quod reverenter committit Rmo D. N., quod pretium determinatum ut omnes sciant, scribatur singulis annis ad calcem ordinis officii recitandi.

54. Post haec exposuit Promotor prae manibus habere arrestum a sanctiori Regis christianissimi consilio emanatum, die 22 aprilis 1672, quo ob causas in eo contentas Sua Maiestas remisit et remittit ad Capitulum generale Ordinis Cisterciensis convocandi ad mensem maii proximum religiosos, qui in suspicionem venerant complicitatis cum Bourée religioso Ordinis Cisterc., ab eodem Capitulo illi iudicentur iuxta rigorem constitutionum dicti Ordinis. Iniungit dictis religiosis, ut se praesentent coram dicto Capitulo ad primas assignationes illis de hoc dandas, sub poena convictus ; ad hoc iubet informationes factas tam apud dictum Cistercium a religiosis, quam postea a Parlamento Divionensi et aliis iurisdictionibus afferri ad dictum Capitulum, agente illius Promotore. Ad quod faciendum greffarii et alii depositarii cogentur per omnes vias etiam per detentionem suarum personarum, mediante rationabili mercede. Ad quam fidem Sua Maiestas de hoc attribuit omnem curiam iurisdictionem et cognitionem dicto Capitulo generali, eaque interdicit dictum Parlamentum Divionense et omnes alios iudices. Addidit idem Promotor fr. Philibertum Payelle, religiosum Cistercii, Capitulo generali offerre libellum supplicem, quo ob causas in eo contentas consequenter ad praefatum arrestum, quo omnes religiosi in suspicionem adducti complicitatis criminis dicti Bourée ad Capitulum generale remittunt ab eo iudicandi, petit a dicto Capitulo actum suae comparitionis et submissionis iussioni Capituli, et consequenter ut committantur tales religiosi, prout Capitulo videbitur, qui procedere possint uti necessarium iudicaverit ad explorandas suspiciones omnes, quibus ipse Payelle laboravit. Et iniungebatur nostro Promotori, ut curet afferri informationes, quae sunt in greffario Parlamenti Divionensis, ac fiat ad executionem dicti arresti quidquid nostri muneris et zeli fuerit ad honorem Ordinis. Rmus D. N. testatus est, se circa huiusmodi processum deliberare nolle, quia licet pars in ea non fuerit, tamen laesus ob acceptum venenum cum sit altum in hac re tenere se velle silentium declaravit. Quo dicto recessit a Diffinitorio, in quo lectis dictis arresto et libello supplici, auditaque requisitione Promotoris, qui inter alia postulavit, ut alius hoc in processu Promotor nominetur, cum extra Capitulum huic officio vacare non possit. Decretum est acceptandum esse arrestum sanctioris consilii Regis, sed non inserendum in registro Capituli. Dandum esse fr. Philiberto Payelle actum suae comparitionis. Et nominati sunt commissarii RR. DD. de Septem fontibus, de S. Sulpitio et Provisor collegii Dolani ; quibus mandatum est, ut tres illi aut duo eorum, tertio absente aut alias impedito, processum instruant ; et eo instructo iudicium ferant in plenaria Ordinis potestate. Quod ut fiat, subrogat idem Capitulum generale D. Ioanni Tedenat Promotori praesentis Capituli Syndicum Ordinis

nostri in ducatu Burgundiae. Statutum deinde est, ponendum esse in laxiori custodia praedictum Philibertum Payelle in eo monasterio aut alio loco, quem ad hoc nominabunt praedicti commissarii, relicta etiam ipsis potestate eum transferendi ex uno ad alium, prout ipsi iudicaverint.

SESSIO SEXTA

55. Eadem die, hora fere secunda pomeridiana ad sonitum campanae maioris convocato Diffinitorio, Rmus D. N. exposuit RR. DD. Diffinitoribus, quatuor adm RR. primarios abbates ad se venisse et petiisse beneplacitum ut possent ad sua se recipere, quandoquidem inutiles erant in hoc monasterio suae praesentiae, soluto Capitulo per protestationem RR. DD. abbatum S. O. et suam ipsammet iam non semel factam protestationem contra validitatem praesentis Capituli ex defectu numeri 25 Diffinitorum iuxta *Breve* Apostolicum. Adiecit Rmus D. N. respondisse se RR. adm praefatis primariis abbatibus, nolle se nec debere sine consensu Capituli, cuius est de hac re iudicare, abeundi eis licentiam dare ; atque adeo se petere a Capitulo quid agendum sit, et videatur an satius sit praefatos RR. adm primarios abbates citari rursus tam suo nomine quam totius Ordinis ut remaneant et redeant ad sua munia in Diffinitorio ut prius obeunda, vel annuendo petitioni eorum liberum ipsis discessum relinquere. Collectis suffragiis a RR. DD. Diffinitoribus, visum est et decretum, citandos esse iterum, et duos RR. DD. Diffinitores deputandos, qui iterum atque iterum rogent ; et si renuant, imperent etiam nomini Rmi D. N. et totius Ordinis, ut redeant ad Diffinitorium suis in eo muniis ut more defuncturi. Deputati sunt RR. DD. de Novo Castro et de S. Benedicto.

56. Iussus est interim D. Ioannes Malgoirés, Procurator generalis in Curia, exponere si quae sint in illa negotia quae debeant ad Capitulum generale deferri, et quibus ex plenaria eius potestate necesse sit provideri. Respondit praefatus Procurator, duo praecipua esse consideratione digna. Unum est, Regem catholicum Hispaniae velle prioratibus Calatravae et aliarum Militiarum, quarum est administrator generalis, providere. Alterum est, quod in Lombardia, etsi una sit tantum Congregatio Ordinis nostri, in duas tamen divisam esse provincias, atque adeo ex unaquaque earum debere mitti deputatum ad Capitulum generale. Cum ergo unus tantum hac vice paruerit, inquirendum esse, qua ratione alius ex alia provincia aut non venerit, aut excusationem non miserit. Sed quantum ad alterum, datum est in mandatis praefato D. Procuratori generali in Curia, ut moneat absentem, et minetur nomine totius Capituli, animadversurum iri gravius, si in posterum venire renuerit.

57. Dum haec constituuntur, ecce redeunt praefati RR. DD. duo Diffinitores ad RR. adm primarios abbates deputati, et referunt eos respondisse ad ea quae ad ipsos nomine Rmi D. N. et totius generalis Capituli detulerant, se semper esse et fore paratos ad obediendum, imo et libenter interfuturos esse Capitulo generali, quando omnia fierent ex more et statutis Ordinis ; cuius ex defectu se protestatos esse, et iterum protestari contra praefatum Capitulum generale, cui adeo cum interesse non possint,

petere se facultatem abeundi, non quidem a Capitulo praetenso, cuius auctoritatem post suam protestationem non agnoscunt, sed a Rmo D. N. a quo animo obsequentissimo et ad obedientiam paratissimo discedendi licentiam expectabant. Unanimis fuit omnium sententia, praefatis RR. adm primariis abbatibus petitam facultatem non esse concedendam, nisi absoluto Capitulo. Reposuit Rmus D. N. per se non stetisse, sicut iam non semel protestatus est, quin omnia cum praefatis RR. adm primariis abbatibus amica via terminarentur, imo rogasse, et quampluribus obsecratum esse, ut communibus votis ad bonum regimen Ordinis convenirent. Addens insuper Rmus D. N. se etiam ipsis coram testibus promisisse, ut omnis contentio vitaretur, nihil in eo Capitulo actum, propositum et diffinitum iri de iis rebus, in quibus possent conqueri suam vel minimum laesam esse iurisdictionem. Quod cum constanter renuerint, se coram omnibus iam protestari, sicut et saepius protestatus est, se huius discordiae non esse causam, imo quantum in se est paratum esse adhuc omnia praestare, quae bono pacis et tam frequenter repetitae concordiae conducerent.

58. Scribatur nomine Capituli generalis R. D. de Campo principum in Bavaria, ut sciat quam accepta fuerit praesenti Capitulo indefessa sollicitudo, qua procuravit Ordini restitui detenta a Smo Duce Bavariae, plura Ordinis monasteria, in Superiori Palatinatu.

59. Renovatum est decretum iam alias in variis Capitulis generalibus editum, quo declaratur monasteria ab infidelibus aut haereticis occupata, cum ad Ordinem redeunt, subiici tamquam filias immediatas illi monasterio, cuius abbas aut alius superior quocumque nomine nuncupatus eorum restitutionem propriis expensis procuravit.

60. Tum vocatus D. Franciscus Bayet, Procurator generalis in Gallia, qui viva voce detulit Capitulo, quid gesserit variis in causis ubi actum est de immunitatibus et privilegiis Ordinis, quibus tuendis multis in tribunalibus nomine Ordinis intervenit.

61. Pluribus demum actum est, de mediis quibus Ordo uteretur, ut sibi restituantur occupata a Batavis monasteria, casu quo Regi christianissimo aliisque principibus catholicis feliciter arma succedant et ad optatam haereseos illis in partibus extirpationem, pro quo bello et specialiter pro conservatione Regis nostri christianissimi publicas et privatas preces indixit Capitulum generale.

62. Requirente Promotore statutum est, ut deinceps iuxta constitutionem Clementis IX in toto Ordine festum Conceptionis B. M. V. sub ritu festi sermonis maioris cum octava solemni, quae fiet sicut octava Nativitatis eiusdem B. M. V., mutato solo nomine ; excepto quod diebus infra octavam lectiones post primum nocturnum, desumentur ex Isaia eodem ordine ac si hac die officium fieret de feria. Responsoria autem dicentur de die Conceptionis per ordinem.

63. Ad petitionem R. D. de S. Benedicto concessum est, ut liceat

celebrare festum Translationis S. Benedicti, sub ritu festi sermonis maioris, cum octava solemni, in suo monasterio.

64. Idem concessum est R. D. de S. Urbano pro suo monasterio, de festo S. Urbani Papae.

65. Et generaliter statutum est iuxta rubricas *Breviarii* in singulis monasteriis fieri debere festum sancti Titularis cuiuscumque monasterii, sub ritu festi sermonis maioris cum octava solemni.

66. Ut obvietur magno abusui, qui praesertim est in Gallia, ubi praelo mandati sunt a variis Ordinis personis plurimi libri et libelli de Ordine et legibus seu statutis illius, nulla auctoritate approbati Capitulorum generalium aut RR. abbatum generalium Cisterciensium, et hoc contra arrestum a sanctiori Regis christianissimi consilio emanatum die 30 mensis ianuarii 1659, et omnia Ordinis nostri iura et statuta ; declarat praesens Capitulum generale eos omnes libros et libellos sic editos sine licentia praedicta Capituli generalis, aut Rmi D. N. pro tempore existentis, nullius esse in Ordine fidei et auctoritatis ; et inhaerendo decretis iam alias a Capitulis generalibus editis, diffinit nullum librum, sive de Ordine loquatur, sive non, a quacumque persona imprimi debere in quacumque regione, nisi de licentia Capituli generalis, aut Rmi D. N. pro tempore existentis, et ipsius, aut deputatorum ab eis specialiter ad hoc examen approbatione, specialique mandato ; contravenientes autem esse gravissime puniendos secundum rigorem statutorum nostrorum et praefatorum decretorum.

67. Cum retulissent ad Capitulum generale RR. DD. de Castro novo et de S. Urbano commissarii ab eo specialiter deputati, ad auctoritatem dicti Capituli generalis quosdam eximios cives et consiliarios Solodorenses in Helvetia, haeredes defuncti domini Greder recurrisse, ut abbas et conventus monasterii Lucellensis in Alsatia ipsis solverent summam principalem duodecim millium florenorum bonorum, et aliam conflatam ex annuis censibus illius summae principalis, a triginta annis et ultra non solutis, missumque esse ad praesens Capitulum generale eximium virum D. Ballivum Baumgartner nomine dictorum haeredum. Hoc audito, lectaque epistola supra inserta actis Capituli Magnificae Reipub. Solodorensis ad Capitulum generale civium suorum iuris tuendi commendatitia, volens Capitulum generale, ut a suis subditis nulli gravamen fiet, committit RR. DD. de Altaripa et de Porta coeli, ut omni dilatione postposita, examinatis hinc et inde praetensionibus et responsionibus utriusque partis, ad integram summae et censuum solutionem (si repererint eam deberi a dicto abbate et conventu dictis civibus Solodorensibus) dictos abbatem et conventum cogant omni meliori modo, et statuant quod opportunius iudicaverint, in plenaria Ordinis potestate.

SESSIO SEPTIMA

68. Die 19 post celebratum missae sacrificium de Angelis, coacto de more Diffinitorio, Promotor legit libellum supplicem abbatum Capitulo a Nicolao De Lamare, religioso Cistercii, qui petebat, ut daretur sibi actus suae comparitionis coram dicto Capitulo, cuius iudicio se sistebat virtute arresti a sanctiori Regis christianissimi consilio emanati die 22 aprilis ultimo elapsi, quo remittebantur ad dictum Capitulum religiosi omnes, qui in suspicionem adducti fuerunt complicitatis veneficii commissi in persona Rmi D. moderni a Georgio Bourée. Requirente Promotore datus est illi actus suae comparitionis. Et de reliquo idem statutum fuit de dicto Delamare ac supra de Philiberto Payelle.

69. Requirente Promotore, ut obviaretur et diffiniretur aliquid super querela Capitulo generali facta a priore et conventu monasterii de Carocampo in Artesia, contra fr. Ioannem Causserouge, religiosum Belliloci qui contra privilegia Ordinis in titulum parochiae capellam quamdam ad portam monasterii iuxta morem Ordinis positam, ab Illmo et Rmo D. Ambianensi episcopo obtinuit, et de ea a Sede Apostolica provisus est, cum tamen nunquam parochia fuerit. Audita de hoc relatione R. D. de Laude, ad huius examen deputati, Capitulum generale venerabilibus Vicario generali Picardiae, et priori de Valloliis committit, ut hac de re, eiusque circumstantiis et dependentiis informent ut si contra privilegia et usus Ordinis et monasterii praedicti a dicto fratre quomodocumque attentatum fuisse repererint, eum secundum constitutionem Apostolicas, nostraque statuta, corrigant et puniant, in plenaria Ordinis potestate.

70. Conquerente Promotore, quod examinatores computationum suo officio non vacarent, iis vocatis per unum e notariis ad pedes, et auditis eorum rationibus, quarum praecipua erat, quod RR. adm primariis abbatibus recedentibus a Capitulo generali, data sibi officia, maxime absente R. D. de Pinu primo ex illis, ad dictum examen computationum deptutati obire nequiverint. Iussit Capitulum ut officio suo, hiis non obstantibus vacarent. Tunc R. D. de Feneriis unus ex illis deputatis declaravit, se huic incumbere non posse ob protestationes a se factas contra validitatem Capituli, a quo RR. adm primarii abbates recesserant. Iterumque iussus munus sibi iniunctum exercere, rogavit ut de hoc excusaretur ob debilitatem oculorum, aliasque graves causas, cum declaratione tamen quod haec excusationis venia suis obesse non possit protestationibus. Excusatus est, et illi promissus est actus suae declarationis. Tunc D. Franciscus Crevel prior de Voto, unus a praedictis deputatis ad examen computationum declaravit se ob iussionem sibi modo factam remansurum, sed protes-

tari se de dicta violentia; hanc protestationem, iussit Rmus D.N. actis inseri. Instante autem Promotore, ut praesumptuosum hoc dictum non remaneret impunitum, dictus D. Crevel declaravit se non intendisse protestari de violentia sibi facta sed futura, et adiecit se a RR. adm primariis abbatibus mandatum accepisse, officio suo non vacandi et recedendi. Quas declarationes iussit Rmus D. N. actis inseri et actum sibi dari. D. Iacobus Ardelu, prior de Loco regio, tertius deputatus ad idem examen, dixit se esse filium legitimum Rmi D. N. et quod illum agnoscat tamquam generalem et agnoscat hoc Capitulum generale. D. autem Carolus Le Bourgeois, prior de Caroliloco, dixit se perseverare in protestationibus a se factis, sed tamen remansurum et officio suo vacaturum, quia hoc illi per iussionem mandabatur. Et declaravit hocce mandatum recipere a Rmo D. N. tantum, ut ab abbate Cistercii, non tamquam ab aliquo Capitulo generali, contra quod est protestatus. Contra quem sicut et contra omnes alias protestationes huc usque in Capitulo generali adversus factas protestatus est et ipse Promotor, petens actum illius sicut et aliarum protestationum a se factarum.

71. Requirente Promotore, ut vocarentur et audirentur hic praesentes Vicarii et Syndici provinciarum de monasteriis et officiis suae curae commissis rationem reddituri, diffinitum est eos singillatim esse audiendos, ut possit varias horum necessitates efficacioribus mediis Capitulum generale providere.

SESSIO OCTAVA

72. Eadem die 19, horis pomeridianis,coacto de more Diffinitorio, iussus primus omnium dictus D. Ioannes Malgoirés, Procurator generalis in Curia, Visitator seu Vicarius generalis per totam Italiam, Insulasque adiacentes, muneris sui rationem reddere. Retulit statum monasteriorum Siciliae, quorum procurationem habebat ad Capitulum generale infra inserendam ex mandato Capituli.

73. Ad petitionem Vicarii generalis monasteriorum eiusdem Siciliae, nomine ipsius a praefato Procuratore generali factam, ut ipsi liceret usumfructum habere bonorum Ordinis, quae suis sumptibus recuperare in animo habebat in Sicilia, et designare successorem, qui simili usufructu gauderet, et interim illa bona recuperanda unirentur in perpetuum seminario Ordinis in urbe Messanensi. Concessit Capitulum generale, ut ipse Vicarius, vita sua durante, bonorum sic recuperandorum usufructu gaudeat, quae ex nunc prout ex tunc unit et annectit in perpetuum praesens Capitulum generale dicto seminario Messanensi, illius usibus applicanda.

74. Eodem Procuratore referente abusum quemdam, qui in Cala-

briae Congregatione inolevit, in cuius monasteriis monachi stabilitatem non faciunt, sed dumtaxat in Congregatione, hoc ferre non valens Capitulum generale, cum et regulae et omnibus statutis nostris contrarium, et illius provinciae monasteriis damnosum omnino reperiatur, statuit et decrevit, omnes deinceps vota religionis emissuros, stabilitatem in determinato Calabriae monasterio debere promittere, iuxta formulam in Ordine consuetam, et ad calcem *Breviariorum* Ordinis nostri positam, diffiniendoque pronuntiat omnes et singulas professiones aliter faciendas, nullas, inanes, et irritas fore.

75. Decrevit praesens Capitulum generale iuxta *Breve* Apostolicum Alexandri PP. VII, ut in singulis provinciis fiat unum sigillum, quod habeat effigiem B. M. et circum sit scriptum : *Sigillum Provinciae N. Ordinis Cisterciensis*, quo omnes Vicariorum generalium litterae et ordinationes sigillentur.

76. Statuit etiam Capitulum generale, ut nullus religiosus a superioribus ad aliquem mittatur sine commendatitiis litteris, in quibus determinatus locus seu monasterium nominabitur, quo mittitur ; alioquin nullus tales religiosos recipere teneatur, excepto casu generalis dispersionis conventus, et ob alias gravissimas causas, quae in dictis litteris commendatitiis exprimentur.

77. Tum vocatus est D. Claudius Crescent, Vicarius generalis Picardiae, qui voce retulit statum monasteriorum suae provinciae in spiritualibus et temporalibus. Ex quo cum didicerit Capitulum generale istius provinciae variis in monasteriis sicut et in aliis multarum provinciarum non esse numerum debitum monachorum, requirente Promotore statuit et praecipit omnibus ad quos spectabit, ut debitus ille numerus infra tres menses compleatur ; et quamdiu non erit completus, tenebitur superior in arca sub tribus clavibus reponere summas pecuniarum, quae competerent pro victu et vestitu religiosorum deficientium, asservandas. Ceterum decrevit has summas expendi solummodo debere pro gravissimis necessitatibus cuiuscumque monasterii, ad iudicium Visitatoris, qui singulis Capitulis generalibus de his fidelem tenebitur reddere rationem.

78. Mandavit etiam Capitulum generale venerabili Vicario Picardiae, ut moneat ex parte Capituli generalis R. adm D. de Claravalle, ut in monasterio de Frigidomonte, et aliis provinciae Picardiae, curet haberi debitum numerum monachorum.

79. Tum auditus est D. Georgius Meillardet, Provisor collegii Dolani et Vicarius generalis in comitatu Burgundiae, qui retulit statum monasteriorum huius provinciae. Ex quo cum innotuerit, in ultimo Capitulo generali designatum non fuerit in comitatu Burgundiae aliquod monasterium pro novitiatu et professorio communibus, lecto super hoc libello supplici Capitulo oblato a venerabilibus praefato

Vicario generali et Syndico illius provinciae, praesens Capitulum generale designavit pro utroque monasterium de Balerna, volens et decernens, ut in eo, quae de aliis similiter designatis monasteriis a Summis Pontificibus et Capitulis generalibus statuta sunt, inviolabiliter observentur. Ideo moneatur Rdus adm D. de Claravalle per Vicarium illius provinciae, ut de magistro novitiorum in dicto monasterio quantocius poterit, provideat.

80. Super libello supplici oblato Capitulo generali a conventu de Roseriis in comitatu Burgundiae, quo petebat inter alia, ut ob causas in eo contentas uniret Capitulum generale in perpetuum infirmitorio dicti monasterii grangiam dictam La Ramée, a fr. Carolo Baud[a] monacho dicti monasterii emptam maiori ex parte ex pecuniis praefati conventus ; Capitulum generale unit et annectit infirmitorio dicti monasterii grangiam dictam La Ramée, volens insuper et decernens, ut huius infirmitorii usibus et necessitatibus in perpetuum applicetur, ita ut nulli abbates commendatarii in perpetuum, sub quocumque praetextu, huius grangiae administrationi se possint immiscere, aut aliquid de illius redditibus detrahere, etiam sub praetextu partitionis bonorum dicti monasterii factae aut faciendae. Adiiciens praesens Capitulum generale, ut proventus dictae grangiae in arca sub tribus clavibus reponantur applicandi usibus et necessitatibus infirmorum et reparationi aedificiorum dicti infirmitorii, adeo ut nullis aliis usibus possit deputari sine expressa licentia superiorum.

81. Datum est in mandatis Procuratori generali in Curia, quatinus supplicaret SS. D. N. ut nulli Ordinis nostri monacho ullas parochias aut curam animarum saecularium conferat[b].

82. Vocatus deinde D. Carolus Jamin, prior de Oratorio, Vicarius generalis in Andegavensi, Cenomanensi et Turonensi provinciis, voce retulit statum monasteriorum suae provinciae. Ex quo cum innotuerit Capitulo generali nullam fere esse observantiam regularem, et paucos esse monachos in monasterio de Chalocheyo, mandat venerabili Vicario Andegavensi ut moneat R. adm D. de Claravalle, patrem immediatum illius monasterii ut illi quamprimum provideat tam in spiritualibus quam in temporalibus.

83. Auditus pariter est D. Stephanus Bidard, Vicarius generalis Britanniae, qui retulit statum monasteriorum suae provinciae, ex quo cum scierit Capitulum generale paucissimos esse monachos in monasterio de Buzaio, in quo plurimi esse deberent, Vicario dictae provinciae

---

[a] David : *Bol L*⁸. [b] *de isto argumento add. Ch.² Bol* : Praecipit et mandat praesens Capit. gen. omnibus monachis Ordinis nostri parochias habentibus, quatinus aut maneant in suis parochiis extra monasterium, aut in illo sicut alii monachi conversentur, nihilque proprium habeant, sed omnes dictarum parochiarum redditus et proventus cellerario tradant usibus monasterii applicandos.

mandavit ut moneat adm R. D. de Claravalle, patrem illius monasterii immediatum, ut in eo debitus numerus habeatur.

84. Tunc vocati sunt examinatores contractuum, qui de iis retulerunt Capitulo generali. Approbatus est itaque contractus acquisitionis redditus annui et perpetui centum quinquaginta librarum factae per R. abbatem et conventum de Laude in Belgio super domo sita in urbe Insulensi, in compensationem trium domorum ab aliquibus annis alienatarum in urbe Bethuniensi, de licentia Rmi D. N. abbatis Cisterciensis moderni de die 21 novembris 1671.

85. Approbatur etiam contractus permutationis quorumdam bonorum, initus decimo aprilis 1629 inter abbatem et conventum de Theoloco in comitatu Burgundiae, ex una, et D. Claudium de Trestondam ex altera, partibus.

86. R. D. de S. Sulpitio, Diffinitor, Vicarius Sabaudiae retulit statum monasteriorum illius provinciae, ex quo cum innotuerit Capitulo generali monasteria de Alta cumba et de Alpibus diruta omnino esse ob negligentiam abbatis commendatarii, mandavit R. D. de Stamedio, ut horum reparationem pro viribus procuret apud serenissimum Ducem Sabaudiae, cui hac de re scribitur nomine Capituli generalis.

87. Tum lectus est status monasteriorum Bohemiae, Moraviae, Lusatiae, transmissus ad Capitulum generale a R.D. abbate de Osseco, Vicario generali istarum provinciarum. Cum ex eo cognoverit Capitulum generale a dicto Vicario generali constitutum fuisse, ut in monasterio Fontis Beatae Mariae, vulgo Zaara dicto, nullus per quinquennium abbas praeficeretur, sed administraretur a Vicario generali pro tunc existente et duobus vicinioribus abbatibus, hanc ordinationem praesens Capitulum generale confirmando ita limitat, ut praetermissis duobus vicinioribus abbatibus, a solo Vicario generali pro tempore existente et R. D. Welrhadensi administretur.

88. Renovat praesens Capitulum generale commissionem datam in ultimo Capitulo generali RR. DD. de S. Urbano et de Porta coeli pro terminanda controversia, quae vertebatur inter RR. DD. abbates de Lucella et de Parisio, in plenaria Ordinis potestate.

SESSIO NONA

89. Die 20 maii, hora 7 matutina ad sonum maioris campanae, coacto de more Diffinitorio, requirente Promotore, statutum est, ut a Paschate usque ad Exaltationem S. Crucis, singulis diebus dominicis fiat processio per claustrum sine stationibus, ante quam campanae pulsabuntur [c].

---

[c] *Bol. Ch² add.* : De cetero autem non fiant processiones, nisi in festis B. M.,

90. Mandat et praecipit Capitulum generale Patribus abbatibus, Vicariis, aut aliis commissariis ad recipiendas professiones tam monachorum quam monialium specialiter deputandis, ut ad calcem formulae professionis subscriptae a novitiis profitentibus, testentur se propria auctoritate aut delegata admisisse ad professionem talem novitium aut novitiam, tali die, mense et anno, in praesentia testium, qui huic etiam subscribent.

91. Statuit praeterea ut in singulis monasteriis habeantur libri, in quibus registrabuntur professiones monachorum et monialium, quarum singulis subscribent abbas, aut alius professionem recipiens, parentes, si qui sint, et alii testes.

92. Diffinit Capitulum generale, ut deinceps, soluto Capitulo generali gratiae Deo reddantur, decantandum esse solemniter hymnum *Te Deum laudamus.*

93. Decrevit Capitulum generale ut conversi et conversae in habitu saeculari uno anno probentur, antequam ad habitum recipiantur, et anno completo novitiatus, profiteantur ritu antiquo, in capitulo, sub his verbis : *Promitto obedientiam de bono usque ad mortem.* Cappas et alias vestes habeant bruni seu ferruginei coloris, quas cappas ferre teneantur diebus quibus non laboratur. Scapularia autem habeant conversi non longa seu talaria, sed decurtata, prout in Cistercio.

94. Praecipit Capitulum generale ut sive monachi sive moniales cingulum habeant supra scapulare.

95. Circa numerum rasurarum praesens Capitulum generale duxit renovanda decreta Capitulorum generalium annorum 1257 et 1258, quibus praecipitur ut eae fiant in Nativitate Domini, in Purificatione B. M., prima dominica martii, in Paschate, ante dominicam quartam post Pascha, in Pentecoste, in vigilia S. Ioannis Baptistae, in vigilia S. Mariae Magdalenae in vigilia Assumptionis B. M ., in eius Nativitate, in festo S. Dionysii, in vigilia Omnium Sanctorum et prima dominica Adventus. Rasurae autem, sive tonsurae monachalis circulus non excedat latitudinem minoris digiti.

96. Statuit etiam Capitulum generale, ut omnes monachi, etiam extra monasterium caputium ferant ; delinquentibus autem non permittatur exire de monasterio, nisi post sex menses integros elapsos.

97. Audita relatione R. D. de S. Benedicto de quodam libello supplici Capitulo generali oblato a venerabili domina abbatissa de l'Etanche, in Lotharingia, quo petebat ut nullae declarentur et cassentur alienationes omnes et emphiteoses a praecedentibus abbatissis factae

---

in Ascensione Domini, in solemnitate SS. Sacramenti et die octava, ac in dominica Palmarum ; quibus diebus fient stationes, ut notatur in processionalibus, ante quas omnes processiones campanae pulsabuntur.

sine licentia superiorum, non servatis etiam constitutionibus Apostolicis et Ordinis et maxime contractus, quo una ex illis abbatissis mutuo accepit a R. D. Claudio Regnault abbate de Valle dulci summam mille librarum ; Capitulum generale RR. DD. abbatibus de S. Benedicto et de Pontefrigido, ut hos contractus et alios serio examinent, committit ; et si eos non rite secundum constitutiones Apostolicas et Ordinis factos esse repererint, illos respective nullos declarent, cassent et annullent, in plenaria Ordinis potestate. R. autem D. de S. Benedicto dixit iussioni se praestiturum tamquam factae a Rmo D.N. non a Capitulo, cui deferre non poterat post factam in scriptis suam protestationem contra illius validitatem.

98. Visa supplicatione R. D. Bernardi de Neapoli, abbatis de Aqua formosa in Calabria, qua petebat, ut cum monasterio S. Mariae de Succursu in eadem provincia applicuerit summam 460 scutorum de suo patrimonio, et illi concessa fuerit licentia a sacra Congregatione Episc. et Regul. negotiis praeposita, sua vita durante huiusmodi summae usufructu annuatim gaudendi, auctoritate Rmi D. N. et totius Capituli generalis cogatur R. D. Praeses dictae provinciae Calabriae ad debitam solutionem. Viso etiam dictae Congregationis decreto, Capitulum generale praecipit et mandat dicto R. D. Praesidi, ut dictum R. D. Bernardum de Neapoli gaudere faciat praedictae summae usufructu.

99. Super libello supplici Capitulo generali oblato a monasterio S. Bartholomei de Ferraria Congregationis Italiae, provinciae Tusciae, quo petebat conservari sibi, auctoritate Capituli generalis, potestatem vestiendi suos novitios, iuxta bullas Pauli V et Innocentii X. Capitulum generale commisit R. D. de Morimundo Mediolanensi eiusdem provinciae, ut, prius examinatis dictis bullis, praefatum monasterium praedicta potestate gaudere permittat, in plenaria Ordinis potestate.

100. Tum R. D. de Leoncello, Diffinitor, Vicarius generalis in Delphinatu, Capitulo retulit statum monasteriorum illius provinciae, ex quo cum innotuerit in monasterio de Bonavalle Viennensi debitum non esse numerum monachorum, Capitulum generale praecipit venerabili priori illius monasterii ut quamprimum tres novitios recipiat.

101. Eiusdem provinciae Vicario generali districte praecipitur ut quamprimum visitet monasterium de Aqua bella Tricastrinensis dioecesis, et omnia in eo ordinet et reformet, moneatque adm R. D. de Morimundo, patrem immediatum illius monasterii, de quo multae quaerimoniae a diversis personis Capitulo generali factae sunt.

102. Idem R. adm D. de Morimun domoneatur a Vicario generali in comitatu Burgundiae ut in illus provinciae monasteriis sibi subiectis debitum curet haberi numerum monachorum.

103. Moneatur R. adm D. de Claravalle, ut clausuram inviolabiliter

faciat observari in monasterio monialium de Amore Dei, quas ad grangias longe a monasterio quandoque ire relatum est Capitulo generali.

104. Deinde auditus est D. Blasius Leaulté, commissarius generalis in Provincia qui retulit statum illius monasteriorum. Cuius ex relatione cum agnoverit Capitulum generale, in monasterio monialium S. Petri de Almanaria in urbe Arearum nec clausuram esse, nec votum paupertatis observari, praesens Capitulum generale, auditis dictarum monialium rationibus et momentis in interiecta ab eis appellatione deductis ad Rmum D. N., eisque frivolis iudicatis et non obstantibus, statuit ut via iuris ad clausurae introductionem cogantur, nec in eo monasterio, sub poena excommunicationis, ullae novitiae vestiantur, antequam dicta clausura introducta fuerit. Damnat insuper et supprimit quascumque certas praebendas, quae cuilibet moniali, ratione antiquitatis suae, competere solent ; volens et decernens, ut in eo omnia ad perfectae paupertatis observantiam, omni dilatione postposita, a Vicario generali provinciae ordinentur. Quae diffinitio ad alia omnia monialium monasteria, in quibus haec aut similia reperirentur, extendatur.

105. Revocavit praesens Capitulum generale omnes licentias generales a quibuscumque datas abbatissis et monialibus, quoties voluerint, e monasterio exeundi ; volens et statuens, ut specialem in scriptis habeant licentiam, toties quoties eas exire necesse fuerit.

106. Et cum ad audientiam Capituli generalis pervenerit, in Provinciae monasteriis, obmisso Ordinis *Breviario*, secundum alios ritus officium divinum recitari, statuit et mandavit, sub poenis contra obtinentes privilegia adversus communia Ordinis instituta, in constitutionibus Apostolicis et nostris statutis praescriptis, tam illius Provinciae monasteriis quam omnibus totius Ordinis regularibus personis, ut, omni dilatione postposita, sibi comparent Ordinis *Breviaria*, secundum quae officium divinum in perpetuum recitabunt, aliosque libros Ordinis tam pro missis quam pro choro, aliisque usibus necessarios, iuxta mandatum Rmi D. N. editos.

107. Quantum fieri poterit, in omnibus monasteriis monialium, tam intra quam extra civitates, instituatur unus confessarius religiosus Ordinis, excluso quocumque saeculari.

SESSIO DECIMA

108. Eadem die 20, hora secunda pomeridiana ad sonum campanae maioris, coacto de more Diffinitorio, auditus est D. Michael Antonius Hacki, mandatarius et deputatus Poloniae ; qui pluribus retulit statum monasteriorum Ordinis in dicto regno et provinciis adiacentibus. Ex quo cum innotuerit Capitulo generali quantum praeiudicium fiat

Ordinis nostri monasteriis, ex eo quod illa dentur in commendam, requirente Promotore, ut efficaci aliquo remedio huic malo quantocius obvietur. Decrevit Capitulum generale dandas esse ad serenissimum Regem Poloniae gravissimas litteras, illique supplicandum, ut, pro sua erga Ordinem nostrum antiqua benevolentia, nolit amplius pro monasteriis in suis dominiis sitis commendatarios postulare, aut iis monasteriis quomodolibet de personis saecularibus providere.

109. Et quia retulit idem qui supra mandatarius Poloniae, in aliquibus Ordinis nostri monasteriis in Polonia monachos elegisse viros saeculares in abbates dictorum monasteriorum, et cum hoc sit sub gravissimis poenis a constitutionibus Apostolicis et Ordinis prohibitum, praesens Capitulum generale prohibet omnibus monachis, sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendae, ne sub quocumque praetextu, personas saeculares eligant in abbates suorum monasteriorum, volens et declarans ex nunc prout ex tunc electiones in contrarium faciendas nullas et irritas fore et esse.

110. Postulante eodem praefato mandatario ut liceret per Capitulum generale inquirere de sanctitate bonae memoriae R. D. Adami Trebenic abbatis Olivensis in Prussia, cuius corpus cum vestibus incorruptum post 37 annos a die obitus sui repertum fuit anno 1667; lectoque libello supplici a priore et conventu Olivensi, Capitulo generali eadem de causa oblato, idem Capitulum generale decrevit in hoc negotio mature esse procedendum, et ante omnia mandandum R. D. abbati Landensi, Vicario generali in Polonia, ut, quam secreto fieri poterit, inquirat de praedictis et aliis in processu occurrentibus, sicque factas informationes ad Rmum D. N. aut Capitulum generale deferat examinandas, ut plene de omnibus informatus, seu informatum, possit pro opportunitate et rei merito Sanctissimo D. N. supplicare, quatinus de huius viri meritis et factis auctoritate Apostolica inquisitiones fieri velit. Interim praesens Capitulum generale districtissime prohibet ne quis audeat praefatum abbatem, pie, ut creditur, defunctum, beatum ac sanctum colere, aut coli quomodocumque permittere.

111. Cum fatalitate bellorum, potissimumque hostilitate Suecica acciderit, ut a dicto monasterio Olivensi factae sint multae alienationes bonorum immobilium, emphyteoses in perpetuum censum, excisiones silvarum, et locationes quandoque ad 70 aut etiam ad 100 annos, multarum domorum in urbe Dantzicana, sine licentia superiorum, et contra constitutiones Apostolicas et Ordinis; quae omnia cadunt in totalem monasterii huius ruinam; lecto super praedictis libello supplici a venerabilibus priore et conventu dicti monasterii Capitulo generali oblato, praesens Capitulum generale, inhaerendo constitutionibus Summorum Pontificum et Ordinis, maxime autem Benedicti XII, revocat, cassat et annullat praefatas alienationes, emphiteoses et lo-

cationes contra praedicta factas et attentatas, inhibens omnibus personis regularibus dicti monasterii Olivensis, talia unquam facere et praesumere; dando firmiter in mandatis Vicario generali Poloniae pro tempore existenti, ut iis invigilet, et contravenientes gravissime puniat, in plenaria Ordinis potestate. Mandans insuper idem Capitulum generale R. D. abbati Landensi, ut circa enormem et continuam excisionem et venditionem arborum illius monasterii agat etiam quod faciendum iudicaverit, in plenaria Ordinis potestate.

112. Post haec auditus est D. Iacobus Ardelu, Vicarius generalsi in provincia Bituricensi et Marchia, et examinatis quae de statu monasteriorum dictae provinciae retulit, decrevit Capitulum generale ut fr. Claudius Legendre, monachus monasterii de Landesio ob innatam inquietudinem aliasque causas, mittatur a dicto monasterio ad aliud, ex arbitrio Vicarii generalis praefatae provinciae, non reversurus, nisi de licentia Capituli generalis.

113. Mandatum est eidem Vicario generali, ut moneat ex parte Capituli generalis adm R. D. de Claravalle, quatinus curet omnia religiose ordinari in monasterio de Albis Petris, filia sua immediata, quod rescivit Capitulum generale a longo tempore omnino esse deformatum.

114. Moneat idem Vicarius generalis ex parte Capituli generalis adm R. D. de Pontigniaco, ut provideat monasterio de Albiniaco filia sua, cuius aedificia omnia, maxime ecclesia, in miserando statu visuntur, in qua, nec tabernaculum sit, ubi Sacrosanctum Christi Corpus possit asservari.

115. Moneatur ab eodem Vicario praefatus R. adm D. de Pontigniaco, ut alteram filiam suam, monasterium scilicet de Palatio, ita ordinet et reformet per emissionem monachorum, aut alias, ut de eorum conversatione nulla amplius querendi detur occasio.

116. Moneatur etiam per dictum Vicarium venerabilis abbatissa de Loco Nostrae Dominae, ut melius monasterium suum in utroque statu administret, alioquin in eam severissime animadvertet Capitulum generale.

117. Praecipitur a Capitulo generali priori de Altaripa, ut non sinat a monasterio egredi fr. Gabrielem Moret monachum de Pratea, quatinus tollatur ei omnis occasio vagandi et litigandi.

118. R. D. de Grissovio, Diffinitor, retulit statum monasteriorum provinciae Silesiae, a qua est ad praesens Capitulum deputatus. Cum itaque ad Capitulum generale graves omnino de moribus monachorum monasterii Lubensis in Silesia, et de praegrandi senio R. D. abbatis eiusdem monasterii, querelae delatae fuerint, ampliusque ferre non valeat tam inclitum monasterium in utroque statu deformari, cui malo obviare cupientes RR. DD. abbates illius provinciae, fulti

auctoritate defuncti Rmi D. N. praefatum abbatem ad spontaneam cessionem adduxerant ; sed res cum effectu caruerit, et ab eo tempore consensisse etiam praesumatur cuidam actui a suis monachis facto in favorem acatholici principis Ducis Briegensis, cui concedunt, ad futurram sui abbatis electionem, facultatem mittendi commissarium, qui ei suo nomine adsit. Praesens Capitulum generale committit RR. DD. abbatibus Sedlicensi in Bohemia, et Camencensi in eadem Silesia, ut de dicti monasterii Lubensis utroque statu, et maxime de actu praefato, in favorem dicti principis acatholici, quamprimum informent, et si per informationem dictum D. abbatem in aliquo culpabilem repererint, puniant per depositionem (si casus exegerit), convocato aliquanto numero abbatum. Si etiam fratres illius monasterii minus religiosos, et consensum praebuisse praefato actui invenerint, eos secundum gravitatem culpae indissimulanter puniant, etiam per emissionem e monasterio, et privationem vocis activae et passivae in perpetuum, volens et decernens, ut haec fiant expensis dicti monasterii Lubensis.

119. Scribi iussit Capitulum generale litterae exhortatoriae ad omnes abbates Silesiae, ut summas aliquas pecuniae commodent monasterio Gemelnicensi eiusdem provinciae omnino depauperato, intra certum tempus sine usura restituendas.

120. Auditus est D. Carolus Mathaeus Amatus de Minard, syndicus provinciae Tholosanae, qui Capitulo generali fideliter retulit statum monasteriorum temporalem, numerum monachorum in singulis residentium. Quibus examinatis, statuit idem Capitulum generale ponendum esse debitum numerum 40 monachorum in monasterio de Grandi sylva.

121. Tum auditus est D. Antonius Cuzol, prior monasterii praedicti de Grandi sylva, ut rationem redderet novitiatus et professorii in praefato monasterio constituti.

122. Ad querelas a priore de Grandi sylva et Syndico provinciae Tholosanae factas, quod multi novitii, aut omnino missi non fuerint ad monasterium de Grandi sylva designatum pro novitiatu, aut in eo per aliquos tantum menses manserint ; Capitulum generale statuit et diffinit nullos in posterum novitios ad professionem esse admittendos, nisi completo et revoluto probationis anno in novitiatibus communibus per ultimum Capitulum generale designatis, sub poena nullitatis professionis eorum. De his vero qui a tempore novissimi Capituli generalis de anno 1667, annum integrum probationis ante professionem non perfecerint in monasteriis, ut dictum est, designatis, praesens Capitulum generale mandat et praecipit, sub inobedientiae poena et censuris Ordinis, omnibus abbatibus et aliis monasteriorum superioribus, ut quamprimum sic professos ad monasterium designatum pro professorio transmittant, in eo per annum integrum remansuros ;

executionem huius diffinitionis Vicariis generalibus et Syndicis committendo in plenaria Ordinis potestate.

123. Noviter professi, per annum remaneant in professorio designato, nisi ob aliquas rationabiles causas a Vicario generali approbandas, magister eorum tempus protrahendum duxerit [d].

124. Novitii, antequam vestiantur, examinentur a Vicario generali provinciae, aut ab eo deputato, et magistro novitiorum.

125. Quia delatum est ad Capitulum generale priorem monasterii de Florano admisisse Illum et Rmum D. archiepiscopum Ausciensem ad visitationem dicti monasterii, idemque eo consentiente fecisse dictum Illum archiepiscopum in monasterio de Gimonte, committit Vicario generali provinciae Tholosanae ut informet de praedictis; et si dictum priorem reum in hoc esse invenerit, eum tamquam conspiratorem puniat, in plenaria Ordinis potestate. Dans praeterea firmiter in mandatis dicto Vicario generali, ut nomine totius Ordinis contra praefatam visitationem Illmi archiepiscopi protestetur, tamquam contra Ordinis immunitates et privilegia attentatam.

126. Occasione fr. Dupuy monachi de Elnis in provincia Tholosana qui cum sit parochus, et sic pensione congrua gaudeat, nihilominus in dicto monasterio remanet, et ultra hanc pensionem, aliam unicuique monacho huius monasterii pro victu et vestitu competentem habere praetendit; Capitulum generale praecipit et mandat dicto fratri, aliisque qui similes parochias habent, ut aut maneant in suis parochiis extra monasterium, aut in illo sicut alii monachi conversentur, nihilque proprium habeant, sed omnes dictarum parochiarum redditus et proventus cellerario tradant usibus monasterii applicandos.

127. Committitur Vicario generali dictae Tholosanae provinciae, ut inquirat de subreptione originalium instrumentorum ex archivis monasterii de Gimonte et eorum venditione; et si quam Ordinis nostri personam huiusce criminis ream invenerit, reddere cogat, et puniat, in plenaria Ordinis potestate.

128. Hortatur et monet Capitulum generale superiorem monasterii monialium de Salença, ut illis in praesenti necessitate efficax et assiduum praestet auxilium.

129. Ad querelam dicti Syndici provinciae Tholosanae quod a prioribus de Berdoniis et de Bonofonte in magnum Ordinis contemptum, suo dum munere fungeretur, male exceptus fuerit; committitur dictae provinciae Vicario, ut de his inquirat, et officialium Ordinis contemptores gravissime puniat, in plenaria Ordinis potestate.

---

[d] *Bol Ch*[2] add.: In quo tamen decreto non est mens Capituli comprehendere Congregationes Germaniae et Italiae, quae suum habent vivendi ritum ex statutis Summorum Pontificum.

130. Quoniam ad praesentes controversias necessarium erit varias citare Capitulorum ordinationes et decreta, et difficile erit ingentia registrorum volumina exportare, Capitulum generale commisit RR. DD. abbatibus de Leoncello et de S. Remigio Diffinitoribus, et de Pontefrigido notario Capituli generalis, ut ordinationum et decretorum, quae sibi necessaria et utilia videbuntur, a praedictis registris extrahant et subsignent ex speciali commissione Capituli generalis.

SESSIO UNDECIMA

131. Die 21 maii, hora septima matutina, coacto de more Diffinitorio, requirente Promotore, Capitulum generale sub poenis in proprietarios latis prohibuit ne monachi aut moniales, qui a parentibus aut aliis pensiones permittuntur habere, penes se eas retineant, sed eas tradere teneantur cellerariis, ad usus ipsorum seu ipsarum de licentia superioris impendendas.

132. Prohibuit Capitulum generale omnibus superioribus, sub poena suspensionis ab officio ipso facto incurrendae, ne monachos suos sub quocumque praetextu in urbibus ubi sunt Ordinis collegia, alibi quam in praedictis collegiis remanere permittant.

133. Circa ius paternitatis a RR. DD. abbatibus de Plassio in Bohemia, et de Sancta Cruce in Austria praetensum in monasterium de S. Corona pariter in Bohemia, visis decretis Capitulorum generalium de annis 1281 et 1667, bulla Bonifacii PP. IX, libellis supplicibus et informationibus, aliisque titulis hinc inde productis ; auditis D. Candido Pfeiffer priore Montis Pomerii specialem ad hoc habente procurationem a dicto R. D. de Sancta Cruce, et D. Eugenio Hauman deputato vicariatus Bohemiae, auditaque relatione RR. DD. de Stambs in Tiroli, et de Grissovio in Silesia, commissariorum ad haec examinanda specialiter deputatorum, Capitulum generale diffiniendo pronuntiat observandum esse dictum decretum Capituli generalis de anno 1281, et consequenter ius paternitatis in dictum de Spinea Corona monasterium competere R. D. abbati Plassensi eiusque successoribus.

134. Super controversia, quae vertebatur inter R. D. Vicarium generalem Bohemiae, Moraviae et Lusatiae, ex una, et R. D. abbatem Hilariensem in Superiore Austria, ex altera, partibus, occasione iuris praesidentiae ab utroque praetensi in monasterii Alto Vadensis in Bohemia electione ; visis hinc inde prolatis titulis et informationibus, auditoque D. Candido Pfeiffer priore Montis Pomerii specialem ad hoc habente procurationem a dicto R. D. Hilariensi, et D. Eugenio Hauman deputato praedicti vicariatus Bohemiae, et audita relatione RR. DD. de Altaripa et de S. Urbano in Helvetia, commissariorum ad haec examinanda specialiter deputatorum, Capitulum generale

diffiniendo pronuntiavit dictum ius praesidentiae, per provisionem, competere dicto Vicario Bohemiae, absque praeiudicio abbatis Hilariensis patris immediati, donec ampliori probatione a dicto abbate Hilariensi facta, res diffinitive in proximo Capitulo generali assignato pro termino peremptorio terminetur.

135. Super libello supplici Capitulo generali oblato a D. Francisco Lonjon provisore collegii S. Bernardi Tholosani, quo petebat, ut ob causas in eo contentas, maximasque illius collegii ruinas, ordinationem confirmet Capitulum generale, qua abbas Pontigniacensis de anno 1627 constituerat certas a monasteriis provinciae Tholosanae exigendas esse contributiones; audito dicto provisore, praesens Capitulum generale ad proximum Capitulum generale peremptorie citavit omnes ius quomodocumque praetendentes in dictum collegium, ut in eo diffinitive pronuntietur ad quem pertineat ex officio huic collegio providere.

136. Tum lectus est status monasteriorum utriusque Austriae et Styriae missus ad Capitulum generale a R. D. abbate Campililiensi, Vicario generali, et auditus D. Candidus Pfeiffer, prior monasterii Montis pomerii in Superiore Austria deputatus dicti vicariatus per mandatum speciale infra inserendum in actis Capituli.

137. Renovatur decretum, quo statuitur, ut dum missa conventualis celebratur, dato signo ad elevationem Corporis Domini, omnes genuflectant in omnibus locis monasterii, exceptis his qui in dormitorio fuerint.

138. Aliud pariter renovatum est decretum de silentio servando in infirmitorio tempore divini officii.

139. Praecipit Capitulum generale omnibus et singulis Vicariis generalibus seu Visitatoribus, ut ad singula Capitula generalia afferant, aut si venire non possint, mittant statum monasteriorum suarum provinciarum, tam in spiritualibus quam temporalibus, nomina, mores et capacitatem monachorum in singulis residentium, ut Capitulo generali et aliis superioribus innotescat, cui quisque officio aptus esse possit.

140. Designatum est in vicariatu Sabaudiae pro novitiatu et professorio monasterium de Stamedio.

141. Posthac lectus est status monasteriorum, quae sunt ad Tractum Rheni et in Inferiore Germania, ad Capitulum generale missus a R. D. abbate de Veteri Monte, in ducatu Montensi, his in provinciis Vicario generali.

142. Visis decretis Capitulorum generalium annorum 1651 et 1667, auditoque D. Candido Pfeiffer specialem de hoc habente procurationem a R. D. abbate de Sancta Cruce in Austria, auditaque relatione R. D. de S. Remigio in Leodiensi provincia, commissarii ad haec examinanda deputati; Capitulum generale provisionaliter adiudicavit

R. D. abbati Rhunensi in Stiria ius paternitatis in monasterium Aulae B. Virginis, vulgo Schlierbacum in Austria, salvo iure monasterii Vallis Dei in eadem Austria ; volens et decernens ut utraque pars ad proximum Capitulum generale pro termino peremptorio afferat sua instrumenta, quatinus super hoc ab eo diffinitiva sententia ferri possit.

143. Decrevit Capitulum generale de nulla controversia in eo relationem fieri posse, nisi prius et libelli supplices et instrumenta, quibus utraque pars se tuetur, invicem communicata fuerint, ut possit alter quid sibi videbitur respondere.

144. Circa residentiam abbatum praesens Capitulum generale diffinit omnes abbates in propriis monasteriis debere residere, prout de iure, nec eis licere, sub poena suspensionis a divinis, ipso facto incurrendae, extra monasteria sua, sive in urbibus, grangiis, aut castellis per duos menses continuos commorari, sine licentia petita et obtenta a superiore.

145. Commisit Capitulum generale RR. DD. abbatibus de S. Urbano in Helvetia et de Porta coeli in Brisgoia, ut quamprimum inquirant de moribus et variis excessibus D. abbatis de Parisio quibus apud Capitulum generale diffamatus est, et puniant, si casus exegerit, etiam per depositionem, convocato aliquanto numero abbatum, in plenaria Ordinis potestate.

146. Moneatur per Procuratorem generalem in Curia F. Hieronymus Pilsteim monachus Salemitani monasterii a pluribus annis Romae commorans, ut aut habitum Ordinis ferat, aut cedat titulo abbatiae de Alba dominorum, quam praetendit, ad quae auctoritate Capituli generalis compellatur.

147. Declaravit Capitulum generale potestatem Vicariorum generalium et Syndicorum extra visitationis actum subsistere.

148. Tum lectae sunt et approbatae formulae institutionum Vicariorum generalium et Syndicorum infra inserendae ex mandato Capituli, quibus deinceps uti se velle Capitulum generale declaravit.

SESSIO DUODECIMA

149. Eadem die 21, hora secunda pomeridiana, coacto de more Diffinitorio, auditi sunt RR. DD. de S. Urbano in Helvetia et de Stambs in Tiroli, ad praesens generale Capitulum a Congregatione Superioris Germaniae deputati, qui et statum Congregationis variasque illius et singulorum ipsius monasteriorum petitiones Capitulo generali retulerunt.

150. Ad tuenda Ordinis et monasteriorum ipsius his in partibus privilegia et immunitates, Capitulum generale mandavit proximo Congregationis illius capitulo nationali, ut taxam pro cuiusque monasterii

facultate conficiat, et quid circa haec et circumstantias et dependentias ordinaverit, transmittat ad proximum Capitulum generale.

151. Mandavit Capitulum generale praefatae Congregationis capitulo nationali, ut novam faciat taxam pro singulis illius monasteriis ad solutionem contributionum Ordinis a proximo Capitulo generali revidendam, summamque contributionum unicuique monasterio competentem ante 15 maii in manibus Vicariorum reponendam, sub poena dupli solvendi.

152. Attentis magna locorum distantia, maximisque expensis, quibus oneratur monasterium de Stambs in Tiroli, ob annuam R. D. abbatis Caesariensis in Suevia maximo cum comitatu visitationem, et perpensa religiosissima dicti monasterii de Stambs ordinatione, mandavit Capitulum generale R. D. abbati Caesariensi, ut tantum singulo quoque triennio dictum monasterium de Stambs visitet, et hoc cum religioso, in constitutionibus Apostolicis et Ordinis praescripto, comitatu.

153. Ad petitionem R. D. abbatis de Dunis in Flandria, ut sibi liceat ob causas in libello supplici Capitulo generali oblato contentas, vendere et alienare quaedam monasterii bona immobilia ; generale Capitulum commisit R. D. abbati de Laude in eadem Flandria, quatinus informet de commodo et incommodo, factamque informationem transmittat ad Rmum D. N., aut Capitulum generale, ut circa dictam alienationem faciendam, quid aequum iudicaverit, statuat in plenaria Ordinis potestate.

154. Petitio abbatis et conventus Copriunicensis in Polonia, ut sibi liceat acceptare summam 5000 florenorum Polonicalium, dicto monasterio oblatam a magnifico viro Paulo Delpau ad onus unius missae pro anima dicti domini semel in hebdomada, exaudita est, ea conditione, ut dictam summam in emptionem fundi, aut alicuius redditus impendant.

155. Committitur omnibus et singulis Vicariis generalibus in partibus Germaniae, ut in monasteriis monialium clausuram omni meliori modo introducant, et de hoc scribatur magnificae Reipublicae catholicae Helvetiorum.

156. Tum auditi sunt auditores excusationum, qui de singulis infrascriptis absentibus Capitulo generali retulere.

EXCUSATIONES ABSENTIUM

157. R. D. abbas Campililiorum Vicarius generalis in utraque Austria et Stiria, excusat se ob munia publica, quibus in provincia fungitur, et bella impendentia, sicut et alii RR. DD. harum provinciarum abbates, quorum omnium nomine comparuit D. Candidus Pfeiffer

monasterii Montis Pomerii in Superiori Austria prior, et s. th. d. in Universitate Viennensi, habens specialem ad hoc procurationem de die 12 martii praesentis anni.

158. R. D. abbas Rhunensis in Stiria, Vicarius generalis in Carinthia et Carniola, tam pro se quam pro RR. DD. abbatibus suae provinciae, se excusat ob bella ingruentia ex parte Turcarum, et quia plures eorum deputati sunt ad officia publica a Caesarea Maiestate, per litteras de die 18 martii a praedicto D. Candido Pfeiffer monasterii Montis Pomerii priore ab illis provinciis deputato, allatas.

159. R. D. de Osseco, Vicarius generalis Bohemiae, Moraviae et Lusatiae, excusat se ob bellum imminens a Turcis Poloniae et Hungariae, per litteras datas 5 aprilis praesentis anni, sicut et RR. DD. abbates harum provinciarum, scilicet Sedlicii, Wellerhadi, Altovadi, Aulae regiae, Plassii, S. Coronae, et Novae cellae, easdem ob causas. Quorum omnium nomine comparuit D. Eugenius Hauman, Vallis S. Mariae praepositus et provinciae Syndicus, specialem habens procurationem de die 19 februarii currentis anni.

160. RR. DD. Vicarius generalis et abbates provinciarum Silesitarum se excusant super bella undique ingruentia, per litteras datas die 24 martii praesentis anni; horum nomine comparuit R. D. abbas Grissoviensis.

161. R. D. Raudensis eiusdem provinciae Silesiae excusat se ob easdem causas, et inceptam sui monasterii restaurationem, quae suam domi requirit praesentiam, per litteras 5 martii eiusdem anni.

162. R. D. Landensis, commissarius et Vicarius generalis in Polonia, Prussia et Lithuania, in Capitulo nationali harum provinciarum excusat se et alios abbates ob imminens bellum a Turcis, Moschis et aliis, et deputavit ad Capitulum generale specialem procuratorem D.Michaelem Antonium Hacki, superiorem Olivensem, et Serenissimae Reginae Sueciae eleemosynarium.

163. R. D. de Veteri Monte, Vicarius generalis in Tractu Rheni et in Germania inferiore, se et abbates et superiores dioecesium Trevirensis, Coloniensis, Monasteriensis, Paderbornensis, Hildeshemensis et Halberstadensis, excusat ob bella, quibus affliguntur illae provinciae, per litteras datas 30 martii huius anni.

164. R. D. Hardehausensis in Westphalia excusat se propter molem belli, qua undique premitur ab exercitibus Regis christianissimi, et diversorum principum, per litteras 22 martii.

165. Venerabilis Congregatio Superioris Germaniae deputavit ad praesens Capitulum generale RR. DD. abbates de S. Urbano in Helvetia, et de Stambs in Tiroli, tamquam suos speciales procuratores, per litteras de die 29 aprilis 1672, quos comitatus est D. Magnus Herbst

prior Salemitanus, secretarius dictae Congregationis, qui et speciales attulit litteras R. D. sui abbatis excusatorias.

166. RR. DD. de Lucella et de Ebraco Vicarius generalis in Franconia, de Caesarea Vicarius generalis in Suevia, de Parisio et de Maristella, se ob gravissimas causas excusarunt.

167. R. D. Alnensis in agro Leodiensi excusat se super tumultus armorum quibus undequaque circumcingitur, per litteras datas 21 aprilis huius anni.

168. R. D. de Valle S. Lamberti in eodem agro Leodiensi se excusat super pericula bellica, per litteras datas 21 aprilis huius anni.

169. R. D. Dunensis in Flandria excusat se super imminens bellum, propter quod non potuit obtinere licentiam ab excellentissimo gubernatore Belgii, per litteras datas 28 eiusdem mensis et anni.

170. R. D. de Baudeloo in eadem Flandria, Vicarius generalis per Belgium, excusat se super infirmitatem, senium et defectum licentiae, quam obtinere non potuit ab excellentissimo gubernatore Belgii, per litteras datas 1 maii eiusdem anni.

171. R. D. Camberonensis in Hannonia excusat se super senium, infirmitatem, et apparatus bellicos, per litteras datas 17 aprilis.

172. R. D. de Boneffia in comitatu Namurcensi, Syndicus generalis in Belgio, excusat se propter motus bellicos, per litteras datas 20 aprilis.

173. R. D. de S. Salvatore in civitate Antuerpiensi, excusat se per litteras mandatarias datas D. Michaeli Antonio Hacki, mandatario Poloniae, de die ultima aprilis, in eo quod serenissimus princeps Dux Megalopolitanus in Germania petiit ab ipso religiosos ad novam instituendam familiam in suo ducatu, et sic ex monasterio exire non potuit.

174. R. D. de Valle Dei in ducatu Limburgensi, se excusat super indictione belli facta Batavis, quibus adiacet, per litteras datas 20 aprilis eiusdem anni, et quibus ad Capitulum delegavit fratrem suum monachum sui monasterii.

175. R. D. de Valcellis in agro Cameracensi excusat se super infirmitate, quam attestari poterit R. D. de Laude, per litteras datas 2 maii eiusdem anni.

176. R. D. Cirinus Luka, Vicarius generalis in regno Siciliae, excusat se super infirmitate a duobus medicis scripto attestata, cuius nomine comparavit D. Ioann. Malgoirés, Procurator generalis in Curia, specialem a dicto Vicario habens procurationem de die 14 ianuarii huius anni.

177. R. D. Thomas Secretus abbas Florensis in Calabria, se excusat super senium et infirmam valetudinem, litteris authenticis attestatam die 1 martii.

178. R. D. Damianus La Tuada abbas S. Crucis in Ierusalem Ro-

mae, excusat se ob penuriam et multitudinem negotiorum tam suae provinciae quam sui monasterii, propter quae dicit se non posse vel per unum diem monasterium suum deserere.

179. R. D. Benvenutus Benvenuti, abbas Cistelli Florentiae ac Congregationis S. Bernardi Italiae Praeses, et provinciarum Lombardiae, Tusciae ac Romanae, participato cum Emo Cardinali Protectore et Patribus regiminis consilio, deputat ad Capitulum generale R. D. Severum Sermatelli, abbatem Morimundi Mediolanensis provinciae Tusciae, et D. Edmundum Perinelli, s. th. d., et lectorem iubilatum, secundum Visitatorem et cancellarium regiminis, speciales procuratores pro provinciis Tusciae et Romana, per litteras procuratorias de die 23 februarii huius anni.

180. Venerabilis Congregatio regnorum Coronae Arragonum et Navarrae misit ad Capitulum generale D. Michaelem Guardiola, priorem et administratorem monasterii de Escarp, tamquam specialem procuratorem, per litteras de die 4 aprilis huius anni.

181. R. D. Hierónymus Blanco, abbas de Petra in Arragonia, Visitator Congregationis Coronae Arragonum et Navarrae a Rmo D. N. nominatus excusat se a Capitulo generali ob multas graves causas, et mittit D. Placidum Gomendradi, monachum Berolae in eadem Arragonia, specialem suum deputatum procuratorem, per litteras de die 8 aprilis huius anni.

182. D. Petrus Capolade, prior Bonaecumbae, Vicarius provinciae Ruthenensis, excusat se propter infirmitatem attestatam per Illum D. episcopum et ducem Lingonensem, per litteras de die 4 maii huius anni.

183. D. Michael Vallée, prior de Albiniaco, Syndicus provinciae Bituricensis, excusat se pro eo quod dicit se non esse vocatum, nec fuisse ad se directam indictionem Capituli generalis, prout moris erat, sed ad Vicarium, per litteras datas 2 maii huius anni.

184. D. Franciscus d'Estrechy, prior titularis de Gaudio in Picardia, excusat se propter infirmitatem, per litteras datas 4 maii huius anni.

185. R. D. de Bonavalle in Ruthenensi provincia, Vicarius provinciae Alverniae, se excusat propter infirmitatem, qua in itinere fuit detentus, per litteras de die 3 maii huius anni.

186. D. Du Burg, prior de Frenada, Vicarius generalis in provincia Pictaviensi, excusat se super morbo podagrae, per litteras datas 2 maii huius anni.

187. R. D. de Stella, S. O. in provincia Pictaviensi, excusat se super infirmitate, qua ab anno laborat, per litteras datas 28 aprilis huius anni.

188. D. Setephanus de Roissey, Vicarius generalis in Normannia,

se excusat ob fluxionem qua a longo tempore affligitur cum febri, per litteras datas 28 aprilis huius anni.

189. R. D. Ioannes Le Comte, abbas de Charitate, se excusat super senio et pluribus infirmitatibus, per litteras de die 25 aprilis 1672.

190. R. D. de Bono loco prope Burdegalam, excusat se propter defectum virium, paucitatem religiosorum, et multiplicia domus suae negotia, per litteras datas 28 aprilis huius anni.

191. R. D. de Albis Petris, in Bituricensi provincia, excusat se super aetatem longaevam et valetudinariam septuaginta annorum, per litteras datas 3 maii.

192. Quibus omnibus et singulis examinatis, omnes suprascriptas excusationes admisit Capitulum generale, exceptis infrascriptis, videlicet : plurium abbatum Belgii, quibus et omnibus aliis harum partium abbatibus, qui excusationes non misere, mandavit ac praecepit praesens Capitulum sub interminatione gravissimae animadversionis in absentes, iuxta Apostolicas et Ordinis constitutiones, ut omnes praepeditionem canonicam non habentes, ad proximum Capitulum generale accedant.

193. Abbates de Bonoloco Burdegalensi, de Stella, priorem titularem de Gaudio, priorem de Albiniaco ; hos omnes, et alios qui excusationem non misere, declaravit Capitulum generale incurrisse poenas in *Benedictina* contentas contra remanentes a Capitulo sine legitimo impedimento.

194. Procurator generalis in Curia denuntiabit R. D. abbati Claraevallis Mediolanensis, qui nec venit, nec misit ad Capitulum generale, quod si ad proximum generale Capitulum nec veniat nec mittat, contra ipsum et alios gravissime animadverteretur.

195. Quia ex parte Congregationum Castellae et Lusitaniae nullus ad hoc Capitulum comparuit, praesens Capitulum generale viso decreto ultimi Capituli generalis, quo, quia similiter nullus ex earum parte comparuerat, Vicarios vulgo dictos Reformatorem generalem, et Vicarium generalem respective Congregationum Castellae et Lusitaniae, tunc temporis existentes, declaravit contumaces, et privavit voce activa et passiva, et *Brevi* f. r. Clementis PP. IX de die 26 ianuarii 1669 confirmativo huius et aliorum decretorum praedicti Capituli generalis, et intimatione illis facta indictionis praesentis Capituli generalis, Reformatorem vulgo dictum Congregationis Castellae, et Vicarium generalem Congregationis Lusitaniae, sicut et omnes et singulos Patres regiminis harum Congregationum, sive Diffinitores, aut alio nomine nuncupentur, declarat contumaces, et deponit a suis omnibus officiis, quae in dictis Congregationibus obtinent. Hoc eis Procurator generalis in Curia denuntiet, sub interminatione, ex parte Capituli

quod s : ad proximum Capitulum non venerint, eorum monasteria et loca regularia Capitulum generale ponet sub generali interdicto.

196. Ad instantiam monialium de Rathausen et Escampach in Helvetia, Procuratori generali in Curia mandatum est, ut procuret apud SS. D. N. ea monasteria, a paucis annis immediate subiecta Nuntio Apostolico in his partibus, Ordini restitui ; et interim dictis monialibus saltem semel in anno concedi confessarium extraordinarium monachum Ordinis nostri.

197. Praesens Capitulum generale monasteria de Waldsassa, Walderspach, Bildenhusen et Lauinghen, et alia sive monachorum sive monialium, ab abbatibus Congregationis Superioris Germaniae recuperanda, dictae Congregationi univit et aggregavit.

198. Ad petitionem dictae Congregationis Sup. Germaniae, mandavit Capitulum eidem Procuratori generali, ut supplicet SS. D. N. quatinus prohibeat suo et Sedis Apostolicae in Helvetia Nuntio pro tempore existenti, ne electionibus monasterii S. Urbani praesidere attentet, sicut Nuntius tunc temporis existens praesumpsit in electione moderni abbatis contra privilegia Ordinis.

199. Supplicet idem Procurator generalis nomine Capituli generalis SS. D. N. ut Sedis Apostolicae Nuntiis inhibeat, ne Ordinis fugitivis dent commendatitias litteras, quibus disciplina Ordinis multum turbatur ; et ad tollendam omnibus fugitivis impunitatis spem, quam, ex potentium commendationibus sibi faciunt, praecipit Capitulum generale omnibus superioribus, ut nulla habita ratione cuiuscumque commendationis, hos similiter et vagos monachos in carcerem detrudant puniendos ad rigorem statutorum.

SESSIO TERTIADECIMA

200. Die 23 maii, hora circiter 7 matutina, coacto de more Diffinitorio, et requirente Promotore, confirmata est ordinatio facta a Rmo D. N. die 5 iunii 1671 de non amovendis prioribus monasteriorum commendatorum, et aliis officialibus ab officiis quae habebant, dum a Capitulo generali instituti sunt Vicarii generales et Syndici, salvo tamen iure Patrum immediatorum.

201. Ad petitionem R. D. de Novo Castro in Alsatia, ut Capitulum generale Regi christianissimo epistolam scriberet, quatinus et suum et alia eiusdem provinciae monasteria iisdem permittat gaudere immunitatibus, quibus gaudebant sub domo Austriaca, Capitulum generale rogavit Rmum D. N. ut haec apud Regem christ. procurare dignetur.

202. Permititt Capitulum generale R. D. de Stambs in Tiroli, ut cum August. Imperatore transigat de mutuo 12.000 florenorum dato a monasterio praedicto defunctis archiducibus Tirolensibus, et annuis

censibus abhinc non solutis, ut pecuniae inde provenientes emptioni bonorum immobilium applicentur, de quo Capitulo generali fidem facere tenebitur.

203. Circa ordinem, quem inter se monachi, sive in sacris positi sive non, tenere debeant, respondit Capitulum generale, regulam debere observari.

204. Requirente Promotore ut RR. DD. Diffinitores ad examen Ritualis seu Ceremonialis Ordinis deputati, cum hoc prae aliis negotiis perficere non potuerint, alii huic muneri deputentur, Capitulum generale cum debita reverentia commisit Rmo D. N., ut quamprimum velit per se aut per alios, quos elegerit, dictum librum examinare et imprimi facere, cum sua approbatione et mandato, sicut et in aliis omnibus libris Ordinis fieri solet.

205. Quia timendum est, ne inter strepitus armorum et excursiones militum, monasteria nostri Ordinis quae sunt in Belgio, et in vicinia Batavorum, depraedationibus exercituum exponantur, decretum est scribendas esse nomine Capituli generalis commendatitias et supplices litteras ad eos omnes serenissimos principes, quorum benevola protectione poterunt conservari.

SESSIO QUARTADECIMA

206. Die 24 maii, hora 2 pomeridiana, coacto de more Diffinitorio, publice declaravit D. Michael Antonius Hacki, mandatarius Poloniae, se ea tantum mente subscripsisse actui cuidam inserto in actis Capituli, quod sine primariis abbatibus non putabat fieri posse Capitulum generale ; sed postea plenissime informatum, se agnoscere praesens Capitulum tamquam verum et indubitatum Capitulum generale, quod et plenius se testari professus est manuscripta declaratione a se subsignata, hic inserta ex mandato Capituli tenore sequenti. — Ego, infrascriptus fateor, me certis rationibus inductum credidisse praesens Capitulum non potuisse subsistere, potissimum ex eo capite, quod viderem primarios quatuor abbates cum protestatione e Capitulo excessisse. Sed postea re maturius perpensa, cernens fundamentum protestationis fuisse incompletum numerum 25 Diffinitorum, et convictus attestatione praeteritorum Capitulorum, quae antehac acta fuere, quod in iis interdum unus tantum e primis abbatibus praesiderit longe minori numero Diffinitorum existente, videlicet undecim ; eaque Capitula pro legitimis habita fuisse ; idcirco praesenti Capitulo lubens subscribo. — Signatum : fr. Michael Antonius Hacki, mandatarius provinciae Poloniae.

207. Tum vocatus est D. Michael Guardiola, deputatus Congregationis Arragoniae, ut antequam iudicaret Capitulum de controversiis,

ob quas venerat, quae vertebantur inter RR. DD. abbates de Sancta Fide, electum Vicarium generalem principalem suum, et de Petra ; declararet an se submitteret iudicio huius Capituli tamquam generalis quia in actu aliquo supra inserto contra illius validitatem videbatur esse protestatus. Qui D. Michael Guardiola declaravit se dum actui illi subscripsit, in ea fuisse mente ut Capitulum sine primariis abbatibus generale esse non posse putaret. Sed nunc sic non sentire, et agnoscere hoc Capitulum tamquam generale, cuius iudicio se submittebat.

208. Post haec, visis memorialibus Capitulo generali oblatis a R. D. Iosepho de Corredor abbate S. Fidis electo Vicario Congregationis regnorum coronae Arragonum et Navarrae, et R. D. Hieronymo Blanco abbate de Petra in Arragonia, Visitatore monasteriorum eiusdem Congregationis a Rmo D. N. deputato, quibus contendunt de iure praesidentiae in Capitulis et Diffinitoriis et Visitationibus monasteriorum ; bulla erectionis dictae Congregationis data a Paulo PP. V, variisque illius constitutionibus a RR. DD. nostris abbatibus Cisterciensibus, aut a Capitulis generalibus approbatis et confirmatis, et omnibus quae a dictis partibus allegata fuere, auditisque D. Michaele Guardiola ipsius electi Vicarii et Congregationis deputato procuratore, et D. Placido Gomendradi dicti R. D. de Petra procuratore etiam speciali, auditaque relatione D. Ioannis Malgoirés, Procuratoris generalis in Curia, commissarii ad haec specialiter nominati, Capitulum generale approbavit et confirmavit commissionem a Rmo D. N. datam die 29 mensis decembris anno Domini 1671 R. D. Hieronymo Blanco abbati de Petra, volens et decernens, ut per tempus in ea praescriptum praesideat omnibus Capitulis, et visitet omnia Congregationis illius monasteria secundum formam et tenorem dictae commissionis.

209. *Formulae institutionum Vicariorum generalium et Syndicorum.* — Nos, frater Ioannes Petit, abbas Cistercii, Cabilonensis dioecesis, ceterique Diffinitores Capituli generalis, notum facimus quod in eodem Capitulo generali anni Domini 1672, die vero 16 mensis maii et sequentibus, apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis. Ad restaurandam in Ordine regularis observantiae disciplinam ubi collapsa est, et ubi viget conservandam, praesens Capitulum generale N. Visitatorem seu Vicarium generalem monasteriorum provinciae N. creavit, nominavit et instituit, dans ei potestatem et auctoritatem visitandi et reformandi, tam in capite quam in membris, in spiritualibus et temporalibus, omnia dictae provinciae monasteria Ordini nostro subiecta, et alia omnia agendi et praestandi, quae Vicarii nostri generales in Ordine nostro agere et praestare possunt et tenentur ; invocato, ubi opus fuerit, brachio saecularis auxilio et favore. Mandat propterea Capitulum generale et districte praecipit omnibus et singulis praedictae provinciae regularibus personis nobis subiectis, sub poenis et censuris in Ordine consuetis,

ut praefatum D. N. tamquam Vicarium generalem agnoscant, revereantur et in omnibus obediant, in plenaria Ordinis potestate. — Datum Cistercii, die, mense et anno praedictis, suo impressione sigilli Diffinitorum.

210. Nos, frater Ioannes Petit, etc. ceterique Diffinitores, etc. — Quia diversa in dies emergunt in Ordine negotia, necessarium duxit Capitulum generale de opportuno providere remedio. Quare N. Promotorem seu Syndicum generalem per provinciam N. creavit, nominavit et instituit, dans ei potestatem et auctoritatem omnes et singulas causas in universis litibus, querelis, controversiis motis et movendis contra quascumque personas ecclesiasticas vel saeculares, coram quibuscumque iudicibus, expensis eius monasterii, pro quo procedetur, et qua re refundere tenebitur, prosequendi ac defendendi, comparendi, agendi, petendi, opponendi, appellandi, Ordinis nostri privilegia et immunitates et iura tuendi ; processus verbales de statu monasteriorum in temporalibus faciendi ; contributiones exigendi, omniaque et singula agendi et praestandi, quae Syndici in Ordine nostro agere et praestare possunt et tenentur. Mandat propterea Capitulum generale omnibus et singulis dictae provinciae regularibus personis nobis subiectis, sub poenis et censuris in Ordine consuetis, ut dictum N. tamquam Promotorem seu Syndicum generalem agnoscant et revereantur, in plenaria Ordinis potestate. — Datum Cistercii, die, mense et anno praedictis sub sigilli Diffinitorum impressione.

211. Requirente Promotore, ut eligerentur, constituerentur et nominarentur Visitatores generales et Syndici provinciarum, electi, constituti et nominati sunt hi qui sequuntur.

In tota Italia et Insulis adiacentibus, Visit. D. Ioannes Malgoirés, Procurator generalis in Curia. — *In Polonia, Prussia et Lithuania*, Visit. R. D. Ioannes abbas Landensis ; Synd. D. Michael Antonius Hacki, monachus Olivensis. — *In Silesia*, Visit. R. D. Melchior, abbas Henricoviensis ; Synd. R. D. Bernardus, abbas Grissoviensis. — *In Tractu Rheni, et Inferiori Germania*, Visit. R. D. Godefridus, abbas de Veteri monte ; Synd. D. Petrus Robertus Pyr, prior titularis de Palude comitis. — *In Bohemia, Moravia et Lusatia*, Visit. R. D. Laurentius, abbas Ossecensis, Synd. D. Eugenius Hauman, praepositus Vallis S. Mariae. — *In Austria, Styria et Hungaria*, Visit. R. D. Mathaeus, abbas Campililiensis ; Synd. D. Candidus Pfeiffer, prior de Monte Pomerio. — *In Carinthia et Carniola*, Visit. R. D. Balthasard, abbas Rhunensis ; Synd. D. Simon ... prior de Novo monte. — *In Suevia*, Visit. R. D. Benedictus, abbas Caesariensis. — *In Helvetia, Alsatia et Brisgoia*, Visit. R. D. Edmundus, abbas de S. Urbano. — *In Franconia*, Visit. R. D. Albericus, abbas Ebracensis. — *In Bavaria*, Visit. R. D. Malachias, abbas Alderspacensis. — *In Leodiensi patria*, Visit. R. D. Robertus abbas de Valle S. Lamberti ; Synd. R. D. Philippus, abbas S. Remigii. — *In Belgio*, Visit. R. D. Michael abbas Dunensis ; Synd. R. D. Bartholomeus abbas de Molinis. — *In ducatu Luxemburgensi*, Visit. R. D. Carolus, abbas de Aureavalle ; Synd. D. Paulus Neufort. — *In Lotharingia*, Visit. R. D. Antonius, abbas de Pontefrigido ; Synd. D... prior de Escureyo.— *In comitatu Burgundiae*, Visit. D. Georgius Meillardet, provisor collegii Dolani ; Synd. D. Antonius

Arbaux, confessarius monialium d'Onans. — *In Sabaudia*, Visit. R. D. Ioannes Antonius, abbas de Stamedio; Synd. D. Nicolaus Grandat, prior de Alpibus. — *In provincia Tholosana*, Visit. R. D. Franciscus, abbas de Porta Gloni, vulgo de Bouillas; Synd. D. Arnaldus Foulques. — *In provincia Ruthenensi*, Visit. D. Franciscus Lonjon, provisor collegii S. Bernardi Tholosani; Synd. D. Honoratus Courtois, prior de Sylvanesio.

— *In Alvernia*, Visit. R. D. Franciscus, abbas S. Sulpitii; Synd. D. Petrus Morizot, prior de Medio monte. — *In districtu Burdegalensi*, Visit. D. Ioannes Guarriges; Synd. D. Philibertus [e] Mouchevaire, prior de Loco Dei Ruthenensi. — *In Provincia*, Visit. D. Blasius Léaulté, prior de Thoroneto; Synd. D. Nicolaus Teissier, prior de Sinaqua. — *In Picardia*, Visit. D. Claudius de Crescent, prior de Bello prato; Synd. D. Antonius Boudon, prior de Valloliis. — *In Britannia*, Visit., D. Stephanus Bidard, prior de Reliquiis; Synd. D. Iacobus Trouillault, confessarius monialium de Gaudio prope Hennebond. — *In Pictavia*; Visit. D. Germanus Levesque, prior de Castellariis; Synd. D. Renatus Dubois, prior de Fontanis Albis. — *In Delphinatu*, Visit. R. D. Marcus, abbas de Leoncello; Synd. Ioannes Brisseau, prior de Bonavalle Viennensi. — *In Insula Franciae, Campania et Picardia pro monasteriis S. O.* Visit. R. D. Ioannes, abbas de Precibus. — *In Normannia, Cenomania, Britannia et adiacentibus*, Visit. R. D. Armandus Ioannes [Rancé] abbas de Trappa. — *In Pictavia, Biturgia et adiacentibus*, Visit. R. D. Petrus, abbas de Pinu. — *In Biturgia et Marchia*, Visit. D. Iacobus Ardelu, prior de Loco regio; Synd. D. Aegidius Le Noir, prior de Landesio. — Procuratores generales *in Curia*, D. Ioannes Malgoires; *in Gallia*, D. Iulianus Meliand, s. th. pr. in collegii S. Bernardi Parisiensis.

212. Renovat Capitulum generale antiqua decreta de mittendis titulis seu eorum transumptis authenticis ad archivum Cisterciense, iuxta constitutiones Apostolicas, et praesertim B. Pii V de anno 1578, idibus martii.

213. Procuratio abbatis Hilariensis de qua supra. — Ego, frater Malachias, Divina Providentia sacri Ordinis Cisterciensis monasterii ad Beatam Virginem Hilariae in Austria Superiori abbas, Sacrae Caesareae Maiestatis consiliarius, facultatem concedo plenariam et potestatem adm Rdo religioso et domino patri Candido eiusdem sacri Ordinis Cisterciensis monasterii B. M. V. ad Montem Pomerium, Austriae Superioris, professo ac priori, necnon s. th. d. eximio, communi RR. DD. Austriae abbatum voto ad futurum proxime Capitulum generale Cistercii celebrandum deputato ac legato, quatinus videlicet nomine meo et totius mei monasterii ac conventus causam meam pro iure immediatae paternitatis seu maternitatis, quod in Altovadum sacri Ordinis nostri monasterium Bohemiae subiectam mihi filiam

[e] Philibertus Briand, prior de Buxeria Andegavensi: *Ch*[2].

habeo, conservando coram praedicto venerabili Capitulo generali, et ubicumque necessarium videbitur, respective adversus quoscumque adversarios libere ac tantum sibi agere liceat et propugnare quantum mihi, si ipse praesens Cistercii essem, de pleno competerit. Eapropter saepe dicti totius sacri Ordinis Cisterciensis Capituli generalis in Spiritu Sancto congregati venerabili consessui patrem priorem praenominatum qua eiusdem venerabilis Capituli generalis ut aequissimi tribunalis summa reverentia auctoritate ac potestate per decisivam tandem sententiam naturalis et ordinaria mea in Altovadum, quemadmodum ceterorum RR. DD. ac Patrum immediatorum in filias auctoritas et iurisdictio inviolata salva ac tuta deiudicetur et perseveret, huius meae actionis negotium acturum una mecum humillime et devotissime commendo. — Datum in monasterio meo Hilariensi sub maiori meo sigillo abbatiali die 7 mensis aprilis 1672. Signatum : Malachias, abbas.

214. Procuratio abbatis S. Crucis de qua supra. — Ego infra scriptus venerabili patri Candido Pfeiffer, S. O. C. in Monte Pomerio, Superioris Austriae professo et priori, necnon s. th. d. hisce potestatem tribui, in proximo Capitulo generali Cistercii celebrando, pro meo S. Crucis monasterio, in causa iuris paternitatis immediatae in monasterio S. Coronae in Bohemia, contra monasterium Plassense, agendi et exequendi omnia ea quae ego ipse, si praesens forem, agerem et exequerer.

215. In simili eumdem praememoratum patrem Candidum procuratorem constituo ius paternitatis immediatae in monasterium Aulae B. M. V. vulgo Schlierbach, pro monasterio Vallis Dei, vulgo Seissenstein, a Capitulo generali iam anno 1651 eidem adiudicatum contra D. abbatem Rhunensem, si opus fuerit, propugnandi et matutenendi. In quorum fidem haec manu propria subscripsi, sigilloque meo abbatiali munivi. Ex monasterio S. Crucis, 19 martii anno 1672. Signatum : fr. Clemens, in S. Cruce abbas et administrator monasterii Vallis Dei.

216. Decrevit Capitulum generale propter bonam famam Ordinis, electum Vicarium generalem et Diffinitores sicut et totam Congregationem regnorum coronae Arragonum et Navarrae monendos esse, ut bibliopolae Parisiensi satisfaciant pro libris Ordinis ab eo per dictae Congregationis procuratores emptis, et eius impensis iam a longo tempore Baionam conductis.

217. Lectis decretis ultimi Capituli dictae Congregationis coronae Arragonum et Navarrae celebrati in monasterio de Oliva 15 ianuarii 1672, Capitulo generali per dictum D. Michaelem Guardiola praesentatis, ut approbarentur ; Capitulum generale diffinit observandas esse illius Congregationis diffinitiones alias a RR. DD. abbatibus Cisterciensibus aut a Capitulis generalibus approbatas.

218. Cum Capitulum generale informatum fuerit aedificia monasterii Pelplinensis in Polonia omnino esse ruinosa, commisit R. D. abbati Landensi in eadem Polonia Vicario generali, ut quamprimum dictum monasterium visitet, et quid circa dictorum aedificiorum reparationem, aliaque in dicto monasterio ordinandum duxerit, ordinet et statuat, in plenaria Ordinis potestate.

219. Iterum auditi sunt contractuum examinatores, qui de infrascriptis ad Capitulum retulere.

220. Approbatus est contractus partitionis bonorum inter D. abbatem commendatarium et conventum monasterii de Buxeria Andegavensis dioecesis, initus die 1 martii 1671.

221. Approbatus item est contractus permutationis initus 2 aprilis 1672, inter dictos abbatem commendatarium et conventum de Buxeria, ex una, et D. Le Vayer locumtenentem generalem Seneschalli Cenomanensis ex altera partibus.

222. Reprobatur contractus alienationis ad censum perpetuum initum inter abbatissam et conventum de Monceyo, ex una, et Carolum De Vau, ex altera partibus, 11 aprilis 1672.

223. Reprobatur contractus alienationis vineae cuiusdam initus inter dictas abbatissam et moniales de Monceyo, ex una, et dictum Carolum De Vau ex altera partibus, eiusdem mensis aprilis 1672.

224. Reprobatur contractus alienationis quorumdam iurium initus inter abbatem et conventum S. Sulpitii, ex una, et D. Ioannem Ludovicum Trocu, ex altera partibus, 12 octobris 1671.

225. Quia praedicti deputati ad condendam formam uniformitatis omnium novitiatuum, non poterunt omnes soluto Capitulo huic operi vacare, mandat Capitulum generale, ut tres superstites omni dilatione postposita, illud absolvant, volens ut sic perfectum examinetur a Rmo D. N., et eius praevia approbatione de eius mandato praelo mandetur, et ad singulos novitiatus transmittatur.

226. Cum deputati ad examen computationum iis uno excepto non vacaverint, cellerarius et procurator Cistercii Capitulo supplicavere, ut ad maiorem rerum firmitatem vellet deputare quosdam a RR. DD. Diffinitoribus, qui eas reviderent et approbarent aut improbarent. Qui cellerarius et procurator protestati sunt de repetitione antiqui debiti. Cuius protestationis actum petiere. Capitulum generale commisit RR. DD. abbatibus de Novo Castro, de Leoncello et de S. Urbano, ut dictas computationes examinent et approbent in plenaria Ordinis potestate. Et concessit dictis cellerario et procuratori.

227. Et sic terminatum fuit Capitulum generale die 27 mensis maii huius anni 1672, horis matutinis, et subsignatum est ab omnibus [f] Diffinitoribus et praesentibus.

---

[f] quatuordecim : *Ch*².

228. Sic signatum. fr. Ioannes, abbas Cistercii generalis. fr. Bernardus abbas Novicastri [g], diffinitor, salva protestatione in actis inserta subcripsi. fr. Antonius, abbas S. Benedici in [h] Vepria diff. fr. Franciscus abbas S. Sulpitii, diff., salva protestatione facta subscripsi. fr. Gaspar, abbas de Laude, diff. fr. Ioannes Antonius, abbas Stamedii, diff. fr. Marcus, abbas Leoncelli, diff. fr. Severus, abbas Morimundi Mediolani, diff. fr. Candidus, abbas Altaeripae in Helvetia, diff. fr. Franciscus abbas Portagloniensis, diff. fr. Philippus abbas de S. Remigio, diff. fr. Edmundus abbas de S. Urbano in Helvetia, diff. fr. Augustinus, abbas in Stambs in comitatu Tyroli, diff. fr. Bernardus, abbas de Grissovia ex Silesia, diff., salva protestatione facta subscripsi. fr. Franciscus abbas de Valle dulci, diff. — Finis Capituli generalis anni 1672.

229. Ego infrascriptus, nominatus in ordinatione Capituli generalis notarius abbas, omnia superscripta manu mea correcta et paragraphis munita, verba et in praesentia mei esse gesta, et per me de verbo ad verbum fideliter excepta et relata esse testor. In quorum fidem cum praedictis Diffinitoribus subscripsi, et impressione sigilli Diffinitorum muniri curavi, salva tamen protestatione mea in actis Capituli inserti, die 27 maii 1672. fr. Antonius Paget, abbas de Pontefrigido, notarius Capituli generalis.

1683

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

Sacri Ordinis Cisterciensis anno Domini M. DC. LXXXIII, die 17 maii et sequentibus celebrandi apud Cistercium.

Nos, frater Ioannes Petit, abbas Cistercii... *etc. uti in anno* 1672.
Omnibus et singulis ... *etc.* salutem in auctore salutis.

---

[g] in Italia : *A*[3]. [h] Lotharingia : *A*[3].

1683. *Fontes* : INDICTIO legitur in folio separato Parisiis impresso apud Fred. Léonard. *A*[3] : 1-253 ; *Ch*[2] transcripsit ea quae fuerunt edita eodem anno 1683 Parisiis ; statuta in his foliis relata, sunt aliquando abbreviata, et nobis occurrunt in ordine prorsus alio quam in codicibus manuscriptis, nempe : 1-8, 10, 12, 13[a], 14, 16-18, 20, 22, 24, 45-47, 58[a], 61, 62, 64-67, 28, 41, 27, 40, 73[b], 181-183, 50, 177, 52, 53, 63, 68-72, 225-227, 54, 57, 76, 101, 87, 79-83, 91, 99, 100, 104, 108, 106, 107, 109, 110, 59, 92, 93, 114-119, 121, 58[b], 60, 86, 74, 77, 84, 95, 98, 111, 112, 124, 125, 166, 167, 169-180, 187-189, 34, 43, 42, 191, 193, 194, 201-203, 205-222, 224, 229, 240, 230, 234-238, 241, 243-246, 248, 247, 252, 250. Insuper in foliis impressis et apud *Ch*[2] transcribitur in fine series 40 statorum anni 1672, quae approbata fuerunt in praesenti anno 1683. Haec series

Cum vocati in una spe vocationis, solliciti esse debeamus servare mentis unitatem, ut non tantum unum corpus simus in Christo, sed etiam unus spiritus ; atque unitas illa animorumque consensio, quae omnibus votis exoptanda est, coagmentari vix possit et coalescere, nisi in vinculo pacis et charitatis : utramque ante hos annos foris et intus labefactari moesti dolentesque vidimus ; foris, inquam, vidimus concussam pacem bellorum motibus; intus sensimus exulceratam charitatem iurgiorum contentionibus. Sed cum Dei miserantis clementia ac principum benignitate christianis Europae partibus, in quibus constituti sumus, publica tranquillitas reddita sit, restituta concordia ; atque iuxta Scripturae sententiam, in pace regnorum debeat esse pax nostra, conciliandae animorum unitati, simulque instaurandae quae sensim collabescit, Ordinis disciplinae, Domino auxiliante, allaborandum esse iudicavimus.

Ut itaque pax illa Christi, quae sensum omnem exsuperat, et fraterna charitas, quae tantopere a Patribus nostris primaevisque institutis commendata est, integretur ac reviviscat ; nihil satius esse duximus, quam renovari interrupta intercisaque toto decennio comitia Ordinis generalia, in quibus utraque instaurari possit ac instaurata firmari, ut volente tandem propitioque Numine, de Ordine nostro deinceps vere dici possit, *in dilectione firmaberis.* Cum igitur bonum illud pacis omnibus optatissimum inter nos constabiliri melius nequeat, quam in Capitulis generalibus, in quibus non tantum de observatione sanctae regulae et statutorum Ordinis, sed insuper de mutua in invicem fovenda charitate, et salute animarum procuranda, tractare nos convenit. Eapropter Capituli nostri generalis celebrationem apud archicoenobium nostrum Cisterciense totius Ordinis caput, in ducatu Burgundiae et Cabilonensi dioecesi, anno Domini proxime futuro millesimo sexcentesimo octogesimo tertio, die decima septima mensis maii, feria scilicet secundam post dominicam quartam Pascha immediate sequentem, in qua *Cantate* ad introitum missae dici consuevit, vobis omnibus indicendam esse duximus, prout praesentium serie, nostra paterna authoritate indicimus, ibique dictum Capitulum generale celebrandum convocamus, statuimus ac decernimus. Quo in Capitulo de agendis et reformandis in timore Dei, iuxta regularia Ordinis instituta et constitutiones Apostolicas, ac de aliis multiplicibus et arduis negotiis quae non nisi omnium nostrum mutua sollicitudine et authoritate dirimi ac terminari possunt, vobiscum agere, Deo bene iuvante, et tractare intendimus.

Ne tamen huic tam sancto operi absolvendo et perficiendo deesse velitis, vos paterno affectu rogamus et hortamur, et nihilominus vobis et cuilibet

---

illa est quae legitur in codice typis impresso Parisiis anni 1674 sub titulo *Diffinitiones generales.* L^8 : 1-252 ; *Sa* : 1-253 ; T^5 habet codicem impressum de quo supra ; T^8 citat, in forma aliquando abbreviata n° 3, 4, 5, 8, 12, 13, 14, 18, 25, 26, 28, 30, 33, 35, 40, 41, 42, 44, 50, 56, 57, 59, 64, 65, 67, 73, 85, 87, 90, 92, 97, 98, 103, 104, 109, 114, 122, 125, 167, 168, 177, 181, 189, 201, 208, 233, 227, 231, 234, 241, 242, 244, 249, 253. — Domnus Benedictus Besançon notavit in suo codice (Ch^2) quod *Hoc Capitulum generale* 1683 *nuncupatur Capitulum « Protestantium ».*

vestrum districte praecipiendo mandamus in virtute salutaris obedientiae, necnon sub poenis in const. Benedicti PP. XII, aliisque arbitrio nostro et Capituli nostri generalis infligendis, quatinus canonico seu legitimo cessante impedimento (de quo per nuntium, sicut etiam de statu monasteriorum vestrae curae commissorum certiores nos faciatis) ad Capitulum generale intra praedictam diem ibi celebrandum conveniatis, ut ea ipsa die mane primam nostram sessionem habere valeamus.

Ne ulla ergo ignorantiae ... *etc.* Iniungimus insuper ... *etc.* Et quoniam praesentium .. *etc.* Datum Parisiis in nostro S. Bernardi collegio, sub nostra subscriptione, maioris sigilli nostri appensione, et nostri secretarii ordinarii chirographo, die duodecima mensis augusti anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo secundo. — Sic signatum : fr. Ioannes abbas generalis Cisterciensis, fr. Renatus Dubois secretarius, et sigillatum maiori sigillo eiusdem Reverendissimi domini nostri.

* * *

Capitulum generale apud Cistercium celebratum anno Domini 1683, die 17 maii et sequentibus usque ad 30 maii inclusive.

SESSIO PRIMA

1. Post tertiam, celebrata in pontificalibus missa de Spiritu sancto a Rdo D. de Salem, ad sonum maioris campanae, convenerunt in Capitulo cum conventu Cistercii Rmus D. N. RR. DD. abbates numero quadraginta, in quibus RR. adm quatuor primi, officiarii Ordinis et alii ad praesens Capitulum generale vocati, hymnoque *Veni Creator Spiritus* decantato, versibusque et oratione a Rmo D. N. dictis, et *Benedicite* more Ordinis, idem Rmus D. N. concionem habuit. Tum cantor, accepta benedictione legit articulum ex antiquis diffinitionibus: *quomodo se habeant abbates in Capitulo generali*, caput *Chartae charitatis* : *de Capitulo generali*. Item, caput bullae Clementis IV quae incipit *Parvus fons*, de eodem Capitulo generali. Quibus lectis, adm R. D. de Claravalle protestationem emisit tam suo quam aliorum trium primorum abbatum nomine, quam legit in charta quam paratam habebat tenoris sequentis.

2. In hunc coetum Ordinis convenimus confisi in Domino quod pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiet corda nostra et intelligentias nostras ; corda quidem ad firmandam charitatem Ordinis fundamentum, intelligentias vero ad dirigendos pedes nostros in viam observantiae regularis Ordini nostro, multum ab ea delapso, necessarie investigandam. Verum, Rme D., reverendique abbates, nos quatuor primi patres Ordinis astantes supplicamus vobis, quatinus liceat nobis exponere huic coetui, quod Illustr. archiepiscopus Parisiensis nobis intimavit, hanc esse Regis christianissimi voluntatem, ut tam ex parte Rmi N. quam ex nostra

omnia peragantur in hoc Capitulo pacifice, nec eius celebratio dissolvatur sub praetextu contentionum forte oriendarum, salvo tamen iure partium et servata libertate edendi acta necessaria, et ea praestandi quae decent ad eorumdem iurium integritatem. Qua de causa nos, tamquam fidelissimi Regis subditi eique omnimoda obedientia ex animo devincti, declaramus nos affuturos huic Capitulo usque ad eius consummationem, et quiete ac tranquille omina tractaturos. Et hac stante sincera animi nostri dispositione cum placuerit Rmo N. convocare hoc Capitulum generale sine nostro consilio et consensu, necessariis tamen ad legitimam eius indictionem, denuntiamus, nos antehac appellasse ad Summum Pontificem occasione similis indictionis et rerum gestarum in ccetu anni 1672. Circa rationem convocandi Capitulum generale, circa complendum numerum necessarium Diffinitorum viginti quinque, circa qualitates, dignitates, et alias conditiones requisitas in eisdem Diffinitoribus, circa modum proferendi opiniones in Diffinitorio, et circa alia huiusmodi atque insuper iisdem appellationibus remissis a christianissimo Rege ad Curiam romanam terminandis inhaerendo, nos appellare a praefata *Indictione* huius Capituli praesentis, necnon eorum quae ex ea sortientur effectum ; protestarique quod nostra praesentia, nostrum silentium, nostra agendi ratio, nostra subscriptio, noster consensus, et quid a nobis propter bonum pacis et propter obedientiam mandato Regis, nobis per Ill. archiepiscopum Parisiensem intimato, actum fuerit, non poterit praeiudicium inferre praefatis nostris appellationibus, aut aliis quibuscumque iuribus, praetensionibus, actionibus, vel his quomodocumque derogare, imo in quantum foret de novo easdem appellationes et actiones qualescumque aut instantias instituimus, atque humillime postulamus, ut nobis praesentis declarationis detur actus secundum formam iuris, et tabulis Capituli generalis de verbo ad verbum, prout exprimitur in hac charta per notarios inseratur ; quo etiam modo, scilicet scripto, vobis intimamus, nos semper omnia dicta nostra esse exhibituros, imo et in scripto nos ea lecturos, ut brevitati et sincerae interpretationi provideamus. Sic signatum : fr. Claudius abbas Firmitatis ; fr. Iacobus abbas Pontigniaci ; Bouchu abbas Claraevallis ; fr. Nicolaus abbas de Morimundo.

3. Cuius protestationis actum dari mandavitRmus D.N. quatuor Rdis adm primis abbatibus, eamque inseri actis Capituli generalis. Tum recesserunt Rmus D. N. et Rdi adm quatuor primi abbates in Diffinitorium, toto coetu interim audiente integram lectionem praedictarum *Chartae charitatis* et bullae Clementis IV et capitis 2 regulae S. Benedicti *Qualis debeat esse abbas*. Reversisque a Diffinitorio Rmo D. N. et R. adm quatuor primis abbatibus, secretarius eiusdem Rmi legit ad analogium ordinationem Capituli generalis, quae sic se habet.

4. ORDINATIO CAPITULI GENERALIS.

DIFFINITORES : Rmus. D. N. [de **Cistercio**] R. D. de Stamedio, R. D. de Columba Pictaviensi, R. D. de Grissovio, R. D. de Charitate Lingonensi, monasteriorum abbates. R. adm D. de **Firmitate**, R.

D. de Septem fontibus, R. D. de Petris, R. D. de S. Salvatore de Leyra, R. D. de Charmeia, monasteriorum abbates. R. adm D. de **Pontigniaco**, R. D. de Caduino, R. D. de Valle Richerii, R.D. de Camberone, R. D. de Parisio, monasteriorum abbates. R. adm D. de **Claravalle**, R. D. de Aureavalle, R. D. de Salem, R. D. de Alna, R. D. de Castellione, monasteriorum abbates. R. adm de **Morimundo**, R. D. de Lucella, R. D. de Veteri monte, R. D. de Veteri villa, R. D. de Gratia Dei Bisuntinensi, monasteriorum abbates.

CONFESSARII : R. D. de S. Urbano, R. D. de Maris stella, monasteriorum abbates ; D. Stephanus de Olloqui socius R. D. Vicarii generalis Coronae Arragonum et Navarrae Congregationis ; D. Prior de Buxeria Andegavensi, s. th. d., D. Prior de Maceriis, D. Placidus secretarius R. D. de S. Salvatore, D. Thomas Therer secretarius R. D. de Grissovio.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : R. D. de Henricovio, R. D. de S. Sulpitio, monasteriorum abbates, D. prior et supprior Cistercii, D. Albericus prior de Paradiso deputatus Poloniae.

AUDITORES COMPUTATIONUM : R. D. de Bello becco, R. D. de Porta gloni, R. D. de Ponte frigido, monasteriorum abbates ; D. Provisor collegii S. Bernardi Parisiensis, s. th. d., D. Prior de Bello prato, s. th. d., D. Prior de Loco regio, s. th. d., D. Prior de Obazina, s. th. d., D. Prior de Caro campo, s. th. d., D. Prior de Claravalle.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : R. D. de Villerio Betnach, R. D. de S. Remigio, R. D. de Marcelliaco, monasteriorum abbates ; D. Prior de Voto, s. th. d., D. Prior de Thoroneto, s. th. d., D. Prior de Bona requie, s. th. d., D. Rector collegii Avenionensis, D. Prior de Firmitate, D. Prior de Igniaco.

NOTARII ABBATES : R. D. de Chalocheio, R. D. de Fulcardimonte, monasteriorum abbates.

PROMOTORES CAUSARUM : R. D. de Valcellis monasterii abbas ; R. D. Coadiutor R. D. abbatis de Charmeia.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : R. D. de Campo Mariano, R. D. de Valle dulci monasteriorum abbates, R. D. electus Visticensis, D. Prior titularis de Bella aqua, s. th. d., D. Provisor seminarii Dolani, s. th. d., D. Prior de Vallibus Cernay, s. th. d., D. Prior de Buzaio, D. Prior de Morimundo, D. Prior de Misericordia Dei, D. Prior de Grosso bosco, D. Prior de Bonavalle Viennensi, D. Prior de Insula Dei, D. Ferdinandus Höll secretarius R. D. de Salem.

NOTARII AD PEDES : D. Renatus Dubois secretarius Rmi D. N. s. th. d., D. Philippus Lejuge capellanus Rmi D. N.

PORTARII DIFFINITORII : D. Prior de Pietate Dei, D. Prior de Frenada.

5. Qua ordinatione perlecta idem R. praedictos quatuor primos et ceteros abbates suprascriptos instituit Diffinitores, et ab his omnibus iura-

mentum fidelitatis in adimplendo officio exegit, quod omnes stando praestitere, et idem R. sedendo, qui etiam iurare fecit supradictos officiales. Tum idem secretarius legit duas litteras SS. D. N. in forma *Brevis* tenoris sequentis.

6. INNOCENTIUS PP. XI. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. — Cisterciensem Ordinem praeclaris in Ecclesia Dei meritis illustrem adeo cordi habemus, ut cum prisca sanctissimi instituti observantia florentem in praesens videre magnopere cupiamus; quam ob rem proficiscente ad generale Capitulum dilecto filio Ioanne Antonio abbate de Tamié continere non possumus sollicitudinem quam de vestra dignitate gerimus, quin vos ardentiori quo possumus charitatis sensu hortemur, ut assiduis mutuis, si quae inter vos sunt dissensionibus ac simultatibus, studia omnia ad tollendos abusus, quos processu temporis humani generis infirmitas in pristinae disciplinae labem et detrimentum forte invexit, unice conferatis. Et si autem minime arbitremur incitamentis vos indigere ad id praestandum, cum satis valida urgentiaque habituros speremus a vestra ipsorum pietate et ab eximiis probatissimorum virorum exemplis, qui Ordinem vestrum professi sunt, curam nihilominus ea de re Nos vobis in stimulum admovemus, quo amoris erga vos nostri partes omnes impleamus. Superest ut quidquid ab huius Sanctae Sedis auctoritate in eum scopum proficisci poterit, omnino vobis polliceamini, dilecti filii, quibus interim auram Spiritus divini afflantem usque precamur, atque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24 aprilis 1683, Pontificatus nostri anno septimo. — Sic signatum : Marius Spinola. Et a tergo : Dilectis filiis abbati generali, ceterisque abbatibus Ordinis Cisterciensis in Capitulo generali congregatis. — Sigillatum annulo Piscatoris in cera rubea.

7. *Secundum Breve.* — INNOCENTIUS PP. XI. Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum sicut accepimus, Capitulum generale monachorum Ordinis Cisterciensis in ecclesia sive in monasterio Cisterciensi, totius Ordinis capite, Cabilonensis dioecesis, die 17 maii, benedicente Domino, sit celebrandum, Nos, ut opus tam pium maiori cum fructu fiat et ad augendum fidelium religionem et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui praefatam vel aliquam ex ecclesiis monasteriorum monachorum huiusmodi ubique existentibus die 17 maii et singulis diebus actualis celebrationis Capituli generalis huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effunderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus post celebrationem Capituli huiusmodi minime valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum datur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Utque

praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigilli personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. — Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 15 martii 1683, Pontificatus nostri anno septimo. — Signatum : I. G. Slusius. Gratis pro Deo et scriptura. — Sigillatum annulo Piscatorio in cera rubea.

8. Quibus lectis, iussit Rmus D. N. ut omnes Diffinitores in locum Diffinitorii secederent, ibi sessionem continuaturi. Et sic eodem R. D. N. et ceteris 24 Diffinitoribus in dicto loco residentibus cum eiusdem Diffinitorii praedictis officiariis, requisivit D. de Valcellis primus Promotor, ut iuxta statuta legerentur diffinitiones ultimi Capituli generalis de anno 1672. Cui lectioni supersederi requisivit R. adm de Claravalle tam suo quam aliorum trium primorum abbatum nomine, et renovavit suae et illorum protestationes factas in ultimo Capitulo de anno 1672, per actum quem legit in charta quam prae manibus habebat, ut sequitur.

9. Rme D., Reverendique abbates. Per obedientiam mandato Regis nobis significato ab Ill. praesule Parisiensi, descendimus ad patiendam istam rationem novam et insolitam colligendi voces capitatim, cum per alias vias iuris nobis procedendum esset. Verum consentiente Rege christianissimo ut saltem nostrorum iurium firmitatem tueamur per acta congrua et convenientia in hac opportunitate, vobis, Rme domine et toti conventui significamus, nos permanere in iam actis appellationibus coram Sua Sanctitate indecisis per iudicium contradictorium, et intentatis per nos de hoc modo viritim opinandi occasione conventus habiti anno 1672, et quantum opus est, eas renovamus, et praeterea appellamus de hac praesenti forma opiniones praeferendi et colligendi, quibus praefatis appellationibus protestamur, non derogaturos ubique per sequentes deliberationes istius Capituli, quas Rmus D. pro suo modo et voluntate prosequetur, neque per alias nostras quascumque actiones huius Capituli et huius nostri praesentis dicti postulamus actum nobis tribui modo authentico, illudque inseri de verbo ad verbum inter acta praesentis Capituli per notarios iuxta tenorem quo exprimitur in praesenti instrumento, quod eis porrigimus. Signatum : fr. Claudius abbas Firmitatis ; fr. Iacobus abbas Pontigniaci ; Bouchu abbas Claraevallis ; fr. Nicolaus abbas de Morimundo.

10. Cumque ex decreto legendi praecedentis Capituli generalis diffinitiones iuxta statuta, orta fuisset quaestio de modo votandi seu suffragium ferendi in deliberationibus capitularibus, adm R. de Firmitate requisivit, ut actis insereretur protestatio tenoris sequentis.

11. Rme ceterique Rdi Patres. Cum hic modus opiniones colligendi sit contrarius constanti usui, humiliter petimus nos quatuor primi patres Ordinis pro bono totius Ordinis, iure nostro et felici progressu istius Capituli, ut placeat vobis praxim antiquam consuetam observare, et nobis permittere, ut nos singuli convocemus quatuor nostros Diffinitores, quibus cum secreto deliberemus et postea alta voce proferamus opiniones nostrae filiationum, et denique vos, Rme D. concludatis ad pluralitatem vocum quin-

que filiationum. Cuius nostrae postulationis actum nobis tribui, et eam de verbo ad verbum inseri in chartis praesentis Capituli per notarios requirimus. Signatum : fr. Claudius abbas Firmitatis ; fr. Iacobus abbas Pontigniaci ; Bouchu abbas Claraevallis; fr. Nicolaus abbas de Morimundo.

12. Post quam protestationem requisivit primus Promotor, cum deliberandum incumberet Capitulo ante omnia de praefato modo votandi, quem Rdi adm quatuor primi praetendebant fieri debere secreto per filiationes et non publice per capita seu per singulos Diffinitores, sicut hoc ultimo modo factum fuerat in praefato Capitulo de anno 1672, et dicti adm R. quatuor primi abbates per varias appellationes et protestationes super hoc punctum se partes dudum constituerant et iam tum constituebant, necesse esse iuxta Ordinis constitutiones, ut ipsi adm R. quatuor primi a Diffinitorio discederent, dum in eo de hac quaestione deliberaretur. Tumque discesserunt, et recedendo adm R. D. de Claravalle multis egit, ut probaret Rmum D. N. pariter recedere debere, praetendens eum hac in causa pro parte se gessisse in variis tribunalibus, petiitque cum tribus aliis adm. R. primis abbatibus, ut deliberatio differretur usque post meridiem, ut melius intelligeretur. Ad quae Rmus D. N. dixit, quod licet non nomine proprio sed totius Ordinis validitatem ultimi Capituli generalis et modum in eo votandi per capita singulorum tuitus sit, et sic pars dici non debeat, cum non ad se specialiter causa respiceret, sed ad Ordinem universum representatum per ultimum Capitulum generale, quod a R. adm quatuor primis impugnatur. Et aliunde in praedictis modis votandi nulla sua privata auctoritas reperitur, sed tantum communis omnibus abbatibus, ibique tantum agitur de observatione constitutionum Ordinis, quas vindicare adversus quoscumque sibi incumbit, ut totius Ordinis capiti ; quia tamen nihil unquam omisit quo suum ad pacem reformandam studium testaretur, velle pro bono pacis a Diffinitorio discedere interim dum deliberabitur. Et cum ipsi discedenti circumstarent omnes DD. Diffinitores rogantes ne discederet, perstitit in proposito, commisitque R. D. de Caduino tamquam antiquiori Diffinitori, ut illi praeesset in absentia sua, declarans se subiicere iudicio Diffinitorii ; eoque dictum Diffinitorium statuit esse acceptandum spontaneam discessionem praedicti Rmi D. N. Et sic ipso et dictis quatuor foris remanentibus deliberandum esse pomeridianis horis de principali circa modum votandi in Capitulis generalibus.

SESSIO SECUNDA

13. Eadem die 17 maii, horis pomeridianis, ad sonum maioris campanae convocato Diffinitorio, cui absentibus Rmo D. N. et R. adm quatuor primariis abbatibus, praefuit R. abbas de Caduino, Promotoribus requirentibus ut quaestio de modo votandi ad hanc sessionem decreto Capituli dilatam terminaretur. Questione ab ipsis Promotoribus in utramque partem agitata, reque omnino eliquata, dictisque Promotoribus et notariis ad pedes extra aulam Diffinitorii dimissis, et non obstante eorumdem Promotorum protestatione praetendentium se exire non debere, R. D. de

Caduino renovata obligatione secreti, quo tenentur RR. DD. Diffinitores et notarii abbates, in deliberationem misit quaestionem tanta contentione agitatam de modo votandi, utpote a cuius praevia decisione continuatio Capituli dependebat, scilicet an Praeses quisquis sit Capituli debeat in omnibus deliberationibus faciendis suffragia exquirere capitatim, id est singulorum Diffinitorum, qui in audientia omnium dicant, et secundum maiorem partem suffragiorum sic publice datorum concludere et diffinire. An vero omnes Diffinitores in quinque coetus, singulo coetu constante ex quatuor Diffinitoribus, quibus singulis coetibus praesiderent respective Rmus D. N. et RR. adm quatuor primi abbates, qui in secreto auditis quatuor suorum Diffinitorum suffragiis concluderent secundum maiorem partem illorum quatuor, et referrent publice Diffinitorio sententiam filiationum suarum respective.

14. Auditis itaque singulorum Diffinitorum suffragiis secundum maiorem eorum partem fuit conclusum et diffinitum a R. D. de Caduino Praesidente, vota esse ferenda iuxta Ordinis statuta capitatim et non per filiationes, salvis hinc inde iuribus et appellationibus. Tum deputati sunt a Diffinitorio unus Diffinitor et alter notarius abbas, qui notificarent Rmo D. N. et quatuor primis quaestionem ob quam exierant a Diffinitorio, esse terminatam, et sic posse loca sua in Diffinitorio repetere. Qui omnes in Diffinitorium redierunt cum ceteris officiariis usque modo dimissis. Mox publice pronuntiata fuit praedictis R. D. N. et quatuor primis praefata diffinitio ab uno ex notariis abbatibus. His peractis R. D. de Caduino nomine suo et abbatum S. O. eminit protestationem tenoris sequentis, quam petiit actis inseri, quod et concessum est.

15. Ego frater Petrus Mary, abbas Caduini, tum nomine meo quam ceterorum abbatum et monasteriorum S. O. declaro me venisse ad Capitulum generale, ut obediam Ordini et cum aliis abbatibus in quantum potero collaborem pro reformatione Ordinis. Quia tamen iam olim fecimus quasdam protestationes et appellationes pro conservatione iurium et privilegiorum S. O., pro quibus sunt instantiae pendentes et indecisae in Curia romana. Propterea protestor, quod si in praesenti Capitulo generali aliquid fuerit factum, statutum vel ordinatum contra huiusmodi protestationes et appellationes, iura et privilegia tum mea tum aliorum praesentia, silentium et modestia atque subscriptio nullum possint eis facere praeiudicium. Cuius meae protestationis postulo mihi dari actum, eamque inseri in actis Capituli generalis. — Actum in dicto Capitulo generali Cistercii convocato die 17 maii 1683. Signatum : fr. Petrus abbas Caduini.— Huic praesenti protestationi nos abbates infrascripti adhaeremus : fr. Carolus abbas Aureaevallis; fr. Eustachius abbas de Septem fontibus; fr. Guillelmus abbas Veteris villae ; fr. Petrus abbas de Columba ; fr. Dominicus abbas de Valle Richerii ; fr. Claudius abbas de Castellione ; fr. Stephanus abbas de Charmeia ; fr. Thomas coadiutor de Charmeia.

16. Tum R. D. de Valcellis, primus Promotor, protestatus est nomine omnium abbatum contra protestationes huc usque factas in Capitulo ; quare motus R. adm D. de Pontigniaco enixe requisivit ut D. Promotor proferret procurationes vi quarum protestabatur. Cui respondit Rmus D.N.

ipsum non egere procuratione, sed ad hoc sufficere quod sit Capituli generalis Promotor et Procurator constitutus.

17. Insuper idem Promotor requisivit, ut quae fuerat interrupta praecedentis Capituli generalis lectio continuaretur, quae decreto Capituli fuit continuata per secretarium Rmi D. N. Et cum legeretur decretum dicti Capituli circa *Directorium* faciendum pro educatione novitiorum a dominis deputatis ab eodem Capitulo, mandavit Rmus D. N. domino de Charitate ut resciret quid factum fuerit per deputatos et ad Capitulum referret.

SESSIO TERTIA

18. Sequenti die scilicet 18, post missam in pontificalibus de Beata Maria celebratam a R. D. de S. Salvatore, Vicario Congregationis Arragonum, ad sonum maioris campanae, ut solitum est, congregato Diffinitorio, et continuata lectione actorum praecedentis Capituli generalis, R. adm de Claravalle emisit protestationem quae sequitur, quam legit in carta quam habebat, et cuius actum petiit, quod et concessum fuit.

19. Neminem istius coetus generalis latere potest, per nos primarios Ordinis Patres actam esse appellationem a Rege christianissimo transmissam ad Summum Pontificem de convocatione illius Capituli facta sine nostro consilio et consensu, de eius celebratione et de pluribus in eo gestis, praedictamque appellationem nostram adhuc esse indecisam, unde fit, Reverendissime, Rdi abbates et ceteri abbates, ut lite pendente nihil possit innovari circa prafatum Capitulum 1672 sive per ratihabitionem, sive per confirmationem, sive alio quocumque modo; et propterea protestamur nos persistere in praefata appellatione, nosque postulare humiliter ab eo coetu, ut ulterius non procedatur ad lectionem, ratificationem et confirmationem illius, et si res amplius urgeatur, declaramus nos protestari de nullitate, nosque appellare adhaerendo primis nostris appellationibus iam delatis ad SS. D. N. de his omnibus quae gesta fuerint a vobis hac in re, huius nostrae declarationis, protestationis et appellationis actum postulamus, et eas incribi in actibus praesentis Capituli. — Signatum: fr. Claudius abbas Firmitatis; fr. Jacobus abbas Pontigniaci; Bouchu abbas Claraevallis; fr. Nicolaus abbas de Morimundo.

20. Idem R. adm de Claraevalle aliam emisit protestationem, infra proxime inserendam, quam legit in instrumento ad hoc parato, adversus transactionem a se et aliis tribus primis abbatibus factam cum Rmo D. N. vel eius Procuratoribus die 4 septembris 1675, cuius actum petiit protestationis, quod et concessum est.

21. Instrumentum illius transactionis praetensae involvitur in lite pendente coram Summo Pontifice, et de eo agitur in eadem indecisa controversia. Quae quidem controversia circa ratificationes praedicti Capituli intacta remansit a sanctione Regis, propterea praefata transactio non dat ius aliquod innovandi circa dictum Capitulum generale, nec obest nostris protestationibus et appellationibus, quibus declaramus nos semper insistere, et de hac praesenti protestatione actum nobis tribui postulamus, eam-

que scribi inter acta huius Capituli generalis de verbo ad verbum per notarios eiusdem Capituli. — Signatum : *ut supra.*

22. Contra quas protestationes protestatus est R. D. primus Promotor nomine Capituli. — Addidit R. adm de Claravalle tam suo quam aliorum trium primorum abbatum nomine aliam protestationem adversus decretum Diffinitorii in praecedenti sessione editum circa modum votandi per capita et non per filiationes. Cuius protestationis, quam legit in scripto, tenor est, eiusque actum petiit, quod et concessum est.

23. Perseverantes nos quatuor primi Patres Ordinis in zelo observantiae regularis promovendae et augendae in Ordine nostro atque in obedientia Regis christianissimi mandato, nobisque per Ill. archiepiscopum Parisiensem declarato, de non intermittenda praesentis Capituli celebratione, post Diffinitores et officiarios electos in initio Diffinitorii, deprehendimus Rmum D. N. voluisse contra constantem morem et consuetudinem Ordinis colligere suffragia viritim seu capitatim et non per filiationes quod sane fuisset nobis occasio legitima et obsistendi per formas iuris, ac proinde huius Capituli prosecutionem variis contentionibus ex nostra parte necessariis intercidendi, nisi praedictis rationibus pietatis erga Ordinem et obedientiae erga Regem moti, ac pro bono pacis propositum iniissemus aliquid de nostro evidentissimo iure in deliberationem et quasi in arbitrium ceterorum Diffinitorum committendi, scilicet ut R. D. N. nobisque quatuor primis abbatibus recedentibus a Diffinitorio ceteri Diffinitores dirimerent quomodo pro hac vice tantum et in sola regularis disciplinae materia essent suffragia, sive capitatim sive per filiationes. Sed hoc consilium nostrum statim videmus versum in nostrum detrimentum et nostrorum iurium perniciem, quorum causa prudens est et indecisa coram Summo Pontifice, ad quem delata est a Rege christianissimo. Etenim illi Diffinitores mox attentarunt iudicare absolute et pro semper de modo opiniones edendi in Capitulis generalibus, atque decidendi rem iuxta statuta, quae supponunt hac in re esse edita, quae tamen nec unquam fuerunt nobis producta, nec in hoc iudicio citata, discussa aut examinata. Sicque processerunt ad iudicium ferendum de rebus ad SS. D. N. spectantibus, nec per nos eorum examini subiectis. Propterea declaramus vobis, nos nunquam intendisse arbitrio Diffinitorum exponere ullum ex nostris iuribus, nullamque rem devolutam ad Regem christianissimum vel Summum Pontificem, neque intendere quod in progressu huius Capituli aliquid decernatur circa praedicta nostra iura, sed tantum de regulari observantia, circa quam pro hac vice tantum capitatim procedemus ad suffragia propter adductas a nobis rationes. Neque mirum est quod illi Diffinitores egerint et in gratiam Rmi D. N., et contra sibi demandatam a nobis provinciam, cum octo ex illis sint S. O. abbates et in hac re nostrae partes expressae ; utpote qui supplices libellos obtulerunt in supremo Regis consistorio in hunc finem ut per capita darentur suffragia in Capitulis generalibus, ac propterea eorum exclusionem expetierimus. Duo alii, videlicet RR. abbates de Stamedio et de Charitate sunt Procuratores constituti a Rmo D. N. contra nos, tam coram Summo Pontifice quam coram Rege christianissimo, ac proinde a iure excludendi a Diffinitorio. Alii omnes sunt extranei a

regno Galliae quorum nullus adfuit Capitulo generali Ordinis, et quidem declaraverunt antequam exierimus se penitus ignaros esse iurium illorum, de quibus est inter R. D. N. et nos contentio. Quo circa cum partes nostrae scilicet plurimi Diffinitorum, tum Procuratores R. D. N. contra nos, *cum praefati extranei a regno rerum* agitatarum nescii non possint esse nostri iudices, protestamurque denuo nos non submisisse, Diffinitorum examini ac iudicio ullum ex nostris iuribus ; nec etiam velle quidquam eis submittere de controversis pendentibus et indecisis. Protestamurque de nullitate eorum, quae gesta sunt aut gerenda hac de re ; et adhaerendo praecedentibus nostris protestationibus et appellationibus, appellare de quibuscumque intentatis aut intentandis ultra limites regularis observantiae. Et interim postulamus, ut iudicium in ultimo Diffinitorio hesterno circa hanc materiam prolatum nobis scripto, sicut est de iure, communicetur, et detur instrumentum de rebus hac in causa gestis, atque etiam indicentur statuta praetensa, quae citaverunt. Quorum omnium actum postulamus, et inscriptionem de verbo ad verbum in tabulis Capituli praesentis. — Signatum : fr. Claudius ... *etc. ut supra.*

24. Hortante autem Rmo D. N. Rdos quatuor primos abbates, requirente quoque Promotore, ut ab huiusmodi protestationibus in ceterum abstineant, continuata fuit lectio diffinitionum praecedentis Capituli[a]. Et cum una esset inter eas de *Rituali* Ordinis conficiendo ad statuendam ceremoniarum uniformitatem, multiplexque a variis Ordinis personis confectum fuerit, requisivit Promotor, ut examinaretur a commissariis deputandis. Et ad hoc commissi sunt RR. DD. de Aureavalle, de Pontefrigido, et venerabiles Priores Cistercii, Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis, D. Ursus Schultz secretarius R. D. de Maris stella, qui illud examinent et de eo ad Capitulum referrant.

25. Tum eidem domino de Aureavalle commisit Capitulum generale, ut statuat infra huius Capituli limites formulam pro educandis novitiis, quam confectam Capitulo praesentabit approbandam.

SESSIO QUARTA

26. Eadem die, hora prima pomeridiana, dato signo, ut supra, ad Diffinitorium, in eoque omnibus praesentibus Promotor legit libellum supplicem procuratoris de Bona cumba, quo petebat ut dicto monasterio Capitulum generale adiudicaret varias pecuniarum summas ceteraque relicta a defuncto D. Ioanne Malgoirés, Procuratore generali Ordinis in Curia, dictoque procuratore audito, dati sunt commissarii

[a] *T*[5] *Ch*[2] *add.* : Item, oblatum est decretum S. C. Episc. et Reg. circa quasdam controversias... 30 aprilis, ... et paucis post diebus oblatum fuit Breve a SS. D. N. ... 15 maii.

RR. DD. de Caduino et de Valle Richerii, qui rem examinarent et Capitulo referrent.

27. Concessum fuit R. D. de Salem, ut in suo monasterio fiat festum s. Iosephi deinceps sub ritu sermonis minoris. Item, R. D. de Aureavalle pro festo s. Mennae martyris, cuius insignes reliquiae in suo monasterio asservantur.

28. Cum audierit Capitulum generale diversis Ordinis personis a nonnullis patribus abbatibus et etiam a Rmo collatos fuisse titulos abbatiarum seu prioratuum ab haereticis seu infidelibus detentorum, haecque cedant in ipsorum animarum perniciem et regularis disciplinae ruinam, variisque hoc praetextu litibus monasteria subiaceant, talesque personae quasi a superiorum suorum auctoritate penitus emancipatae vivant; huic malo providens Capitulum generale declarat, praefatas collationes nullas et irritas fuisse et esse, ac pro talibus in posterum a quibusvis Ordinis personis habendas esse, districtissimeque prohibet, ne ulla Ordinis persona similes titulos conferat quibusvis Ordinis personis, sub poena nullitatis absque alia declaratione.

29. Declaravit R. adm D. de Claravalle Rmo D. N. quod cognito se horis matutinis quamdam protestationem emisisse, cuius quasdam voces dure acceperint idem Rmus et Diffinitores, tamquam possent esse aliquibus illorum iniuriosae; intentionis suae nunquam fuisse per ipsam protestationem quemquam offendere, talesque voces dure acceptas in originali non reperiri, sed male per scriptores in protestatione insertas fuisse, petiitque ut originalis illa protestatio actis inseratur, quod et factum est tenore sequenti de mandato Capituli. — Perseverantes ... *etc. ut supra nº 23, additis verbis ibidem italicis litteris impressis.*

SESSIO QUINTA

30. Die 19 eiusdem mensis maii, celebrata missa de defunctis a R. D. de Maris stella, et facta a Rmo D. N. absolutione defunctorum, in Capitulo dato signo convenerunt omnes Diffinitores in Diffinitorium praeter adm R. de Morimundo absentem causa infirmitatis. In quem locum vocati sunt et convenerunt ceteri domini abbates non Diffinitores; missoque in deliberationem an praeter abbates non Diffinitores vocandi essent ceteri Capituli generalis officiales, et alii de Ordine benemeriti. Sancitum fuit ut vocarentur omnes; ita tamen ut si prae multitudine oriretur incommodum, de hoc provideretur in sequenti sessione.

31. Interim R. D. de Valcellis primus Promotor emisit protestationem contra protestationem hesterna die a R. adm quatuor primis emissam, qua declarabant, se non agnoscere praesens Diffinitorium pro suo iudice quoad quaestionem de modo votandi. Cuius suae protestationis idem D. Promotor requisivit actum. qui et concessus fuit. Protestatio autem talis est. — Cum non ignorent R. Dni et pariter congregati R. D. Diffinitores, heri mane factam fuisse protestationem a R. adm D. quatuor primis

abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, qua declararunt se non agnovisse hoc praesens Diffinitorium pro legitimo iudice super negotio et difficultate de modo votandi, quaque voluerunt aliquot a R. D. Diffinitoribus tamquam extraneos et iurium illorum de quibus tunc quaestio penitus ignaros recusare, cum tamen dictos R. D. Diffinitores ante iudicium non recusassent, sed tantum tempore pomeridiano, in quarta scilicet huius Diffinitorii sessione ; sed e contra vestrum ipsum Diffinitorium pro legitimo iudice agnovissent, cum ad requisitionem nostram, quia in hoc negotio partes egredientes ex hoc Diffinitorii loco petierint pariter egressum Rmi D. N. ut libertas integra eidem Diffinitorio relinqueretur ; imo et instituerint differendum huiusmodi iudicium super praedicta difficultate votandi usque ad quartam sessionem post meridiem eiusdem diei faciendam, ut de suo ipsi scilicet iure RR. DD. Diffinitores, quos paulo ante extraneos et iurium ipsorum penitus ignaros declararant, possent instruere ; quod ipsum eis ab hoc Diffinitorio concessum fuit. Quapropter requiro ex officio actum contra praedictam protestationem praedictorum quatuor adm R. primorum abbatum, eumque actum peto inseri actibus huius Capituli generalis. Promotor hac 19 mensis maii 1683. — Signatum : fr. Richardus abbas de Valcellis.

32. Mox R. adm D. de Claravalle requisivit actum contrarium tam suo quam aliorum primorum nomine, affirmans huic consentire R. adm D. de Morimundo licet absentem. Insuper conquestus est R. adm D. de Claravalle quod R. D. Promotor suo motu propalarit coram abbatibus non Diffinitoribus rem in secreto Diffinitorii factam.

33. Congregatis igitur in Diffinitorio omnibus Capituli generalis officiariis et aliis de Ordine benemeritis, proposuit R. D. de Valcellis primus Promotor, deliberandum an monachi Ordinis nostri, qui parochias extra monasteria habent, ad ipsa sint revocandi, vel in parochiis suis relinquendi. Qua facta propositione, R. adm D. de Claravalle dixit, rem fore longioris morae multitudine consultandorum, si omnes singillatim audirentur. Et statutum fuit, in hac praesenti sessione omnes vocatos et sedentes iam in Diffinitorio esse audiendos ; et de cetero res deliberandas scripto tradendas esse Dnis consultoribus, ab ipsis extra Diffinitorium discutiendas, quorum mentem duo ex illis ad Diffinitorium referrent.

34. Requirente Promotore ut in executione decreti Capituli generalis de anno 1667, et sanctioris consilii magni Regis christianissimi taxa contributionum uniuscuiusque monasterii conficiatur. Statuit praesens Capitulum generale, quod antiqua taxa a Rdis D. de Aureavalle et Valle Richerii revideatur et authenticetur, et a notariis subsignetur. Qua quidem taxa si gravantur aliaqua monasteria, eis provideatur per Capitulum generale.

SESSIO SEXTA

35. Congregatis in Diffinitorio Rmo D. N. ceterisque Diffinitoribus more solito, exceptis R. adm D. de Morimundo, R. D. de Parisio et de Alna infirmitatis causa absentibus, venerunt in Diffinitorium venerabilis Prior, procurator et duo alii religiosi huius monasterii Cistercii, requirentes ut antiquum debitum in favorem dicti monasterii a Capitulo generali renovaretur ; iisque egressis et etiam Rmo D. N. cum qui monasterii causa hic ageretur, sancitum fuit, ut exhiberentur et legerentur in Diffinitorio instrumenta istius antiqui debiti, maxime vero decretum Capituli generalis anni 1667, de hoc negotio editum. Quibus instrumentis et decreto exhibitis, deputati sunt R. D. de Caduino, de Petris et de Castellione, qui iis visis et examinatis, et etiam originali dicti decreti, quod praefatum monasterium proferre tenerentur signatum saltem a dominis duobus notariis abbatibus illius Capituli generalis, ad praesens generale Capitulum referrent.

36. Reverso in Diffinitorium Rmo D. N. conquestus est R. adm de Claravalle adversus D. Promotorem, quod in protestatione per illum facta contra protestationem quam dicti adm R. quatuor primi emiserant, adversus auctoritatem praesentis Diffinitorii, aliqua inseruerat, quae in praedicta eorum protestatione secunda de die hesterna habebantur. Quibus respondit idem Promotor ultro se revocaturum suam protestationem, si praesens Diffinitorium sibi sufficienter satisfactum putaret per accusationem, quam idem R. adm D. de Claravalle suo et primorum abbatum nomine fecerat in ultima protestatione de terminis durioribus in ultima contentis.

37. Tum R. D. de Salem tam suo quam aliorum Diffinitorum nomine protestatus est adversus duriores illas voces contentas in praefata protestatione quatuor primorum, quod nempe non agnoscerent praesens Diffinitorium pro suo legitimo iudice quoad quaestionem de votandi modo, quia in Diffinitorio alii erant exteri iuris partium ignari, aliique pro partibus se habebant. Cuius protestationis actum petiit, qui et concessus est.

38. Rmus D. N. videns Diffinitorium fatigatum tot protestationibus et contentionibus ex parte R. adm primorum abbatum excitatis, et tempus inutiliter a tribus diebus consumi, petiit actum contra huiusmodi tam frequentes protestationes, qui concessus fuit. Idem petierunt R. D. de Septem fontibus et de Veteri monte declarantes se recessuros de Diffinitorio, si continuarentur eiusmodi protestationes et altercationes.

39. Reverendus vero adm D. de Pontigniaco protestatus est adversus R. D. Promotorem quod causam dedisset tot contentionibus et protestationibus et actum requisivit, qui et concessus est.

SESSIO SEPTIMA

40. Die 20, celebrata missa in pontificalibus a R. D. de S. Urbano, coacto de more Diffinitorio, decretum fuit nullum admittendum esse libellum supplicem, sive Capitulo generali, sive Rmo D. N., nisi debita subscriptione munitum.

41. Decrevit praesens Capitulum generale in executionem diffinitionis nuper latae contra inanes abbatiarum vel prioratuum in partibus haereticorum vel infidelium titulos, ut fr. Nicolaus Lefebvre praetextu huius vani tituli prioris de Clarocampo iam diu egressus e suo monasterio de Villario in Brabantia, ad illud redire compellatur, et ordinationi per Rmum D. N. super hoc nuper factae obedire.

Et si post notitiam huius decreti recusaverit, per Vicarium generalem vel proprium abbatem cogatur censuris, imo si necesse fuerit, etiam auxilio brachii saecularis, in plenaria Ordinis potestate.

42. Annuit praesens Capitulum generale R. D. de Castellione petenti, quod monasterium suum occasione bellorum incendio et pluribus calamitatibus afflictum a contributionibus huc usque debitis absolveretur.

43. Circa contributiones diffinitum fuit, ut quae huc usque solutae non fuerunt, non exigantur in Gallia nisi a 29 annis, et extra Galliam iuxta morem uniuscuiusque regionis ; quod abbatum visitatorum monasteria eximantur a solutione earum, quamdiu fuerint Visitatores seu Vicarii generales. Et quod commendatarii monasteriorum, quorum Priores sunt Visitatores, easdem teneantur solvere Syndicis, qui eas reddant cellerariis praefatorum monasteriorum ob varias expensas, quae ab eis fiunt occasione horum vicariatuum. Et quia antiquae taxae revidendae et renovandae praefati deputati vacare non poterant, commissum fuit Rdis D. de Bello becco et de S. Sulpitio et venerabili Provisori collegii S. Bernardi Parisiensis, Priori de Obazina, Priori de Carocampo et secretario Rmi D. N. ut hoc opus perficerent, et monasteria non taxata taxarent, et indebite gravata sublevarent, de hoc ad Capitulum generale relaturi.

SESSIO OCTAVA

44. Eadem die, horis pomeridianis, convocatis, ut moris est, omnibus Diffinitoribus, absente R. adm D. de Morimundo propter infirmitatem, R. D. de Stamedio dixit se expedito cursore accepisse decretum S. C. Episc. et Regularium negotiis praepositae circa controversias praesens generale Capitulum spectantes, quod legit tenore sequenti. — In causa et causis vertentibus inter abbatem generalem Ordinis Cisterciensis ex una, et quatuor primarios abbates eiusdem Ordinis partibus ex altera, S. C. Emin. S. R. E. Cardin. negotiis et consultationibus Episc. et Regul.

praeposita, partibus ipsius auditis, referente Emin. Fransono, censuit ac declaravit, in proximo futuro Capitulo generali dicti Ordinis servandam esse formam praescriptam in constitutione f. m. Clementis IV incipiente *Parvus fons*, reservatis reliquis iuribus ambarum partium prout praesentis decreti tenore servari mandat. Romae 30 aprilis 1683. Signatum : G. cardinalis Carpineus. Et infra : B. Panciaticus secretarius. Et sigillatum.

45. Quod decretum R. D. Promotor requisivit actis inseri, quod et concessum fuit. Insuper declaravit Rmus D. N. obedientiam se semper exhibuisse praedictae bullae. Rdi adm quatuor primi abbates declaraverunt se praefatae bullae obedientiam exhibuisse in Capitulis annum 1670 praecedentibus. Et petentibus iisdem quatuor primis copiam authenticam illius decreti, concessa fuit ex tempore a notariis abbatibus Capituli generalis.

46. Post requisitionem Promotoris, ut decerneret Capitulum generale modum quo Rmus D. N. visitare debeat R. adm. quatuor primos abbates, eorumque monasteria, occasione cuiusdam controversiae, cuius decisio remissa fuit praesenti Capitulo per arrestum sanctioris consilii Regis de die 24 augusti anni 1675. facta fuit protestatio a R. adm D. de Pontigniaco nomine suo et trium aliorum primorum abbatum quam legit in scripto, cuius tenor est. Interpretatio decreti Capituli generalis de anno 1623 de visitatione quatuor primorum abbatiarum Ordinis nostri per Rmum D. N. cum assistentia duorum ex quatuor primariis abbatibus patribus Ordinis a Rege christianissimo quidem remissa ad Capitulum generale, Capitulum, inquam, rite et debite more convocatum, suaque suffragia solito modo proferens ; quod cum minime in praesenti reperiatur, protestamur nos quatuor primi patres Ordinis, si quid ab hoc coetu circa hanc materiam contra nostra iura proferatur, nos per vias iuris processuros, nec non appellaturos. Cuius nostrae protestationis actum postulamus et inscriptionem illius de verbo ad verbum in monumentis huius Capituli. — Signatum : fr. Claudius abb. Firmitatis ; fr. Iacobus abb. Pontigniaci ; Bouchu abb. Claraevallis ; fr. Nicolaus abb. de Morimundo.

47. Egressisque a Diffinitorio R. D. N. et tribus adm R. D. primis abbatibus, quia ad eos specialiter haec causa pertinebat, praesidente R. D. de Caduino, lectaque sanctione consilii Regis christianissimi de die 24 augusti anno 1675, qua Maiestas sua remisit ad praesens Capitulum generale interpretationem decreti Capituli generalis de anno 1623, circa visitationem faciendam ab abbate Cisterciensi in abbatiis Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis et Morimundi, praesens Capitulum generale deputavit R. D. de Aureavalle, de Veterimonte et de Veterivilla ad Rmum D. N. et quatuor R. adm primos, quatinus iisdem intimarent, ut in ipsorum commissariorum manu iidem reponerent instrumenta et rationes quibus se tueri vellent, et quae in Diffinitorio ad sessionem crastinam, pomeridianis horis, iis pro termino peremptorio assignatam referrant [b].

---

[b] *T⁵ Ch² add.* : Quod decretum lectum et intimatum fuit reversis in diffin. Rmo D. N. et R. adm primis abbatibus.

48. Ad requisitionem Promotoris, ut solverentur a Capitulo generali expensae praefati cursoris huc expediti Ludguno missi ut afferret ad hocce Capitulum suprainsertum decretum Sacrae Congregationis, statutum fuit, ut quia pro pace Capituli hoc factum est, ex contributionibus Ordinis exsolverentur, salvo tamen recursu adversus eos ad quod spectabit, sumptus refundere.

49. Requirente etiam Promotore, reversis in Diffinitorium R. D. N. et tribus R. adm primis abbatibus, aegrotante, ut dictum est, R. D. de Morimundo, lectum et intimatum fuit decretum suprascriptum circa visitationem.

50. Ad querelam R. D. de Caduino, quod se renuente et contradicente, Visitator provinciae Tholosanae praesumpserit recipere duos novitios ad habitum et professionem pro monasterio de Ardorello, filiationis eiusdem R. D. de Caduino, sancitum fuit, Visitatores non potuisse admittere eius novitios ad habitum et professionem, ipso R. D. Patre abbate renuente. — Declarat autem praesens Capitulum generale non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto Visitatores S. O.

51. Insuper deputavit idem Capitulum generale R. adm D. de Claravalle et Rdos D. de Caduino et de Stamedio ut certos figerent limites inter auctoritatem patrum abbatum et Visitatorum seu Vicariorum generalium, et utrorumque iura determinarent.

52. Pro dilucidiori explicatione diffinitionis praecedentis Capituli generalis circa ordinem quam tenere debeant monachi secundum regulam, praesens Capitulum generale statuit, standum esse praxi et consuetudini, qua soli sacerdotes ceteros monachos praecedunt.

53. Renovanda etiam duxit praesens Capitulum generale duo decreta Distinctionis XI, cap. 1 *Antiquarum Diffinitionum*, quae talia sunt. — Novitiorum qui primus ingreditur capitulum, si perseveraverit, prior habeatur etiamsi benedicatur posterior ante ipsum. — Novitii qui ea die qua exeunt revertuntur, nihil de ordine suo perdunt, sed deinceps ex integro novitiatum compleant.

54. Pro uniformitate stabilienda in tonsura regulari, statuit Capitulum generale eam iuxta *Breve* Alexandri VII faciendam esse in toto Ordine sicut monachi monasterii Cistercii deferre solent. Declarat autem idem Capitulum generale iuxta decretum praecedentis Capituli generalis circulum illius non debere excedere latitudinem minoris digiti, et tam supra quam infra illum circulum radendum seu tondendum esse.

55. Si quis tonsuram monachalem non deferat, si sit superior, sit suspensus a suis functionibus publicis. Si monachus, sit ultimus in omnibus locis usquedum tonsuram fecerit iuxta praefatum decretum.

SESSIO NONA

56. Die 21 post missam in pontificalibus celebratam per R. D. de Campo Sanctae Mariae, coacto de more Diffinitorio ad sonum maioris campanae, absentibus tamen adm R. D. de Morimundo et R. D. de Camberone, causa infirmitatis, R. D. Promotore referente composita esse duo *Ritualia*, unum a R. D. coadiutore de Charmeia, aliud a D. Nicolao Villaert monacho Dunensi, iuxta praescriptum duorum praecedentium Capitulorum generalium, eaque examinari requirente, et in lucem quamprimum edi, ut satisfiat totius Ordinis expectationi. Statuit praesens Capitulum generale deputandos esse aliquos, qui praedicta *Ritualia* examinent intra annum proxime venturum, quo elapso eadem transmittent cum notis suis ad Rmum D. N. et ad quatuor R. adm D. primos abbates, qui omnibus examinatis *Rituale* unum conficient, quod in monasteriis suis per annum sequentem observari facient, et ex praxi inconvenientia et incongrua in caeremoniis et aliis observantiis regularibus annotent, et demum illo anno elapso *Rituale* illud imprimatur.

57. Invigilans Capitulum generale observationi *Brevis* Alexandri VII circa vestimenta, sancivit uniformitatem in vestibus tam intra quam extra monasterium esse servandam inviolabiliter, nullique licere veste uti serica. Et mandat superioribus ut praefatum *Breve* maxime circa hoc caput observari ab omnibus curent.

SESSIO DECIMA

58. Congregato Diffinitorio more solito horis pomeridianis, absentibus R. adm D. de Morimundo et R. D. de Camberone ob infirmitatem, remisit Capitulum generale ad R. D. Caesariensem, patrem immediatum, memoriale Capitulo oblatum, quo petitur typis mandari historiam quorumdam miraculorum in ecclesia monialium Speciosi Campi Inferioris in Bavaria factorum a quibusdam imaginibus seu statuis, et illud monasterium liberari ab onere celebrationis unius missae per hebdomadam solitae celebrari pro defuncto Ludovico Imperatore.

59. Super libello supplici oblato per R. D. abbatem commendatarium, priorem et conventum monasterii B. M. de Frenada, Xantonensis dioecesis, quatinus placeret praesenti Capitulo generali quasdam praetensas provisiones a S. Sede Apostolica tam a fratre Ioanne Regnauld religioso sacerdote abbatiae B. M. de S. Leonardo S. O. expresse professo, quam a duobus aut tribus aliis monachis, inter quos fuit unus conversus obreptitie et subreptitie obtentas pro possidendo aliquo membro dicti monasterii de Frenada vocato Sancta

Lucia, sub titulo imaginario prioratus titularis perpetui, Ordini tamen incogniti, tamquam paupertati religiosae omnino contrariae, nullas et abusivas declarare, et ipsum membrum cum pertinentiis suis praenominato coenobio de Frenada, in quantum foret opus, iterum, ut aequum est, unire et incorporare, aut super hoc negotio commissarios nominare et deputare, qui auditis partibus et examinatis hinc et inde rationibus et titulis, in plenaria Ordinis potestate quod iustum fuerit statuant ac decernant. Praesens Capitulum generale commisit R. D. abbati de Stella et venerabili Priori de Gratia Nostrae Dominae de Charon, quatinus vocatis et auditis partibus aut earum procuratoribus, et examinatis hinc et inde rationibus et titulis, in plenaria Ordinis potestate quod aequum fuerit statuant et decernant.

60. Ad supplicationem R. D. abbatis de Campo S. Mariae concessa est participatio suffragiorum Ordinis Celsissimo et Ill. principi domino episcopo Monasteriensi et Paderbornensi, Ordinis nostri in partibus Westphaliae munificentissimo benefactori.

61. Super quaestione de qua iam supra, an Rmus D. N. in visitatione monasteriorum de Firmitate, Pontigniaco, Claravalle et Morimundo, teneatur assumere secum duos a R. adm D. quatuor primis abbatibus, an vero ipse solus sine ullo alio adiuncto ea possit visitare. Egressis e Diffinitorio Rmo D. N. et tribus R. adm D. primis abbatibus, ad quos utpote haec causa specialiter pertinebat, et praesidente R. D. de Caduino antiquiori Diffinitore, auditisque R. D. de Maris stella, Porta Gloni et de Henricovio, qui retulerunt mentem consultorum fuisse Rmum D. N. posse se solo visitare quatuor illa monasteria ; auditaque relatione R. D. de Aureavalle unius ex commissariis die praecedenti deputatis, qui retulit se et socios suos adiisse Rmum qui ipsis dedit instrumenta iuris sui assertiva. Et R. adm quatuor primos, qui declaraverunt se non agnoscere praesens Diffinitorium, quia praesens Capitulum non fuerit convocatum de eorum consensu, et quia vota non ferebantur in hoc Diffinitorio per filiationes, se ideoque nolle ulla instrumenta dare. Et misso in deliberationem a D. Praeside, an posita hac quatuor primorum abbatum declaratione procedendum esset ad iudicium ferendum super proposita quaestione. Decretum fuit procedendum esse ad illius iudicium, non obstantibus protestationibus et declarationibus praefatis. Demum lectis praefata sanctione Regis christianissimi de die 24 augusti 1675, qua Maiestas sua remisit ad praesens Capitulum generale interpretationem decreti Capituli generalis de anno 1623 quoad visitationem Rmi D. N. in praedictis quatuor monasteriis, coram quo praesenti Capitulo partes comparere tenerentur, *Charta charitatis* primario Ordinis statuto, aliisque Ordinis statutis, dictoque decreto Capituli generalis de anno 1623 et schedula de die 24 iulii anni 1647, qua quatuor primi abbates recognoscunt

seu fatentur, quod si aliquando Rmus D. N. assumpserit aliquem ex illis in visitatione primorum quatuor monasteriorum, id fecit honoris gratia tantum et non ex obligatione. Omnibusque consideratis praesens Capitulum generale diffinivit dictam commissionem seu ordinationem aut decretum praefatum Capituli generalis de anno 1623 nihil officere iuri Rmi D. N. et declarat eumdem Rmum ius habere visitandi per se solum aut per commissarium seu commissarios saepe dicta quatuor prima monasteria, quemadmodum ius habent ceteri patres immediati visitandi filias suas per se vel per commissarium.

62. Reversis in Diffinitorium Rmo D. N. et tribus R. adm D. primis abbatibus, lecta fuit haec diffinitio, a qua R. adm de Claravalle nomine suo et trium aliorum primorum abbatum declaravit se appellare et insistere suis praecedentibus protestationibus. Cuius declarationis actum petiit, qui et concessus est.

63. Requirente R.D. Promotore an monasteria filiationis seu generationis Savigniacensis inscriberentur in tabula omnium Ordinis monasteriorum secundum diem et annum suae incorporationis ; statutum fuit tabulae antiquae apud Cistercium asservatae standum esse.

SESSIO UNDECIMA

64. Die 22 maii, horis matutinis, celebrata missa in pontificalibus post tertiam, ut moris est, a R. D. de Henricovio, convenerunt omnes in Diffinitorium, exceptis RR. DD. de Firmitate et de Morimundo ob infirmitatem. Requirente Promotore ut deliberaretur super querela a Rmo D. N. facta adversus magistrum Sebastianum Mabre-Cramoisy, qui expirato licet mandato a se dato varios libros edidit, seque licet Ordinis typographum, librisque Ordinis falso apposuit auctoritatem et mandatum Capituli generalis, ipsiusque Rmi mandatum a veteribus libris abstulit. Et statueretur circa mandatum datum magistro Frederico Leonard ab eodem Rmo die 28 mensis novembris 1679. Egresso Rmo D. N. e. Diffinitorio, praesidente adm R. D. de Pontigniaco, auditis super hoc RR. DD. de Maris stella, de Porta Gloni et de Henricovio, qui retulerunt mentem consultorum esse, ut dictus Leonard declararetur unicus Ordinis typographus iuxta praefatum Rmi D. N. *Mandatum* factaque relatione R. D. de Stamedio commissarii cum R.D. de Parisio deputati ; lectis etiam statutis mandatisque dictis datis Mabre Cramoisy et Leonard praetensoque *Mandato* Capituli generalis 1687, apposito a dicto Mabre Cramoisy variis Ordinis libris, omnibusque consideratis, praesens Capitulum generale declarat iuxta Ordinis statuta Capitulo generali sedenti competere *Mandata* et alias licentias dare ad editionem librorum ad officium divinum pertinentium, et Capitulo generali non sedente illud ius competere Rmo D. N. et

consequenter confirmat *Mandatum* datum dicto Leonard ab eodem Rmo ad 12 annos, die 28 novembris 1679, et declarat dictum Mabre Cramoisy a die 21 decembris 1680 non fuisse nec esse Ordinis typographum, et ut talem ab omnibus Ordinis personis haberi prohibet, sicut et ab eo emere libros praeferentes titulum falso ab eo appositum, scilicet auctoritate Capituli generalis et *Mandatum* seu commissionem Capituli generalis de anno 1667. Et statuit idem Capitulum generale in Inscriptione seu primo folio omnium dictorum librorum Ordinis apponendum esse hunc titulum, scilicet « auctoritate Rmi D. N. » Et secundo folio *Mandatum* ipsius. Et ad calcem ipsius confirmationem factam a praesenti Capitulo generali.

SESSIO DUODECIMA.

65. Eadem die, horis pomeridianis, congregato de more Diffinitorio, absente solo R. adm D. de Morimundo ob infirmitatem, lecta fuit praecedenti sessione facta diffinitio de impressione librorum.

Tum R. adm D. de Claravalle protestationem legit tenoris sequentis. Nobis quatuor primis patribus iam saepe propositum est tam in hoc Diffinitorio quam extra necessarium penitus esse, ut conveniatur inter nos Capitulum generale constituentes de auctoritate istius Capituli. Qua de causa ex nostra parte declaramus, sicut et iam intimavimus, nos pro bono pacis, pro observationis regularis disciplina statuenda et amplificanda per Ordinem, pro zelo salutis animarum nobis commissarum, pro obedientia Regis praescripto nobis per Ill. antistitem Parisiensem designato, agnoscere hoc Capitulum pro sufficienti in omnibus decernendis et statuendis, quae spectant regularem observantiam, mores et praxim vivendi monasticam, seposita in hoc casu nostrorum iurium exacta per formas defesione et sequendo intentionem Summi Pontificis, qui nos exhortatus est in *Brevi* initio huius Capituli perlecto, ad suspendendas lites et contentiones pro bono religionis Ordinis nostri. Sed quantum ad cetera, quae spectant iura nostra erga Rmum D. N. aut alios quoscumque, quaeque pertinent ad nostras dignitates et prerogativas, vel quae pendent coram Summo Pontifice, vel coram Rege christianissimc aut alibi, declaramus nos adhaerere praecedentibus nostris protestationibus et appellationibus et actionibus quibuscumque et huius nostrae declarationis actum postulamus, eamque describi in gestis huius Capituli de verbo ad verbum, prout in hac pagina continetur. Signatum : fr. Claudius ... *etc. ut supra.*

66. Cuius protestationis actum petiit, qui et concessus est, protestante in contrarium R. D. de Valcellis primo Promotore. Insuper et protestati sunt RR. de Salem et de Veteri monte contra nimiam diuturnitatem Capituli generalis ob tot protestationes quatuor primorum abbatum. Ad quod responderunt RR. adm DD. abbates de Pontigniaco et de Claravalle se in causa non esse istius diuturnitatis.

67. Occasione protestationis RR. adm quatuor primorum abbatum

factae contra validitatem huius Capituli, quia praetendunt illud non convocatum de communi consensu, mota quaestione, an consensus ipsorum requiratur ad legitimam Capituli generalis convocationem, declaravit praesens Capitulum generale, iam Diffinitorium praesens decidisse, se esse verum et legitimum, atque adeo Capitulum hoc verum esse Capitulum generale. Cuius declarationis Rmus D. N. actum petiit, qui et concessus est.

68. Cum orta fuerit difficultas circa administrationem vacantium monasteriorum, et eorum quae ab eis dependent iure filiationis; Capitulum generale statuit, in omnibus Ordinis monasteriis solitis per abbates regulares administrari, quamdiu vacaverint, ad priorem et conventum pertinere, salvo iure patris abbatis, iuxta constitutionem Clementis IV et alia statuta, secundum quae prior vacantis monasterii cum consilio conventus illius provideat de filiabus visitandis, non tamen sine abbate.

69. Quia ad Capitulum generale pervenit frequentius exponi sacrosanctum Eucharistiae sacramentum in quibusdam ecclesiis, maxime monialium, districte prohibet ne in posterum fiat eiusmodi sacrosancti sacramenti expositio in omnibus Ordinis nostri ecclesiis, nisi die festi et per octavam eiusmodi sacrosancti sacramenti, et ob aliquam urgentem necessitatem publicam ab episcopo approbandam.

70. Quia etiam pervenit ad Capitulum generale monachis sine ulla necessitate saepius exire e monasterio, et in saeculo vagari, praesens Capitulum generale renovans *Antiquarum Diffinitionum* decretum Dist. X, cap. 2, statuit ut nulla monachis vel conversus, nisi pro evidenti necessitate aut certa et evidenti utilitate domus suae aut Ordinis, egrediendi licentia tribuatur; et quibus data fuerit, certus et competens praefigatur terminus revertendi, infra quem, nisi redierint, vel ad locum ad quem diriguntur non ierint, sed notabiliter diverterint, pro fugitivis habeantur.

71. Audito a Capitulo generali, quod silentium in pluribus monasteriis liberius quam oporteat frangatur, statuit praesens Capitulum generale debere servari silentium in omnibus monasteriis tam horis diurnis quam nocturnis, excepto tempore ad recreationem a superiore designato, sub poena arbitrio eiusdem superioris infligenda.

72. Cum venerit ad notitiam Capituli generalis, non recipi novitios in quibusdam Ordinis nostri monasteriis, nisi ex conventione pecuniaria, districtissime prohibet praesens Capitulum generale ne fiant eiusmodi contractus seu conventiones sub quocumque praetextu.

SESSIO DECIMA TERTIA

73. Die 23 eiusdem mensis maii, horis matutinis, celebrata missa

in pontificalibus a R. D. de Veteri monte, omnes in Diffinitorium convenerunt, exceptis ob infirmitatem Rdis adm D. de Firmitate et de Morimundo. Capitulum generale renovans decretum *Antiquarum Diffinitionum*. Dist. VI, cap. 6, statuit ut in posterum omnes etiam abbates in Capitulo generali apud Cistercium cucullas albas deferant, ut in actu et habitu sint conformes.

74. R. D. de Castellione supplicante ut sibi liceret alienare quamdam parvam possessionem iuxta monasterium, quod cederet in utilitatem illius. Praesens Capitulum generale commisit R. D. de Aureavalle ut de commodo vel incommodo illius alienationis informet.

75. D. Prior de Bello prato, Vicarius generalis Picardiae, retulit statum monasteriorum illius provinciae.

76. Statuit praesens Capitulum generale, ut quantum fieri poterit, e vicinia monasteriorum non recipiantur novitii propter gravia incommoda, quae inde sequi experientia quotidiana satis demonstrat.

77. Conventui de Francis Vallibus datur facultas quolibet anno per tres aut quatuor menses in aestate in villa monasterio vicina habitandi, ibique officium divinum celebrandi propter intolerabilia incommoda, quae in illo monasterio illa tempestate ex aeris paludosi intemperie et infinitarum muscarum continua importunitate sustinent.

78. Cantu Ordinis (musicali penitus interdicto) et libris ad diurnum et nocturnum officum necessariis, tam monachi quam moniales omnes utantur, sicut et eisdem ceremoniis, prout in ceremoniali seu *Rituali* Ordinis continentur, sub poena contra differentes et inobedientes privationis suffragiorum Ordinis eo ipso incurrenda. Nec aliqua ecclesia vel persona Ordinis nostri sub quocumque praetextu contra hoc uniformitatis commune institutum privilegium aliquod obtinere audeat, vel quomodolibet obtentum retinere, sub eadem poena.

79. Omnes etiam uniformiter vestiantur, et solo colore albo praeterquam in scapulari, velo et cingulo nigro quoad moniales professas, quoad monachos vero in scapulari, caputio et cingulo nigro ; pannis utique modestis et non curiosis utantur, sub poena privationis antedicta. Et in monasteriis cucullis non nisi albis ; in urbibus vero tantum nigris ; at in itinere tam abbates quam monachi vestes oblongas et non decurtatas deferant cum solo pallio nigro.

80. Vita communis ubique, et clausura in monasteriis monialium ubivis existentibus, in quibus est introducta, fideliter observetur ; et in aliis, in quibus nondum fuit introducta, nullo excepto quamprimum introducatur, iuxta formam decreti Concilii Tridentini, quod observari sub obtestatione divini iudicii, Vicariis generalibus et illorum monasteriorum aliis superioribus mandat et praecipit Capitulum generale. Et donec ita fiat post sex menses a die publicationis praesentis diffinitionis tamdiu abbatissae et dictorum monasteriorum offi-

ciariae et etiam moniales, quae huic tam salubri tamque necessario operi directe vel indirecte impedimentum praestiterint, maneant suffragiis Ordinis privatae, et a suis officiis suspensae, quamdiu sine debita erunt clausura. Si quis vero Vicarius generalis aut alius superior praemissam clausuram ordinare et instituere ultra huiusmodi praefixum tempus, legitimo cessante impedimento, distulerit seu neglexerit, abstineat a functionibus publicis, donec praesentem exsequatur ordinationem. Qua facta et executioni demandata, nulli abbatissarum, priorissarum, monialium et conversarum professarum liceat infirmitatis praetextu, et alia quavis occasione sub poenis in Concilio Tridentino contentis a monasterio et huiusmodi clausura egredi, nisi de superiorum Ordinis licentia in scriptis habita, et in casibus tantum a iure permissis. Super quo ipsorum superiorum conscientias onerat Capitulum generale ; omnes et singulas huc usque in contrarium a quoquam concessas licentias penitus revocando.

81. Ingredi autem clausuram monasteriorum monialium nemini etiam liceat, cuiuscumque generis, gradus, sexus vel aetatis existat, sine eorumdem superiorum licentia in scriptis obtenta, iam non nisi in casibus necessariis concedent. Si quae vero abbatissa, priorissa, monialis aut conversa aliquam sive regularem sive saecularem personam intra clausuram huiusmodi absque dicta superiorum licentia sub quocumque praetextu, nisi in casibus, ut dictum est, necessariis admiserit, vel ingredi procuraverit directe vel indirecte, excommunicationis poenam incurret. Et idem sit de superioribus, qui eamdem ingrediendi licentiam dederint, aut ipsi absque necessitate ingressi fuerint ; sicut et de confessariis. Unde interdicitur omnino ne celebretur in altaribus infra clausuram constitutis. Atque etiam ne fiant in illa processiones etiam cum venerabili sacramento, in quibus aliae personae quam ipsae moniales et aliae quae ordinarie in dicta clausura degunt, intervenerint.

82. Prohibetur quoque sub poenis gravissimis, ne abbatissae, priorissae, moniales et conversae in monasteriis suis comedant cum quibuscumque personis, etiam cum confessariis ad crates ; et ne sint hospites oneri earum monasteriis, instituatur, et aedificetur quantum fieri potest hospitium seu domus aliqua vicina cum cubiculis et stabulis pro dictis hospitibus et eorum equis recipiendis absque expensis et gravamine monasteriorum. Nec se aggregent dictae moniales confraternitatibus et aliorum Ordinum congregationibus, ut pensum et debitum suum non negligant, sed ut melius et cum maiori sedulitate exsequantur.

83. Pro clausura et vitae communitate in monasterio monialium S. Petri de Almanara in urbe Arearum introducenda, Capitulum generale mandat Syndico generali Provinciae, ut curet observari quae in

ultimo Capitulo generali circa hoc ordinata sunt, nec non in charta visitationis a Rmo D. N. nuper facta.

84. Supplicante Capitulo generali fratre Marco Jonin, monacho de Veteri villa, ut cognita causa depositionis suae a prioratu monasterii de Valle lucenti ageret apud Regem christianissimum pro revocatione sua ab exilio; Capitulum generale remisit supplicationem Rdis DD. de Septem fontibus et de Pietate, ut coniunctim seu divisim hoc terminent in plenaria Ordinis potestate.

SESSIO QUARTADECIMA

85. Eadem die horis pomeridianis, ad sonum maioris campanae, ut moris est, convocato Diffinitorio, convenerunt omnes, absente R. adm D. de Morimundo ob infirmitatem.

86. Ad supplicationem R. D. de Veteri monte concessa est participatio suffragiorum ordinis Ill. suffraganeo Eminentissimi Electoris Coloniensis.

87. Praesens Capitulum generale attendens quantum debeat totus Ordo pietati et sapientiae S. Stephani tertii abbatis Cistercii et Ordinis nostri quasi fundatoris, et volens sancti huius cultum in Ordine promovere, statuit quod in posterum festum eius celebretur sub ritu festi sermonis maioris cum octava solemni; et quod festum eius transferatur a die 17 aprilis ad diem 16 mensis iulii.

88. Tum R. D. de Pontefrigido, Lotharingiae Vicarius generalis, retulit statum monasteriorum illius provinciae.

89. Requirente abbate et conventu de Altaripa in Helvetia ut daretur sibi facultas transigendi cum Ill. Senatu Friburgensi circa iurisdictionem ad illud monasterium spectantem; quam Senatus praedictus totam usurpare contendit. Capitulum generale deputavit Rdos DD. de Maristella et de S. Urbano, ut apud dictum Ill. Senatum quam viriliter agant pro manutentione iurium illius monasterii, et in facienda, si opus sit, transactione dicti abbati et conventui assistant, facta prius informatione de commodo et incommodo.

SESSIO QUINTADECIMA

90. Die 24 eiusdem mensis maii, celebrata missa, convocato de more Diffinitorio, convenerunt omnes praeter Rdos D. de Morimundo et de Gratia Dei infirmos.

91. Prohibet praesens Capitulum generale Prioribus monasteriorum commendatorum, ne duplam accipiant pensionem pro vestiario, sed in communitate cum suis monachis omnino vivant. Quod si duplam ab abbatibus commendatariis pensionem acceperint, iuxta tran-

sactiones cum eis initas, eam cellerariis tradere teneantur in usus communes impendendam.

92. Ad conficiendam compilationem constitutionum nostrarum, iuxta *Breve* f. m. Alexandri PP. VII et decretum Capituli generalis de anno 1667, praesens Capitulum generale nominavit R. D. de Charitate et venerabilem Provisorem collegii Parisiensis, qui rem tamdiu expetitam quamprimum aggrediantur, ut a proximo Capitulo generali examinari et approbari valeat, typisque mandari.

93. Venerabili Provisore collegii Tholosani, Vicario generali provinciae Ruthenensis, referente statum monasteriorum provinciae suae et praefati collegii, et multis conquerentibus, quod in eo nulla esset observantia regularis; praesens Capitulum generale declaravit monasteria non teneri ad illud mittere suos monachos, donec possint ibi in observantia regulari vivere.

94. R. D. de Valle Richerii, Vicarius generalis monasteriorum S. O. in Normannia et Britannia, retulit statum monasteriorum illarum provinciarum.

95. Item, R. D. de Fulcardimonte reddens rationem sui vicariatus in districtu Burdegalensi, conquestus est de R. D. de Riveto, quod cum visitaret monasterium eius, invenerit in eodem nullum fieri servitium divinum, ab eoque abbatem fere semper abesse. Idem praesens Capitulum generale mandat Syndico illius provinciae, ut citet praefatum dominum abbatem ad comparendum intra tres menses coram R. adm D. de Pontigniaco, cui rationem reddet de statu sui monasterii. Quod si renuerit, usque ter moneatur, servato pro singulis monitionibus unius mensis spatio. Quibus factis, si non obedierit, ex nunc prout ex tunc suspensus declaratur a divinis.

96. R. D. de Valcellis, Vicarius generalis in Belgio Gallico, et vener. Prior de Buxeria Andegavensi, Vicarius item generalis in Andegavia, Cenomania et Turonia, retulere statum monasteriorum in suis provinciis existentium.

SESSIO DECIMA SEXTA

97. Eadem die, pomeridianis horis, congregato Diffinitorio, convenire omnes, exceptis Rdis DD. de Morimundo et de Camberone ob infirmitatem.

98. In causa R. D. de Lucella contra R. adm de Morimundo pro iure paternitatis in monasterio de Tribus regibus in comitatu Burgundiae, praesens Capitulum generale commisit R. D. de S. Sulpitio et venerabili Provisori seminarii Dolani, ut hanc controversiam terminent in plenaria Ordinis potestate. Et interim mandat ut in eo monasterio R. D. de Lucella auctoritatem exerceat patris immediati.

99. R. D. de Porta Gloni, Vicarius generalis Tholosanae provinciae, statum monasteriorum illius retulit, ex quo cum innotuerit Capitulo generali [c] priores de Scala Dei et de Ponte alto se a multis annis teneri in illorum monasteriorum superioritate manu armata, contra varias superiorum ordinationes, variaque perpetrasse, quae in dedecus Ordinis grandeque saecularium scandalum cedunt. Praesens generale Capitulum eos pro depositis a dicto prioris officio esse habendos decernit. Et provideant Patres abbates de aliis in eorum locum, scribendumque esse statuit Regi christianissimo ut sua auctoritate commissariis Ordinis ad illa loca securus fiat accessus, eorumque iudicia et ordinationes executioni demandentur, invocato etiam auxilio brachii saecularis.

100. Capitulum generale obviare volens abusui quo R. adm D. de Morimundo pro variis minoribus officiariis monasteriorum commendatorum suae filiationis, uti sacristae, cellerarii, etc. dedit institutiones, cum priorum sit ea officia monachis amovibilibus iuxta *Breve* Alexandri VII demandare ; prohibet dicto R. adm D. de Morimundo, ceterisque patribus abbatibus, ne huiusmodi institutiones conferant ; mandatque ut datas quamprimum revocent ; et ut pensiones seu redditus annui, quocumque nomine nuncupati, ad illa officia pertinentes conventui applicentur, prout eas seu eos. Contradicentes autem declarat ipso facto excommunicatos.

101. Ad quaestionem an Vicarii generales seu Visitatores a Capitulo generali deputati debeant exprimere in chartis visitationum suarum, quod visitant nomine seu auctoritate patris immediati. Respondit Capitulum generale eos non debere illud exprimere, sed tantum teneri declarare, cuius filiationis sit monasterium quod visitant.

102. Tum R. D. de Stamedio, Vicarius generalis Sabaudiae, et venerabilis prior de Loco regio, Vicarius provinciae Bituricensis, retulere statum monasteriorum provinciarum suarum.

SESSIO DECIMA SEPTIMA

103. Die 25 eiusdem mensis maii, horis matutinis, post maiorem missam, convenerunt in Diffinitorium omnes Diffinitores praeter R. adm D. de Morimundo et R. D. de Salem, ob infirmitatem absentes. Vocatisque provinciarum Visitatoribus, retulere statum provinciarum suarum. V. Iacobus Trouillault prior de Bona requie, Vicarius generalis provinciae Britanniae comm. obs., R. D. de Grissovio, Vicarius generalis Silesiae, et vener. Germanus Levesque prior de Buzaio, Vicarius generalis provinciae Pictaviae eiusdem observantiae.

---

[c] T^5Ch^2 *add.* : fratres Iannem Pene et ... l'Affiteau, priores...

104. Cum intellexerit Capitulum generale factos fuisse contractus ab aliquibus monasteriorum superioribus in praeiudicium eorumdem monasteriorum sibi commissorum, diffinit Capitulum generale nullum abbatem aut abbatissam, sive alium quemcumque superiorem posse bona immobilia monasteriorum suorum per contractus quovis praetextu factos alienare sine consensu Capituli generalis, vel saltem patris immediati ; et consequenter iubet Capitulum generale, ut in causa quam habet vener. D. abbatissa de Kerlot in sanctiori consilio Regis occasione notabilis alienationis per praecedentem abbatissam factae, Procurator generalis interveniat sumptibus tamen eiusdem abbatissae.

105. Graviter conquerente Vicario generali Pictaviae de prioribus monasteriorum de Gratia Nostrae Dominae et de Castellariis, quod nempe maximo contemptui habitus esset ab illis, etiam in actu visitationis dictorum monasteriorum; ita ut prior de Castellariis ausus fuerit ipsam visitationis chartam dilacerare. Deputati sunt vener. domini priores de Bello prato et de Bona requie, qui inquisitione facta, ad Capitulum referant.

106. Eodem Visitatore referente quod in monasterio de Grosso bosco, conversus vestem albam cum scapulari nigro ferret, praesens Capitulum generale hunc et alios conversos debere indui vestibus coloris brunni seu ferruginei, et aliter vestitos ad praedictum habitum esse reducendos declarat.

107. Ad relationem eiusdem Vicarii, requirente D. Promotore ut in monasterio de Castellariis in Insula de Rhé monachis omnino destituto, monachorum conventus stabiliretur ; Capitulum generale committit R. D. abbatibus de Columba et de Stella, ut istius negotii curam habeant, et monachos in idem monasterium, si fieri possit, introducant.

108. Quia ad audientiam Capituli generalis pervenit annuas solvi pensiones R. adm D. de Morimundo a monasteriis suae filiationis, prohibet praesens Capitulum generale omnibus superioribus et quibusvis aliis Ordinis personis, ne ullas pensiones exigant, vel etiam si hae offerentur, sub quocumque praetextu recipiant, aut exigi, solvi et recipi quoquo modo procurent. Et contra delinquentes decernit Capitulum generale poenam excommunicationis latae sententiae. Quaerelas vero occasione R. adm D. de Morimundo exortas remittit ad Rmum D. N. pro eius prudentia terminandas.

SESSIO DECIMA OCTAVA

109. Eadem die, horis pomeridianis congregato Diffinitorio ut supra, in eoque praesentibus omnibus, exceptis R. adm D. de Morimundo et R. D. de Salem infirmitatis causa absentibus, requisivit una cum R. D. Promotore R. D. de S. Salvatore Congregationis Coronae Arra-

gonum et Navarrae Vicarius generalis, ut diffinitiones quas prae manibus habebat, editae in Capitulo illius Congregationis celebrato apud monasterium de Rota, anno 1626, a Capitulo generali approbarentur vel improbarentur, vel ad Rmum D. N. approbandae vel improbandae, prout iuris et rationis, auctoritate Ordinis, remitterentur. Praesens Capitulum generale remisit praefatas diffinitiones ad Rmum D. N. revidendas, atque totius Ordinis auctoritate, si ita iudicaverit, approbandas et confirmandas, vel etiam improbandas, vel alias de novo condendas.

110. Super libello supplici oblato a fr. Stephano Delaverge monacho de Strata, statuit praesens Capitulum generale supplicandum esse Regi christianissimo, quatinus monasterio illo Ordini restituto monachorum conventus in illud introducatur. Et interim assignetur ex redditibus illius dicto supplicanti per modum provisionis, unde sibi in victu, vestitu, aliisque necessitatibus subvenire possit, ex superiorum iudicio.

111. Audita relatione vener. Provisoris seminarii Dolani, comitatus Burgundiae Vicarius generalis, de statu monasteriorum istius provinciae, intellexit Capitulum generale, monasteria filiationis Morimundi in illis partibus esse penitus deformata, monachos in illis degentes saeculariter omnino vivere et vestiri; atque fultos auctoritate R. adm D. de Morimundo visitationes ipsius Vicarii contemnere. Hac re permotus Rmus D. N. rogavit R. adm D. de Claravalle ut monasterium de Morimundo, suo scilicet abbatis Cisterciensis et totius Ordinis nomine et auctoritate visitaret. Qua de re excusavit se idem R. adm D. de Claravalle, et petiit ut Rmus D. N. quatuor prima monasteria non visitaret auctoritate sua nisi adiunctis sibi duobus e quatuor primis abbatibus, iuxta decretum Capituli generalis de anno 1623. Et quod si solus ea visitare vellet, id faceret tantum ex commissione praesentis Capituli generalis. Tunc idem Rmus circa hoc submisit omnia sua iura iudicio Diffinitorii, a quo ipsi responsum fuit nuper diffinitive super hoc pronuntiatum fuisse, illique diffinitioni standum esse. Rmus autem praecipit eidem D. de Claravalle ut Morimundum visitaret ipsius et Capituli generalis auctoritate.

112. R. D. de Veteri monte, Inferioris Tractus Rheni et Westphaliae Vicarius generalis, retulit statum monasteriorum illius provinciae, ad quem praesens Capitulum generale remisit, quatinus totius Ordinis auctoritate monasterium pro novitiatu et professorio in illa provincia determinet.

113. Requirente R. D. de Valcellis Promotore, ut cum monasteria S. O. in Gallia in tres tantum provincias seu vicariatus divisa sint, multaque ob distantiam illorum a pluribus annis visitata non fuerint, rursus dividentur in plures provincias, ut annuae visitationes in iis

fieri possint. Eodemque requirente, ut eidem labenti observantiae de opportunis remediis a praesenti Capitulo provideatur, maxime cum in *Brevi* Alexandri VII omnibus Ordinis superioribus in virtute obedientiae auctoritate apostolica praecipiatur, ut praedictam strictiorem observantiam non tantum protegere sed et diffundere et dilatare studeant, prout in praefato *Brevi* fusius continetur ; auditisque R. D. de Caduino, de Veteri monte et de Grissovio commissariis ad haec examinanda specialiter deputatis, praesens Capitulum generale diffinitionem edidit tenoris sequentis.

114. Quoniam a multis conquestum est in praesenti Capitulo generali, quod disciplina regularis in plerisque S. O. monasteriis quotidie dilabatur, idque proveniat ex defectu visitationum, quibus ob nimiam monasteriorum distantiam Visitatores vacare non possunt, huic malo providere cupiens Capitulum generale statuit ut in posterum monasteria praedictae S. O. in quinque provincias dividantur, quibus Visitatores quinque ab eodem Capitulo praeficiantur, qui facilius ad dictam disciplinam in praedictis monasteriis conservandam invigilent, non obstante circa illam divisionem facta protestatione per abbates S. O. in Capitulo generali de anno 1667.

115. Et quia pro conservanda huiusmodi disciplina in dictis monasteriis necesse est, ut praedicti Visitatores aliquando inter se conveniant, praesens Capitulum generale iuxta praeceptum Alexandri VII praedictam S. O. non solum fovere sed et augere et propagare cupiens, statuit ut singulis annis Visitatores abbates et superiores omnium monasteriorum praedictae S. O. conveniant die et loco per R. D. N. generalem assignandis de consilio Visitatorum sub praesidentia ipsius Rmi aut eius commissarii ex abbatibus eiusdem observantiae deputandi, quo non obstante, abbates omnes et Visitatores tenebuntur adesse Capitulis generalibus et intermediis, iuxta idem *Breve* Alexandri VII. Quod si cessante legitima licentia a Capitulo generali approbanda, ab eodem Capitulo abfuerint, praesens gratia nulla sit.

116. Mortuo uno ex praefatis Visitatoribus cessante Capitulo generali, Visitatores cum aliquibus ex aliis abbatibus S. O. quod dicti Visitatores duxerint advocandos, duos abbates aut priores proponent Rmo D. N. et quatuor primis abbatibus, ex quibus idem Rmus unum instituet in Visitatores loco defuncti.

117. In monasteriis C. O. in quibus maior pars monachorum introducere voluerit S. O. absque ullius pensionis stipulatione, liceat Visitatori S. O. eam introducere, prius petita licentia a Rmo D. N. aut saltem a patre immediato, iuxta *Breve* Alexandri VII.

118. Quoad appellationes emittendas per monachos S. O. ad patres immediatos C. O., si pater immediatus per se non iudicaverit, teneatur

delegare duos abbates vel saltem unum abbatem aut priorem S. O. ad iudicandum.

119. Contra quam diffinitionem protestati sunt R. adm D. de Firmitate, de Pontigniaco et de Claravalle, et actum petierunt, qui et concessus est.

120. Distributio monasteriorum S. O. in quinque provincias. — *Britannia :* de Begario, de Langoneto, de Boquiano, de S. Albino, de Landavalle, de Veterivilla, de Sylva Melonis, de Mellereyo, de S. Mauritio, de Villa nova, de Precibus. — *Normannia :* de Saviniaco, de Chalocheio, de Fulcardimonte, de Alneto, de Lanneyo, de Trappa, de Persenia, de Valle Richerii, de Tironello, de Barberio, de Loco Dei, de Campania, de Thoriniaco, de S. Catherina monialium, de Thoriniaco, monial. — *Pictavia :* de Caduino, de Columba, de Pinu, de Bona aqua, de Stella, de Faizia, de Fonte Guillelmi, de Bono loco, de S. Leonardo, de Insula Dei alias La Blanche, de Brolio Grolandi, de Petris, de Misercordia Dei. —*Insula Franciae :* de Prulliaco, de Ioyaco, de Vallibus Cernay, de Valle lucenti, de Septem fontibus, de Maceriis. de Barbello, de Fonte Moriniaci, de Regali monte, de Loco Dei ad Belnam monial. — *Campania :* de Caladia, de Ursicampo, de Longo ponte, de Aureavalle, de Valle clara, de Alto fonte, de Cheminione, de Boheriis, de Recluso, de Castellione, de Bono fonte, de Charmeya, de Pietate, de S. Lazaro prioratus, de Argensoliis monial. de S. Desiderio monial.

121. In controversia inter conventum monasterii de Bonacumba praetendentem ad se pertinere omnia quae moriens Romae ultima octobris 1681, reliquit D. Ioannes Malgoirés, monachus praefati monasterii et Procurator generalis in Curia, ex una, et Promotorem praesentis Capituli generalis praetendentem illa omnia ad Ordinem spectare, ex altera partibus, quia per 30 annos contributiones monasteriorum Ordinis tam ex Italia quam ex Germania et aliis provinciis excepit, nec rationem aut computum reddidit. Partibus auditis, et R. D. de Caduino et de Valle Richerii commissariis ad hoc specialiter deputatis ; visis etiam procuratione data fratri Francisco Laval subpriori eiusdem monasterii ab illius conventu ut compareret coram praesente Capitulo generali ad hanc controversiam dirimendam, die 24 aprilis 1683 ; quittantiis de solutione annua cuiusdam pensionis datae dicto D. Malgoirés 8 martii 1667 et 13 aprilis 1674 ; epistolis fr. Philippi Vandenbergh eius socii et secretarii in Curia romana 5 novembris 1681 et 14 ianuarii 1682 ; libello supplici Francisci Laval ; declaratione facta Divione 27 ianuarii 1683 a dicto fratre Philippo Vandenbergh, in qua declarat defunctum D. Malgoirés saepius sibi dixisse, quod pensionem quam annuatim solvebat ei cellerarius de Bonacumba ipse non acceperit, sed parentibus suis pauperibus accipiendam

relinquebat ; auditisque partibus et omnibus consideratis, diffinitum fuit omne illud peculium defuncti D. Malgoirés, dum viveret Procuratoris generalis Ordinis in Curia, ad Ordinem seu Capitulum generale omnino pertinere. Mandatque tamen ex gratia dari de dicto peculio conventui de Bonacumba mille libras turonen. cum libris ac suppellectili post mortem dicti Malgoirés traditis a dicto fratre Philippo ipsius dum viveret socio.

SESSIO DECIMA NONA

122. Die 26 eiusdem mensis, post maiorem missam, congregato Diffinitorio ut supra, absente R. adm D. de Morimundo ob infirmitatem, R. D. de Aureavalle, Vicarius generalis in ducatu Luxemburgensi, retulit statum monasteriorum illius provinciae.

123. Statuit Capitulum generale, Vicarios generales seu Visitatores a Capitulo generali deputatos non posse impediri quocumque praetextu, quin visitent singulis annis omnia monasteria sibi commissa, nisi eo anno quo pater abbas per se ipsum eadem monasteria visitaverit.

124. In causa inter R. D. de Porta Gloni petentem, ut frater Stephanus Mulatier monachus Bolbonae teneatur reddere rationem administrationis bonorum illius monasterii dum ibi erat superior seu officiarius, quam rationem reddere distulit variis effugiis. — Secundo ut idem fr. teneatur reddere varios titulos monasterium spectantes, quos abstulisse dicitur. — Tertio, ut sibi a dicto fr. congrue satisfiat pro libello diffamatorio adversus se evulgato, secundum quod a Capitulo generali fuerit ordinatum, ex una, et dictum fratrem Mulatier reum, ex altera partibus. Habita relatione R. D. de Caduino et de Parisio commissariorum ad hoc specialiter deputatorum ; lecto etiam libello supplici a fratribus Carolo Claudio Henrion et Petro Lescrivain monachis Cistercii contra eumdem fr. Mulatier, quo petebant eum gravissime puniri, quod ipsos saevissime tractavit apud Scalam Dei, dum ibi essent ex mandato Rmi D. N. et dicti R. D. de Porta Gloni Vicarii generalis. Auditoque quod dudum in partibus Occitaniae se ut abbatem gesserit, ut tituli abbatialis sibi collati in partibus infidelium a defuncto D. de Morimundo. Auditoque personaliter dicto Stephano Mulatier, praesens Capitulum generale statuit, ut decretum a se nuper editum contra habentes inanes titulos in partibus executioni mandaretur erga dictum fr. Stephanum Mulatier, et consequenter declarat titulum abbatialem ipsi collatum vanum et irritum fuisse et esse, districtissime prohibens, ne eiusmodi titulo se in posterum insigniat, nullusque eum pro abbate habeat, nec ulla ei pensio ratione huius vani tituli a monasterio unquam persolvatur. Insuper committit idem Capitulum

generale R. D. de Caduino et vener. priori de Grandi sylva, ut examinent rationes et computationes dicti Stephani Mulatier; inquirant super eius administratione, et super praefatis querelis contra ipsum factis, earumque circumstantiis et dependentiis quibuscumque. Et tandem procedant usque ad sententiam diffinitivam inclusive, in plenaria Ordinis potestate. Et interim statuit, ut donec sententia diffinitiva lata fuerit, dictus fr. Mulatier sit suspensus ab omni officio et ad quodvis aliud inhabilis.

125. Rum auditis excusationum receptoribus, statuit Capitulum generale litteras excusatorias absentium fieri debere idiomate latino et mittendas esse per nuntium, qui earumdem excusationum veritatem iuramento confirmet.

EXCUSATIONES ABBATUM

126. R. D. de Eberbaco excusat se ob aetatem decrepitam, podagram, et aedificiorum necessariam reparationem ipsius exigentem praesentiam.

127. R. D. de Stella, Vicarius generalis monasteriorum S. O. in Insula Franciae, Campaniae, etc. excusat se ob gravia negotia et institutionem novitiorum, cui vacat, et inopiam sacerdotum.

128. R. D. de Pinu, Vicarius generalis monasteriorum eiusdem observantiae in Pictavia, etc. excusat se ob debilitatem maximam oculorum et aetatem provectam.

129. R. D. de Claroloco excusat se ob provectam aetatem, metum podagrae, defectum equorum et alia incommoda.

130. R. D. de Boneffia excusat se ob varias infirmitates, et maxime febrim.

131. R. D. de Colbatz coadiutor abbatis Olivensis, excusat se ob officium quo detinetur in aula Regis Poloniae, et excusatur a R. D. electo Visticensi.

132. R. D. de Porta coeli excusat se ob pauperatum monasterium propter bella; quod verum testatur esse R. D. de Maris stella.

133. R. D. de Candelio excusat se per priorem monasterii sui.

134. R. D. de S. Salvatore Antuerpiensi excusat se ob infirmitatem a medicis attestatam.

135. Venerabilis prior titularis de Gaudio B. M. excusat se ob penuriam quam sustinet propter litem pro conservatione tituli sui.

136. Vener. D. Ludovicus Gareau, Syndicus Britanniae, excusat se ob residentiam suam apud monasterium de Trappa.

137. R. D. de Trappa excusat se ob gravem infirmitatem.

138. R. D. Villariensis in Brabantia excusat se ob infirmitatem a

medicis attestatam, et provectam aetatem, per monachum suum ad Capitulum generale deputatum.

139. Vener. S. Stephanus Roissey prior de Blanca, Vicarius generalis Normanniae, excusat se ob gravem infirmitatem attestatam per Syndicum eiusdem provinciae.

140. R. D. abbates Poloniae in Capitulo provinciae congregati excusant se per R. D. electum Visticensem, et vener. priorem Paradisiensem, deputatos nomine totius provinciae ob bellum indictum a Polonis contra Turcas.

141. R. D. abbas Florensis, Praesens Congregationis Calabriae et Lucaniae, excusat se et omnes alios abbates eiusdem Congregationis, et deputat procuratorem suum ad praesens Capitulum generale R. D. de Stamedio.

142. R. D. de Runa, Vicarius generalis Carinthiae et Carniolae, excusat se et abbates vicariatus sui, ob viciniam Turcarum qui illis provinciis et Austriae imminent.

143. R. D. abbates Bohemiae excusant se ob bellum contra Turcas et varia subsidia, quae ab illis exiguntur.

144. Vener. D. Dionisius Mantilla, Vicarius generalis Siciliae, se excusat ob calculum quo laborat, provectam aetatem et monasteriorum paupertatem, et deputat ad praesens Capitulum procuratorem suum R. D. de Stamedio.

145. R. D. Praeses Congregationis Lombardiae et Tusciae excusat se ob inopiam Congregationis, et Capituli illius celebrationem post Pascha anno sequenti faciendam, aliasque secretas rationes a praefato R. D. de Stamedio dicendas.

146. R. D. de Valle S. Lamberti excusat se ob aetatem sexagenariam, varias infirmitates, et dissidia inter episcopum et cives Leodienses quibus adiacet. Quae attestantur a R. D. de Alna.

147. R. D. de Grandi prato excusat se ob infirmitatem attestatam.

148. R. D. de Nizella excusat se ob paupertatem sui monasterii.

149. R. D. de Caesarea excusat se per priorem suum ob bellum imminens in Germania, et comitia generalia Sueviae, quibus adesse iubetur, hoc attestante R. D. de Salem.

150. R. D. de Altaripa excusat se per cellerarium suum ob morbum calculi, quo impeditur itineri se committere.

151. R. D. de Molinis excusat se ob infirmitatem pro qua ad thermas Aquisgrani ire tenetur.

152. R. D. de Valle clara excusat se ob graves infirmitates.

153. R. D. de Pietate B. M. excusat se ob infirmitatem in quam incidit veniens ad praesens Capitulum generale ; quod attestatur a R. D. de Castellione.

154. R. D. de Claromarisco excusat se ob febrim continuam et provectam aetatem.

155. R. D. de Iardineto excusat se ob paralisim.

156. R. D. de Riveto excusat se ...

157. R. D. de Laude excusat se ob infirmitatem Rmo D. N. notam.

158. Vener. prior de Valloliis, Syndicus Picardiae, asserit sibi ab eodem Rmo concessum ut ad Capitulum non veniret.

159. Vener. prior de Sinaqua, Syndicus Provinciae, excusat se ob provectissimam aetatem.

160. R. D. de Baudeloo excusat se ob gravem infirmitatem et provectam aetatem.

161. R. D. de Valle Dei Leodiensi excusat se ob continuam tibiarum debilitatem.

162. Vener. prior titularis de Waerschoot excusat se ob provectam aetatem et turbas domesticas, quibus a longo tempore premitur.

163. R. D. abbates Congregationis Superioris Germaniae excusati sunt per R. D. de Salem, et deputatos ab eodem R. D. de S. Urbano et de Maris stella.

164. R. D. abbates et Vener. priores provinciae Rhenanae et Saxoniae excusant se ob varias causas attestatas per R. D. de Veteri monte, Vicarium generalem, et R. D. de Campo S. M.

165. R. D. de Sancta Cruce, Vicarius generalis Austriae, excusat se et abbates provinciae suae ob metuendissimum Turcarum exercitum illi imminentem.

166. Quas omnes excusationes praesens Capitulum generale admisit, monendumque statuit R. D. de Pinu per R. D. de Columba, ut maiori cum reverentia alia vice scribat.

167. Capitulum generale ferre amplius non valens pertinaciam, qua Vicarius vulgo dictus Reformator generalis, et alii abbates Congregationis Castellae ; item, Vicarius generalis et alii abbates Congregationis Lusitaniae noluerunt huic praesenti Capitulo interesse, quamvis debite ipsis seu procuratoribus eorum Romae intimatum fuisset decretum praecedentis Capituli generalis de anno 1672, quo, quia similiter nullus ex parte dictarum Congregationum ad illud Capitulum generale comparuerat, Reformatorem vulgo dictum Congregationis Castellae et Vicarium generalem Congregationis Lusitaniae, et omnes et singulos patres regiminis dictarum Congregationum sive Diffinitores aut alio nomine nuncupatos, declaravit contumaces et deposuit ab omnibus officiis, quae in dictis Congregationibus obtinebant, cum intimatione quod si ad praesens Capitulum non venirent, eorum monasteria et loca regularia Capitulum generale poneret sub generali interdicto. Viso itaque praefato decreto Capituli generalis de anno 1672, et *Brevi* f. m. Clementis PP. IX die 7 ianuarii anno 1669 emanato

super confirmatione actorum Capituli generalis de anno 1667, quo Vicarius pro tunc vulgo dictus Reformator generalis Congregationis Castellae et Vicarius generalis Congregationis Lusitaniae declarantur contumaces et privantur voce activa et passiva, quia nullus comparuerat in dicto Capitulo 1667, pro dictis Congregationibus. Visa item intimatione dictorum decreti et *Brevis* facta Procuratoribus earumdem Congregationum in Curia romana die 23 decembris 1682 debite subscripta per felicem cursorem, praesens Capitulum generale omnia monasteria et loca regularia earumdem Congregationum ponit sub generali interdicto, mandans omnibus et singulis illorum personis sub attestatione divini iudicii ut illud inviolabiliter observent ad sacrorum canonum praescriptum. Declarat autem praesens Capitulum, quod cum ad hoc extremum remedium non nisi tanta contumacia coactum procedat, paratum semper erit interdictum illud relaxare ubi primum filii poenitentes ad sinum matris suae Cisterciensis confugerint. Hoc praesens decretum Procurator generalis in Curia dictis Reformatori et Vicario generali seu aliis abbatibus aut patribus regiminis aut quibusvis aliis earumdem Congregationum personis enuntiet et denuntiari faciat, et etiam publicari in Hispania et Lusitania, dictorumque monasteriorum et locorum valvis affigi procuret, implorando ad executionem praesentis decreti apostolicam auctoritatem et auxilium, si opus sit, brachii saecularis.

SESSIO VIGESIMA

168. Eadem die 26 mensis maii, horis pomeridianis, congregato Diffinitorio ut supra, absente R. adm D. de Morimundo ob infirmitatem, R. D. de Stamedio ut Procurator Congregationis Calabriae et Lucaniae, itemque Siciliae, retulit statum illarum provinciarum, variaque illarum negotia exposuit.

169. Statuit Capitulum generale mittendas esse litteras deprecatorias ad Regem catholicum, ut in monasteriis Siciliae mensarum conventualium redditus augeatur, cum ex numero monachorum statuto in visitatione regis anno 1681 [d] facta, fundationes impleri et officium divinum debite fieri possit.

170. Declarat idem Capitulum generale fratrem Delphinum Cantamore, qui tot annis monasterii de Roccadia prior fuit, suspensum a divinis, donec pecuniam, quam penes se habet, cellerario monasterii tradiderit, illius necessitatibus et maxime prosecutionibus litis contra D. abbatem commendatarium impendendam.

---

[d] 1581 : $A^3Ch^2SaT^5$

171. Committitur Procuratori generali in Curia ut provideat de Vicario generali in regno Siciliae, quando expedire cognoverit.

172. Decrevit idem Capitulum scribendas esse litteras Emo Cardinali Pamphilio, clementissimo Ordinis protectori, congratulatorias pro tanti principis ad Ordinis nostri patrocinium assumptione.

173. Cum acceperit Capitulum R. D. de Stambs causam habere Romae cum Ill. et Rmo episcopo Brixinensi, praetendente varia iura in parochiis eidem monasterio unitis aut alias subditis, in quibus idem abbas iuxta privilegia apostolica et caesarea toti Ordini et specialiter dicto monasterio concessa, iurisdictionem omnem semper exercuit; auditis super hoc R. D. de Henricovio et de S. Sulpitio commissariis deputatis; visisque praefatis privilegiis aliisque titulis possessionem dicti monasterii firmantibus, praesens Capitulum generale supplicandum duxit SS. D. N. ut ius praedicti monasterii et totius Ordinis in hac causa inviolatum conservare dignetur.

174. In causa inter R. D. de Caesarea et fr. Franciscum Michotey monachum illius monasterii, qui cum ab eo exierit a 20 circiter annis, stabilitatemque in monasterio de Clarofonte firmaverit sine licentia praedicti abbatis, qui ob diuturnitatem temporis illum recipere recusat; auditis R. D. de Henricovio et de Pontefrigido commissariis deputatis, et R. D. de Lucella, diffinit praesens Capitulum generale, dictum monachum Caesaream redire debere, ibique puniri tanquam fugitivum et periurum, et ultimum esse in ordine congregationis tamdiu quamdiu extra monasterium remansit.

175. Super gravaminibus illatis ab Emo Principe Electore Maguntino monasteriis de Speciosa valle et de Eberbaco contra Ordinis nostri privilegia, supplicandum duxit Capitulum generale eidem principi, ut illa praedictis monasteriis remittat. Quod et epistola ad ipsum scribenda et viva voce fiat R. D. de Veteri monte ad hoc a Capitulo specialiter deputato.

176. R. D. de Runa supplicante, ut Capitulum generale sibi et suo monasterio diffinitive adiudicet contra R. D. abbatem de Valle Dei in Austria ius paternitatis in monasterio Schlierbacensi, quod sibi provisionaliter adiudicarat ultimum Capitulum generale, mandando ut ad praesens Capitulum utraque pars pro termino peremptorio afferret sua instrumenta, quatinus super hoc ab eo diffinitiva sententia fieri posset. Capitulum generale habita ratione excusationis legitima dicti abbatis de Valle Dei ob imminentem patriae suae Turcarum exercitum, aliasque graves causas, terminum pro afferendis ut supra instrumentis prorogat peremptorie usque ad proximum. Et interim adiudicata sibi provisione gaudeat R. D. de Runa.

177. Lectis et mature examinatis diffinitionibus generalibus ultimi Capituli generalis de anno 1672, visum est praesenti Capitulo generali

eas approbare et confirmare, prout praesenti decreto approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate ; hoc addito circa conversorum et conversarum professionem, quod ea fiat secundum ritum in Dist. XIV *Antiquarum Diffinitionum* praescriptum, quem ad calcem *Breviariorum* maiorum poni ordinat. Item, revocat praesens Capitulum commissionem datam a praecedenti Capitulo nominatis commissariis pro statuenda uniformitate in novitiatibus. Item, revocatur poena a praecedenti Capitulo statuta contra non morantes in collegiis, quae sunt in urbibus, usque dum ea sufficienti suppellectile et aedificiis congruis provisa fuerint. Item, diffinitioni pro novitiis mittendis ad novitiatus communes, addendo declarat praesens Capitulum sub hac lege non teneri abbates habentes conventum sufficientem ad observantias regulares.

178. Tum R. adm D. de Claravalle suo et trium aliorum primorum abbatum nomine protestationem legit tenoris sequentis, cuius actum petiit, qui et concessus est. Supplicavimus nos quatuor primi patres Ordinis tam publice quam privatim Rmum D. N. quatinus dignaretur nostra quatuor prima monasteria visitare per seipsum aut cum praerogativa nobis data in decreto Capituli generalis anni 1623, vel etiam per seipsum solum sub beneficio protestationum nostrarum, vel per ipsum solum sine nostris protestationibus, dummodo veniat ad id muneris cum commissione expressa Capituli generalis, iterum in praesenti eamdem supplicationem ad eius Rmam Paternitatem dirigimus, imo et pro observantiae regularis perfectione, et ut publice patefaciamus, nos nolle declinare nostrarum abbatiarum visitationes, declaramus nos in praesenti esse paratos ad subeundam visitationem per commissionem Capituli generalis a Rmo N. vel ab aliquo ex nobis quatuor. Et ea mente ego abbas de Claravalle significo me paratum esse ad commissionem huius praesentis Capituli pro visitando monasterio de Morimundo, adhaerendo praecedentibus nostris protestationibus et declarationibus. Et nos quatuor iisdem inhaerendo declaramus nos non posse suscipere visitationem per alium commissarium quam per unum ex nobis primariis Ordinis patribus modo quo supra deputatum. Quae omnia pro bono pacis atque propter obedientiam Regis christianissimi mandato praestabimus. Cuius rei actum et inscriptionem in tabulis Capituli generalis postulamus. Signatum fr. Claudius abbas Firmitatis ; fr. Iacobus abbas Pontigniaci ; Bouchu abbas Claraevallis ; fr. Nicolaus abbas Morimundi.

179. Contra quam protestationem, R. D. de Septem fontibus, consentiente toto Diffinitorio, protestatus est tamque de re nova et hucusque inaudita praetensione.

180. Requirente R. D. de Chalocheio, Procuratore generali in Gallia, ut sibi refundantur expensae factae in causa qua cecidit no-

mine Ordinis circa solutionem quarumdam contributionum in favorem monasterii Claraevallis, Capitulum generale statuit dictas expensas eidem R. abbati refundi debere secundum taxationem faciendam ab auditoribus computationum huius Capituli.

SESSIO VIGESIMA PRIMA

181. Die 27 eiusdem mensis maii, congregato de more Diffinitorio, absente eodem adm R. D. de Morimundo ab infirmitatem, Capitulum generale executioni mandari decrevit constitutiones Benedicti XII et Innocentii VIII, secundum quas, cessante omni impedimento omnes abbates Ordinis, officiarii et alii vocati ad singula Capitula generalia venire tenentur sub variis poenis, et maxime sub poena excommunicationis latae sententiae.

182. Statuit autem idem Capitulum *Indictiones* Capitulorum generalium a Rmo D. N. mitti debere ad singulos Vicarios generales seu seu Visitatores, qui eas monasteriis sibi commissis intimari curabunt, sub poena statuta contra eos qui Capitulo generali adesse debent et non adsunt.

183. Prohibet Capitulum generale ne conclusiones philosophiae et theologiae apud Cistercium tempore Capituli generalis propugnentur. Per hoc autem non impediuntur scolares Cistercii illo tempore studiorum suorum publicas facere exercitationes.

184. Moneat Provisor collegii Parisiensis D. Marcum Montels ut ad suum monasterium de Fonte frigido quamprimum redeat.

185. Cum didicerit Capitulum generale ex relatione status monasteriorum comitatus Burgundiae et Lotharingiae multa indigere maxima reformatione, et praesertim in utroque statu deformatum esse monasterium de S. Benedicto, idem Capitulum generale committit R. adm D. de Firmitate, ut quamprimum visitet omnia illarum provinciarum monasteria.

186. Ad instantiam prioris at conventus de Balerna scribatur Ill. Senatui Bisuntino pro prorogando iudicio in causa vertente inter illos et abbatem commendatarium.

187. Remittit Capitulum generale R. D. de Caduino, patri immediato, libellum supplicem prioris de Ardorello contra fratrem Raymundum Plieu, ut de eo provideat.

188. Controversia inter R. D. de Lucella ex una, et R. D. de Salem et de S. Urbano ex altera partibus, pro iure paternitatis in illorum monasteria, committitur decidenda R. D. de Campo principum et de Speciosa valle, coniunctim vel divisim, cum potestate subdelegandi.

SESSIO VIGESIMA SECUNDA

189. Eadem die, horis pomeridianis, congregato Diffinitorio, absente ob infirmitatem R. adm D. de Morimundo, audita relatione vener. priorum de Bello prato Belvacensi et de Bona requie, super querelis a vener. Vicario Pictaviae contra priorem de Castellariis, eas Capitulum generale remisit ad R. D. de Claravalle terminandas.

190. Ad relationem R. D. de Caduino, de Castellione et de Charitate Lingonensi, deputatorum super examine cuiusdam debiti a monasterio de Claravalle praetensi adversus totum Ordinem, pro cuius debiti interesse solvendis sibi asserit in hypothecam datas fuisse a Capitulo generali contributiones nonnullorum monasteriorum. Statuit Capitulum generale, ut R. adm D. de Claravalle praetendens sibi deberi aliquas summas ab Ordine, exhibeat suos titulos intra tres menses a die praesentis ordinationis computandos,in urbe Parisiensi coram Rmo D. N. aut aliis ab eo deputandis tam regularibus quam saecularibus. Quibus titulis visis et approbatis, detur ei summa quae fuerit ei debita tam pro principali quam pro interesse usque ad illam diem. Quod si titulos supradictos statuto tempore non exhibuerit, aut sufficientes et legitimi non fuerint iudicati, non teneatur Capitulum generale praedictas pecunias tam in principali quam in interesse solvere, mandans Procuratori suo generali, ut procuret per omnes iuris et iustitiae vias, ut a praedictis praetensis debitis Ordo absolvatur. Revocans interea omnes et singulas commissiones huc usque datas a Capitulo generali ad recipiendas seu levandas contributiones Ordinis, in quocumque monasterio cuiusvis provinciae sub quocumque praetextu, nec liceat cuiquam in posterum praedictas contributiones recipere, nisi eis quibus a praesenti Capitulo generali mandabitur.

191. Deputat praesens Capitulum generale R. D. de Veteri monte et de Alna ad visitanda omnia monasteria patriae Leodiensis et aliarum regionum inter Rhenum et Mosam, iisque commissariis maxime commendat, ut in monasteriis monialium clausuram ad formam sacrorum canonum omni meliori modo introducant.

192. Tum R. D. de Maris stella, Vicarius generalis in Helvetia, Alsatia et Brisgoia retulit statum monasteriorum sui vicariatus.

193. Cum ad audientiam Capituli generalis clamosa relatione pervenerit pessimum ac detestabile proprietatis vitium, quod ipsamet religionis fundamenta evertit, in provincia Vasconiae quodammodo impune regnare in perditionem animarum manifestam ; hoc malum radicitus extirpare cupiens praesens Capitulum generale iniungit ac mandat R. adm D. de Claravalle, ut omni mora postposita ad dictam provinciam Vasconiae personaliter accedat, eamdemque visitando inter ceteros abusus dictum proprietatis vitium singulariter damnet,

inhibeat ac praescribat sub poenis in iure ac Ordinis statutis contentis. Et ut haec ipsius damnatio, inhibitio ac praescriptio efficaciorem sortiatur effectum, idem adm R. D. de Claravalle in capitulis singulorum monasteriorum residens, peculiares omnium personarum regularium pecunias ad se deferri iubeat, easque in commune confusas cellerariis tradat in commune servituras. Similiter faciat de blado, vino, aliisque rebus tam mobilibus quam immobilibus. Insuper strictissime praecipit idem Capitulum generale Vicario generali aliisque superioribus monasteriorum aliorumve locorum regularium supradictae provinciae Vasconiae, ut ordinationes a dicto adm R. D. de Claravalle faciendas manuteneant et executioni mandent, sub poena depositionis et inhabilitatis ad quaecumque officia consequenda. Et ut omnibus terror salutaris incutiatur, praecipit etiam Capitulum generale ut si qua persona regularis Ordinis nostri in hoc detestabili proprietatis vitio absordescens vita decesserit, in sterquilinio una cum sua proprietatis substantia proiiciatur. Quas omnes supradictas ordinationes, inhibitiones et poenas, praesens Capitulum generale extendit ad omnes regulares personas Ordinis universi.

194. Mandatur etiam abbatibus, prioribus et abbatissis, sub poena standi extra stallum et locum praesidentiae suae et aliis arbitrio Visitatoris infligendis, ut religiosis necessaria administrent, ne occasio eis detur ad habendam proprietatem.

195. R. D. abbates et alii contractuum examinatores retulerunt ad Capitulum generale de contractibus a se examinatis. — Approbatur contractus inter illustrem D. de Maillé toparcham de Falesne et D. abbatem commendatarium de Oratorio, de consilio et consensu prioris et conventus 2 febr. 1672 emphiteosis terrae et nemoris grangiae Baillere sub annuo censu.

196. Reprobatur contractus venditionis domus apud Walonem factae 5 iulii 1668 a defuncto abbate de Marciliaco in favorem Nicolai Thomas.

197. Remittitur ad proximum Capitulum generale examen contractus 5 ianuarii 1675 inter R. Carolum de Bretagne, quondam abbatem de Villerio de Betnach et Iacobum Carau pro venditione domus apud Metas.

198. Approbatur partitio bonorum facta 29 novembr. 1681 inter abbatem commendatarium et conventum de Freistorff, et hoc tantum ad vitam eiusdem moderni commendatarii, et ea conditione ut statim sine mora impleat omnes conditiones in ipsa positas.

199. Approbatur transactio inter D. Christophorum de Seyturier, dominum de Ferrière et consortes ex una, et Rmum D. N. eiusque conventum ex altera partibus, 11 martii 1675 super lite pro venditione terrae de Serviliac.

200. Deputat Capitulum generale R. D. de Caduino ut informet de commodo et incommodo contractus initi 28 sept. 1676, inter abbatem commendatarium et conventum Grandis sylvae ex una, et D. Chrysogonum de Chabane ex altera partibus, pro alienatione quartae partis iustitiae in grangia de la Taride.

SESSIO VIGESIMA TERTIA

201. Die 28 eiusdem mensis, congregato de more Diffinitorio, R. adm D. de Morimundo infirmo absente, R. adm de Claravalle protestationem emisit tenore sequenti, cuius actum petiit, qui et concessus est.

202. Cum semper pro nostris viribus nos quatuor primi patres Ordinis foverimus Strictam Observantiam eamque protexerimus et perfecerimus ubicumque et omnibus modis, paratique semper simus pro ea agere, mirum nobis fuit, quod apparuerint quaedam propositiones nomine aliquorum abbatum eiusdem Observantiae hic praesentium continentes articulos quibus nostra laeduntur iura. Et propterea permanentes in animi dispositione sincera pro concedendis eidem praefatae Strictae Observantiae omnibus auxiliis, quae iusta et aequa videbuntur ad eius conservationem et augmentum sine praeiudicio nostrorum iurium et auctoritatum ; declaramus nos protestari contra omnia quae eisdem nostris iuribus et auctoritatibus adversando possent iisdem abbatibus vel monasteriis S. O. in hoc Capitulo tribui, nosque prosecuturos nostra iura viis et modis convenientibus. Cuius rei actum postulamus et inscriptionem in dicti Capituli monimentis de verbo ad verbum ut in hac pagina continetur. fr. Claudius... *etc. ut supra.*

203. Cui protestationi contrariam fecere Diffinitores S. O.

204. Tum R. D. de Stamedio specialiter deputatus retulit Capitulo generali negotia imposita deputatis Poloniae ad praesens Capitulum.

205. Idem Capitulum generale confirmavit electionem factam 14 nov. 1682 a conventu Vanchosensi de persona D. Ioannis Kostecki, monacho eiusdem monasterii, provinciae Poloniae secretarii, in primum abbatem monasterii de Wistico, filiae praedicti monasterii Vanchocensis.

206. Petitionem sibi factam a priore et conventu monasterii S. Ioannis evangelistae de Mogilno, O. S. B. dioecesis Gnesnensis, ut Ordini nostro incorporentur ; Capitulum generale admisit ea conditione ut habitu Ordinis induantur, mores in Ordine consuetos servent, et licentiam obtineant a Sede Apostolica [c].

---

[c] *T⁵Ch²add.* : et consensu episcopi.

207. Quia Capitulum generale plene informatum existit de necessitate reformationis monasteriorum Poloniae in utroque statu, reverenter committit Rmo D. N. ut ad illas partes quamprimum accedat, et pro sua prudentia agat apud Seren. Regem pro stabiliendo iure electionum abbatum, et amovendis commendis. Quod si idem Rmus hanc visitationem per se facere non possit, idem Capitulum generale ipsi supplicavit, ut Visitatorem unum aut plures mittat in plenaria totius Ordinis auctoritate, qui omnia statuant et reforment quae viderint expedire.

208. Interim autem mandat Capitulum generale, ut ab abbatibus, monachis et monialibus Poloniae et Prussiae inviolabiliter observetur *Breve* Alexandri PP. VII iuxta quod mores suos componant.

209. Specialiter autem Capitulum generale praecipit abbatibus, ut abstineant a quibuslibet vestibus sericeis, sumptuosis conviviis, numeroso famulatu, et a longa extra monasteria sua commoratione. Bona mensae suae abbatialis in reparationem aedificiorum et augendo numero monachorum impendant. Item, mittant iuniores monachos ad studia apud Sulejovium aut Paradisum. Chorum frequentent et alia faciant quae abbatibus praescribuntur in cap. 2 regulae s. Benedicti.

210. Commissarius autem generalis provinciae praedictae *Brevis* et praesentis Capituli generalis executioni invigilet, de his eidem Rmo aut deputando seu deputandis ab ipso commissariis rationem redditurus.

211. Mandatur Procuratori generali in Curia, ut agat apud SS. D. N. pro amovendis gravaminibus, quae RR. episcopi Poloniae nostris monasteriis inferunt, et pro impediendis commendatariis, ne bona monasteriorum sibi commendatorum in testamento aut alias affinibus suis sive aliis tradant.

212. Liceat conventibus de Wanchosco, Wistico et de Landa anniversaria petita recipere ea lege, ut pecuniae ex illis fundationibus provenientes in evidentem eorumdem conventuum utilitatem impendantur.

213. Monasterium de Wistico, filia de Wanchosco situm in Lithuania et dioecesi Lucoviensi, scribatur in tabula Cisterciensi abbatiarum totius Ordinis ad annum 1675 mense decembri.

214. Licet conventui Pelplinensi fr. Iacobum Siteiland ab Ordine expellere, servatis prius constitutionibus apostolicis circa incorrigibiles.

215. Rmus D. N. aut Visitator ab eo deputandus figet limites inter possessiones monasteriorum Landensis et Olivensis.

216. Prohibet Capitulum generale Vicario generali et prioribus monasteriorum Siciliae sub poena privationis ipso facto a suis officiis, ne dent monachis certam pecuniae summam pro vestiario, sed singulis omnia pro victu et vestitu administrentur iuxta *Breve* Alexandri

VII, quod in illo regno inviolabiliter observari mandat idem Capitulum generale.

217. Iuxta regulam, singuli monachi reddant cellerario res veteres, dum novas ab eo recipiunt.

218. Inhibetur a Capitulo generali Vicariis generalibus eiusdem Siciliae pro tempore existentibus, ne ordinarie resideant in hospitio Messanensi.

219. Curet Procurator generalis in Curia, ut saltem quolibet triennio per se vel alium visitet monasterium cui praeest Vicarius generalis Siciliae.

220. Committit Capitulum generale R. D. abbati de Curatio, ut informet de commodo et incommodo alienationis vineae cuiusdam et terrae datae a Philippo Segrety, quam facere proponit monasterium Florense.

221. Concedit Capitulum generale fr. Bernardo Bogdanovitz, monacho et procuratori monasterii Andreovicensi litteras benemeriti de Ordine, pro egregie navata opera in conservandis iuribus Ordinis et impediendis commendis monasteriorum Poloniae.

222. Iure canonico et nostri Ordinis statutis prohibitur abbatibus et monachis, abbatissis et monialibus, infantes de sacro fonte suscipere seu patrinos seu matrinas sese.

SESSIO VIGESIMA QUARTA

223. Eadem die, horis pomeridianis, in Diffinitorio convenerunt omnes praeter R. adm D. de Morimundo infirmum.

224. Cum retulissent commissarii ab initio fere praesentis Capituli deputati se examinasse *Rituale* confectum a monacho Dunensi, illudque proponi posse toti Ordini ad stabiliendam uniformitatem caeremoniarum, Capitulum generale revocans diffinitionem a se nuper factam, reverenter commisit Rmo D. N. ut illud *Rituale* revideat et examinet, illudque typis mandari faciat, ut facilius communicari possit personis Ordinis nostri in diversis regionibus, quae observationes suas circa illud ad eumdem Rmum intra annum transmittere teneantur, ut postea ipsius mandato *Rituale* omnimode perfectum imprimatur.

225. Requirente Promotore, ut circa reverentiam abbatibus debitam et etiam circa ordinem, quem in ecclesia et in omnibus aliis locis abbates inter se tenere debent, *Charta charitatis* primarium Ordinis Statutum, tot apostolicis et Ordinis constitutionibus confirmatum, observetur. Praesens Capitulum generale decrevit abbates in ecclesia et omnibus aliis locis ordinem suum tenere debere tam in monasteriis quam in collegiis. Additum, de consensu Diffinitorum, et sic signatum in originali fr. Claudius abbas Firmitatis ; fr. Petrus abbas Caduini ;

fr. Julianus abbas de Chalocheyo notar. Cap. gener.; fr. Ioannes Edmundus abb. Fulcardimontis notar. Cap. gener. prout in *Charta charitatis* et *Libro Usuum* Ordinis nostri continetur, et ad hoc renovandum duxit decretum *Chartae charitatis* et hic ad longum in scripto ut sequitur. « Cum autem aliquis abbas... *etc.* § *XII et XIII Chartae charitatis* (cf. t. I, p. XXVIII).

226. Contra quam diffinitionem protestatus est R. adm D. de Claravalle suo et aliorum trium primorum abbatum nomine, cuius protestationis actum petiit.

227. Audita relatione vener. Priorum de Loco regio et de Gimonte in causa vertente inter Rmum D. N. et R. adm D. de Morimundo pro iure paternitatis praetenso ab utroque in prioratum monialium S. Bernardi Lombariensis; visis titulo fundationis et aliis, Capitulum generale diffiniendo pronuntiat, ius paternitatis in illud monasterium competere R. adm D. abbati et monasterio de Morimundo.

228. Tum vener. Provisor collegii S. Bernardi Parisiensis retulit llius statum.

229. Cum rescierit Capitulum generale sancitum fuisse a magno consilio Regis christianissimi ut fieret canonica partitio bonorum monasterii de Buzaio inter abbatem commendatarium et conventum, et illam necdum fuisse factam, committit conscientiae R. adm D. de Claravalle, patris abbatis, praefatae petitionis executionem.

230. Super petitione facta a Rmo D. N. ut deliberaret Capitulum quid sibi agendum foret pro instituendis publicis officialibus Ordinis dum vacarent, cessante Capitulo generali, attenta praetensione R. adm quatuor primorum abbatum, dictos officiales eligi tum debere a se et eodem Rmo ad pluralitatem votorum, licet in *Brevi* Alexandri PP. VII habeatur dumtaxat, quod eo casu idem Rmus dictos officiales instituet de consilio et consensu quatuor primorum abbatum, praevia protestatione trium primorum abbatum, ne haec quaestio vertatur, cum ea pendeat indecisa apud Summum Pontificem et Regem christian. et declaratione eiusdem Rmi se non iudicium diffinitivum sed mentem tantum Capituli expetere. Idem Capitulum respondit, re manente indecisa, mentem suam esse, quod Rmus D.N. posse nominare eisdem quatuor primis provisionaliter personas habiles, et eisdem quatuor primis nolentibus in aliquam illarum consentire, possit auctoritate Capituli generalis, qua fungitur, omnes publicos officiales instituere.

SESSIO VIGESIMA QUINTA

231. Die 29 maii, post missam, congregato Diffinitorio, absente ab eo R. adm D. de Morimundo ob infirmam valetudinem, R. adm D.

de Claravalle legit protestationem, quae de mandato Capituli actis inserta est tenore sequenti.

232. Cum proposita fuerit quaestio in Diffinitorio de modo quo procedere debet Rmus N. in instituendis de nostro consilio et consensu publicis officialibus Ordinis, et propter decisionem istius quaestionis voluerit dictus Rmus discedere a Diffinitorio, ut nos ad similem recessum induceret, et relinqueretur ceteris Diffinitoribus perferendum hac de re iudicium, inter quos Diffinitores alii quidam ex iure recedere debuissent, nos declaravimus controversiam huius rei fuisse coram Rege christianissimo agitatam, et super ea supremi consistorii consiliarios Regi post tulisse suas sententias, atque de die in diem expectari arrestum; proindeque istam causam non spectare praefatos Diffinitores, aut ab eis posse terminari. Notum facimus nos recessisse a Diffinitorio, non ut praefatis Diffinitoribus iudicandam hanc causam submitteremus, sed eo animo quo incepimus tractare omnia ex obedientia a nobis Regis mandato in omnibus actibus nostris praestita, sub protestationibus et appellationibus nostris, quibus inhaerentes protestamur appellare, sicut et appellamus de qualicumque sententia et iudicio perferendis. Cuius rei actum postulamus et inscriptionem in tabulis huius Capituli. Signatum fr. Claudius... *etc. ut supra.*

233. Tum unus e notariis ad pedes legit *Breve* SS. D. N. ad Capitulum generale directum, quod lectum cum debita reverentia susceptum et actis insertum fuit tenore sequenti. — *Innocentius PP. XI.* — Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus Capitulum generale Ordinis Cisterciensis prope diem, benedicente Domino, celebrandum sit, nonnullae vero lites seu causae inter dilectum filium abbatem generalem dicti Ordinis ex una, ac dilectos etiam filios quatuor primarios abbates eiusdem Ordinis ex altera partibus, in romana Curia pendeant indecisae, propter quas ipsius Capituli generalis celebratio impediri vel perturbari sive in illius progressu incommoda et controversiae non sine regularis observantiae religiosaeque quietis et pacis, sine qua non bene colitur pacis Author, detrimento, forsan oriri possent. Hinc est quod Nos pro commissa Nobis divinitus pastoralis officii sollicitudine, ut Capitulum generale huiusmodi ad Dei gloriam, totiusque Ordinis praedicti utilitatem sublatis obstaculis quiete atque pacifice celebretur, providere cupientes, ac litium seu causarum praedictarum statum et merita, nominaque et cognomina ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, de vener. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui partes praefatas audierunt, consilio, in proxime futuro Capitulo generali dicti Ordinis formam praescriptam in constitutione f. r. Clementis PP. IV, praedecessoris nostri, quae incipit *Parvus fons*, servari debere, reservatis in reliquis iuribus ambarum partium auctoritate aposlica tenore praesentium declaramus et mandamus, decernentes ipsas prae-

sentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos quoquo modo spectat et spectabit in futurum inviolabiliter observari, sicque in praemissis quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus litium pendentia huiusmodi aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis aliisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 5 maii 1683, pontificatus nostri anno 7°. Signatum J. G. Slusius, et sigillatum annulo Piscatoris in cera rubea. — Rdi autem adm tres primi abbates illius *Brevis* copiam petiere, quae et concessa est.

234. Cum autem in Capitulo generali de anno 1667, in aliquibus provinciis nominati non fuerant Vicarii generales seu Visitatores, et aliqua monasteria reservata fuerant quibusdam patribus abbatibus, praesens Capitulum generale inhaerens decreto praefati Capituli 1667, quo statuitur unamquamque provinciam suum debere habere Visitatorem, praefatis reservationibus penitus revocatis, statuit in omnibus provinciis instituendos esse Vicarios generales seu Visitatores, prout de facto instituit.

235. *Vicarii generales seu visitatores et syndici provinciarum.*

— *In tota Italia et Insulis adiacentibus :* R. D. Ioannes Antonius, abbas de Stamedio, Procurator generalis in Curia. — *In Polonia, Prussia et Lituania :* Vicar. R. D. Ioannes abbas de Landa, commissarius generalis ; Synd. R. D. Ioannes abbas de Wistico. — *In Silesia :* Vicar. R. D. Bernardus abbas de Grissovio ; Synd. R. D. Henricus abbas de Henricovio. — *In Bohemia, Moravia et Lusatia :* Vicar. R. D. Laurentius abbas de Osseco ; Synd. D. Eugenius Hàuman praepositus Vallis S. Mariae. — *In Austria, Stiria et Hungaria :* Vicar. R. D. Clemens abbas S. Crucis. — *In Carinthia et Carniola :* Vicar. R. D. Candidus abbas de Runa. — *In Congregatione Super. Germaniae :* Vicar. R. D. Emmanuel abbas de Salem. — *In Suevia :* Vicar. R. D. Elias abbas de Caesarea. — *In Franconia :* Vicar. R. D. Albericus abbas de Ebraco. — *In Helvetia, Alsatia et Brisgoia :* Vicar. R. D. Nicolaus abbas de Maris stella. — *In Bavaria :* Vicar. R. D. Martinus abbas de Campo principum. — *In Infer. Germania et Tractu Rheni :* Vicar. R. D. Aegidius abbas de Veteri monte ; Synd. R. D. Bernardus abbas de Campo S. Mariae. — *In patria Leodiensi.* Vicar. R. D. Emmanuel abbas de Alna ; Synd. R. D. Philippus abbas de S. Remigio. — *In Belgio Hispano :* Vicar. R. D. Franciscus abbas de Camberone ; Synd. R. D. Martinus abbas de Dunis. — *In Belgio Gallico :* Vicar. R. D. Richardus abbas de Valcellis ; Synd. D.

Michael Gousselaire procurator monasterii de Laude. — *In Congregatione Coronae Arragonum et Navarrae :* Vicar. R. D. Felix abbas de S. Salvatore Leyrensi. — *In Provincia :* Vicar. D. Blasius Leaulté, s. th. d. prior de Thoroneto ; Synd. D. Nicolaus Teissier prior de Sinaqua. — *In Alvernia :* Vicar. R. D. Franciscus abbas de S. Sulpitio ; Synd. D. Stephanus Prinstet prior de Chassania. — *In Delphinatu :* Vicar. D. Ioachimus de la Pierre rector collegii Avenionensis ; Synd. D. Ioannes Rosselin prior de Bonavalle Viennensi. — *In ducatu Burgundiae :* Vicar. D. Franciscus Faspout prior de Fonteneto ; Synd. D. Bernardus Chappon prior de Buxeria Aeduensi. — *In comitatu Burgundiae :* Vicar. D. Georgius Meillardet, s. th. d. provisor seminarii Dolensis ; Synd. D. Stephanus Bourcet, s. th. d. prior de Balerna. — *In Lotharingia :* Vicar. R. D. Antonius abbas de Pontefrigido ; Synd. D. Nicolaus de la Barrière monachus de S. Benedicto. — *In Campania :* Vicar. D. Benedictus Henry, s. th. d. prior titularis de Bella aqua ; Synd. D. Daniel de la Hupproye, s. th. d. prior de Tribus fontibus. — *In Picardia :* Vicar. D. Claudius Crescent, s. th. d., prior de Bello prato Belvacensi ; Synd. D. Franciscus Crevel, s. th. d., prior de Voto — *In Insula Franciae :* Vicar. R. D. Ioannes Edmundus abbas de Fulcardimonte ; Synd. D. Laurentius de Cairon de Cardonville, s. th. d. prior de Caroliloco. — *In Biturigia et Marchia :* Vicar. D. Iacobus Ardelu, s. th. d. prior de Loco regio ; Synd. D. Guillelmus Cotheret prior de Bella aqua Claromontensi. — *In Andegavia, Cenomania et Turonia :* Vicar. R. D. Iulianus abbas de Chalocheyo ; Synd. D. Emericus de Fourcroy prior de Pietate Dei. — *In Britannia minori :* Vicar. D. Iacobus Trouillault s. th. d. prior de Bona requie ; Synd. D. Ioannes Moreau prior de Reliquiis. — *In Pictavia :* Vicar. D. Petrus Marc prior de Gratia Dei ; Synd. D. Gabriel Girard, prior de Frenada. — *In provincia Burdegalensi :* Vicar. D. Bartholomeus La Caze, s. th. d. prior de Gimonte ; Synd. D. Philibertus Mouchevaire prior de Perigniaco. — *In provincia Ruthenensi :* Vicar. D. Altinus Proust, s. th. d. prior de Bonavalle ; Synd. D. Ioannes Maria Coppin prior de Ardorello pro provincia Tholosana. — *In provincia Tholosana :* Vicar. R. D. Petrus abbas de Caduino ; Synd. D. Mathaeus Carolus Amatus Minard, s. th. d. prior de Grandi sylva pro Rhuten. provinc. — *In Sabaudia :* Committitur specialiter R. adm D. Petro abbati de Claravalle visitatio monasteriorum suae filiationis per se vel per commissarios. Synd. D. Stephanus Prinstet prior de Chassania.— *Vicarii gener. seu visitatores S. O.* — *In Campania et Picardia :* R. D. Carolus abbas de Aureavalle. — *In Insula Franciae et Burgundia :* R. D. Eustachius abbas de Septem fontibus. — *In Normannia et Andegavia,* R. D. Dominicus abbas de Valle Richerii. — *In Britannia minori :* R. D. Guillelmus abbas de Veteri villa. — *In Pictavia* : R. D. Petrus abbas de Columba Lemovicensi.

236. Provisor collegii S. Bernardi Parisiensis : D. Paulus Eudeline, s. th. d. Procurator collegii : D. Stephanus Delaverge. Procurator generalis in Curia romana : R. D. Ioannes Antonius abbas Stamediensis. Procurator generalis in Gallia : D. Stephanus Delaverge procur. collegii S. Bernardi Parisiensis.

237. Sed cum procederetur ad electionem Procuratoris generalis in Curia, surrexit adm R. D. de Claravalle et quamdam protestationem, quam prae manibus in scriptis redactam habebat, tam suo nomine quam aliorum trium praedictorum primorum abbatum legit, cuius tenor est talis. Rme D., vosque R. abbates occasione suffragii modo prolati in gratiam R. abbatis pro offico Procuratoris generalis in Curia romana, gratum habete, ut nomine quatuor primariorum patrum Ordinis aliquid exponam quod sane iudicabitis non solum esse aequum et iustum, verum et necessarium pro regulari observantia Ordinis nostri. Non invidemus quin R. abbas eligatur ad hoc officium Procuratoris generalis, sed revocate, si placet, in memoriam, quod decreto Capituli generalis anni 1651 et *Brevi* Apostolico Alexandri VII virtute litterarum regiarum inserto registro magni consilii, unanimiterque recepto in Ordine per Capitulum generale 1667, et cuius observantia maximi est momenti apud nos omnes, adeo ut si executioni non mandetur fideliter, corruet sane tota disciplina nostri Ordinis per illud praescripta, quam nitimur defendere per monasteria Ordinis nostri. *Brevi*, inquam, illo cautum est ut abbates omnes teneantur exacte ad residentiam in propriis monasteriis, sicut et per praefatum statutum Capituli generalis 1651. Prohibeturque ne alibi resideant, et in consequenti ne possint suscipere munia eos ad aliam residentiam astringentia. At officium Procuratoris in Curia tale esse, ideoque penitus incompatibile cum abbatis dignitate ; neque est in potestate Capituli generalis dispensare ab observatione huius decreti pontificii ; unde compulsi obligatione conscientiarum nostrarum zelo Ordinis, submissioneque debita Sedi Apostolicae adhaerendo ac insistendo nostris antefactis protestationibus, appellationibus et aliis quibuscumque actibus, servataque debita reverentia, Rme pater et isti toti coetui per oppositionem instamus, ne abbas eligatur ad hoc munus Procuratoris generalis in Curia. Et si ulterius procedatur, quod non possumus suspicari de hoc coetu Summo Pontifici maxime submisso, declaramus nos appellare ab huiusmodi electione ad Summum Pontificem. Et circa hoc, R. D. ceterique Diffinitores attente observare est, quod lis coram Summo Pontifice pendens imo et ea quae ante hoc instituta est coram Rege christianissimo a quo expectatur in dies arrestum, quod quidem commissarii a regia Maiestate specialiter deputati vota et suffragia super hoc nuper dedere, complectuntur controversiam de abbatibus promovendis aut non promovendis ad hoc officium Procuratoris generalis in Curia, proptereaque non decet ut praeveniatur per praesentem electionem iudicium oriundum tum a Summo Pontifice quam a Rege Christianissimo. Neque decet ut per praesentem lectionem praeiudicetur nostris iuribus; maxime cum possint facile assumi de Ordine benemeritae personae non suspectae partibus. Et id aegre ferre non debent R. abbates, qui aliunde habent respondendum de sibi commissis animabus, quae debent fovere verbo et exemplo in monasteriis suis residendo. Et hanc nostram declarationem postulamus inseri de verbo ad verbum sicut continetur in hac charta in tabulis Capituli generalis per notarios, et dictae nostrae appellationis actum nobis dari. Signatum fr. Claudius... *etc. ut supra.*

238. Occasione cuius protestationis Rmus D. N. dixit deliberandum

esse, et quid unusquisque sentiat inquirendum, videlicet an non obstante obligatione qua tenentur abbates ad residendum possit ex ipsis unus eligi ad officium Procuraturis in Curia romana. Quo in deliberationem misso, omnes et singuli, uno dumtaxat excepto, qui propter gravitatem materiae moram petiit, censuerunt bonum privatum debere cedere bono publico. Ideoque abbates ad dictum munus obeundum posse eligi, praesertim cum hucusque multis abbatibus haec demandata fuerit provincia, etiam in hoc saeculo, et ex usu omnium Ordinum et religionum constet iuxta decretum Concilii Tridentini, episcopos et a fortiori quoslibet alios superiores posse pro necessitate et evidenti utilitate, necnon et debita obedientia ab ecclesiis suis abesse. Ad proinde collectis suffragiis, nullo excepto praeter R. adm tres primos et eum qui moram petiit, omnes alii Diffinitores moti non solum utilitate sed etiam summa necessitate rerum totius Ordinis apud SS. gerendarum, hoc maxime tempore quo ardua, si quae unquam in romana Curia totus Ordo negotia habet, R. D. Ioannem Antonium abbatem Stamediensem, virum in rebus Ordinis peritissimum, quasi uno ore Procuratorem generalem Ordinis in dicta romana Curia elegerunt, sicque constitutus est.

239. Tum lecta est distributio monasteriorum in aliquot provincias. — *Monasteria Provinciae :* de Thoroneto, de Sinaqua, de Valle sancta, de Francis vallibus, de Valle magna, de Mansiade, de Campis bonis, de S. Petro de Almanara apud Areas, monialium, de Monte Sion apud Massiliam monialium, de Sante Cruce apud Aptam, monial., de S. Magdelena apud Carpentoratum, monial., de S. Petro alias Eplan, apud Arausicam, monial., de Vignauge monial., de Bagnolis alias Valsauve monial., de S. Clara apud Alesium monial., de Mercurio monial. — *Monasteria Picardiae :* de Bello prato, de Valloliis, de Longo villari, de Carocampo, de Gardo, de Frigido monte, de Gaudio B. M. prioratus, de Monchiaco monial., de Hispania monial., de Fervaquiis monial., de Villencuria monial., de Biache monial., de Salvatorio monial., de Paraclito monial. — *Monasteria Andegaviae. Cenomaniae et Turoniae :* de Ponte octrano, de Oratorio, de Buxeria, de Bella brancha, de Claromonte, de Fonte Danielis, de Pietate Dei, de Charitate, de Fontanis albis, de Baugeriaco, de Monceyo monial. de Bono loco monial., de Perrodio monial. — *Monasteria Normanniae :* de Mortuo mari, de Bello becco, de Bono portu, de Voto, de Noa, de Strata, de Brolio Benedicti, de S. Andrea, de Thesauro monial., de Fonte Gerardi monial., de Villaribus Caniveti monial., de Mortonio alias de Albis dominabus monial., de Claretis monial. — *Monasteria Biturigiae et Marchiae :* de Loco regio, de Bella aqua Claromontensi, de Albiniaco, de Varenis, de Landesio, de Prato benedicto, de Pratea, de Nigro lacu, de Callovio, de Bono loco Lemovicensi. de Palatio, de Barzella, de Bello visu monial., de Loco Nostrae Dominicae monial., de S. Aniano monial. prioratus. — *Monasteria provinciae Burdegalensis :* de Obazina, de Valeta, de Dalone, de Bullio, de Riveto, de Ponte alto, de Petrosa, de Gondonio, de Bosco cavo, de Perigniaco, de Sylva lata, de Coirosio monial., de S. Bernardo Tullensi monial., de S. Sigismundo monial., de S. Bernardo Bayonensi monial. — *Monasteria provinciae Auscensis* · de Fonte frigido, de Ardorello, de Candelio, de Nova

abbatia, de Bello loco Ruthenensi, de Bonacumba, de Sylvanesio, de Leula apud Perpigniacum prioratus, de Olivis monial., de Rivo nitido monial., de S. Antonio apud S. Sulpitium monial., de Costa Ioannis monial., de Vico monial., de Lissaco monial., de Leyma monial., de Lazeriis monial., de Benedictione Dei prope S. Genesiam monial., de Nonenqua monial. — *Monasteria provinciae Delphinatus :* de Bonavalle Viennensi, de S. Sulpitio, de Chassania, de Leoncello, de Valle crescenti et Bono loco unitis, de Aqua bella, de S. Iusto apud Romans monial., de S. Paulo apud Beaurepaire monial., de Vernaisone monial., de Valle Bressiaci apud Costam S. Andreae monial., de Gratia apud Tullinum prioratus monial., de Hays monial., de Bons monial. — *Monasteria Insulae Franciae :* de Curia Dei, de Eleemosina, de Aqua monial., de Vicinis monial., de Villariis monial., de Gaudio iuxta Nemosium monial., de S. Antonio apud Parisios monial., de Ponte dominarum monial., de Parco dominarum monial., de Monte Nostrae Dominae iuxta Provinum monial., de Caroliloco, de Sacracella, de Fonte Ioannis. — *Monasteria Campaniae :* de Pratis prope Trecas monial., de S. Iacobo prope Vitriacum monial., de Amore Dei monial., de Tribus fontibus, de Valle dulci, de Monasteriis, de Bello loco Lingonensi, de Caherio, de Elancio, de Signiaco, de Fusniaco, de Valle regis, de Igniaco, de Bullencuria, de Sigilleriis, de Ripatorio, de Moris, de Longo vado, de Roseriis prioratus, de Mazuris prioratus, de Bella aqua prioratus, de Gratia Nostrae Dominae prioratus, de Vallibus in Ornesio. — *Monasteria ducatus Burgundiae .* de Buxeria Aeduensi, de Rigniaco, de Fonteneto, de Rupibus, de Scalariis, de Bonoradio, de Marcilliaco, de Charitate Lingonensi, de Alba ripa, de Quinciaco, de Molezia monial., de Consolatione B. M. alias de Reconfort monialium.

240. Quia Capitulo generali solvendae restant in omnibus fere provinciis contributiones, mandat et praecipit praesens Capitulum omnibus Syndicis, ut intra annum ab hac die computandum solvere cogant per omnes iuris et iustitiae vias abbates seu monasteria, quae illas debent. Si qui autem solvere renuerint, ad expensas omnes teneantur.

SESSIO VIGESIMA SEXTA

241. Eadem die post meridiem, congregato Diffinitorio, solo absente R. adm D. de Morimundo, lecta sunt huius praesentis Capituli generalis acta usque ad sessionem undecimam.

242. Tunc vocati sunt auditores et examinatores computationum, qui suorum cumputorum rationem reddiderunt, et Syndicorum et cellerarii Cistercii computationes retulerunt, quas acceptavit Capitulum, sic et renovationes antiquarum contributionum annuatim debitarum a quocumque monasteriorum, titulum quem mandavit a notariis subsignari et sigillo Diffinitorum muniri. Computa vero cellerarii Claraevallis ratione praetensi ab eodem monasterio debiti, iussit termi-

nari, salvo iure partium, hoc est Capituli generalis et dicti monasterii Claraevallensis. Et quia iidem examinatores in sua conclusione quasi certum debitum agnoverunt, mandavit Capitulum generale ut corrigerent, quia solum ad calculum et non ad approbationem mandatum a Capitulo acceperant.

243. Quia circa ius quod habere praetenditur in collegio S. Bernardi urbis Tolosanae non fuit executioni demandata commissio, statuit praesens Capitulum generale, quod Provisor dicti collegii, et alii qui in eo ius habere praetendant, instrumenta et titulos in manibus R. D. de Caduino resignabunt, qui in sequenti Capitulo referret statum dicti collegii, qui sunt eius redditus, et an illud ad Ordinem in commune pertineat, vel in particulari ad monasterium Grandis sylvae.

SESSIO VIGESIMA SEPTIMA

244. Die 30 convocato, ut moris est, Diffinitorio, absente R. adm D. de Morimundo infirmitate sua, R. D. primus Promotor requisivit actum, qui datus est ei protestationis quam fecit ratione officii sui et nomine Capituli generalis, quod conclusio, quae relata est heri Diffinitorio facta in computis R. adm abbatis seu cellerarii Claraevallis ab examinatoribus computationum, nullo modo possit, pro recognitione debiti per illum praetensi haberi, quodque huiusmodi conclusio quomodocumque exprimatur, non possit praeiudicare Capitulo generali et eius decreto circa illud negotium nuper facto, et eidem petiit de similibus hucusque habitis in praecedentibus Capitulis generalibus conclusionibus ; quia tales conclusiones sunt tantum relationes et supputationes, quae fiunt ab officiariis Capituli generalis, et non decreta et statuta aut recognitiones, nisi ad eodem Capitulo approbentur.

245. Contra quam protestationem protestatus est R. adm. D. de Claravalle pro conservatione sui iuris, et actum petiit, qui datus est ei.

246. Petitioni factae a D. Francisco Lonjon provisore collegii Tholosani ut ex charitate ipsi subministretur, unde possit ad dictum collegium redire, annuit praesens Capitulum generale, et statuit ut ex monasterio de Grandi sylva, cuius est professus, accipiat centum libr. turonen., ita tamen ut istius summae dictum monasterium refusionem habeat ex contributionibus, quas debet vel debebit in posterum, attento quod ipse D. Lonjon fuerit Vicarius generalis provinciae Ruthenensis

247. Decrevit praesens Capitulum generale, ut fiant orationes more solito pro SS. D. N. et aliis [b].

248. Quia monasterium de Gondon tanta laborat inopia, ut non

---

[f] *T^5 Ch^2 citant textum consuetum.*

possit solvere contributiones, absolvitur a praesenti Capitulo a solvendis contributionum arreragiis usque ad praesentem annum.

249. Tum continuata fuit lectio actorum praesentis Capituli generalis coram omnibus Diffinitoribus, tam horis matutinis quam pomeridianis, et sic terminatum fuit in ipso Diffinitorio, in quo R. D. quatuor primi abbates obtulerunt protestationem tenoris sequentis, cuius actum petierunt, qui concessus est eis.

250. Nos, quatuor primi patres Ordinis nostrarum conscientiarum stimulis ducti ac necessitate tuendi nostras dignitates et praerogativas iisdem annexas, compellimur ad renovandas nostras protestationes, quoties iura nostra impetuntur. Propterea quantum attinet ad subscriptionem actorum huius Capituli seu processus verbalis, quae a nobis expectatur, sumus ad eam dispositi, dum protestati fuerimus, sicut et protestamur, nos tantum subscribere propter obedientiam Regis mandato nobis per Ill. archiepiscopum Parisiensem denuntiato, reddendam, non intendentes derogare illis nostris iuribus, protestationibus, declarationibus et actionibus quibuscumque per nos factis, aut in posterum faciendis, nec ulla ratione approbantes processum verbalem huius Capituli suis modis expressum, nec acta eiusdem multo minus, quae in contrarium nostris actibus facta per Promotores et Diffinitores, quae nobis communicata scripto non fuerunt ea forma quae in tabulis Capituli audivimus inserta. Cuius rei actum postulamus, et eum inscribi in munimentis Capituli de verbo ad verbum. Signatum fr. Claudius... *etc. ut supra* [g].

251. Contra quam protestationem R. D. primus Promotor protestatus est, protestationis suae actum petiit, qui concessus ei est.

252. Tum pro maiori cautela actorum praesentis Capituli, statuit idem Capitulum generale, ut additiones quae sunt ad marginem et raturae quae sunt intra corpus praesentis processus verbalis approbentur a Rmo D. N., R. adm D. de Firmitate, et R. D. de Caduino, una cum R. D. notariis abbatibus.

253. Et sic terminatum est Capitulum generale die 30 mensis maii anno Domini 1683 et signatum a Diffinitoribus. fr. Ioannes abbas generalis Cisterciensis, fr. Claudius abb. Firmitatis, fr. Iacobus abb. Pontiniaci, fr. Bouchu abb. Claraevallis, fr. Nicolaus abb. de Morimundo, fr. Petrus abb. Caduini, fr. Petrus [h] abb. Luciscellae, fr. Carolus abb. Aureavallis,

---

[g] *T^5Ch^2 desin. add.*: Demum sine mora, congregato ad sonum maioris campanae toto Capitulo generali, lecta et publicata fuerunt acta eiusdem Capituli generalis per duos notarios ad pedes alternatim, coram omnibus abbatibus et aliis idem Capitulum generale constituentibus et conventu Cistercii, in capitulo Cisterciensi, ad mandatum Rmi D. N. a quo facta solemni absolutione et dispensatione secundum formam indulgentiae Domini Papae Honorii, et incepto hymno *Te Deum laudamus*, pulsantibus campanis, omnes in ecclesiam processerunt praefatum hymnum decantantes, et dicta collecta *Actiones nostras*, etc. ab eodem Rmo D. N. et accepta ab eo benedictione, discesserunt. [h] *Abbatum nomina propria citantur tantum apud Sa.*

fr. Eustachius abb. S. Loci alias de Septem fontibus, fr. Guillelmus abb. Veteris villae, fr. Ioannes Antonius abb. Stamedii, fr. Dominicus abb. Vallis Richerii, fr. Emmanuel abb. Salemitanus, fr. Bernardus abb. Grissovii, fr. Aegidius Siffenius abb. Veteris montis, fr. Petrus abb. de Columba, fr. Oliverius abb. Parisiensis, fr. Claudius abb. de Petris, fr. Felix abb. S. Salvatore Leyrensi, fr. Franciscus abb. de Camberone, fr. Claudius abb. de Gratia Dei, fr. Claudius abb. de Castellione, fr. Stephanus abb. de Charmeya, fr. Ludovicus abb. Charitatis, fr. Iulianus abb. de Chalocheyo notarius cap. gener. fr. Ioannes Edmundus abb. Fulcardimontis notarius cap. gener.

1686

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

Sacri Ordinis Cisterciensis anno Domini M. DC. LXXXVI, die 13 et sequentibus mensis maii apud Cistercium celebrandi.

Nos, frater Ioannes Petit, abbas Cistercii... *etc. ut praecedenti* ...salutem in Eo qui est omnium salus.

Revoluto iam prope tempore ad Capituli generalis celebrationem, Ordinis nostri statutis, sanctionibus Apostolicis, ac praesertim *Brevi* felicis recordationis Alexandri PP. VII praefixo, ut omnibus obedientiae documento simus, officiique partes studiose impleamus, ipsum convocare et indicere decrevimus ; eo sane libentius, quod sopita, litteris Apostolicis datis die decima maii proxime elapsi, sedataque prorsus controversia, quae publicam Ordinis concussit tranquillitatem, serenum tandem illuxit, Deoque agente pax undequaque constabilita est, spes inde certa affulget,

---

1686. *Fontes* : INDICTIO legitur in folio typis impresso, et in Ch^2T^5.
A^3 : 1-184 ; L^8SaT^5 : 1-183 ; Ch^2 Clm^3 : 4^b, 5-11, 23, deinde citant in estenso 35 diffinitiones ex anno 1672 et totidem ex anno 1683, transcribentes etiam additiones, limitationes et declarationes quae decretae sunt pro quibusdam ex supra citatis statutis ; referunt denique ex hoc praesenti anno 1686 n° 17, 21, 22, 26, 36, 39, 41-43, 47, 48, 52, 57, 69, 71^b, 83, 94, 103, 105, 106, 142^a, 148^b, 163-168, 170-173, 179, 181, insuper Clm^3 35, 54, 55, 96-101, 151, 152, 160 ; *Oost* : fere idem ac Ch^2, omittens tamen textum diffinitionum ann. praeced. iuxta hanc sequentem notam : *Cum supponamus omnibus esse provisum de exemplaribus impressis Cap. gener. de annis* 1672 *et* 1683, *haec Capitula in ultimo scripto repetita omittimus, adiicimus vero eorumdem Capit. confirmationem per hoc ultimum Capit. gen. factam cum suis additionibus, limitationibus et declarationibus infra scriptis secundum numerum ad marginem notatum in exemplaribus impressis dictorum Cap. gen.* T^8 : 1^b, 2-4, 14, 15, 18, 19, 21 *(abbr.)* 23, 25, 28^a, 32, 37, 45^a, 60^a, 64^a, 71^a, 81^a, 88, 95^a, 117 *(abbr.)*, 141, 145, 148 *(abbr.)*, 149, 169, 180, 182, 183 ; D^5 : 126.

omnes eodem Spiritu eademque charitate, qua Ordo noster constitutus est atque effloruit, puriori disciplinae restituendae, ac firmandae statutorum observantiae, collaboraturos. Et ne irrita sint bona, quae ex pace et concordia augurantur, excusso veterno quo tamdiu torpuimus, pristinum omnes innovemus spiritum, extinctum fervorem accendamus, languentem suscitemus zelum, Patrum pietatem aemulemur et observantiam. Id unum spectemus omnes, votisque conspirantibus ad illud ipsum tendamus; omnium enim consilio, consensione atque conatu instaurabitur, quod singulorum incuria et torpore labefactatum est. Eo fine, eoque animo Capitulum nostrum generale vobis omnibus per praesentes litteras indicimus, anno proxime futuro, videlicet 1686, in mense maio, ad diem quae erit decima tertia eiusdem mensis et feria secunda post quartam a Sancto Pascha dominicam, in qua *Cantate* ad introitum missae dici consuevit, in archicoenobio nostro Cisterciensi quod est totius Ordinis caput, in ducatu Burgundiae et dioecesi Cabilonensi celebrandum iuxta regularia nostra instituta, constitutionesque Apostolicas.

Ne vero huic tam sancto operi ... *etc. ut in praecedenti.*

Et ne ulla ignorantiae ... *etc.* Iniungimus praeterea ... *etc.* Insuper praecipimus... *etc.* Et quoniam praesentium ... *etc.* Datum Parisiis in nostro S. Bernardi collegio sub nostra subscriptione, maioris sigilli nostri appensione, et nostri secretarii ordinarii chirographo, die prima mensis augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo quinto. Sic signatum F. Ioannes abbas generalis Cisterciensis, et infra de Mandato Rmi D. D. abbatis Cisterciensis generalis, F. Renatus Dubois secretarius, et sigillatum maiori sigillo eiusdem Reverendissimi Domini nostri.

* * *

Anno Domini 1686, die 13 et sequentibus mensis maii, statuta sunt haec apud Cistercium in Capitulo generali.

SESSIO PRIMA

1. Die 13, post tertiam, celebrata in pontificalibus missa de Spiritu Sancto a R. D. abbate de S. Urbano ad sonitum maioris campanae convenerunt in Capitulo, cum conventu Cistercii, Rmus D. N. et R. D. abbates numero triginta octo, inter quos adm R. quatuor primi, officiarii Ordinis et alii ad praesens generale Capitulum vocati, hymnoque *Veni Creator Spiritus* decantato, versibusque et oratione a praefato Rmo D. N. dictis, et *Benedicite* more Ordinis, idem Rmus concionem habuit. Tum cantor accepta ab eo benedictione legit articulum ex *Antiquis diffinitionibus*, scilicet *Quomodo se habeant abbates in Capitulo generali;* item, caput *Chartae charitatis* de Capitulo generali et caput bullae Clementis PP. IV quae incipit *Parvus fons* de eodem Capitulo generali. Quibus lectis recesserunt Rmus D. N. et R. adm quatuor

primi abbates in Diffinitorium, toto coetu interim audiente integram lectionem praedictarum *Chartae charitatis*, bullae Clementis IV et capitis secundi regulae s. Benedicti, *Qualis debeat esse abbas*. Reversisque e Diffinitorio Rmo D. N. et R. adm quatuor primis abbatibus, secretarius eiusdem Rmi legit ad analogium ordinationem Capituli generalis, quae sic se habet.

2. ORDINATIO CAPITULI GENERALIS ANNI DOMINI 1686.

DIFFINITORES : Rmus D. N. [de **Cistercio**], R. D. de Salem, R. D. de Columba, R. D. de S. Urbano, R. D. de Charitate Lingonensi, monasteriorum abbates. Adm R. D. de **Firmitate**, R. D. de Valcellis, R.D. de Alna, R.D. de Laude, R.D. de Petris, monasteriorum abbates. Adm R. D. de **Pontigniaco**, R. D. de Caduino, R. D. de S. Sulpitio, R. D. de Valle Richerii, R. D. de Bledzouvio, monasteriorum abbates. Adm R. D. de **Claravalle**, R. D. de Fulcardimonte, R. D. de Valle clara, R. D. de Hemmenroda, R. D. de Precibus, monasteriorum abbates. Adm R. D. de **Morimundo**, R. D. de Villario Metensi, R. D. de Parisio, R. D. de Alta sylva, R. D. de Porta coeli, monasteriorum abbates.

CONFESSARII : R. D. de Claroloco, R. D. de Gratia Dei Bisuntinensi, monasteriorum abbates, D. Prior de Bello prato Belvacensi, s. th. d., D. Prior de Tribus fontibus, s. th. d., D. Prior de Gratia Dei Pictaviensi, D. Felix Gastessi de Atallu delegatus Congregationis Coronae Arragonum et Navarrae, S. Ferdinandus Höll secretarius Congregationis Superioris Germaniae, D. Prior de Pietate Dei.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : R. D. de Candelio, R. D. de Marciliaco, D. Prior Cistercii, D. Prior de Curia Dei, D. Prior de Ardorello, D. Prior S. Salvatoris Antuerpiensis, D. Supprior Cistercii.

AUDITORES COMPUTATIONUM : R. D. de Novo Castro, R. D. de Bona aqua, monasteriorum abbates, D. Prior titularis de Gratia N. D. s. th. d., D. Prior de Caro campo, D. Prior de Perigniaco, D. Prior de Regalimonte, D. Confessarius monialium de Marquetta.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : R. D. de Labacio, R. D. de Septem fontibus monasteriorum abbates, D. Prior de Loco regio, D. Rector collegii Avenionensis, D. Prior de Longo ponte, D. Anselmus Hassuer secretar. R. D. de S. Urbano.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : R. D. de S. Remigio, R. D. de Claro loco monasteriorum abbates, D. Prior de Oliveto, s. th. d., D. Prior de Gimonte, s. th. d., D. Prior de Fonteneto.

NOTARII ABBATES : R. D. de Chalocheio, R. D. de Veteri villa.

PROMOTORES CAUSARUM : R. D. de Stamedio, R. D. de Charmeia monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : D. Secretarius Rmi D. N., s. th. d., D. Capellanus eiusdem Rmi D. N.

PORTARII DIFFINITORII : D. Prior de Frenada, D. Prior de Monte petroso.

3. Qua ordinatione perlecta, Rmus D. N. a Diffinitoribus et officiariis iuramentum fidelitatis in adimplendo officio exegit, quod omnes stando praestitere, et idem Rmus sedendo.

4. Tum iussit Rmus D. N. ut omnes Diffinitores in locum Diffinitorii secederent ibi continuaturi, et sic eodem Rmo et ceteris Diffinitoribus in dicto loco residentibus secundum antiquitatem monasteriorum suorum, cum eiusdem Diffinitorii praedictis officiariis decrevit Capitulum generale orationes fieri solitas in omnibus Ordinis monasteriis, videlicet :

5. Pro SS. D. Innocentio Divina Providentia PP. XI, necnon pro EE. ac RR. S. R. E. Cardinalibus, et maxime pro E. ac R. Domino Benedicto Cardinale Pamphilo clementissimo Ordinis protectore... *etc.*

6. Praeterea pro SS. et Aug. D. N. D. Leopoldo, Dei gratia Romanorum Imperatore, necnon pro Christianiss. D. N. Ludovico XIV Francorum et Navarrae Rege, ac pro inclyto D. Carolo II Hispaniarum Rege catholico, ac etiam pro nobilissima stirpe Ill. Ducum Burgundiae inclyti huius monasterii Cistercii praecipuorum fundatorum ... *etc.*

7. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

8. Pro pace etiam ... *etc.*

9. Postremo pro omnibus Regibus ... *etc.*

10. Tum R. D. abbas de Stamedio primus Promotor requisivit ut legeretur *Breve* Apostolicum de die 10 maii anni 1685, quoquidem *Brevi* terminatae fuerunt lites et contentiones quae a tot annis inter Rmum D. N. et quatuor primos abbates vertebantur. Lectum autem id fuit simul cum litteris patentibus Regis christianissimi et arresto magni consilii regii, in quo registratum fuit. Quibus lectis, idem *Breve* ab omnibus unanimi consensu summa cum reverentia fuit susceptum, et actis Capituli insertum, et insuper iniunctum ut executioni mandaretur. Tenor autem dicti *Brevis* hic est.

11. *Innocentius PP. XI.* — Ad futuram rei memoriam. — Cum in causa praetensae nullitatis quorumdam Capitulorum generalium Ordinis Cisterciensis, inter dilectos filios abbatum Cistercii totius Ordinis generalem ex una, et abbates monasteriorum de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo ex altera partibus, vertente, proposita fuerint in Congregatione vener. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episc. et Regul. praeposita, nonnulla dubia ; nempe primo an sit servanda consuetudo qua pro indicendo Capitulo generali, abbas Cistercii consuevit cum quatuor primariis abbatibus deliberare ac de eorumdem consilio et assensu Capitulum indicere ? — Secundo, an ad Capitulum ad hoc ut sit generale, vocandi sint omnes abbates

Ordinis ? — Tertio, an in Capitulo generali Ordinis Cisterciensis, diffinitiones sumendae sint per filiationes et non per vota capitatim ? — Quarto, an in Capitulo generali dicti Ordinis omnino adhibendi sint viginti quinque Diffinitores, ita ut non existentibus tot abbatibus, numerus integrandus sit ex aliis religiosis benemeritis ? — Quinto, an in illo pariter interesse debeant quatuor primarii abbates, et iis non intervenientibus, substituendi sint in eorum loco ? — Sexto, an Capitulum generale anni 1672 fuerit nullum ? — Septimo, an fuerit pariter nullum Capitulum anni 1683 ? Hinc est quod Nos, qui in supremo iustitiae throno a Domino constituti sumus, lites et controversias quae fraternae inter viros religiosos suave Christi iugium portantes, charitatis serenitatem obnubilare possent, tollere illisque in futurum ansam praecidere ac dubia praedicta dirimere volentes ; de memoratorum Cardinalium, qui partes tam in voce quam in scriptis informantes audierunt, remque mature discusserunt, consilio : In indicendo Capitulo generali Ordinis praedicti, abbatem Cistercii non teneri requirere neque consensum neque consilium quatuor primariorum abbatum. Ad Capitulum vero generale vocandos esse quoscumque qui de iure interesse debent. In Capitulis autem generalibus eiusdem Ordinis, votandum esse viritim et non per filiationes. Porro in deputatione Diffinitorum, non existente sufficienti numero abbatum, posse suppleri ab abbate ex aliis religiosis magis dignis eiusdem generationis, non tamen in casu voluntarii recessus. Et quoad effectum deputationis Diffinitorum, servandum esse solitum ; quo vero ad effectum suffragii abbatis absentis, non esse locum subrogationi, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus. Denique omnes nullitates quatinus in praefatis Capitulis generalibus anno 1672 et anno 1683 respective celebratis intervenerint, auctoritate et tenore praedictis sanamus, et diffinitiones et ordinationes utriusque Capituli usque ad novum Capitulum generale Ordinis praedicti, servari eadem auctoritate harum serie mandamus et praecipimus. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari ; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et diffiniri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus Apostolicis, necnon quatinus opus sit, dicti Ordinis aliisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis ; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut eorumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu

alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae. — Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 10 maii 1685, pontificatus nostri anno nono. *Sic signatum* J. G. Slusius, et sigillatum in cera rubea.

12. R. tamen adm D. abbas de Claravalle tam suo quam aliorum primorum abbatum nomine declaravit, quod et si praefatum *Breve* Apostolicum cum humilitate omnique submissione recipiat, nihilominus se recursum interponere velle adversus idem *Breve* ad Summum Pontificem melius informandum. Eius declarationis, quam legebat in charta, petiit sibi dari actum, et in actis Capituli inseri. Requirente vero R. D. de Stamedio primo Promotore istius declarationis communicationem prius sibi fieri, et concessum fuit.

13. Tum R. D. de Caduino tam suo quam ceterorum S. O. abbatum nomine declaravit, quod si quid in hoc Capitulo contra eorum iura et privilegia fieret, id eidem S. O. nihil praeiudicare posset. Cuius etiam declarationis actum petiit. Requisivit autem R. D. abbas de Stamedio primus Promotor eiusdem declarationis communicationem, quae pariter ei fuit concessa.

SESSIO SECUNDA

14. Eadem die 13, pomeridianis horis, convocato ad sonitum maioris campanae Diffinitorio ad requisitionem R. D. de Stamedio primi Promotoris, ut examinaretur *Rituale* a vener. priore de Barbello confectum, sunt deputati R. D. de Septem fontibus, vener. priores de Cistercio, de Firmitate, de Claravalle, de Loco regio, et de Longo ponte.

15. Requirente eodem R. D. de Stamedio primo Promotore, ut supradicta primorum abbatum declaratio reiiceretur, ne actis Capituli insereretur. Et egressis e Diffinitorio quatuor primis, quia res ad illos spectabat, statutum fuit auditis viritim singulorum Diffinitorum votis, eiusmodi declarationem actis Capituli generalis non esse inserendam, sed penitus reiiciendam.

16. Requirente etiam R. D. de Stamedio primo Promotore, ut determinaretur potestas patrum immediatorum, Visitatorum, et priorum in monasteriis commendatis, deputati sunt ad hoc commissarii R. D. de Valle clara, de Columba, de Precibus et de Charitate, et vener. priores de Loco regio et de Bello prato.

17. Super querela quod quaedam abbatissae sub paupertatis aut alio praetextu monialibus necessaria ad victum et vestitum non administrarent, statuit Capitulum generale esse determinandum a patre immediato vel Visitatore numerum monialium, quibus tam sanis quam aegrotis necessaria ad victum et vestitum abbatissae ex redditibus monasteriorum administrare tenebuntur.

18. Tum ad requisitionem R. D. de Charmeia secundi Promotoris, inchoata fuit lectio diffinitionum Capituli generalis de anno 1672.

SESSIO TERTIA

19. Die 14, celebrata missa in pontificalibus a R. D. de Hemmenroda et convocato de more Diffinitorio, requisivit R. D. de Stamedio, ut minuatur numerus novitiatuum Comm. Observ. in Gallia ; 2°, ut deputentur commissarii pro visitandis illis novitiatibus ; 3°, suspendatur receptio novitiorum donec eiusmodi visitatio fuerit peracta ; 4°, ut quantitas pensionis novitiorum et noviter professorum determinetur.

20. Requisivit etiam R. D. de Stamedio, ut deliberaretur an expediret continuare aut supprimere officium Syndicorum, super quibus requisitionibus statuit Capitulum generale R. D. abbates consultores audiendos.

21. Deinde continuata fuit lectio diffinitionum Capituli generalis anni 1672, occasione cuius lectionis, proposuit et conquestus est R. D. Promotor, quod in Sabaudia abbas commendatarius de Alta cumba et de Alpibus praetendit ius nominandi novitios in illis monasteriis recipiendos. Et requirente eodem R. D. Promotore, ut adm R. D. de Claravalle quamprimum visitet per seipsum monasteria istius provinciae quae sunt suae filiationis, declarat praesens Capitulum generale, ius illud nominandi seu praesentandi novitios non competere abbatibus commendatariis, prohibetque ne in posterum Ordinis superiores eiusmodi novitios ab abbatibus commendatariis per abusum forsan nominandos seu praesentandos admittant sub poena suspensionis. Mandat insuper Capitulum generale R. adm D. de Claravalle, ut intra annum omnia suae filiationis monasteria in provincia Sabaudiae sita per seipsum visitet et huic malo obviet.

22. Audito a Capitulo generali, quod R. D. de Septem fontibus et venerabiles priores de Cistercio, de Firmitate, de Claravalle, de Loco regio et de Longo ponte deputati ad *Ritualis* examen vix possunt huic officio tempore Capituli, vacare, sancitum est, ut a Cistercio non prius exeant quin hoc opus perfecerint postea typis mandandum, cum decreto Capituli generalis, quo declarabitur fore unicuique liberum annotare quae iudicaverit immutanda, et tandem in sequenti, proelo, auctoritate Capituli generalis vel Rmi D. N. faciendo, hoc *Rituale* sic correctum ab omnibus observetur.

SESSIO QUARTA.

23. Eadem die, pomeridianis horis, convocato de more Diffinitorio, requirente Promotore, ut hucusque lectae diffinitiones Capituli gene-

ralis de anno 1672 confirmarentur, statutum est a Capitulo generali eas admitti et confirmari cum additionibus, limitationibus et declarationibus infrascriptis.

24. E diffinitione de pretio librorum quae incipit : *Cum multi conquesti (nº 53)* tollantur haec verba : Bibliopolam Parisiensem.— Diffinitioni de litteris commendatitiis quae incipit : *Statuit etiam (nº 76)* addantur post haec verba : aliquod mittitur, ista scilicet : et tempus eorum praefigetur. Insuper loco verbi : recipere teneatur, ponatur : recipiat. — Item, diffinitioni de non amovendis prioribus, dum sunt Ordinis officiales, quae incipit : *Confirmat praesens (nº 200)* addatur in fine : procedendi per vias iuris.

25. Requirente Promotore, ut diffinitiones Capituli generalis de anno 1683 confirmarentur, decrevit Capitulum generale post earum lectionem factam, eas omnes et singulas confirmandas esse prout praesenti decreto confirmat, mandans omnibus Ordinis personis eas inviolabiliter observare, sub poenis in iis contentis cum additionibus, limitationibus et declarationibus infrascriptis.

26. Occasione lectae diffinitionis contra Sebastianum Mabre-Cramoisy, requirente Promotore, ut eius attentata contra Ordinis honorem et ius hucusque illibatum typographum eligendi, refrenentur. Decrevit Capitulum generale dictam diffinitionem confirmando enixissime nomine suo scribendum esse ad excell. Galliae Cancellarium, ut eius auctoritate Ordinis sacri iura conserventur.

27. Diffinitioni de obligatione veniendi ad Capitulum quae incipit : *Capitulum generale (nº 181)* additur in fine : et solvendi dupli expensarum quas facerent veniendo ad Capitulum generale. — Item, diffinitioni de conversis quae incipit : *Lectis (nº 177)*, addantur in fine haec verba : Et declarat praesens Capitulum conversos et conversas professos et professas habendos et habendas esse pro veris religiosis. — Diffinitioni etiam de ordine quem debent tenere novitii, quae incipit : *Qui primus ingreditur capitulum (nº 53)* addatur immediate post : ad sumendum habitum. — Ad diffinitionem de ordine abbatum, quae incipit : *Requirente D. Promotore* (nº 63) post ultima verba : *standum esse*, addendum est quod : abbates infra primum Capitulum generale tenebuntur mittere Cistercium vel afferre authentica fundationum monasteriorum suorum, ut tabula nova et exacta fiat iuxta tempus fundationum. — E diffinitione de vestimentis quae incipit : *Invigilans Capitulum (nº 57)*, tollatur hoc verbum : maxime. — Diffinitioni etiam de vestimentis, quae incipit : *Omnes uniformiter (nº 79)*, post haec verba : *cum solo pallio nigro*, addantur ista : vel cum clamyde larga et non stricta. — Diffinitio de clausura monialium quae incipit : *Ingredi autem (nº 81)*, omnino tollatur, et eius loco substituatur : quoad circa clausuram monialium observetur Concilium Tridentinum.

SESSIO QUINTA

28. Die 15, celebrata missa pro defunctis in pontificalibus a R. D. de Labacio, et congregato de more Diffinitorio, referente R. D. Promotore appellationem ab abbatissa de Claretis emissam ad Capitulum generale contra quasdam prohibitiones et ordinationes adm R. D. de Claravalle factas, idem Capitulum generale decernit communicationem faciendam praedictae appellationis a dicto adm R. D. de Claravalle.

29. Ad requisitionem R. D. Promotoris, ut praescribatur forma tenendi Capituli generalis iuxta antiqua Ordinis statuta, deputati sunt ad id muneris adm R. D. de Morimundo, R. D. de Valle Richerii, de Columba et de Charitate.

30. E diffinitione item Capituli generalis 1683, de monialibus, quae incipit : *Prohibetur quoque, (nº* 82*)* tollenda sunt circa finem haec verba : sed ut melius et cum maiori sedulitate exsequantur. Item, in diffinitione de officiariis, quae incipit : *Idem Capitulum (nº* 100*)* post illa verba : ad illa officia pertinentes, inserantur ista : a cellerariis recipiantur, et secundum fundatorum intentionem. — In diffinitione de compilatione constitutionum quae incipit : *Ad conficiendam (nº* 92*)*, commissariis ad id deputatis adiunctus est R. D. de Charmeia, et additum : quod Ordinis sumptibus opus absolvant.

31. Ad revidendas diffinitiones circa S. O. editas, quae incipiunt : *Quoniam a multis* (nº 114), *Mortuo (nº* 116*)*, *In monasteriis (nº* 117*)*, *Quoad appellationes (nº* 118*)*, committitur R. D. de Fulcardimonte, de Valcellis, de Columba et de Charitate. — Pariter quoad diffinitionem pro Congregatione Coronae Arragonum et Navarrae, quae incipit : *Una cum R. D. (nº* 109*)* committitur R. D. abbatibus de Hemmenroda, de Precibus et de Bledzouvio.

SESSIO SEXTA

32. Eadem die, pomeridianis horis, congregato ut prius Diffinitorio...

33. Circa diffinitionem eiusdem Capituli generalis 1683, quae incipit : *Cum ad audientiam, (nº* 193*)* revocatur commissio data adm R. D. de Claravalle pro visitatione monasteriorum eiusdem Vasconiae. Ad diffinitionem de Procuratore generali in Gallia, quae incepit : *Requirente R. D. (nº* 180*)* statutum est, ut R. D. abbati de Chalocheio summa a praeterito Capitulo ei adiudicata refundatur ex contributionibus cuiuscumque provinciae.

34. Occasione diffinitionis pro monasteriis Siciliae, quae incipit : *Prohibet Capitulum generale* (nº 216), statuit idem Capitulum, scribendum esse Regi catholico et excell. Duci de Alba, praesidi consilii

supremi Italiae, ut augeantur mensae tenuissimae conventuales monasteriorum illius regni. Interim vero executioni firmissimae mandetur decretum de vita communi et de vestiario in specie, non in pecunia dando.

35. Referenti R. D. de Salem, conversos in Bavaria habitum in Ordine consuetum non deferre, mandat Capitulum generale ut conversos omnes in illis partibus ad habitum Ordinis reducat.

36. Declarat Capitulum generale diffinitiones Capitulorum generalium provisionaliter obligare, etiam antequam in sequenti Capitulo sint confirmatae.

SESSIO SEPTIMA

37. Die 15, post missam de laudabili Sancto Sacramento celebratam in pontificalibus a R. D. de Laude, et congregato ad sonitum maioris campanae Diffinitorio, R. D. de Novo Castro ingressus Diffinitorium retulit mentem R. D. consultorum super articulis ipsis circa novitiatus et Syndicos communicatis, et requirente Promotore, ut dicti articuli in deliberationem mitterentur.

38. Circa primum, de minuendo numero novitiatuum, committitur R. D. de Fulcardimonte et de S. Sulpitio, ut una cum Visitatoribus provinciarum conferant et examinent, quae monasteria novitiatibus instituendis sint magis commoda.

39. Circa secundum, orta quaestione de designandis novitiorum magistris pro qualibet provincia, remittitur ad Rmum D. N. et adm R. D. quatuor primos abbates.

40. Circa tertium, de suspensione receptionis novitiorum, sancitum est non esse suspendendum, tamen intra sex menses designandos esse magistros novitiorum.

41. Circa quartum, de quantitate pensionum determinanda pro novitiatu et professorio, decrevit Capitulum generale trecentas libras turonen. sufficere quolibet anno tam pro victu quam pro vestimentis tempore novitiatus et professorii, et ceteris omnibus etiam in casu cuiuslibet infirmitatis necessariis.

42. Denique circa articulum de Syndicis continuendis vel supprimendis, remittitur ad proximum Capitulum generale. Interim vero non poterunt per triennium nisi una vice visitationibus interesse, tuncque colligent Ordinis contributiones.

43. Tum R. D. Promotor relutit libellum supplicem pro R. D. de Parisio una cum monasterii sui conventu petit ut sibi liceat fundare bursas duas in collegio Parisiensi, quamlibet trecentarum librarum annuarum; unam pro sustentatione scolaris ex suo monasterio, vel illius defectu ex filiatione seu generatione Morimundi; alteram pro

calefaciendis scolaribus impendendam. Praesens Capitulum generale admisit dictam petitionem.

44. Ad requisitionem Promotoris ut determinetur auctoritas prioris vacantium monasteriorum per abbatem regularem regi solitorum; committitur R. D. de Valcellis, de Laude et de Charitate.

SESSIO OCTAVA

45. Eadem die, pomeridianis horis et congregato, ut solitum est, Diffinitorio, requirente R. D. Promotore, itemque supplicante R. D. de Dunis, ut consequenter ad arrestum sanctioris consilii Regis christianiss. Capitulum generale decernat abbatiam de Dunis legitime translatam fuisse Brugas, et insuper declaret D. Arnaldum Terrasse illegitime nomen et insignia abbatis etiam nunc deferre. Statuit praesens Capitulum generale dictam abbatiam de Dunis habendam esse pro legitime translatam Brugas; volens ut coram Visitatore Picardiae quam primum citetur dictus D. Arnaldus Terrasse. Et iniungitur eidem Visitatori sub poena suspensioins ipso facto, ut si convictus fuerit dictus Arnaldus nomen et insignia abbatis detulisse, imo deferre, illud ei Visitator prohibeat nomine Capituli generalis.

46. Querimonia facta a R. D. Promotore contra Fr. Ambrosium Le Maignan, monachum de Pinu, quod falso nomen Procuratoris abbatum, priorum et religiosorum S. O. in Gallia usurpaverit in quadam supplicatione SS. D. N. porrecta, quam praedictus Promotor prae manibus habebat. Capitulum generale non ferens tantam temeritatem statuit dictum fratrem termino peremptorio a Visitatore provinciae citandum esse, coram quo comparere teneatur. Et eo audito, si reus tantae temeritatis esse iudicatur, a quocumque officio sive alio privetur, et inhabilis ad quodvis aliud esse iudicetur, donec per Capitulum generale aliud ordinetur. Quod si comparere noluerit, post primam et secundam citationem, eamdem poenam incurrat. Executionem praesentis diffinitionis Visitatori provinciae S. O. in qua degit, committit Capitulum generale in plenaria Ordinis potestate.

47. Conquerente Promotore, quod non obstante praecedentis Capituli generalis diffinitione, qua statutum fuerat, ut R. adm D. de Claravalle praetendens suo monasterio deberi aliquas pecuniarum summas ab Ordine, nempe 300 libr. turonen. annui redditus, intra tres menses in urbe Parisiensi coram Rmo D. N. aut ab aliis ab eo deputandis chartas seu titulos originales huiusmodi debiti exhiberet; quibus visis et approbatis, solveretur ei summa, quae eidem debita fuerit, tam pro principali quam pro interesse usque ad diem illam. Et quod nisi chartas illas seu titulos exhiberet supradicto statuto, tempore, aut sufficientes non apparerent, non teneretur Capitulum generale pecu-

nias illas solvere. Mandans Procuratori suo generali ut procuraret per omnes iuris et iustitiae vias a praedictis praetensis debitis Ordinem absolvi ; revocans interea omnes et singulas commissiones hucusque datas a Capitulo generali praedecessoribus dicti abbatis Claraevallis, seu etiam forte ipsi moderno, ad exigendas seu levandas contributiones Ordinis in quocumque monasterio cuiuscumque provinciae sub quocumque praetextu. Nihilominus tamen dictus R. adm D. de Claravalle litteras illas originales non exhibuit ; et insuper a pluribus monasteriis contributiones accepit. Quare motum Capitulum generale, audito prius dicto R. adm D. de Claravalle et praevia ei facta in ipsomet Capitulo generali oblatione refusionis seu solutionis summae ab eo praetensae tam pro principali quam pro interesse, si dictas chartas seu titulos originales vellet exhibere, confirmando et renovando diffinitionem in ultimo Capitulo factam, statuit totum illud negotium pace vel iudicio terminandum. Unde si dictus R. adm D. de Claravalle et eius conventus viam compromissi acceptare voluerint, intra annum ab hac die computandum Capitulum generale dat facultatem et plenum posse Rmo D. N. simul et procuratori suo generali in Gallia, compromittendi in aliquos arbitros cum adm R. D. dicto et conventu Claravallensi ; seu personas aut iudices eligendi, qui totum negotium examinent, iudicent et ad debitum finem perducant. Quod si dictus D. et conventus Claravallensis viam compromissi acceptare noluerint, Capitulum generale denuo mandat Procuratori suo ut procuret per omnes iuris et iustitiae vias, ut ab illa praetensione Ordo absolvatur quamprimum fieri poterit ; prohibetque dicto D. de Claravalle et eius conventui, ne ullas Ordinis contributiones a quocumque monasterio sub dicto aut alio quovis praetextu exigant seu levent, et quibuslibet personis, ne illis solvant, sub poenis contra non solventes contributiones contentis in nostris statutis ; omnes et singulas commissiones hucusque datas abbatibus Claraevallensibus pro levandis et accipiendis contributionibus iterato et penitus revocando, in plenaria Ordinis potestate.

48. Cum orta fuerit difficultas super quibusdam articulis circa facultatem quam habent seu habere praetendunt quidam priores vacantium monasteriorum per abbates regulares regi solitorum, maxime Cisterciensis et quatuor primorum, ob diffinitionem praecedentis Capituli, qua dicitur in omnibus illis monasteriis, quamdiu vacaverint, administrationem ad priorem et conventum pertinere, salvo iure patris abbatis iuxta constitutionem Clementis PP. IV et alia statuta, secundum quae prior vacantis monasterii cum consilio conventus illius provideat de filiabus visitandis, non tamen sine aliquo abbate. Quaestione Capitulo generali proposita : 1°, videlicet, priore vacantis monasterii deficiente, quisnam debeat supplere vices illius ? — 2°, si-

militer aliis deficientibus officiariis, puta sacrista, cellerario et aliis, quisnam debeat providere ? 3°, an prior vacantis monasterii possit instituere et destituere priores et alios officiarios in monasteriis subditis iure filiationis ? 4° an possit ea visitare per se aut per commissarium ? 5° an idem prior vivente abbate vocari queat : Vicarius natus filiationis, et aliquam habeat auctoritatem ? — Visis et examinatis diffinitionibus super hoc olim factis, nempe cap. 12, Dist. VII *Instit. Capit. gener.*, et cap. 9 et 1, Dist. VIII *Antiquarum Diffinitionum* ; et audita relatione R. D. de Valcellis, de Laude et de Charitate commissariorum ad id deputatorum, ad praedictas quaestiones sic respondet Capitulum generale. — Ad 1 : administratione domus vacantis penes conventum remanente iuxta *Clementinam*, si priore domus destituatur, subpriorem vices eius agere debere. — Ad 2 : si deficiunt officiarii, conventum simul cum praesidente debere providere. — Ad 3 : in filiabus nihil sine magna et urgenti necessitate immutandum. Si autem urgeat necessitas, commissarium esse deputandum a priore simul et consilio domus vacantis, usquedum a patre abbate provideatur. — Ad 4 : non expedire ut prior per se vel per commissarium aut commissarios ab ipso priore simul et consilio domus deputandum sive deputandos visitet ; et hoc nisi in magna et evidenti necessitate. — Ad 5 : vivente abbate monasterii filiationem habentis, priorem non posse vocari seu nominari Vicarium filiationis, nec ullam in ea habere auctoritatem, nisi per specialem commissionem receperit ab abbate. Per haec autem omnia non intendit Capitulum generale praeiudicare iuri patrum abbatum monasteriorum vacantium.

49. Negotium fratris Josephi Finot monachi de Claravalle a Sancta Congregatione Episc. et Regul. ad Capitulum generale remissum committitur R. adm D. de Morimundo gratia vel iudicio terminandum.

50. Supplicanti vener. D. Georgio Meillardet monacho monasterii de Monte S. Mariae in comitatu Burgundiae et provisori seminarii Dolani, assignavit Capitulum generale super dicto monasterio pensionem 300 libr. turonen. annuarum a die exitus sui a dicto seminario, et quamdiu erit extra regnum Franciae, statuitque idem Capitulum generale supplicandum esse Regi christianissimo ut dictus Georgius in patriam redire possit.

51. In causa vertente inter abbatem de Pinu et priorem de Bonoloco Burdegalensi, an frater Nicolaus Robin monasterii praedicti vel de Bono loco sit professus ? Auditis commissariis ad hoc deputatis et visis instrumentis hinc et inde datis, declarat Capitulum generale dictum fratrem Robin pro professo monasterii de Pinu esse habendum ; et consequenter teneri provisionaliter monasterium de Pinu ad omnes expensas monasterio de Cistercio occasione dicti fratris Robin toleratas.

52. Insuper prohibet idem Capitulum, ne deinceps ulli monacho liceat stabilitatem mutare sine magna necessitate et consensu proprii abbatis. Cuius stabilitatis fiat publicum instrumentum intra annum ab obtento consensu superiorum.

53. Tum R. D. de Columba, Visitator monasteriorum S. O. statum eorumdem retulit.

54. Audito a Capitulo generali, quod in visitationibus regularibus superiores et fratres suos quidam monachi calumnientur, renovatur statutum contra calumniatores ; et insuper declarat eos Capitulum generale inhabiles ad quodcumque officium.

55. Ne ex publicatione votorum in electionibus monasteriorum consistorialium in partibus Superioris Germaniae et Helvetiae multae rixae, contentiones, invidiae et alia inconvenientia oriantur ; supplicandum statuit Capitulum generale SS. D. N. ut liceat in ea publicatione votorum nominare tantum personam quae maiorem partem eorum habuerit, omissis nominibus eorum, qui minorem partem habuerint.

56. Libello supplici fr. Nicolai de la Barrière, ut sibi liceat repetere ab oeconomo monasteterii de S. Benedicto summam 300 libr. et 13 solid., quam mutuo accepit de consensu adm R. D. de Morimundo pro prosecutione processus contra D. Michaelem Guiton, Capitulum generale benigne annuit.

57. Decernit Capitulum generale, quod interventiones quae fiunt a Procuratore generali vel Syndicis pro aliquo monasterio,fiant expensis illius monasterii ; et quod processus quivis, etiam judiciales contra quaslibet Ordinis personas pariter fiant sumptibus monasteriorum in quibus commorantur.

58. Super appellatione emissa ab abbatissa et aliquot monialibus de Claretis, de quibusdam gravaminibus, quae sibi illata praetendebant a R. adm D. de Claravalle ; eoque audito et consentiente, Capitulum generale remisit dicti monasterii de Claretis regimen ad R.D. de Trappa, patrem immediatum, ut per se vel per alium, cui vices suas in scriptis committere tenebitur, ei monasterio quamprimum provideat ; alias Vicarius illius provinciae omnem eius curam habeat,praesentis Capituli generalis auctoritate.

59. Referente R. D. Promotore libellum supplicem Ill. Marchionis de Nerestang requirentis ut in monasterio de Benedictione Dei fiant preces et alia anniversaria a patre et avo fundata. Capitulum generale committit Vicario generali provinciae, ut verbo facto cum adm R. D. de Claravalle, et partibus auditis, negotium illud terminet, in plenaria Ordinis potestate.

Vicarios ac Scyndicos generales, ulli alij ſub quocumque prætextu non vocati aut citati ſine facultate noſtra ad Ciſtercium noſtrum tempore dicti Capituli accedere præſumant, & quoniam præſentium originale ad ſingulos deferri nequit, volumus ut ejus tranſumptis ab aliquo ex Reverendis admodum quatuor primis Coabbatibus noſtris, vel à Procuratoribus noſtris generalibus, vel à noſtro Secretario ordinario, & noſtro vel alicujus eorum ſigillo munitis eadem fides quæ ipſarum originali adhibeatur. DATVM Ciſtercij die 12. Iunij 1668. ſub noſtra & Secretarij noſtri ordinarij ſubſcriptionibus & ſigilli noſtri majoris appenſione.

Concordat cum Originali

Fr. G. Burree Rmi Generalis Secretarius

Indictio Capituli generalis anni 1669.

SESSIO NONA

60. Die 17, celebrata missa in pontificalibus a R. D. de Alna, congregato ut prius Diffinitorio, ad relationem R. D. Promotoris libellus supplex vener. Mariae Catharinae Le Bourgeois de la Varende, priorissae de Columba, pro confirmando contractu a se inito cum Ill. episcopo Quebecensi, remittitur ad contractuum examinatores.

61. Causa R. D. abbatis de S. Salvatore Antuerpiensi ab administratione suspensi committitur R. D. de Valcellis et de Laude Capitulo referenda.

62. Tum R. adm D. de Firmitate retulit statum monasteriorum comitatus Burgundiae et Lotharingiae ipsius visitationi a praecedenti Capitulo generali commissorum

63. Audita relatione R. D. de Caduino de statu monasteriorum provinciae Tholosanae statuit Capitulum generale fr. Stephanum Mulatier citandum esse quamprimum a Syndico istius provinciae coram adm R. D. de Morimundo, qui informatione facta causam diffinitive terminet.

SESSIO DECIMA

64. Eadem die pomeridianis horis, congregato de more Diffinitorio, ad relationem R. D. de Hemmenroda, de Precibus et de Bledzouvio abbatum deputatorum ad examen diffinitionum Congregationis Coronae Arragonum et Navarrae anni 1626, statuit praesens Capitulum generale easdem diffinitiones cum suis additionibus seu modificationibus a Rmo D. N. moderno appositis, in plenaria Ordinis potestate esse approbandas et confirmandas, sicut praesenti decreto approbat et confirmat, praecipiens et mandans eas ab omnibus inviolabiliter observari.

65. Quia vero ex diversitate supplicationum et querelarum quorumdam monasteriorum status eiusdem Congregationis satis innotuit, praecipit et mandat praesens Capitulum generale, ut Vicarius generalis, Diffinitores et Visitatores iam dictae Congregationis quamprimum in timore Dei congregandi attente inspectis et mature consideratis tam praesentis quam aliorum Capitulorum generalium statutis et antiquis praefatae Congregationis diffinitionibus, nec non supplicationibus dictorum monasteriorum, condant et statuant sibi leges seu diffinitiones secundum *Breve* Alexandri PP. VII et statuta Ordinis nostri examinandas tamen et approbandas a Capitulo generali vel Rmo D. N. pro tempore existente. In quo quidem conventu a praesenti generali Capitulo indicto, quia aliqua forte statuenda erunt pro reformatione saepedictae Congregationis non utcumque conformia bullae Pauli PP.

V. Commisit praesens Capitulum generale Procuratori generali in Curia, ut diffinitiones dicto modo statutas et a Capitulo generali vel Rmo D. N. examinatas et approbatas a SS. D. N. confirmari procuret. Insuper quia facultas condendi leges in dicta Congregatione Vicario generali, Diffinitoribus et Visitatoribus in Capitulo provinciali congregatis, permissa esse noscitur iuxta eamdem bullam Pauli V, idem Procurator nomine praesentis Capituli generalis supplicabit SS. D. N. quatinus pro hac vice tantum indulgere dignetur, ut extra tale Capitulum provinciale Vicarius generalis, Diffinitores et Visitatores convenire possint, ad opus tam necessarium perficiendum. Cui congressui vel cuique Diffinitorio aut etiam Capitulo provinciali Rmus D. N. pro tempore existens auctoritate Capituli generalis qua fungitur, per se vel per commissarium seu commissarios a se deputandum aut deputandos praeesse, ac singula monasteria in capite et in membris visitare possit et debeat, salvo iure quatuor primorum abbatum.

66. Similiter cum haec eadem Congregatio ad instantiam incliti Philippi III, Hispaniarum Regis catholici erecta fuerit, et incrementum eiusdem a praesentis catholici Regis patrocinio ut plurimum pendere cognoscatur, supplicandum duxit Capitulum generale eidem potentissimo Regi, ut huic coetui congregando favere regia sua auctoritate dignetur ; quam supplicationem Vicarius generalis praefatae Congregationis deferre, aut si non possit, per abbatem aut saltem monachum qualificatum tradere curabit.

67. Retulit R. D. de Fulcardimonte, Visitator monasteriorum Comm. Observ. in Insula Franciae statum eorumdem.

68. R. D. de Valcellis retulit etiam statum monasteriorum provinciae suae Gallo Belgicae.

69. Declarat Capitulum generale proprietarios ipso facto esse excommunicatos. Et propterea mandat a forma excommunicationis in die Palmarum publicandae ad calcem *Breviariorum* maiorum apposita auferri ista verba : nisi infra diem Iovis resipiscant.

70. Audita relatione status monasteriorum provinciae Turonensis facta a R. D. de Chalocheio, Visitatore illius provinciae, Capitulum generale mandat ut Vicarius generalis eiusdem provinciae quamprimum monasterium de Claromonte visitet et reformet, in plenaria Ordinis potestate.

SESSIO UNDECIMA

71. Die 18, post missam in pontificalibus celebratam a R. D. de Bledzouvio, congregato, ut solitum est, Diffinitorio, circa doctores Ordinis nostri occasione gradus sui, varias exemptiones ab observantiis regularibus praetendentes, censuit Capitulum generale eos, sicut et

alios monachos superioribus suis debere esse in omnibus subditos et obedientes, eosque ab officio divino intitulatione ad hebdomadas missarum, ceterisque observantiis nullatenus esse exemptos. Insuper mandat idem Capitulum, ut pensiones iis attributae in monasteriis commendatis recipiantur a monasteriorum cellerariis,libris emendis aliisque rebus doctoratui convenientibus impendendae.

72. Tum R. adm de Morimundo antehac Vicarius generalis Campaniae retulit statum monasteriorum illius provinciae.

73. Retulit etiam R. D. de S. Sulpitio statum monasteriorum provinciae Alverniae, unde intelligens Capitulum generale in monasterio de Feneriis tres tantum esse monachos, eosque penitus deformatos, committit idem Capitulum R. adm D. de Morimundo ut priorem et monachos bonae conversationis ibi quamprimum introducat. Interim vero ad instantiam Procuratoris generalis cogatur modernus abbas commendatarius praefati monasterii relictam a defuncto abbate regulari suppellectilem et pecunias restituere.

74. Cum ad audientiam Capituli generalis pervenerit plures abbatissas et priorissas titulares bona temporalia suorum monasteriorum per seipsas administrare, pecunias omnes recipere et de receptis nullas reddere rationes; praecipit praesens Capitulum generale ut *Breve* Alexandri PP. VII circa bonorum temporalium administrationem inviolabiliter observetur. Quod si renuerint post novem menses ab intimatione praesentis decreti per Vicarium provinciae cuiuslibet facienda, ab officio suo ipso facto sint suspensae, et usquedum obedierint novitias ad habitum et professionem recipi prohibet praesens Capitulum generale.

75. Retulerunt R.D. de Valle Richerii, de Veteri villa et de Columba respective Visitatores monasteriorum S. O. in provinciis Normanniae, Britanniae minoris et Pictaviae, statum illorum.

76. Item, R. D. de Alna, Visitator provinciae Leodiensis.

77. Auditis commissariis super causa vertente inter R. D. abbatem de Bona aqua et monasterium de Faezia, declarat Capitulum generale fr. Petrum Pomier pro monacho de Faezia habendum esse.

78. Referente R. D. Promotore statum monasteriorum vicariatus provinciae Rhenanae et Inferioris Germaniae, mandat Capitulum generale Vicario generali illius provinciae, ut in monasteriis monialium clausura iuxta Concilii Tridentini decreta introducatur et observetur. Moniales ad habitum regularem Ordinis reducantur, et cum saecularibus convivari non permittantur. Quia vero quaedam monasteria in illis partibus multa ab haereticis gravamina patiuntur, idem Capitulum generale praecipit supplicandum esse Emin. D. Coloniensi et Trevirensi archiepiscopis et Sereniss. Electori Brandeburgico, ut dicta

monasteria singulari protectionis gratia prosequi, et a gravaminibus illis sublevare dignentur.

79. Retulit Vicarius generalis in ducatu Burgundiae statum monasteriorum illius provinciae. — Item, Vicarius generalis provinciae Bituricensis.

80. Declarat autem Capitulum generale fr. Claudium Legendre parochum habendum non esse pro monacho Ordinis, et ideo mandat non debere in monasterio de Landesio admitti.

SESSIO DUODECIMA

81. Eadem die, pomeridianis horis, congregato de more Dffiinitorio, supplicatio R. D. de Stella, ut minuatur taxa contributionum in monasterio suo imposita, remissa est ad auditores computationum, ut examinent et referant.

82. Diffinitioni Capituli generalis de anno 1683 de contributionibus quae incipit *Circa contributiones* (*n*º 43) inserantur post ista verba : Visitatorum monasteria, ista scilicet : in Gallia.

83. Quia nonnulla monasteria monialium ante annum 1683 pro contributionibus taxata non fuerunt, praesens generale Capitulum declarat non teneri ad earum solutionem ante praefatum annum.

84. Visitatores provinciarum Pictaviensis et Provinciae retulere statum monasteriorum suae curae commissorum.

85. Vener. abbatissa monasterii B. M. d'Esplan procurat, mediante Ill. episcopo Arausicano exponi Regi christianissimo et Sereniss. principi Arausicano quanta patiatur monasterium illud, et non solutis. annuis redditibus a praefato principe ipsi debitis.

86. Et quia fr. Iacobus Legras monachus Claraevallis ab officio prioris monasterii de Franchis vallibus per Visitatorem provinciae suspensus, et ad praesens Capitulum generale citatus, ut responderet de culpis sibi impositis, non comparuit; audita relatione dicti Visitatoris praefatus fr. Iacobus deponitur in instanti et ad Claramvallem redeat. R. autem D. de Morimundo de alio priore huic monasterio provideat.

87. Vener. Prior de Gimonte, Visitator provinciae Burdegalensis reddidit rationem monasteriorum suae provinciae.

88. Requirente Promotore, praesens Capitulum generale confirmat electionem factam de persona sororis Carolae Eleonorae de Aubusson, in priorissam monasterii de Coiroux, iam a Rmo D. N. confirmatam.

89. Audita relatione monasteriorum Delphinatus facta a vener. Rectore collegii Avenionensis Visitatore, prohibet Capitulum generale sub poenis et censuris Ordinis priorissae titulari et conventui monasterii B. M. de Gratiis in oppido Tulinensi, ne ullam unquam in posterum quocumque nomine nuncupetur alienationem faciant cuiuslibet

partis territorii, quod intra clausuram continetur, vel aliorum quorumvis bonorum immobilium monasterii.

90. Visitator provinciae Ruthenensis retulit statum monasteriorum illius provinciae.

91. Praecipit Capitulum generale vener. priorissae de Lissaco, ut infra duos menses a monasterio dimittat suas neptes, nec ullas ad habitum et professionem recipiat, donec omnia monasterii debita persolvata fuerint.

92. Mandat Capitulum generale vener. abbatissae de Nonenqua sub poena suspensionis, ut Visitatorem ab Ordine deputatum seu deputandum recipiat ad visitationem, et alios iurisdictionis actus obeundos, eiusque ordinationibus obediat.

93. Capitulum generale arguit et reprehendit coram se vocatum R. D. de Candelio, quod impedierit ne Visitator provinciae Ruthenensis visitaret monasterium de Bonacumba filiam Candelii, dictoque abbati mandavit Capitulum, ne ullo modo impediret quominus idem Visitator praefatum monasterium visitet et in eo novitios ad habitum et professionem recipiat pro aliis monasteriis.

94. Diffinitioni ultimi Capituli generalis, quae sic se habet : *Statuit Capitulum generale... (nº 123)* addi praecipit praesens Capitulum generale haec verba scilicet : De qua visitatione facienda monere tenebitur dictum Visitatorem. Quod si pater abbas toto triennio visitaverit, Visitator nihilominus tenebitur tertio anno visitare, ut fidelem possit de monasteriorum statu reddere Capitulo rationem.

Quod triennium incipere declarat Capitulum generale a praesentis Capituli celebratione. Decernit autem Capitulum generale, non posse patres abbates mittere commissarium sive quemlibet alium delegare ad visitanda suae filiationis monasteria, processusque faciendos, nisi dum Vicarius seu Visitator provinciae partibus est suspectus, exceptis commissionibus a Rmo D. N. a et R. adm D. de Claravalle datis et dandis pro monasteriis Belgii Gallici et extra regnum Galliae.

SESSIO DECIMA TERTIA

95. Die 19, celebrata missa in pontificalibus a R. D. de Novo Castro, congregato de more Diffinitorio, auditis R.D. de Fulcardimonte, de Valcellis, de Columba et de Charitate, commissariis specialiter deputatis, Capitulum generale circa S. O. diffinitionem edidit prout sequitur. Cum R. D. Promotor retulisset divisionem monasteriorum S. O. in quinque provincias factam ab ultimo Capitulo generali nullius utilitatis eidem observantiae fuisse, sed summi oneris, ita ut magis expedire videretur eas reducere ad numerum statutum in Capitulo generali 1667, auctoritate Apostolica confirmato ; praesens Capitulum

generale cupiens pro virili eamdem Observantiam fovere iuxta mandatum Apostolicum in *Brevi* Alexandri PP. VII contentum, omnia praedictae Observantiae monasteria ad tres dumtaxat provincias reducit secundum earum divisionem a dicto Capitulo generali 1667 factam ; statuens praefata monasteria annuatim visitari habere a Visitatoribus earum respective iuxta praefatum *Breve*.

96. Et quia ultimum Capitulum generale de anno 1683 concesserat eidem Observantiae sua habere annua comitia quibus interesse deberent omnes abbates, Visitatores et superiores omnium illius monasteriorum die et loco per Rmum D. N. generalem assignandis de consilio Visitatorum sub praesidentia ipsius Rmi aut eius commissarii ex abbatibus eiusdem Observantiae deputandi. Praesens Capitulum generale plene informatum de variis incommodis et gravaminibus, quae oriri possent, tum ex annua illa comitiorum celebratione, cum ex nimia multitudine eorum qui iis adessent, et in iis suffragium ferrent ; consideratis etiam nimiis monasteriorum expensis, longiorique ab iis superiorum absentia, formam dictorum comitiorum reduxit ad hunc modum videlicet : Praefata comitia celebrabuntur semel tantum quolibet triennio, in quibus omnes abbates et visitatores provinciarum interesse tenebuntur simul cum tribus prioribus monasteriorum commendatorum ex unaquaque provincia, qui secundum ordinem antiquitatis suorum monasteriorum et expensis eorum illuc convenient ; ita ut primis comitiis adsint priores trium antiquorum monasteriorum uniuscuiusque provinciae ; secundis comitiis adsint priores trium sequentium monasteriorum, et sic de aliis successive.

97. Qui autem ex dictis abbatibus, visitatoribus et prioribus iis interesse non poterunt, mittent excusationes per aliquem ex iis, qui adesse tenebuntur ; quae si legitimae iudicatae non fuerint, absentes gravissime punientur. Quibus comitiis adesse poterit unus ex quatuor primis abbatibus, aut alius abbas S. O. ab ipsis delegatus sub ceterorum abbatum nomine. In eo autem coetu omnes vocem decisivam habebunt, exceptis tantum iis, qui a praeside eligentur ad munia Promotoris et secretarii.

98. In dictis comitiis nullae fiant novae diffinitiones, sed providebitur tantum particularium necessitatibus et difficultatibus, quae occurrere possent in visitationibus tam respectu personarum visitatarum quam visitantium.

99. Quod si aliquis prior in aliquo deliquerit, a suo etiam suspendi poterit officio in dictis comitiis ; cui suspensioni aut alteri poenae deferre tenebitur. Et si casus depositionem mereatur, pater immediatus, ut ipsum deponat et alium qui dignus sit eius loco substituat, monebitur ; quo non obstante extra dicta comitia Visitator poterit delinquentes priores per iuris vias a prioratu amovere.

100. Acta illorum comitiorum redigentur in scriptis, et duo fient originalia, unum quod reponetur in archivo Capituli generalis apud Cistercium, alterum remanebit penes antiquiorem Visitatorem praedicate Observantiae.

101. Mortuo uno ex praefatis Visitatoribus, cessante Capitulo generali, alii Visitatores cum aliquibus abbatibus eiusdem Observantiae, quos Visitatores duxerint advocandos, duos abbates vel priores nominabunt Rmo D. N. et quatuor primis abbatibus, ex quibus Rmus D. N. unum instituet in Visitatorem loco defuncti, iuxta *Breve* Alexandri PP. VII. Ceteris in ultimo Capitulo generali factis ordinationibus pro eadem Observantia in suo robore manentibus, in plenaria Ordinis potestate.

102. Liceat R. D. de Valle Richerii celebrare in suo monasterio festum s. Georgii martyris sub ritu festi duarum missarum. Item, R. D. de Laude, festum ss. Hilarii et Bonifacii, sub eodem ritu. Item, et vener. abbatissae de Marquetta pro festo S. Rufinae.

103. Conceditur monasterio monialium S. Antonii iuxta Parisios et ceteris monialibus quae sunt in urbibus vel iuxta eas, exponere SS. Sacramentum tribus diebus ante diem Cinerum, secundum consuetudinem locorum.

104. Ad supplicationem R. D. de Victoria conquerentis de alienatione facta a R. D. Sitticensi praedii vocati Hofflein in Carniola, personis saecularibus etiam cum clausulis reversibilibus in favorem saecularium dominorum, et in magnum Ordinis detrimentum, et primo dicti monasterii ad quod praedium illud pertinebat ab anno 1609; Capitulum generale committit R. D. de Rhuna, Vicario generali provinciae illius, ut omni meliori modo procuret praedium illud a monasterio Sitticensi recuperari, declarans alienationem illius factam esse sine Ordinis consensu contra Apostolicas constitutiones; ideoque nullam et invalidam fuisse et esse.

105. Quia ex longiori mora monachorum nostrorum in monasteriis monialium, in quibus sunt confessarii, multae querelae Capitulo generali factae sunt, diffinitum est eos singulo quoque triennio teneri dimissionem officii sui in scriptis facere superiori illi a quo instituti fuerint, qui eos etiam quotiescumque voluerit, poterit ad nutum ab officio removere.

106. Prohibetur cuilibet abbatissae aut alteri superiossae Ordinis nostri, ne permittant ullum ex aliis religiosis Ordinibus, maximeque Mendicantium, aut etiam saecularibus, confessiones audire in nostris monasteriis, sine expressa licentia in scriptis obtenta a patre abbate aut Vicario provinciae, seu dictorum monasteriorum monialium commissario.

107. Quoniam appellatio fr. Marci Jouin, monachi de Veteri villa,

iudicata non fuit a commissariis ab ultimo Capitulo generali deputatis, qui huic causae vacare non potuerunt, committitur R. D. de Valle clara et de Charmeia, ut eam quamprimum fine debito terminent.

108. Compatiens Capitulum generale misero statui monasterii monialium de Bonoloco in Foresio ab anno 1683, attestante Syndico generali provinciae, incendium passi, illud eximit a solutione debitarum ad hanc usque diem contributionum, et per decennium a solutione earum ad quas annuatim Ordini tenetur.

109. Mandatur fr. Guillelmo de la Brosse, monacho et subpriore monasterii de Fonte frigido, ut quaslibet pecuniarum summas, quas etiam ex concionandi officio collegit, tradat cellerario praefati monasterii, impendendas urgentioribus illius necessitatibus, et etiam restaurationi praedii de Ventefarine.

110. Super recursu ad Capitulum generale facto a vener. abbatissa de Vivario in comitatu Atrebatensi, de quibusdam gravaminibus sibi illatis in processu contra eam instituto a R. D. de Valcellis, committitur a Capitulo generali R. D. de Laude et vener. D. Michaeli Gousselaire, confessario monialium de Marquetta ; et scribatur ad Excell. Marchionem de Louvois pro obtinenda a Rege christianiss. licentia, ut ea ad suum de Vivario monasterium redeat iudicanda.

111. Committitur patri abbati monasterii de Herkenroda ut provideat sorori Mariae Magdalenae de Lamboy, moniali illius monasterii, petenti sibi indulgeri de iniunctis poenis.

112. Vicarius generalis Belgii informet de commodo et incommodo anniversarii, quod fundare intendunt in monasterio Vineae B. M. parentes sororis Mariae Clarae de Haës, et si aequum iudicet, illud acceptet.

113. Approbat Capitulum generale hucusque facta et decreta in processu instituto contra R. D. de S. Salvatore Antuerpiensi a R. D. de Camberone, tunc Vicario generali per Belgium, maneatque eidem abbati de Camberone et R. D. Loci S. Bernardi, ut coniunctim vel divisim sine mora debitum finem huic processui imponant.

114. Omnibus Ordinis nostri abbatibus, prioribus et conventibus, singulisque personis regni Poloniae ea omni qua pollet auctoritate praecipit Capitulum generale ut omni postposita mora inviolabiliter observent *Breve* Alexandri VII de anno 1666, pro reformatione generali Ordinis nostri emanatum.

115. Non exauditur petitio R. D. Olivensis de extruenda domo Lauretana aut sepulchro Domini in monasterio suo.

116. Viriliter agat commissarius generalis Poloniae pro revocando ad Ordinis gremium fr. Gabriel Bozey in sententia excommunicationis insordescente.

SESSIO DECIMA QUARTA

117. Eadem die, pomeridianis horis, congregato Diffinitorio iuxta solitum, super querela ad Capitulum generale delata per D. Stephanum Bourcet, olim destitutum a prioratu de Balerna per priorem Claraevallis, commissarium adm R. D. de Claravalle, et postea de dicta destitutione appellantem ad Rmum D. N. ab eoque restitutum. Auditis commissariis ad hoc specialiter deputatis, et etiam R. D. de Firmitate et de Claravalle abbatibus, nec non dictis priore Claraevallis et Stephano Bourcet, praesens Capitulum generale praefatum D. Stephanum male destitutum et bene a Rmo D. N. in dicto prioratu restitutum declaravit, et in eo continuandum duxit. Quia tamen gravia de eo et de fr. Laurentio Aymé in eius loco olim substituto aR. D. de Claravalle in Diffinitorio dicta sunt, committit Capitulum generale D. Altinum Proust priorem de Oliveto et D. Claudium Gaudrivet subpriorem Cistercii, quatinus soluto Capitulo ad monasterium de Balerna coniunctim accedant, ibique de utriusque vita et moribus inquirant et usque ad sententiam diffinitivam inclusive procedant ; revocans ad effectum praesentium ad saepedictum monasterium de Balerna omnes illius monachos a monasteriis ad quae missi fuerunt. Interim dictus Laurentius maneat a divinis suspensus. Et quia citationi a Rmo D. N. ipsi factae inobediens in Capitulo non comparuit, statuit Capitulum generale, ut coram dictis commissariis compareat, ab eis propter inobedientiam iuxta leges Ordinis puniendus.

118. Supplicatio vener. priorissae et conventus de Coiresio, ut ipsis solvatur a priore et conventu in Obazina pensio annua solita pro sustentatione earum confessarii, remittitur ad Vicarium provinciae, ut rem diffinitive iudicet.

119. Moniales de Vallersheim reducantur opera patris abbatis ad Ordinis mores, habitum et instituta, etiam quoad recitationem divini officii, et titulum abbatissae quo superiorissa debet insigniri.

120. Audiens Capitulum generale monasterium de Heisterbacho in utroque statu valde esse deformatum, praesensque periculum imminere si diutius remedium differatur ; mandat R. D. de Veteri monte et de Hemmenroda, ut infra menses monasterium illud et eius filias visitent et reforment, tam in capite quam in membris.

121. R. D. abbates et alii contractuum examinatores retulere ad Capitulum generale de contractibus a se examinatis.

122. Approbatur contractus 3 octobris 1669 inter Ill. Marchionem du Breuil, baronen de Capreolo ex una, et conventum Cistercii ex altera partibus, pro limitendis finibus iurisdictionum bannanilatis furnorum, etc.

123. Item, contractus 28 aprilis 1675 inter Iacobum Nigot, civem

Antissiodorensem, ex una, et conventum Pontigniaci ex altera partibus, pro venditione quarumdam possessionum eidem Nigot sub censu annuo, praevio tamen examine faciendo de commodo et incommodo huius contractus a commissario, per Rmum D. N. deputando.

124. Item, contractus 5. ianuarii 1675 inter conventum de Villario Betnach ex una, et Iacobum Carau, civem Metensem, ex altera partibus, pro venditione domus sitae Metis.

125. Item, contractus 24 augusti 1675 inter Ill. D. Camillum Le Tellier, commendatarium Vallis lucentis ex una, et conventum eiusdem monasterii ex altera partibus, pro cessione terrae dictae Servins, ad sopiendas lites.

126. Contractus 22 augusti 1684 inter commendatarium Fonteneti ex una, et conventum eiusdem monasterii ex altera partibus, pro translatione domus abbatialis, approbatur ea lege, ut 666 librae turonen. annuatim solvendae quamprimum reponantur apud notabilem civem, insumendae ad mentem dicti contractus, et de summae 4000 librarum applicatione tempore debito constet patri immediato.

127. Approbatur contractus 26 martii huius anni inter conventum Albigniaci et D. Sylvanum des Louches, dominum de Varennes, quo commutantur aliqui redditus anni cum aliis.

128. Item, contractus 18 februarii praesentis anni inter commendatarium Trisagii et conventum eiusdem monasterii, quo ceditur commendatario usufructus bonorum a se recuperatorum.

129. Item, ordinatio R. D. de Caduino 23 maii 1678 circa unionem membri dicti La Gomorie olim Faeziae uniti.

130. Item, abbergamentum seu locatio in emphiteusim perpetuam 27 maii 1668 facta a procuratore Stamedii in favorem Iacobi Mollot, aliquot iugerum terrae in territorio de Monte meliorato.

131. Item, simile abbergamentum eadem die et anno ab eodem procuratore in favorem Urbani Mollot, aliquot iugerum terrae ibidem.

132. Reprobatur translatio 5 iulii 1673 inter monasterium de Bons ex una, et Ludovicum et Ioannem Iacobum Brisset ex altera partibus, qua venditur eis census et iurisdictio quaedam.

133. Item, reprobatur contractus 2 martii 1660 inter Ollier patrem et filium, et conventum Mansiadae, quo ceditur eis grangia dicta Cacaires.

134. Transactio 28 iulii 1685 inter monasterium de Haies et communitatem d'Entragues pro monte Combagion, approbatur ea lege, ut mille et centum librae turonen. inde provehientes applicentur in emptione alicuius fundi, de qua certiorem faciant abbatem Stamedii, patrem immediatum, vel Vicarium provinciae.

135. Reprobatur contractus 23 iunii 1674 inter monasterium Sitticense et baronem Ruês, quo venditur quoddam praedium.

136. Approbantur donationes hoc saeculo factae et abbatibus Olivae in Prussia suo conventui de variis bonis.

137. Instrumentum donationis factae ab abbate Premetensi conventui suo approbatur ea conditione, ut duo eiusdem monasterii monachi ad studia mittendi non mittantur Posnaniam, sed ad Ordinis collegia.

138. Circa venditionem molendini pertinentis ad monasterium Obrense, commissarius generalis Poloniae informet de commodo et incommodo, et ad Capitulum generale referat.

139. Circa contractum de die 12 maii 1686 pro introductione monialium de Columba in monasterium de Strata, dioecesis Ebroicensis, iuxta clausulas in dicto contractu contentas, auditis contractuum examinatoribus et Capituli generalis Promotoribus, censuit idem Capitulum generale dictum contractum non esse approbandum, sed Regi christianiss. cuius pietatis et solitae in Ordinem benevolentiae tot luculenta habet testimonia cum summa humilitate et submissione supplicandum, quatinus quamprimum fieri poterit, conventus monialium in dictum monasterium introducatur sub aequioribus quam hucusque factum est conditionibus, salvo iure R. D. de Pontigniaco et de Morimundo.

140. Scribatur nomine Capituli Ill. et Rmo D. Nuntio Apostolico in Helvetia pro restitutione monasteriorum monialium in Rathausen et Eschenbach ab Ordinis unitate separatorum.

SESSIO DECIMA QUINTA

141. Die 20, post missam conventualem, congregato de more Diffinitorio, Procurator collegii Parisiensis reddidit rationem status temporalis illius.

142. Auditis receptoribus excusationum absentium abbatum et aliorum, qui ad Capitulum generale venire tenebantur, eas praesens Capitulum admisit. R. autem D. de Bello becco, de Valle dulci, et eos qui excusationem non miserunt, Capitulum generale citat, ut apud Cistercium ad instantiam Syndicorum provinciarum infra sex menses, quorum duo primi sint pro primo, duo alii pro secundo, et duo postremi pro tertio et peremptorio termino coram Rmo D. N. se sistant ; cui reverenter committit Capitulum generale, ut iis auditis, si rei inveniantur, declaret eos incurrisse poenas statutas contra remanentes a Capitulo. Et quia suspicio incidit Capitulo generali R. D. abbates Hispano-Belgii negligentes fuisse in procuranda revocatione inhibitionis factae ab Excell. Gubernatore, ne venirent ad praesens Capitulum, eos omnes et singulos monet Capitulum generale, ut ad proximum, omni postposita occasione, frequentes conveniant.

143. Praecipit Capitulum generale Praesidi et Patribus regiminis Congregationis Calabriae et Lucaniae, ut infra annum eligant personas quae iuxta statutum erectionis illius veniant ad proximum Capitulum generale, et interim preparent omnia ad iter necessaria, ut nullus excusationi sit locus.

144. Capitulum generale benigne admisit excusationes R. D. Praesidis Congregationis Lombardiae et Tusciae, praesentatas a R. D. abbate de Stamedio, Procuratore generali in Curia, et contentas in variis ad eum a dicto Praeside scriptis epistolis 2 februarii, 9 maii et 1 aprilis huius anni. Ut autem nullus amplius frivolis excusationibus sit locus, mandat et praecipit praesens Capitulum Praesidi, abbatibus et ceteris in proxime futuro eiusdem Congregationis Capitulo congregandis, ut eligant et deputent personas tales, quas mittere tenentur ad singula Capitula generalia. Quae sic deputatae indispensabiliter proximo Capitulo generali se praesentabunt ; quae electio et deputatio in ceteris successive celebrandis dictae Congregationis Capituli semper fiat.

SESSIO DECIMA SEXTA

145. Eadem die, pomeridianis horis, congregato de more Diffinitorio, quoniam R. D. de Aureavalle, Visitator monasteriorum S. O. in Picardia et Campania, sententiam tulit suspensionis in D. Ioannem Joly priorem monasterii de Boheriis, donec a praesentis Capituli generalis commissariis de eius vita cognosceretur, idem Capitulum generale causam hanc remittit ad patrem abbatem fine debito quamprimum terminandam.

146. Visitator eiusdem provinciae Picardiae S. O. procedat usque ad sententiam diffinitivam inclusive contra fr. Matheum Noël, monachum monasterii Bonifontis a R. D. de Aureavalle monitum et increpatum de violata saepe carnis abstinentia, ad quam ex professione sua tenetur.

147. Super querimonia facta a fr. Marco Etienne, Promotore in processu criminali instituto a R. D. de Aureavalle, Visitatore S. O. in provinciis Picardiae et Campaniae, contra D. Claudium Houart, priorem monasterii de Bonifonte dioecesis Rhemensis, et aliquos eiusdem monasterii religiosos, de sententia seu ordinatione lata 26 aprilis proxime praeteriti a R. D. de Claravalle, qua recepit appellationem dicti Houart de processu contra se facto a dicto Visitatore, eumque iussit recipi et agnosci in priorem in dicto monasterio de Bonofonte, et alia decrevit, prout fusius continetur in dicta ordinatione. Auditis secretario et Promotore ipsius causae, atque etiam dicto D. de Claravalle ; visis et lectis actis totius processus, requirente Promotore Ca-

pituli generalis declarat praesens Capitulum ordinationem de die 26 aprilis nullam et invalidam fuisse et esse, partesque reponi in eo statu in quo erant ante eam ; mandans insuper in eodem monasterio de Bonofonte dictum Houart observare debere suspensionem seu interdictum contra se datum a praefato Visitatore ; et committens eidem D. de Aureavalle, aut eo renuente, Visitatori illius provinciae S. O. quatinus processum terminet usque ad sententiam diffinitivam inclusive, a qua appellari poterit per gradus in Ordine consuetos.

SESSIO DECIMA SEPTIMA

148. Die 21, post missam conventualem, congregato iuxta solitum Diffinitorio, prohibet Capitulum generale, ne pensiones mittantur a superioribus monasteriorum ad scolares suos in collegiis, sed eas mitti mandat ad eorumdem procuratorem seu cellerarium, qui eas cum scolari recipiat. Decernit autem praesens Capitulum generale gravissime puniendos scolares illos, qui penes se pecuniam retinuerint.

149. Committitur a Capitulo generali R. D. de Caduino visitatio, directio et reformatio collegii Tholosani, in plenaria Ordinis potestate, usque ad sequens Capitulum generale.

150. Tum auditores et examinatores computationum retulere ad Capitulum generale computa Syndicorum et cellerarii Cistercii de receptis et expensis ; quae omnia probavit et acceptavit Capitulum generale.

151. Audita violatione privilegiorum nostrorum erga monasterium de Langheimio, multis abhinc gravia passum contra congenitam Ordini nostro libertatem, Capitulum generale inhaerens cap. 2. Dist. II *Antiquarum Diffinitionum* mandat et praecipit proxime celebrando Capitulo Congregationis Superioris Germaniae, ut in eo serio tractent de amovendis pressuris quas patitur hoc monasterium ; et ad hunc effectum, si casus exigat, contributiones imponant et exigi curent prout ibi continetur.

152. R. autem D. de Salem nomine Capituli generalis conveniet Celsiss. Principem D. episcopum Bambergensem, ut praefatum monasterium sinat sua libertate et immunitate gaudere.

153. Tum. R. D. de Stamedio, Procurator generalis in Curia, retulit statum monasteriorum Calabriae et Siciliae, variaque negotia contra Congregationes Castellae et Lusitaniae.

154. Mandat Capitulum generale Procuratori generali in Curia pro tempore existenti, ut incunctanter procuret Congregationes Castellae et Lusitaniae ad Ordinis unitatem redire, prosequendo executionem mandati auditoris Camerae Apostolicae, de servando ab eis interdicto lato ab ultimo Capitulo generali ad puniendam eorum contumaciam.

155. Scribantur litterae ad Emum Cardinalem Ordinis Protectorem, cum ea qua decet reverentia et gratiarum actione, pro indefesso erga Ordinem studio.

156. Plene informatum Capitulum generale de miserendo statu Congregationis Calabriae et Lucaniae, committit Procuratori generali in Curia, ut quamprimum ad omnia et singula illius Congregationis monasteria accedat, ea visitet et reformet in capite et membris ; Praesidem et Patres regiminis, ubi et quoties voluerit, congreget et statuat, quae ad illius seu illorum gubernium in utroque statu expedire iudicaverit.

157. Gratiose remittit Capitulum generale monasterio de Ponte alto 300 libr. turonen. de contributionibus debitis, dommodo solvat intra annum pro termino peremptorio assignatum 396 libras, alias praesens gratia nulla sit. Reducit etiam idem Capitulum taxam annuae contributionis debitas a praefato monasterio ad 12 libras.

158. Decernit Capitulum generale sororem Dargnies, monasterii de Lissaco professam, tenere ordinem debere post sororem de la Garde, eiusdem monasterii professam ; quae licet post illam habitum susceperit, eam tamen per 23 annos sine controversia praecessit, salvo tamen Ordinis statuto de praecedentia illius qui prius in Ordine habitum suscepit.

159. Contributiones hucusque debitae a monasterio de Stella remittuntur, et de annua contributione taxatur ad tres libras.

160. Prohibet Capitulum generale, ne acta seu diffinitiones praesentis et sequentium Capitulorum generalium unquam typis mandentur ; sed earum transumpta authentica manuscripta expensis Ordinis fiant, quae ad R. adm quatuor primos abbates et singulos Vicarios generales seu Visitatores a Rmo D. N. transmittentur, ut ab iis publicentur in singulis monasteriis suarum provinciarum.

161. Adiungit generale Capitulum provinciae Normanniae S. O. monasteria de Savigniaco et de Chalocheio. Item, provinciae Pictaviae monasteria de Bona aqua et de Faezia ; et provinciae Campaniae monasterium de Aureavalle, et monasterium monialium de S. Desiderio.

162. Remittitur ad Vicarium generalem provinciae Ruthenensis supplicatio Antonii Poucher, canonici Nuciacensis, ut sibi refundantur expensae factae pro fr. Nigri monacho Fontis frigidi, dum graviter Nuciaci aegrotaret.

163. Requirente Rmo D. N., participatio suffragiorum Ordinis conceditur Ill. et Rmo D. Francisco de Harlay, archiepiscopo Parisiensi, Duci et Pari Franciae, in qualicumque grati animi munimentum pro tot ac tantis beneficiis, quibus Ordinem universum tam munifice affecit, sibique amantissime devinxit.

164. Idem conceditur in eadem forma, requirente Procuratore ge-

nerali in Curia, Em. ac Rmis S. R. E. Cardinalibus Iacobo Fransono et Caesari d'Estrées.

165. Item, Ioannae Franciscae des Granges uxori Amedei Pannevin, medici Ducis Sabaudiae, ad instantiam vener. abbatissae Bituminis.

166. Nobili Antonio de Ruffi, Regis christianiss. a consiliis, cum uxore et tota familia.

167. Praenobili D. Antonio Sohler consiliario Caesaris, et Electoris Trevirensis cancellario, et coniugi eius, ad instantiam R. D. Hemmenrodensis.

168. Domino Petro Sommers benefactori, ad instantiam priorissae monasterii de Musenis apud Mechliniam.

SESSIO DECIMA OCTAVA

169. Eadem die, pomeridianis horis, congregato de more Diffinitorio, requirente Promotore, instituti sunt Vicarii generales seu Visitatores, Syndici provinciarum et alii publici officiarii Ordinis, videlicet :

170. *Visitatores et syndici provinciarum. In tota Italia et insulis adiacentibus :* Visit. R.D. Ioannes, abbas de Stamedio Procurator generalis in Curia. — *In Polonia, Prussia et Lituania :* Visit. R.D. Ioannes, abbas de Landa, commissarius generalis ; Synd. R.D. Casimirus, abbas de Bledzouvio. — *In Silesia :* Visit. R. D. Bernardus, abbas de Grissovio ; Synd. R. D. Henricus, abbas de Henrichovio. — *In Bohemia, Moravia et Lusacia :* Visit. R. D. Laurentius, abbas de Osseco ; Synd. R. D. Eugenius, abbas Novae cellae. — *In Austria, Styria et Hungaria :* Visit. R. D. Clemens, abbas S. Crucis ; Synd. R. D. Candidus, abbas Montis Pomerii. — *In Carinthia et Carniola :* Visit. R. D. Alanus, abbas de Rhuna. — *In Congreg. Super. Germaniae :* Visit. R. D. Emmanuel, abbas de Salem. *In Suevia :* Visit. R. D. Elias, abbas de Caeserea. — *In Franconia :* Visit. R. D. Albericus, abbas de Ebraco. — *In Helvetia, Alsatia et Brisgoia :* Visit. R. D. Carolus, abbas de S. Urbano. — *In Bavaria :* Visit. R. D. Martinus, abbas de Campo principum. — *In Infer. Germania et Tractu Rheni :* Visit. R. D. Aegidius, abbas de Veteri monte ; Synd. R. D. Robertus, abbas de Hemmenroda. — *In Principatu Leodiensi :* Visit. R. D. Emmanuel, abbas de Alna ; Synd. R. D. Antonius, abbas de S. Remigio. — *In Belgio Gallico :* Visit. R. D. Richardus, abbas de Valcellis ; Synd. D. Michael Gousselaire, confessarius monialium de Marquetta [a]. — *In Congreg. Coronae Arragonum et Navarrae :* Visit. R. D. Benedictus, abbas de Petra ; Synd. D. Felix Gastessi de Attelu, diffinitor dictae Congreg. — *In ducatu Burgundiae :* Visit. D. Franciscus Fraipoux, prior de Fonteneto ; Synd. D. Philibertus, prior de Buxeria Aeduensi. — *In comitatu Burgundiae* : Visit. D. Paulus Chifflet,

---

[a] In Archivo Insulensi, sub signo 27 H 9, nº 135, habetur folium authenticum nominationis huius D. Gousselaire.

prior de Monte S. Mariae ; Synd. D. Edmundus Perrot, confessarius monialium de Battanto. — *In Lotharingia :* Visit. R. D. Ioannes, abbas de Villari Betnach ; Synd. D. Nicolaus Mathieu, prior de Vallibus in Ornesio. — *In Campania :* Visit. D. Gaspard Coquet, prior de Claravalle ; Synd. D. Daniel de la Hupproye, prior de Tribus fontibus.— *In Insula Franciae :* Visit. R. D. Ioannes Edmundus, abbas de Fulcardimonte ; Synd. D. Hugo de la Croix, confessarius monialium S. Antonii Parisiensis. — *In Normannia :* Visit. R. D. Dominicus, abbas de Valle Richerii ; Synd. D. Laurentius Du Montier, prior de Bono portu. — *In Andegavia, Cenomania et Turonia :* Visit. R. D. Iulianus, abbas de Chalocheio ; Synd. D. Emericus de Fourcroy, prior de Pietate Dei. — *In Britannia Minori :* Visit. R. D. Ioseph Melchior, abbas de Precibus ; Synd. D. Ioannes Baptista Moreau, prior de Reliquiis. — *In Pictavia :* Visit. D. Altinus Proust, prior de Oliveto ; Synd. D. Gabriel Girard, prior de Frenada. — *In provincia Burdegalensi :* Visit. D. Bartholomeus La Caze prior de Gimonte ; Synd. D. Philibertus Mouchevaire, prior de Perigniaco. — *In provincia Ruthenensi :* Visit. D. Petrus Henrion,[b] prior de Obazina; Synd. D. Oliverius Guillaume, prior de Sylvanesio. — *In provincia Tholosana :* Visit. R. D. Petrus, abbas de Caduino ; Synd. D. Ioannes Maria Coppin, prior de Ardorello. — *In Provincia :* Visit. D. Blasius Léaulté, prior de Thoroneto ; Synd. D. Ioannes Baptista Domenget, prior de Mansiade. — *In Delphinatu :* Visit. D. Ioachim de la Pierre, rector collegii Avenionensis ; Synd. D. Nicolaus de la Barrière, prior de Feneriis. — *In Alvernia :* Visit. R. D. Franciscus, abbas de S. Sulpitio ; Synd. D. Stephanus Prinstet, prior de Monte petroso. — *In Biturigia et Marchia :* Visit. D. Iacobus Ardelu, prior de Loco regio ; Synd. D. Ludovicus Guillaume, prior de Curia Dei. — *In Picardia :* Visit. D. Claudius Crescent, prior de Bello prato Belvacensi ; Synd. D. Nicolaus de la Mare, prior de Carocampo.

171. *Vicarii generales monasteriorum S. O. — In Insula Franciae, Picardia, Campania et adiacentibus :* R. D. Ludovicus, abbas de Valle clara. — *In Normannia, Britannia Minori et adiacentibus :* R. D. Guillelmus, abbas de Veteri villa. — *In provincia Burdegalensi, Pictaviensi et adiacetibus :* R. D. Petrus, abbas de Columba.

172. Procurator generalis in Curia romana : R. D. Ioannes Antonius, abbas de Stamedio. — Procurator generalis in Gallia : R. D. Ludovicus, abbas de Charitate Lingonensi.

173. Quaerentibus deputatis Congreg. Arragoniae, an priores vacantium monasteriorum sint veri et legitimi superiores ? Capitulum generale respondit affirmative.

174. Quia ad audientiam Capituli generalis ex relatione Procuratoris generalis in Curia, pervenit aliquos abbates Ordinis nostri in regno Poloniae quasdam conventiones iniisse cum Sereniss. Rege, quae libertatem in electionibus abbatum, imo ius eligendi laedunt ; Capitu-

---

[b] Haec duo nomina tantum citantur apud *Ch*².

... ex RR. nostris Coab-
batibus, Congregationum Præsidibus seu Reformatoribus nun-
cupatis, Vicarijs generalibus & Scindicis Prouincialibus, vel à
Procuratore nostro generali in Romanâ Curiâ, aut à Secretario
nostro ordinario subscriptis, & nostro, vel alicuius ex nostris
Coâbbatibus sigillo munitis, eadem fides, quæ ipsarum Origina-
li adhibeatur. DATVM Cistercij sub nostrâ, & nostri secretarij
subscriptionibus, & maioris nostri sigilli appensione, die primâ
mensis Octobris anno Domini millesimo sexcentesimo septua-
gesimo primo. Sic signatum F. Ioannes Abbas Cisterciensis Ge-
neralis. Et infra de mandato præfati Reuerendissimi Domini D.
mei Abbatis Cisterciensis Generalis. F. Gabriel Girard Secre-
tarius.

Locus sigilli.

Concordat cum originali F.
Gabriel Girard Secretarius



Indictio Capituli generalis anni 1672.

lum generale non obstantibus allegatis a R.D. de Bledzouvio approbare non valens huiusmodi conventiones, Procuratori generali in Curia mandat et praecipit, quatinus procuret a Sede Apostolica Ordinem in suo iure manuteneri.

175. Committitur Vicario S. O. in Insula Franciae ut examinet an conventus de Barbello possit satisfacere anniversariis, ad quae tenetur, et quae ad modicum redditum devenire, et circa eorum diminutionem statuat quod aequum iudicaverit.

176. Petitio eiusdem conventus, ut sibi restituatur a vener. abbatissa et conventu B. M. in Bosco Parisiis, quod defunctus D. Denison ipsis dedit pro fundatione unius anniversarii in earum monasterio; remittitur ad Vicarium generalem Comm. Observ. in Insula Franciae et provisorem collegii Parisiensis.

177. E diffinitione Capituli de anno 1683 de recipiendis novitiis quae incipit: *Ad querelam R. D. de Caduino, (n° 50)* deleantur haec verba: Declarat autem, et cetera quae sequuntur in ea diffinitione.

178. Statuit Capitulum generale, nullas de cetero cuiusvis protestationes seu declarationes circa res, quae in Capitulis generalibus diffinientur, actis illorum inseri debere, salvo tamen iure uniuscuiusque et etiam subscribentium actis Capitulorum generalium.

179. Monasteria Visitatorum, quae sunt in provinciis quarum sunt Visitatores, visitabuntur singulis annis a suis patribus immediatis, vel eorum commissariis.

SESSIO DECIMA NONA

180. Die 22, pomeridianis horis, congregato Diffinitorio, incepta fuit lectio actorum praesentis Capituli generalis.

181. Quia aliqui ex supra nominatis ad *Ritualis* examen deputatis, huic officio apud Cistercium vacare non poterunt, Capitulum generale illis adiungit R. D. de Stamedio et de Charitate, necnon priorem Fonteneti et suppriorem Cistercii.

SESSIO VIGESIMA

182. Die 23, post missam in pontificalibus celebratam a R. D. de Marciliaco, congregato Diffinitorio, continuata fuit lectio actorum praesentis Capituli.

SESSIO VIGESIMA PRIMA

183. Eadem die, pomeridianis horis, congregato de more Diffinitorio, approbata fuere acta praesentis Capituli generalis et subsignata

a Rmo D. N. et ceteris R. D. Diffinitoribus, excepto R. D. de Parisio qui nudiustertius ob infirmitatem cum licentia a Cistercio discessit [c].

184. Sic signatum fr. Ioannes abbas generalis Cisterciensis, fr. Claudius abb. Firmitatis, fr. Iacobus abb. Pontigniaci, fr. Petrus Bouchu abb. Claraevallis, fr. Benedictus abb. Morimundi, patres abbates de Caduino, de Fulcardimonte, de Valcellis, de Hemmenroda, de S. Sulpitio, de Salem, de Valle clara, de Villeribus Betnach, de Porta coeli, de Valle Richerii, de Columba, de Laude, de Alta sylva, de Alna, de Petris, de Precibus, de S. Urbano, de Bledzouvio, de Charitate, de Chalocheio et de Veteri villa.

1687

A) INDICTIO CAPITULI INTERMEDII

Ordinis Cisterciensis apud Divionem celebrandi, die decima octobris 1687, iuxta *Breve* f. r. Alexandri PP. VII.

Nos, frater Ioannes Petit, abbas Cistercii, christianissimi Regis in supremo Burgundiae senatu primus consiliarius, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungentes, omnibus et singulis nobis in Christo charissimis confratribus Reverendis admodum quatuor primis abbatibus, Praesidibus Congregationum, Visitatoribus provinciarum, Procuratoribus generalibus et Syndicis provinciarum utriusque Observantiae totius Ordinis nostri, Salutem in Domino sempiternam.

Quia iuxta *Breve* f. r. Alexandri PP. VII, ob multa quae in dies emergunt negotia, quae matura deliberatione indigent, certa lege statutum est ut quolibet tempore intermedio inter duo Capitula generalia conveniamus, ad ea quae Ordinem nostrum spectant pertractanda. Ideo cum iamiam instet tempus illud ab ultimo nostro generali Capitulo vobis omnibus et singulis suademus, et etiam mandamus, quatinus si negotia magni momenti, quae celebrationem usque Capituli nostri generalis proxime futuri, differri non possint, proponenda et tractanda habeatis, ad Capitulum intermedium nostrum die decima et sequentibus mensis octobris praesen-

---

[c] T^5 *addit tabulam sub titulo* : Abbates Capituli stabunt in choro ordine sequenti ... numero 38. — Clm^3 *haec habet* : fr. Renatus Dubois, not. Cap. gen. fr. Philippus Le Juge, not. Cap. gen. Concordat cum authentico Cistercio transmisso. Ita testor manu et sigillo meo. Fr. Emmanuel, abbas in Salem, Sup. Germ. vicarius gen.

1687. *Fontes:* INDICTIO legitur in folio typis impresso apud T^5. — $A^3L^8T^5$: 1-15.

tis anni apud Divionem [a] celebrandum, accedatis ipsi, vel mittatis, nos de statu Congregationum vestrarum certiores facturi. Cum autem praesens originale ad singulos deferri nequit, volumus ut eius transumptis ab aliquo ex officiariis generalis ultimi Capituli nostri generalis, vel a secretario nostro subscriptis, eadem fides quae ei adhibeatur.

Datum Cistercii sub nostro et secretarii nostri signo manuali et maioris nostri sigilli appositione die vigesima quinta martii anno Domini 1687.

Sic signatum : Frater Ioannes abbas Cistercii, generalis totius Ordinis Cisterciensis. — *Et infra :* de mandato praefati Rmi D. mei abbatis generalis F. Renatus Dubois secretarius, et sigillatum maiori sigillo eiusdem Rmi. D.

— *Concordat cum originali.* P. Renatus Dubois secretarius qui et supra.

* * *

Acta [b] Capituli intermedii in aedibus cisterciensibus Divione celebrati anno Domini 1687, die 10 et sequentibus mensis octobris.

SESSIO PRIMA

1. Die 10 octobris, hora octava matutina, missam de Spiritu Sancto in capella aedium Cisterciensium Divione celebravit Rmus D. N. Et statim congregatis in aula maiori earumdem R. adm de Firmitate, de Claravalle et de Morimundo, R. D. de Stamedio Procuratore generali in Curia romana, R. D. de Charitate Procuratore generali in Gallia monasteriorum abbatibus, venerabilibusque D. Daniele De la Huproye, s. th. d., D. Philiberto Donet [c], D. Stephano Prinstet, D. Nicolao Mathieu, D. Hugone De la Croix provinciarum Campaniae, Burgundiae, Alverniae, Lotharingiae et Insulae Franciae respective Syndicis, distisque hymno *Veni Creator*, versibus et oratione, concionem habuit Rmus D. N. Tum eius iussu lectus est articulus 12 *Brevis* Alexandri PP. VII, de Capitulo intermedio, qui incipit: Et quia. Et ab ipso officiales ordinati sunt, scilicet : D. Daniel De la Huproye Promotor, D. Stephanus Prinstet et D. Nicolaus Mathieu Notarii Capituli, D. Renatus Dubois, s. th. d., et D. Philippus Lejuge secretarii Rmi D. N.

2. Deinde excusationem absentiae R. adm D. de Pontigniaco a Promotore publice lectam admisit Capitulum.

3. Pro parte R. D. de Columba, monasteriorum S. O. in provincia Pictaviensi Vicarii generalis, praesenti Capitulo supplicatum est, quatinus habita ratione tenuis proventus monasterii sui et refunderentur expensae quas exsolvit in negotio contra fr. Ambrosium LeMaignan in executionem decreti ultimo praeteriti Capituli generalis. Statutumque est ut dictus R. D. de Columba certus de refusione dictarum expensarum reddatur, Procuratoremque generalem doceat de hucusque actis et forsan agendis in dicto negotio.

---

[a] *add. in marg.* : in aedibus nostris parvi Cistercii. [b] *Titulus apud* T^5.
[c] Philib. Donet. : *omiss. in* A^3.

4. Quia in quibusdam monasteriis tam virorum quam monialium utriusque Observantiae denegata est sub variis praetextibus contributionum solutio, decrevit praesens Capitulum, standum esse diffinitionibus Capitulorum generalium super hoc factis, et iterato Syndicis omnibus iniungit, ut eam prosequantur iuxta taxam in Capitulo generali anni 1683 renovatam, per omnes iuris et iustitiae vias, in omnibus monasteriis cuiuscumque Observantiae.

SESSIO SECUNDA

5. Eadem die, pomeridianis horis, congregato ut prius Capitulo. — Cum exposuerit R. D. de Charitate, Procurator generalis in Gallia, quod vi decretorum Capituli generalis de annis 1683 et 1686, quibus ordinatum fuerat, ut ad debitum finem perduceret controversiam inter Capitulum generale ex una parte, et ex altera R. adm R. abbatem Claravallensem, praetendentem suo monasterio deberi 300 libras turonen. annui redditus a dicto Capitulo generali, eamque pace vel iudicio procuraret terminandam. Dictus Procurator generalis contradictorium arrestum a consilio magno Regis obtinuit, quo inter alia statuitur solvenda esse dicto R. adm D. Claravallensi arreragia posseque summam principalem ei refundi ratione duodeni denarii. Supplicans dictus Procurator, quatinus eiusmodi refusioni et expensis occasione huius arresti a se factis et exsolutis provideatur, praesens Capitulum aestimans solutionem tam summae principalis quam arreragiorum, si quae sint, fore Ordini eo utiliorem quo citius fiet, mandat Syndicis, ut contributiones exactas et usque ad proximum generale Capitulum exigendas a monasteriis suarum provinciarum quamprimum dicto Procuratori generali absque ullis sumptibus, si fieri potest, Parisios mittant eo fine, ut tum dictorum arreragiorum et summae principalis dicti redditus, tum etiam dictarum expensarum fiat refusio usque ad integram solutionem. Quae contributiones, si ad manus dicti Procuratoris generalis tempore competenti non pervenerint, concessit et concedit praesens Capitulum facultatem mutuo accipiendi pecuniam huic supplendo defectui necessariam usque ad summam trium millium sex centarum librarum, per contractum constitutionis vel aliter, et ad hunc effectum omnia instrumenta requisita et necessaria faciendi, cum potestate contributiones aliaque bona ad Ordinem pertinentia obligandi, de quibus proxime futuro generali Capitulo reddet rationem. Quoad vero computa, quae dictus adm R. D. de Claravalle eiusque conventus iuxta dictum arrestum Procuratori praefato reddere tenentur, Capitulum huic dat plenum posse, si sic expedire iudicaverit, cum dictis de Claravalle amicabiliter componendis transigendi et eligendi unum aut plures amicabiles compositores pro terminandis horum computorum difficultatibus. Insuper iniungit, ut cellerarii sive alii officiales monasteriorum, quibus dicti Claravallenses praedictas contributiones percipere solebant, Syndicis provincialibus sine mora tradant quittantias vel computorum extracta, quae solutionem contributionum ab anno 1623 inclusive spectant dicto Procuratori generali transmittenda.

6. Viso decreto ultimi Capituli generalis, quo mandatur ut R. D. abbates de Bello loco et de Valle dulci ad instantiam Syndicorum coram Rmo D. N. apud Cistercium se sisterent, qui, iis auditis, si rei invenientur, poenas contra remanentes a Capitulo generali statutas eos incurrisse declararet; visa etiam imprimis citatione dicto abbati de Bello loco facta die 19 iulii praesentis anni, necnon libello supplici dicti abbatis de Valle dulci Capitulo praesenti oblato, quo se excusat; et citatione ipsi intimata die 8 augusti eiusdem anni; praesens Capitulum declarans dicti abbatis de Valle dulci excusationem nullam, statuit ut iuxta dictum decretum Capituli generalis dictus abbas de Valle dulci apud Cistercium coram Rmo D. N. compareat [d], attenta sua submissione benigne excipiendus. Et quoad abbatem de Bello becco nisi intra mensem ianuarium proxime futurum, utpote terminum citationis factae comparuerit, denuo vi praesentis decreti infra duos alios menses pro termino peremptorio apud Cistercium citabitur, iuxta decretum Capituli generalis a Rmo D. N. iudicandus. Si vero non comparuerit, poenas contra remanentes a Capitulo statutas incurrisse declarabitur, ut nunc prout ex tunc incurrisse declarat praesens Capitulum, executionem praesentis decreti Syndicis respective iniungendo.

7. Referente Promotore quod fr. Iacobus [e] Ribera monasterii Sanctarum Crucium in Catalaunia monachus, ab abbate et conventu suo ad recuperandum prioratum de Leula deputatus speciali procuratione de die ultima decembris anni 1680, trecentas libras cuidam civi Parisiensi nomine Brunet promisso obligatorio de die 23 martii 1681, coram notariis publicis recepto, debitas solvere negligat; praesens Capitulum statuit, ut hac de re ad Vicarium generale Coronae Arragonum et Navarrae, et abbatem SS. Crucium scribatur, quatinus dictam summam quamprimum persolvi curent pro bono nomine Ordinis et Congregationis.

SESSIO TERTIA

8. Die 11, post missam a Rmo D. N. hora octava matutina celebratam, congregato, ut solitum est, Capitulo, cui adfuit vener. D. Paulus Chifflet, prior monasterii de Monte S. Mariae, in comitatu Burgundiae Vicarius generalis.

9. Super propositione facta a Rmo D. N. de modo exsequendi decreta Capitulorum generalium de annis 1667, 1683 et 1686 circa compilationem statutorum, iniungitur personis ad hoc deputatis, ut quamprimum omni cessante impedimento, infra diem Purificationis proxime futurum, Parisius conveniant huic negotio operam daturi; et eis sicut aliis hospitibus alimenta, dum huic operi vacabunt, a procuratore collegii S. Bernardi Parisiensis ministrabuntur ab Ordine, ut videbitur, posthac refundenda.

10. Quoniam in ultimo Capitulo generali unum punctum de designandis novitiorum magistris pro qualibet provincia remissum fuit ad Rmum D. N. et R. quatuor primos abbates, praesens Capitulum magistros novitiorum

---

[d] *L^8 omittit hic unam lineam.* [e] Josephus : *T^5*.

nominavit in monasterio Bonaevallis pro provincia Ruthenensi D. Ludovicum Degua [f]; in monasterio Grandis sylvae pro provincia Tholosana D. Amatum Minard [g] eiusdem priorem.

11. Deinde substituti sunt loco officialium a tempore ultimi Capituli defunctorum. *In inferiori Germania et Tractu Rheni :* Vicar. gener. R. D. de Hemmenrode ; Synd. R. D. de Campo Mariae. — *In provincia Pictaviensi :* Synd. D. Ioannes Perron prior de Castellariis. — Vicario *Campaniae* nullus est suffectus, sed istius provinciae monasteriorum visitatio fuit remissa R. adm D. de Claravalle usque ad proximum generale Capitulum.

SESSIO QUARTA

12. Eadem die, pomeridianis horis, congregato, ut prius, Capitulo, post tractata pleraque negotia, retulit D. Paulus Chifflet in comitatu Burgundiae Vicarius generalis, statum monasteriorum provinciae suae.

SESSIO QUINTA

13. Die 12, horis pomeridianis, congregato, ut prius, Capitulo, resumpsit supradictus Vicarius in comitatu Burgundiae relationem suam et ad ipsius petitionem utrum posset delegare, maxime cum propter varia, quae in dies emergunt, negotia, non posset semper cum opus videtur esse ad monasteria suae provinicae valde distantia transferre. Respondit Capitulum negative

14. Cum ad audientiam Capituli pervenerit pluraque monasteria, praesertim in comitatu Burgundiae, non gaudere partitione canonica in bonis stabilibus seu mensa separata, quae fieri debet inter abbates commendatarios et conventus regulares; et a longo tempore vix ullas a dictis monasteriis solutas fuisse contributiones ; et si bullis Summorum Pontificum, ordinationibus regum christianiss. arrestis supremarum totius regni Galliae curiarum et Ordinis constitutionibus fuerit hoc multoties sancitum. Providere cupiens praesens Capitulum, R. adm D. de Morimundo commisit, ut quamprimum amplissimos dominos Protopraesidem et Procuratorem generalem supremi Parlamenti comitatus Burgundiae conveniat, et omnibus modis tum dictam partitionem seu mensam separatam quam contributionum solutionem fieri procuret ; volens ut ipsis hac de re nomine Capituli scribatur. Sin minus, per Ordinis officiales ad consilium magnum Regis habeatur recursus. — Absens autem erat ab hac 5 sessione R. D. de Stamedio.

15. Denique facta fuit lectio actorum praesentis Capituli intermedii, quae de more approbata fuere et subsignata a Rmo D. N. ceterisque supra nominatis [h]. Sic signatum. fr. Ioannes abbas generalis Cisterciensis, fr. Claudius Firmitatis abbas, fr. Bouchu abbas Claraevallis, fr. Benedictus abbas Morimundi, fr. S. Prinstet notarius Capituli, fr. N. Mathieu not. Cap.

---

[f] Ludov. Gua : T^5. [g] Ad. Ninard : L^8. [h] *Hic desin.* L^8T^5.

1697

A) INDICTIO CAPITULI INTERMEDII ANNI 1697

Nos, frater Nicolaus Larcher, abbas Cistercii, in sacra Facultate Parisiensi doctor theologus, christianissimi Regis in supremo Burgundiae senatu primus consiliarius natus, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungentes, omnibus et singulis nobis et in Christo charissimis confratribus Reverendis adm quatuor primis abbatibus, Praesidibus Congregationum, Visitatoribus provinciarum, Procuratoribus generalibus et Syndicis provinciarum utriusque Observantiae totius Ordinis nostri, salutem in Domino sempiternam.

Cum iuxta *Breve* f. r. Alexandri PP. VII statutum sit, ut quolibet tempore intermedio inter duo Capitula generalia conveniamus; et cum a decem annis ob bella et temporum nequitiam, nullum sit celebratum Capitulum generale, sed unicum intermedium. Ideo ob multa quae in dies emergunt negotia, quae matura deliberatione indigent, et ne monasteria per defectum comitiorum ulla in temporalibus et spiritualibus patiantur detrimenta, vobis omnibus suademus, et etiam mandamus, quatinus si negotia maximi momenti, quae celebrationem usque Capituli nostri generalis proxime futuri differri non possint, proponenda et tractanda habeatis, ad Capitulum nostrum intermedium die undecima septembris praesentis anni in aedibus nostris parvi Cistercii apud Divionem celebrandum, accedatis ipsi, vel mittatis, nos de statu Congregationum vestrarum certiores facturi. Cum autem praesens originale ad singulos deferri nequeat, volumus ut eius transumptis ab aliquo ex officiariis generalis ultimi Capituli, vel a secretario nostro subscriptis, eadem fides adhibeatur, quae ei adhiberetur. — Datum Cistercii sub nostro, secretariique nostri signo manuali, et maioris nostri sigilli appositione, die vigesima martii anno Domini 1697. — *Sic signatum.* Fr. Nicolaus abbas generalis Cisterciensis. *Et inferius :* fr. Petrus Henriot secretarius. — *Concordat cum originali.* fr. Petrus Henriot secretarius.

* * *

Acta [a] capituli seu conventus intermedii apud cistercium celebrati, mense septembris anni 1697.

SESSIO PRIMA

1. Die 12 mensis septembris, horis matutinis, post celebrationem

---

1697. *Fontes.* INDICTIO apud Ch^2. — $A^3L^8T^5$: 1-14.

[a] *Titulus apud* A^3.

1697

A) INDICTIO CAPITULI INTERMEDII ANNI 1697

Nos, frater Nicolaus Larcher, abbas Cistercii, in sacra Facultate Parisiensi doctor theologus, christianissimi Regis in supremo Burgundiae senatu primus consiliarius natus, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungentes, omnibus et singulis nobis et in Christo charissimis confratribus Reverendis adm quatuor primis abbatibus, Praesidibus Congregationum, Visitatoribus provinciarum, Procuratoribus generalibus et Syndicis provinciarum utriusque Observantiae totius Ordinis nostri, salutem in Domino sempiternam.

Cum iuxta *Breve* f. r. Alexandri PP. VII statutum sit, ut quolibet tempore intermedio inter duo Capitula generalia conveniamus; et cum a decem annis ob bella et temporum nequitiam, nullum sit celebratum Capitulum generale, sed unicum intermedium. Ideo ob multa quae in dies emergunt negotia, quae matura deliberatione indigent, et ne monasteria per defectum comitiorum ulla in temporalibus et spiritualibus patiantur detrimenta, vobis omnibus suademus, et etiam mandamus, quatinus si negotia maximi momenti, quae celebrationem usque Capituli nostri generalis proxime futuri differri non possint, proponenda et tractanda habeatis, ad Capitulum nostrum intermedium die undecima septembris praesentis anni in aedibus nostris parvi Cistercii apud Divionem celebrandum, accedatis ipsi, vel mittatis, nos de statu Congregationum vestrarum certiores facturi. Cum autem praesens originale ad singulos deferri nequeat, volumus ut eius transumptis ab aliquo ex officiariis generalis ultimi Capituli, vel a secretario nostro subscriptis, eadem fides adhibeatur, quae ei adhiberetur. — Datum Cistercii sub nostro, secretariique nostri signo manuali, et maioris nostri sigilli appositione, die vigesima martii anno Domini 1697. — *Sic signatum.* Fr. Nicolaus abbas generalis Cisterciensis. *Et inferius :* fr. Petrus Henriot secretarius. — *Concordat cum originali.* fr. Petrus Henriot secretarius.

* * *

Acta [a] capituli seu conventus intermedii apud cistercium celebrati, mense septembris anni 1697.

SESSIO PRIMA

1. Die 12 mensis septembris, horis matutinis, post celebrationem

1697. *Fontes.* Indictio apud Ch^2. — $A^3L^8T^5$: 1-14.
[a] *Titulus apud* A^3.

privatae missae de Spiritu Sancto a Rmo D. N., convenerunt in Diffinitorium dictus Rmus D. N. cum R. adm D. quatuor primariis abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, una cum R. D. abbatibus de Claromarisco, de S. Sulpitio Vicario generali Delphinatus, de Valle dulci Visitatore generali comitatus Burgundiae, de Precibus Vicario generali Britanniae minoris, de Gratia Dei et de Ponte frigido Vicario generali in Lotharingia, necnon cum vener. Visitatoribus generalibus provinciarum D. Nicolao De la Barrière, Alverniae ; D. Hieronymo Guillaume, Burdigalae ; D. Petro Henriot, Rutheniae ; et Rmi D. N. secretario, et cum Syndicis generalibus provinciarum D. Daniele De la Huproye d. th. Parisien., Campaniae ; D. Thoma Gambert, Britanniae minoris ; D. Carolo David, Alverniae ; D. Philiberto Mouchevaire, Burdigalae ; D. Edmundo Perrot, comitatus Burgundiae ; D. Petro Lescrivain, ducatus Burgundiae ; D. Ioanne Colombet, Pictaviae. Dictisque hymno *Veni Creator*, versu et oratione, habitaque concione a dicto Rmo D. N., idem subiunxit quod cum praesens Capitulum se conventu indixisset in aedibus Cistercii Divionensibus, iuxta patentes suae *Indictionis* litteras de die 21 martii dicti anni, nihilominus cum dicti quatuor R. adm D. primarii abbates dictum Rmum D. N. supplicaverint, et ab eo instanter petierint ut praedictum Capitulum apud Cistercium teneretur propter rationes a R. adm D. abbates de Pontigniaco et R. D. abbate de S. Sulpitio tribus aliis R. adm D. primariis abbatibus ad ipsum deputatis suggestas et allatas, eorumdem precibus annuisse pro hac vice, et ob id in Cistercium dictum conventum celebrandum transtulisse, proinde negotia pro quibus esset indictus et iam coactus, tractanda, examinanda et terminanda esse. Tum iussit ut legeretur articulus *Brevis* Alexandri PP. VII, qui incipit : *Et quia*. — Et consequenter ab ipso Rmo D. N. ordinati sunt officiales praesentis Capituli intermedii, videlicet : dictus D. Edmundus Perrot in Promotorem, et D. Daniel De la Huproye et Thomas Gambert in notarios.

2. Tum idem Promotor requisivit ut deliberaretur circa tempus, modum et formam tenendi dictum Capitulum seu conventum intermedium, simul et circumstantias ad hoc ipsum pertinentes, quod illud omnes praesens Capitulum ad proximum Capitulum generale remisit et remittit statuendum.

3. Pro parte abbatis de Columba S. O. monasteriorum Pictaviensis provinciae Vicarii generalis, praesenti Capitulo humiliter fuit supplicatum quatinus ei refunderentur expensae, quas fecit in negotio et lite, qua cecidit contra fr. Ambrosium Le Maignan, monachum de Pinu,in executionem decreti ultimi generalis Capituli. Cui annuens praesens Capitulum mandat Syndico generali dictae provinciae, ut eidem abbati refundat ducentas libras turonen. de contributionibus eiusdem provinciae.

4. Audito obitu R. D. abbatis de Charmeia, cui una cum R. D. abbate de Charitate per ultimum Capitulum generale commissum fuerat, ut conficeretur compilatio constitutionum Ordinis nostri, illud negotium soli dicto abbati de Charitate perficiendum commisit, iuxta tenorem decreti dicti ultimi Capituli generalis.

5. Requirente Promotore, ut de persona idonea provideretur, quae

examinet et revideat *Rituale* Ordinis nostri, iam a multis annis impressum, illudque corrigat, et ad talem finem adducat iuxta dicti Ordinis leges et usus, ut ab omnibus monasteriis uniformiter possit observari. Dictum Capitulum ad hoc ipsum conficiendum nominavit et elegit vener. D. Edmundum Perrot confessarium monialium de Battanto ; ad quem mittentur annotationes a singulis Ordinis nostri personis faciendae ad dictum *Rituale* per Vicarios generales et alias Ordinis personas, ut dictus confessarius proximo Capitulo generali repraesentet dictas annotationes, ipsiusque proprias correctiones examinandas, approbandas vel improbandas.

6. Promotore eodem requirente, ut de altera persona etiam provideretur quae conficiat debitam compilationem privilegiorum Ordinis, et arrestorum in supremis curiis Galliae in favorem dicti Ordinis et dictorum privilegiorum robur obtentorum ; eaque in unum redigat, typis postea mandanda. Praesens Capitulum ipsum utile et necessarium iudicans, praedicto D. abbati de Charitate hanc faciendam commisit compilationem ; et ut ad debitum finem quamprimum adducatur, teneantur singula monasteria omnia arresta dictorum privilegiorum confirmativa, quae in dictis supremis curiis obtinuerint ad eum dirigere.

7. Super querimonia quorumdam abbatum et Promotoris, quod in certis quibusdam monasteriis multi abusus committerentur contra votum paupertatis ; et praesertim quod certa quaedam pecuniae summa pro uniuscuiusque monachi vestimentis determinaretur et daretur. Itemque certae pensiones quorumdam monachorum et monialium, quas a parentibus et aliis per manus suas immediate recipiunt, et de quibus, insciis superioribus, disponunt, in suae animae periculum et evidens damnum. Prohibuit dictum praesens Capitulum, ne deinceps talia fiant in quocumque monasterio, sed super hoc observentur statuta Capitulorum generalium et detur unicuique in specie quidquid ei necessarium fuerit in vestimentis, et non aliter.

SESSIO SECUNDA

8. Horis pomeridianis, in eodem Diffinitorio convenerunt omnes dicti abbates, Visitatores et Syndici, et conquerente Promotore quod per priores mittuntur monachi ad alia monasteria contra formam et Ordinis statuta ; declaravit praesens Capitulum illud fieri non debere, nisi praevio consensu patris immediati aut Visitatoris. Qui Visitator tenebitur ante aut saltem post translationem monere patrem immediatum de necessitate translationis.

9. Ad relationem R. D. abbatis de Precibus, praesens Capitulum auditis contentionibus, quae intercedunt inter religiosos et conventum de Villa nova, et D. Franciscum Trublet eiusdem monasterii religiosum professum in s. th. licent. antehac priorem titularem seu conventualem S. Lazari prope Firmitatem Milonis, circa praecedentiam et sessionem dicti D. Trublet, illud negotium remisit ad proximum Capitulum generale diffinitive terminandum, statuitque interim ut quidquid super hos ordinatum fuit a Rmo D. N. firmum sit et stabile.

10. Mandat praedictum Capitulum ut scribatur Sereniss. Regi Poloniae et Eminent. Cardinalibus de Bullione, Franconi, Spada, Paustiaci et Albani, et dominis Dastzi et Nuptzy, ut benigna sua protectione Ordinem nostrum favere et tueri dignentur.

11. Relatum est praesenti Capitulo, plerosque abbates Praesides Congregationum, Vicarios generales, Procuratores et Syndicos in regnis Poloniae, Hispaniae, Germaniae et Italiae renuere solutionem contributionum annuatim debitarum pro sustinendis totius Ordinis communibus negotiis ; praesens Capitulum inhaerendo decretis Capitulorum generalium mandat omnibus et singulis abbatibus et abbatissis, aliisque supradictis, ut quantocius solvant dictas contributiones earumque arreragia sine cambio Procuratori generali in Curia, sub censuris et poenis in Ordine consuetis.

12. Vicariatui generali Insulae Franciae vacante per obitum D. abbatis de Fulcardimonte, praesens Capitulum instanter et enixe rogavit dictum Rmum D. N. ut per se vel suos commissarios dignetur visitare omnia et singula monasteria dictae provinciae, usque ad proximum generale Capitulum.

13. Die 13, celebrata missa a R. adm D. de Firmitate, et congregato, ut prius, Capitulo, ad requisitionem Promotoris substituti sunt loco officialium a tempore ultimi Capituli intermedii vel conventus defunctorum, et alii nominati, videlicet: *In provincia Occitaniae :* Vicar. gener. D. Hieronimus Guillaume, prior de Sylvanesio ; Synd. D. Campagne prior de Bolbona, s. th. d. — *In provincia Burdegalensi :* Vicar. D. Guillelmus Bouhier, s. th. d. prior de Obasina ; Synd. Aiguevert prior de Perigniaco. — *In provincia Lotharingiae :* Synd. D. Ioannes Vivien prior de Morimundo. — *In Insula Franciae :* Synd. D. Ioann. Baptista Moreau prior de Eleemosina. — *In provincia Andegavensi* : Synd. D. Philippus Lejuge prior de Pietate.

14. Denique facta fuit lectio actorum praesentis Capituli intermedii, quae de more approbata fuere, et subsignata a Rmo D. N. ceterisque supra nominatis, videlicet R. adm quatuor primariis abbatibus [b]. — *Sic signatum* fr. Nicolaus abbas generalis Cisterciensis, fr. Claudius abbas de Firmitate, fr. Orontius abbas Pontigniaci, fr. Petrus Bouchu abbas Claraevallis, et fr. Benedictus abbas Morimundi.

---

[b] *Hic desin.* L^8T^5.

1699

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS
sacri ordinis cisterciensis anno Domini M. DC. XCIX, die XVIII maii et sequentibus apud Cistercium celebrandi.

Nos, frater Nicolaus Larcher, abbas Cistercii, in sacra Facultate Parisiensi doctor theologus, *etc. ut in formula consueta.*

Siquidem ex quo clementissimo Deo, qui cum irascitur, suae misericordiae non obliviscitur, pacem terris quam peccata hominum sustulerant, reddere placitum est, omnia quae bello collapsa erant instaurari iam videantur ; cum arva nuper desolata florescere incipiant, dirutae urbes exurgere, iustitia neglecta coli ac dominari ; mirum esse non debet si et religio, bellorum tempestatibus non parum afflicta nec parum deformata, pace tandem recreata pristinas vires primaevamque speciem induere gestiat, si dispersos fideles colligere, polluta templa repurgare, monasteria vastata viduataque reficere satagat, si aris ipsique numini ablatum honorem restitui districtius iubeat. Cum igitur et huius pars officii maxime nos tangat, nec dissimulare possimus bellorum iniuria discordiisque publicis, Ordinis nostri Cisterciensis turbatam quadamtenus fuisse concordiam, deque illius primaeva sanctimonia nonnihil esse delibatum ; quod iam suadet rerumque necessitas postulat, id facere visum est nobis ; indicendum nempe duximus Ordinis nostri Capitulum generale, in quo communi consilio blandientes novitates si quae invectae sint, ablegentur, pravae consuetudines inolitae, excindantur, nubilaque, si quibus infuscatur Ordinis nostri dignitas, procul depellantur. Quae quidem si cum Dei timore, fraternaque, ut par est, charitate tentaverimus, sperare licet a Patre luminum fore ut ipse conatibus aspiret nostris, atque inde Ordo noster Cisterciensis quantus quantus est et sanctior appareat et splendidior ; eapropter Capituli nostri generalis celebrationem apud archicoenobium nostrum Cisterciense totius Ordinis caput, in ducatu Burgundiae et Cabilonensi dioecesi, anno Domini proximo futuro millesimo sexcentesimo nonagesimo nono, die decima octava mensis maii, feria scilicet secunda post dominicam quartam

---

1699. *Fontes* : INDICTIO legitur in foliis typis impressis. — $A^3Ch^2D^5L^8$: 1-184 ; *Boll Sa* : 1-185 ; iterum D^5 in aliis foliis : 9-15, 18, 23, 25^b, 32, 33, 44, 49^b, 50, 53, 63, 71, 72, 75, 76, 78, 79, 81, 86, 88, 91, 93^b, 109, 110, 128, 136, 149, 164, 165, 175-179 ; *Clm*[3] *Na Pr* T^5 *Va We* : 14, 18, 19, 23, 25^b, 26, 32, 33, 38, 39, 48, 49^b, 50, 51, 53, 54, 63, 68, 71, 72, 78-81, 86, 88, 91, 92, 94, 109, 110, 127, 128, 138, 140, 149, 153, 175-179, 182, 183, 145^b; insuper 8-13 leguntur apud *Clm*[3] D^5 *Pr We* ; 69, 75, 76, 164, 165 apud *Clm*[3] *Na Pr* T^5 ; 24, 93 apud *Clm*[3] *Na Pr*. T^8 : 2, 3, 4^a, 7, 14, 15^a, 20^a, 21, 25, 30^a, 33, 34, 38, 47^a, 49, 52^a, 54^a, 60^a, 71, 72^a, 86, 130^a, 151^a, 163^a, 184^a, 185^a.

Pascha immediate sequentem, in qua *Cantate* ad introitum missae dici consuevit, vobis omnibus indicendam esse duximus, prout praesentium serie, nostra paterna auctoritate indicimus, ibique dictum Capitulum generale celebrandum convocamus, statuimus ac decernimus. Quo in Capitulo de agendis et reformandis in timore Dei, iuxta regularia Ordinis instituta et constitutiones Apostolicas, ac de aliis multiplicibus et arduis negotiis quae non nisi omnium nostrum consensu, mutua sollicitudine et auctoritate dirimi ac terminari possunt, vobiscum agere, Deo bene iuvante, et tractare intendimus. Ne tamen huic tam sancto operi absolvendo et perficiendo deesse velitis, vos paterno affectu rogamus et hortamur, et nihilominus vobis et cuilibet vestrum districte praecipiendo mandamus in virtute salutaris obedientiae, necnon sub poenis in constitutione Benedicti PP. XII, aliisque arbitrio nostro et Capitulo nostro generali infligendis, quatinus canonico seu legitimo cessante impedimento (de quo per nuntium, sicut etiam de statu monasteriorum vestrae curae commissorum certiores nos faciatis) ad Capitulum generale intra praedictam diem ibi celebrandum conveniatis, ut ea ipsa die mane primam nostram sessionem habere valeamus.

Ne ulla vero ignorantiae ... *etc.* Iniungimus insuper ... *etc.* Prohibemus vero... *etc.* Et quoniam praesentium originale... *etc.*

Datum Parisiis in nostro S. Bernardi collegio sub nostra subscriptione, maioris sigilli appensione, et nostri secretarii ordinarii chirographo, die prima iulii, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo. Sic signatum. F. Nicolaus abbas generalis Cisterciensis. Et infra : de mandato Rmi D. D. abbatis Cisterciensis generalis. f. Petrus Henriot secretarius; et sigillatum maiori sigillo eiusdem Rmi D. N.

ACTA CAPITULI GENERALIS

apud Cistercium celebrati anno domini 1699, die 18 maii et sequentibus.

SESSIO PRIMA

1. Quies cientibus bellis ob quorum motus celebrationes Capitulorum generalium quiescere quoque ab anno 1686 debuerunt, iam vero anno 1699 affulgente pace, Rmus D. N. Capitulum generale indixit pro 18 maii et sequentibus celebrandum. Cuius paternis iussibus obtemperantes RR. DD. abbates praefata 18 maii numerose ad dictum Capitulum comparuerunt. Igitur anno et die praefixis, horis matutinis ad ecclesiae chorum Rmus D. N., adm RR. quatuor primi abbates, aliique ad Capitulum praesens pertinentes convenerunt. Qui omnes in Spiritu, intrantes in templum Domini, sacrum de Spiritu Sancto pontificante R. D. abbate de Hemmenroda, fervidis affectibus et devotione singulari, pleno choro, resonante organo, celebrarunt. Finito sacro, ingressi Capitulum hymnum *Veni Creator*, genua in locis suis flectentes, decantarunt, subiunctis versiculis solitis, cum collecta *Actiones*

nostras. His finitis, Rmus D. N. dicto *Benedicite*, sedens, sedentibus omnibus, ponderose simul ac facunde insignia Capitulorum elogia ac commoda allegans, peroravit. Tam cantor, accepta a Rmo D. N. benedictione, legit caput ex *Antiquis Diffinitionibus*, caput *Chartae charitatis* et bullam Clementis PP. IV quae incipit *Parvus fons*, modum Capitula generalia celebrandi praescribentis. Quibus lectis, Rmus D. N. cum adm RR. quatuor primis abbatibus, in diffinitorium recesserunt. Interea continuata fuit lectio *Chartae charitatis*, bullae Clementis PP. IV et capituli 2 regulae S. Benedicti. Et facto Diffinitorum aliorumque officialium selectu, ad Capitulum reversi, per D. secretarium Rmi D. N. memorati Diffinitores et officiales praesentis Capituli sunt publicati.

2. ORDINATIO CAPITULI GENERALIS

DIFFINITORES : Rmus D. N. [de **Cistercio**], s. th. d., R. D. de Columba, R. D. de Lubens, R. D. Charitate, R. D. de Maris stella monasteriorum abbates. Adm R. D. de **Firmitate**, R, D. de Alna, R. D. de Parisio, R. D. de Pietate, R. D. de Marciliaco monast. abbates. Adm R. D. de **Pontigniaco**, R. D. de S. Sulpitio, R. D. de Pinu, R. D. de Bodelo, R. D. Valle dulci monast. abbates. Adm R. D. de **Claravalle** s. th. d., R. D. de Bello becco, R. D. de Fulcardimonte, R. D. de Hemmenroda, R. D. de Barbereio monast. abbates, Adm R. D. de **Morimundo** s. th. d., R. D. de Precibus, R. D. de S. Urbano, R. D. de Ponte frigido. R. D. de Osseco monast. abbates.

CONFESSARII : R. D. de Villario in Bethnach, s. th. d., D. prior titularis de S. Lazaro, s. th. d., D. prior de Morimundo, D. prior de Baugerio, D. prior de Valencia, D. Edmundus Perrot, confess. monial. de Battanto, D. Eugenius Spetz commiss. Super. Germaniae, D. Stephanus Viennot bibliothecarius Cistercii, D.Fredericus Bruslé magister novitiorum.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : R. D. abbas de Petris, R. D. abbas de SS. Crucibus in Catalonia, D. prior de Grandi sylva, s. th. d., D. prior de Regalimonte, D. prior de Bonoportu, D. prior titul. de Bella aqua, D. prior de Cistercio.

AUDITORES COMPUTATIONUM : R. D. abbas de Petris, R. D. abbas de Bledzovio, D. prior titul. de S. Lazaro, D. prior de Morimundo, D. prior de Pontiniaco, D. prior de Loco regio, D. prior de Bolbona, D. prior de Eleemosina, D. prior de Landesio, D. prior de Regalimonte, D. Gerard procurator collegii Parisiensis, D. Henri Duchesne.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : R. D. abbas de Chalocheio, s. th. d., D. prior titul. de Bella aqua, D. prior de Ardorello, D. prior de Oliveto, D. prior de Bello prato, s. th. d., D. prior de Obazina, s. th.

d., D. prior de Feneriis, D. prior de Grosso bosco, D. Iacobus Noël, s. th. d., D. Laurentius provinciae Poloniae deputatus.

Receptores excusationum : R. D. de Gratia Dei, D. prior titul. de Waerschoot, D. prior de Grandi sylva, s. th. d., D. prior de Caroliloco, D. prior de Monte petroso, D. prior de Mansiada, D. prior de Charoloco, s. th. d., D. prior de S. Andrea, D. prior de Begario, D. Eug. Spetz commiss. Super. Germaniae, D. Richardot Rdi adm de Claravalle secretarius, D. Cellerarius de S. Urbano, D. Subprior de Lubens, D. Secretarius de Rauda, D. Secretarius de Osseco.

Notarii abbates : R. D. abbas de Novo castro, R. D. abbas de Rauda.

Promotores causarum : R. D. abbas de Stamedio, s. th. d., R. D. abbas de Aula Virginis alias Schlierbach.

Notarii ad pedes: D. Petrus Henriot, secret. Rmi D. N. prior titul. de Directa valle ; D. Stephanus Prinstet, Procurator generalis in Curia.

Portarii diffinitorii : D. Edmundus Perrot, D. Philibertus Donet.

3. His perlectis, Rmus D. N. a Diffinitoribus et officiariis iuramentum fidelitatis in adimplendo officio exegit. Quod omnes stando praestitere, et idem Rmus sedendo. Postea praecedente Rmo D. N. omnes secundum suum ordinem de Capitulo recesserunt.

SESSIO SECUNDA

4. Pomeridiania horis eiusdem diei ad pulsum maioris campanae, in diffinitorio convenerunt omnes Diffinitores, et requirente R. D. abbate de Stamedio, primo Promotore, lectae fuerunt litterae Augustiss. Imperatoris ad Rmum D. N. generalem aliosque patres in Capitulo generali Cistercii congregatos, quarum tenor sequitur.

Leopoldus, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper augustus. — Honorabiles religiosi, devoti dilecti, Cum ad humillimam insinuationem honorabilis devoti Nobis sincere dilecti Mariani abbatis in monasterio Ordinis vestri ad S. Crucem Inferioris Austriae, honorabili itidem devoto Nobis sincere dilecto Nivardo, abbati de Schlierbach Austriae supra Onasum, ut proximo mense maii futurum Cistercii Capitulum generale adeat, ibidem commissa sibi a dicto Mariano, quem singulari gratia Caesarea complectimur, et reliquis negotiis quae in spiritualibus harum ditionum monasteria concernunt, aut ad Vicariatus Austriae, Styriae et Hungariae decorem et incrementum cedere possunt, proponendi et tractandi facultatem habeat perbenigne assenserimus, a vobis clementissime desiderandum esse duximus velitis omnia ab antefato Schlierbacensi abbate in, vel extra Diffinitorium proponenda, auctoritate et officio vestro ita promovere ut Vicariatui et ditionum nostrarum sacri Ordinis vestri religiosis quam optime consultum fuisse intelligamus ; gratiis Cae-

sareis quibus addicti manemus annuentiam et observantiam vestram, quotiescumque occasio evenerit, semper recognituri. — Datum in civitate nostra Viennae, die 4 aprilis ann. 1699, regnorum nostrorum Romani XLI, Hungarici XLIV Bohemici vero XLIII. Subsignatum Leopoldus. — Et infra Iulius Fredericus comes Bucellini. — Ioannes Villers [a].

Quibus lectis, pro tantis benevolentiae signis a sacra Caesarea Maiestate erga Ordinem nostrum exhibitis humiles egit gratias Rmus D. N.

5. Lectae etiam sunt litterae Emin. D. Pamphilii S. R. E. Cardinalis, et Ordinis nostri Protectoris, R. D. Procuratorem generalem in Curia romana de indefesso labore pro Ordine nostro commendantes. Cuius commendationi suam quoque addidit Rmus N.

6. Postea lecta est epistola quorumdam monachorum Alnensium circa gubernationem monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus. Commisit Capitulum generale R. D. de Hemmenroda ut illud quamprimum regulariter visitet, et omnia disponat, in plenaria Ordinis potestate.

7. Requisivit R. D. abbas de Stamedio, primus Promotor, ut in executionem *Brevis* Alexandri PP. VII, plura puncta examinentur a consultoribus scilicet a RR. DD. abbatibus qui sunt extra Diffinitorium, necnon a DD. prioribus titularibus, Visitatoribus seu Vicariis generalibus, s. th. d., Capitulo generali postea referenda.

8. Ad requisitionem R. D. Promotoris ordinavit Capitulum generale ut solitae fiant preces, scilicet.

9. Pro SS. D. N. D. Innocentio PP. XII... *etc.*

10. Pro Sereniss. et Augustiss. DD. N. Leopoldo... *etc.*

11. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

12. Pro pace etiam ... *etc.*

13. Postremo pro omnibus ... *etc.*

14. Deinde lectae sunt diffinitiones praecedentis Capituli generalis, et diffinitioni de non amovendis prioribus monasteriorum commendatorum qui sunt Vicarii generales provinciarum, aut alii publici Ordinis officiales, statutum fuit quod pro rationabili causa poterunt amoveri ab officio prioris a patribus immediatis post triennium, vel in Capitulo intermedio, non obstante supradicta diffinitione.

SESSIO TERTIA

15. Die 19 eiusdem mensis, celebrata missa in pontificalibus a R. D. de S. Urbano, et convocato Diffinitorio, lecta fuit bulla SS. Innocentii PP. XII a R. D. Promotore concedentis indulgentias plenarias ad septennium valituras pro festo S. P. N. Stephani, III abbatis Cistercii. Pro qua concessione Rmus D. N. nomine totius Ordinis humiles egit gratias.

---

[a] Cilers : *A*³*L*⁸, Eclers : *D*⁵, Silers : *Sa*.

16. Ad petitionem abbatissae et conventus monialium de Claretis, dioecesis Carnotensis, concessit Capitulum generale celebrationem festi S. Placidi martyris, 31 iulii, sub ritu duarum missarum maiorum, ob maiorem reverentiam corporis dicti sancti, ex Urbe obtenti; cuius publicam expositionem approbat Capitulum generale.

17. Petitioni conventus monasterii de Iardineto in alienando praedio aliquo ad se redimendum de pluribus debitis, commisit Capitulum generale Vicario generali in Belgio Hispanico, ut inquirat, de commodo et incommodo, et postmodum exactam faciat relationem Capitulo generali proximo.

18. Decernit Capitulum generale constitutionem Papae Benedicti XII circa venditiones immobilium ad amussim servandam, et declarat etiam sylvas comprehendi inter immobilia.

19. Ad petitionem R. D. abbatis de Rhuna ut sibi assereretur ius paternitatis immediatae super monasterium de Schlierbach, consentiente R. D. abbate dicti monasterii, et viso decreto Capituli generalis de anno 1683, diffinitum fuit monasterium Schlierbacense esse de filiatione immediata monasterii de Rhuna; et circa administrationem vacantis monasterii observandam esse bullam Clementis PP. IV, statuentem quod mortuo abbate et sede vacante, administratio spiritualium et temporalium non ad patrem immediatum sed ad priorem et conventum vacantis monasterii pertinere.

20. Continuata fuit lectio diffinitionum praecedentis Capituli generalis; occasione cuius dictum est de negotio quod inter Capitulum generale et monasterium Claravallense vertebatur ratione debiti 300 libr. turonen. eidem monasterio annui solvendarum. Quod negotium per egregiam industriam R. D. abbatis de Charitate, Procuratoris generalis in Gallia, tandem est et quoad summam principalem et quoad interesse, feliciter terminatum, ita ut praefatum monasterium Claravallense redditis omnibus chartis quae praetensionem aliquam ulteriorem movere possint, habuerit integram solutionem.

SESSIO QUARTA

21. Petiit R. D. Promotor ut archivum Ordinis totius sit apud Cistercium, et respondit Rmus D. N. iam confectum esse ita ut chartae archicoenobii Cistercii separatae sint a chartis totius Ordinis.

22. Circa electionem abbatum in Superiori Germania, mandat Capitulum generale Procuratori generali in Curia ut petat a Sede Apostolica confirmationem diffinitionis de anno 1686 desuper a Capitulo generali factae.

23. Decernit Capitulum generale ut in *Breviariis* Ordinis nostri in quibus illa verba nondum sunt expuncta in formula excommuni-

cationis in die Palmarum : *nisi ad diem Iovis resipiscant*, expungantur, cum illa excommunicatio sit latae sententiae, ipso facto incurratur.

24. Ex occasione redempti monasterii Waldsassensis a R. D. abbate Campo principum, diffinitum est quod hoc et quoad alia monasteria eiusmodi redempta et redimenda, ut gaudeant iure postliminii seu ut primae suae fundationis locum et iura omnia teneant, non vero redemptionis, ita tamen si illa monasteria non via iuris, sed via tantum facti id est per violentiam aut casum fortuitum, fuerint destructa et suppressa.

SESSIO QUINTA

25. Die 20 maii, missa solemniter celebrata a R. D. abbate de Lubens, sedentibus in diffinitorio RR. DD. Diffinitoribus, continuata fuit lectio diffinitionum praecedentis Capituli generalis, occasione cuius orta controversia inter Rmum D. N. et RR. adm quatuor primos abbates, ratione decreti quod incipit : *Diffinitioni ultimi Capituli (nº 94)* et iis ex diffinitorio egressis, ad maiorem dilucidationem ei diffinitioni addenda esse haec verba declaravit, praedictam diffinitionem confirmando scilicet : *probata rite causa suspicionis apud Visitatorem seu Vicarium generalem.*

26. Inhaerens idem Capitulum generale diffinitioni praecedentis Capituli, de novo prohibet ne a quoquam in auditorio Diffinitorii fiant protestationes, nec in actis eiusdem registrentur ; salva facultate eas extra Diffinitorium RR. DD. Promotoribus aut notariis Capituli debite in scriptis intimandi.

27. Renovans Capitulum generale diffinitionem factam anno 1686, iniungit R. D. abbati de Rhuna, ut praedium Hoflein in Carniola, suo monasterio incunctanter curet restitui.

28. Confirmat idem Capitulum amotionem confessarii monialium de Hoven, factam a R. D. de Hemmenroda.

29. Praecipitur eidem R. D. de Hemmenroda ut in monasteriis monialium Infer. Germaniae, iuxta statuta Ordinis reformationem promoveat, eas ad habitum album et ceteras observantias compellens, per omnes iuris et iustitiae vias ; prohibetque Capitulum generale ne persona deinceps ad novitiatum aut professionem admittatur a superioribus quibuscumque, nisi praedicta reformatio et clausura regularis fuerit introducta.

SESSIO SEXTA

30. Pomeridianis horis, incoepto, ut solitum est, Diffinitorio, ex iussu Rmi D. N. advocati sunt R. D. abbas SS. Crucium in Catalonia,

et D. Nicolaus Ardanaz, s. th. d., deputati a Congregatione Coronae Arragonum et Navarrae, qui dederunt Capitulo generali suae commissionis rationem, verbum faciente R. D. abbate SS. Crucium.

31. Relatione facta status monasteriorum Congregationis Cisterciensis in Calabria et Lucania, a vener. Procuratore generali in Curia, ad eius requisitionem commissum fuit R. D. abbati de Mattina ut supplicationes monasteriorum de Succursu et Fonte Laureato pro vendendis certis praediis examinet, et informet de commodo et incommodo cum facultate Procuratori generali in Curia, pro tempore existenti, quod possit alienationes, venditiones seu commutationes dictorum praediorum permittere, ea lege ut pecunia in aliquos fundos convertatur.

32. Iniungit praesens Capitulum generale ut diffinitiones Capitulorum generalium per Vicarios generales ad singula quaeque monasteria mittantur, legenda in capitulo monachorum ; et ut chartae visitationum quater in anno, diebus quatuor temporum, ibidem legantur.

33. Completa lectione diffinitionum Capituli generalis de anno 1686, has praesens Capitulum generale confirmat, volens ut a cunctis respective inviolabiliter observentur cum dilucidationibus, cum limitationibus et additionibus supra scriptis.

SESSIO SEPTIMA

34. Die 21, horis matutinis, celebrata missa solemniter, ut moris est, de *Requiem* a R. D. abbate de SS. Crucibus in Catalonia, iussus est a Rmo D. N. domnus Stephanus Prinstet, notarius ad pedes, ut in locum R. D. de Novo Castro, notarii Capituli, ob morbum absentis, exciperet notas eorum quae fiunt in Diffinitorio, donec ille convalescat ab infirmitate.

35. Deinde ad instantiam R. D. Promotoris, assumpto quod pridie incoeptum fuit circa Vicarium Siciliae negotio, egressoque e Diffinitorio R. adm de Claravalle, Capitulum generale declaravit, institutionem Vicarii monasteriorum Siciliae domno Gregorio Romano datam, die 6 augusti 1686, ab adm R. D. abbate de Claravalle, nullam et invalidam fuisse et esse, et etiam nullum ius patris immediati ei competere in monasteria Siciliae.

36. Item, idem Capitulum amovet praefatum D. Gregorium Romano ab officio prioris monasterii Rocamatoris, et instituit D. Augustinum Gemelli in Vicarium generalem Siciliae et priorem dicti monasterii Rocamatoris, amovibilem ad nutum Procuratoris generalis in Curia, pro tempore existentis, qui deinceps, iuxta decretum Capituli generalis de anno 1683, instituet, cum expedire noverit, alium Vicarium generalem Siciliae, in plenaria Ordinis potestate. Et humiliter

rogat Capitulum generale Emin. D. Cardinalem Pamphilium, Ordinis nostri Protectorem, ut sua auctoritate procuret hoc decretum quamprimum executioni mandari.

37. Ad supplicationem D. Gerard, procuratoris collegii S. Bernardi Parisiensis, decrevit Capitulum generale expensas factas a compilatoribus statutorum nostrorum ab Ordine dicto collegio esse refundendas, super arreragiis contributionum Ordini debitis.

38. Capitulum generale *Rituali* Ordinis, iam typis mandato, manum ultimam apponere volens, mandat et districte praecipit vener. DD. Benedicto Rioux priori de Regalimonte, et Edmundo Perrot confess. monialium de Battanto, ut intra tres menses pro termino peremptorio illud revideant apud Cistercium, et interea notas ad hoc necessarias ordinent.

39. Ut omnium laudabili desiderio fiat satis, committitur R. D. abbati de Charitate et Provisori collegii S. Bernardi Parisiensis, ut diu inceptam diffinitionum et privilegiorum Ordinis compilationem sine mora perficiant, absque ullis ab Ordine expensis repetendis. Interim vero omnia privilegia, arresta seu Regum christianiss. decreta et alia quaecumque utilia documenta eis Parisiis ex provinciarum Vicariis generalibus transmittentur, sine onere pretii solvendi pro transmissione.

40. Relatis a R. D. Promotore supplicibus libellis Francisci Charnot de la Cour et Ioannis Ludovici de Pouilly, monachorum Morimundi, quibus Capitulo generali exponunt se ex indiscreto zelo, cum aliis suis conprofessis, R. D. abbatem suum accusare de multis excessibus temere ausos esse apud Rmum D. N. Cisterciensem generalem ; sed cum paulo post se deceptos agnovissent, nihilominus per sententiam a R. adm D. de Firmitate, praedicti Rmi D. N. commissario latam, multis poenis canonicis plexi sunt, et tandem culparum suarum veniam supplices a R. adm D. de Morimundo benigne sunt consecuti. Nunc vero ab exilio sive eliminatione a monasterio suae professionis et ab aliis poenis etiam absolvi a Capitulo generali humiliter deprecantur. Quibus ante consideratis, et audito etiam adm R. D. de Morimundo, qui palam se non solum praedictis Francisco Charnot et Ludovico de Pouilly, sed et alteri etiam monacho Morimundi Christiano Guillaume, omnia condonasse testatus est pro paterno in filios affectu, rogans ut illi a Capitulo generali charitative exciperentur, praesens Capitulum generale dictam exilii poenam, et alias quibus per dictam sententiam fuerant mulctati, ad requisitionem R. adm D. de Morimundo remittit, et ab iis absolutos esse declarat, eos in pristinum statum restituendo ; salvis tamen in hoc iuribus et praetensionibus Rmi D. N.

41. Ad relationem RR. DD. abbatum de Columba et de Baudeloo,

quod D. Renatus Josse, effectus abbas de S. Benedicto, litem contra adm R. D. de Morimundo super iure paternitatis in monasterium Insulae Barrensis movisset, Capitulum generale attenta declaratione R. adm D. de Morimundo, se dictum abbatem male et praecipitanter confirmasse auctoritate paterna, statuit ut litem institutam effectus abbas prosequatur, si velit, procuratorio nomine conventus S. Benedicti coram Vicario generali in Lotharingia, postea a Rmo D. N. diffiniendam. Interim vero R. adm D. de Morimundo manet in possessione iurisdictionis patris immediati in illud monasterium de Insula, sine praeiudicio ullo iuribus utriusque partis, quae intra sex menses rationes et titulos suos proferre tenebitur ; et si non protulerit iure cadet.

42. Mandat Capitulum generale omnibus Praesidibus seu Vicariis generalibus Congregationum Tusciae et Lombardiae, Coronae Arragonum et Navarrae, Superioris Germaniae, Styriae, utriusque Belgii et patriae Leodiensis, et commissario generali Poloniae, ut quamprimum quilibet eorum taxam exigat contributionum debitarum a monasteriis provinciae suae, tam virorum quam monialium, ad sustentationem Procuratoris generalis in Curia, et eos hortatur ut ad decus Ordinis, eiusque res promovendas taxam solito pinguiorem confici procurent, eos autem qui non solverint, cogant sub poenis in bulla Innocentii PP. VIII, et aliorum Summorum Pontificum contentis. Quilibet autem Vicarius collectas provinciae suae contributiones ad Procuratorem generalem in Curia sine defalcatione cambii transmittat.

43. Idem Capitulum generale motum zelo et eximia religione vener. abbatissae et monialium monasterii de Claretis, eas quam maxime adhortatur ut ad honorem Dei et Ordinis nostri decus, meliora in dies charismata in Domino aemulentur. Et piis earum favens desideriis ratam habet unionem dicti monasterii aliis monasteriis S. O. factam a Rmo D. N. die 20 iulii anno 1697, ac in quantum opus foret illud monasterium praesenti decreto unit, annectit et incorporet aliis S. O. monasteriis, sub filiatione Trappae, cuius laudabilem studet in omnibus sequi disciplinam, et sub visitatione Vicarii generalis eiusdem Observantiae in Britannica et Perticensi provinciis.

44. Cupiens Capitulum generale indigentium succurrere necessitatibus, praecipit ut publice in Ordine fiant collectae pecuniariae pro monialibus de Bons et Nostrae Dominae de Munster, ac etiam paupercula Hyberna a monialibus Thoriniaci commendata.

45. Cum exponeret D. Nicolaus Bardot, superior commissarius de Ecureyo, commendatarium eiusdem monasterii et alios de multis litibus et controversiis eosdem inter et monasterium vertentibus convenire velle, committitur Vicario generali Lotharingiae ut, omnibus rite perpensis, contractus quoslibet dicto monasterio utiles super hoc

confici curet, postea a Capitulo generali aut a Rmo D. N. approbandi.

46. Facultas a Rmo D. N. concessa pro celebrando festo s. Celestini martyris sub ritu duarum missarum maiorum aut minorum, dominica prima septembris, in monasterio de Maris stella, confirmatur ob notabiles reliquias quae inibi maxima populorum frequentia coluntur.

SESSIO OCTAVA

47. Eadem die, pomeridianis horis, incoepto, ut supra, Diffinitorio, referente R. D. abbate de Schlierbach, secundo Promotore, difficile fore ut casu quo (sic Deo disponente) fatis cedat R. D. abbas S. Crucis in Austria, Vicarius generalis, ad praesidendum illi electioni, ob nimiam locorum distantiam, dato tempore R. adm D. de Morimundo, pater immediatus advenire possit, Capitulum generale mandat R. adm D. de Morimundo ut ex nunc aliquem ex abbatibus Austriae praesidem electionis in monasterio S. Crucis eligat, qui pro tempore vices commissionis suae gerat.

48. Cum ad notitiam Capituli generalis venerit moniales Ordinis sub frivolis recuperandae sanitatis praetextibus egressas a monasterio cum magno omnium scandalo divagari, idem Capitulum generale districte prohibet, sub poenis ac censuris Ordinis, tam patribus immediatis quam Vicariis generalibus ne amplius ullam egrediendi a monasterio licentiam concedant abbatissis et monialibus quibuscumque, nisi in casibus in iure expressis.

49. Tum R. D. de Chalocheio, praeses consultorum, exposuit mentem eorum circa varia quae, ut sequitur, fuere diffinita. Nullus in monasteriis Ordinis nostri poterit institui in priorem nisi prius pervenerit ad decimum professionis annum, et exercuerit officium subprioris, et exactam *Brevis* Alexandri VII [b] observantiam fuerit professus.

50. Iniungitur serio superioribus quibuscumque ut ubique dictam *Brevis* Alexandri VII de generali Ordinis reformatione ad amussim observantiam inducant ; et priores qui ea executioni non mandabunt quae a Visitatoribus super hoc iniuncta fuerint, ipso facto, ab officio suspendantur. Monachi vero poenis contra rebelles in Ordine consuetis debite plectentur.

51. Non mittantur novitii ad monasterium pro novitiatu communi designatum, nisi ibi sit conventus duodecim monachorum. Et magistri novitiorum instituentur a superiore locali dictae domus novitiatus, cum consensu tamen Vicarii generalis provinciae.

---

[b] *Boll. transit statim ad seq. statutum* : de gen. Ord.

SESSIO NONA

52. Hora solita matutina diei 22, post celebratam a R. D. de Bledzovio missam de S. Cruce, R. D. de Precibus retulit Capitulo generali propositionem factam a DD. Missionariis Quebeccensibus pro supprimenda mensa conventuali et destruendis aedificiis monasterii de Strata ea lege, ut super redditus eius pensionem summam 600 librarum collegio Parisiensi refunderent. Capitulum generale nolens fundatorum monasterii illius pias intentiones fraudari, et sperans quod aliquando in eo conventus ad Ordinis decus et Dei gloriam restituetur, eam propositionem censuit reiiciendam.

53. Auditis consultoribus, Capitulum generale statuit novitios post emissam professionem debere annum integrum pro professorio in loco designato transigere, abque eo quod a quoquam possit super hoc dispensari etiam ut mittantur ad studia vel ordines.

54. Cum R.D. Promotor exposuisset visitationem annuam non minus in Cistercio et quatuor eius primis filiabus, quam in reliquis Ordinis monasteriis esse necessariam, ex cuius inobservantia tota collabitur regularis disciplina, requisivit Rmus D. N. ut soluto Capitulo neglecta diu Cistercii visitatio institueretur. Verum allegantibus varias excusationes RR. adm quatuor primis abbatibus, exorta inter eos et Rmum D. N. de hoc controversia, iisque de Diffinitorio egressis, Capitulum generale declaravit, Praeside R. D. de Bello becco, in visitatione Cistercii, Almae matris nostrae, facienda a RR. adm quatuor primis abbatibus observandas esse *Chartam charitatis*, bullam Alexandri PP. III et constitutionem Clementis PP. IV quae incipit *Parvus fons ;* iuxta quae quatuor primi abbates visitabunt Cistercium, singulis annis, per se ipsos, et si quid in persona abbatis vel in aliis in eodem monasterio crediderint reformandum, id eidem abbati suggerant, hoc est cum reverentia et honestate dicant, ac eum benigne moneant et hortentur ut id emendet in se, vel in aliis faciat emendari. Insuper declarat praetextum petitum ex decreto Capituli generalis de anno 1623, quo ordinatur ut Rmus D. N. in visitatione quatuor primarum filiarum assumeret secum duos ex quatuor primis abbatibus, nullum, futilem et illusorium fuisse et esse, et uti talem iam esse damnatum a Capitulo generali de anno 1683, auctoritate Summi Pontificis, Regis christianiss. et totius Ordinis in sequenti Capitulo confirmato, et perpetuum super hoc silentium praefatis quatuor primis abbatibus imponit. Et inhaerens decreto Capituli generalis de anno 1683 declarat Rmum D. N. potuisse et posse per se ipsum vel commissarium seu commissarios sine assistentia duorum, aut etiam unius a quatuor primis abbatibus eorum monasteria visitare cum ea omni auctoritate quae alias suas filias visitat. Et rogat idem Capitulum Rmum ut singulis annis eam visitationem

faciat. Item, cum a longo tempore Cistercium visitatum non fuerit, imo a seculo vix quinquies aut sexies, volens Capitulum generale malis omnibus quae inde emerserunt remedium opportunum adhibere, attenta etiam enixa petitione Rmi D.N. mox facta, ut Cistercium ad finem huius Capituli visitetur, districte praecipiendo mandat ut soluto praesenti Capitulo omni postposita mora Cistercium visitent quatuor primi abbates iuxta praescriptam formam. Quod si ob aliquam causam illi quatuor primi abbates, aut aliqui, vel unus eorum illam visitationem facere non potuerint, vel noluerint, Capitulum generale subrogat loco illorum quatuor, vel aliquorum aut minus eorum, quatuor hos abbates, scilicet RR. DD. de Pinu, de S. Urbano, de Precibus et de Charitate, ita ut si quatuor primi non possint visitare mox finito hoc Capitulo generali, quatuor subrogati abbates visitabunt. Si tres, duo aut unus quatuor primorum abbatum visitare non potuerint, supplebitur ex subrogatis abbatibus secundum eorum antiquitatem. Capitulum generale acceptam habet Rmi D. N. declarationem in praesenti factam, qua instituit pro hac vice tantum RR. DD. de Hemmenroda et de Columba in commissarios suos ut paterna sua auctoritate visitent, soluto Capitulo, monasteria de Firmitate, Pontigniaco, Claravalle et Morimundo, quatuor primas suas filias, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, statuant et reforment quae statuenda et reformanda cognoverint, non obstantibus protestationibus, oppositionibus et appellationibus quibuscumque. Quae omnia fiant eo casu quo, soluto Capitulo, ipse Rmus non potuerit vel noluerit ea visitare.

SESSIO DECIMA

55. Eadem die, pomeridianis horis, a R. D. de Pietate fuit exposita Capitulo generali supplicatio D. Nicolai Bardot, professi et commissarii de Escureyo, qua se a christianissimo Rege donatum abbatia de Wernevillario, in ducatu Bipontino, ab haereticis possessa, asserans quod plura eius bona in Lotharingia posita recuperaverit, quibus nunc pacifice fruitur. Quare humiliter postulat a Capitulo in abbatem eiusdem monasterii de Wernerivillario nominari et confirmari. Capitulum generale omnibus rite perpensis, decrevit D. Nicolao Bardot dandam esse, sicut de facto dat, administrationem bonorum illorum iuxta mandatum R. D. abbatis de Bethnach, de die 17 mensis septembris anno 1697, volens ut ulterior bonorum recuperatio promoveatur, et litterae commendatitiae scribantur.

56. Super libello supplici R. D. abbatis de Pontiniaco, quo petiit ut sibi et successoribus suis abbatibus regularibus detur tantum ad usum domus quam ex decreto Capitulo generalis de anno 1667 habet iuxta portam collegii S. Bernardi Parisiensis, cum loco apto ad ve-

hiculum et quindecim pedibus terrae domui illi contiguis ad eamdem lineam, ut possit domus illa ampliari, ea lege ut supplicans liber maneat a solutione 100 librarum turonen. pro illius domus locatione annua debitarum et in compensationem harum tradit collegio pensionem unam ex duabus pro monachis capellanis a se nominandis destinatis cum quibusdam oneribus et aliis inibi expressis conditionibus. Capitulum generale bono et utilitati collegii consulens, viso prius officialium eius consensu, concedit tam R. adm D. de Pontigniaco quam dictis officialibus facultatem super iis transigendi et contractum ineundi ita tamen ut si aliquando Pontiniacum cederet in commendam usus et proprietas dictae domus, cum omnibus pertinentiis suis, debeat omnino ad collegium pertinere.

57. Cum DD. Nicolaus Mathieu, Franciscus Durand et Thomas Noricié [c] monachi de Morimundo, Capitulo generali exposuerint, se a sententia de die 27 augusti 1697 lata a R. adm abbate de Firmitate, commissario Rmi D. N. appellasse ad Rmum qui appellationem admisit, de qua admissione R. adm D. abbas de Morimundo ad magnum Regis chritianiss. consilium appellavit tamquam ab abusu, cuius consilii senatus-consulto permissum fuit supplicantibus ad Capitulum generale per appellationem simplicem habere recursum ; quod fecere emissa ad hocce Capitulum appellatione et ab eo admissa. Sed cum ob famam voce et scriptis laesam offensum abbatis sui animum mitigare, et in eius gratiam redire, eiusque paternam benevolentiam sibi conciliare vehementer cupiant, et quae mala in eum egerunt et falso dixerunt palam corrigere, ante omnia dictae suae appellationi renuntiant, eamque ex toto revocant, prosternantes se ad genua pii abbatis sui, a quo veniam et misericordiam impetrarunt. Unde petunt humiliter absolvi ab exilio a suo monasterio, privatione vocis activae et passivae, et ceteris poenis in praefata sententia contentis. Cum etiam DD. Franciscus et Claudius Du Bois, monachi Morimundi, supplicarint praesenti Capitulo ut absolverentur ab iisdem poenis in eos decretis per dictam sententiam, a qua appellarunt ad praesens Capitulum a quo fuit admissa, et quam similiter revocant, attento maxime quod falsa suprascriptorum suorum confratrum suggestione in suum abbatem peccaverint, et ut filii poenitentes misericorditer ab eo veniam acceperint. Capitulum generale ad repetitas preces adm R. D. de Morimundo praefatas poenas exilii a proprio monasterio, privationis vocis activae et passivae, et alias quascumque in dicta sententia latas, respective remisit et remittit, et eos in pristinum statum reponit ;

---

[c] Nourisier : *Ch*[e].

sine praeiudicio iurium et praetentionum Rmi D. N. et R. adm D. abbatis de Morimundo.

58. Visis domini Werneri Viller monachi Hemmenrodensis litteris et chartis ad Capitulum generale directis, auditoque R. D. de Hemmenroda, praesens Capitulum statuit ut redeat Hemmenrodam, ut ei de pensione, quam requirit ut alibi commoretur, perpetuum silentium imponit. Mandat etiam praedictum Capitulum Procuratori generali in Curia ut apud Sanctam Sedem procuret ne amplius audiatur.

59. Deinde lecta sunt acta ultimi Capituli intermedii de die 17 septembris anno 1697.

SESSIO UNDECIMA

60. Die 23 maii, celebrata per R. D. abbatem de Osseco missa solemni, congregato Diffinitorio, lecta fuit epistola primi secretarii Status Sereniss. Ducis Lotharingiae, nomine ipsius Ducis, qua petit a Capitulo ut in monasteriis Regiae Celsitudinis suae observantia *Brevis* Alexandri PP. VII omni, quo poterit, meliori modo introducatur.

61. Ad relationem R. D. de Parisio Capitulum generale fratris Iacobi Castellai, antehac monasterii de Altaripa monachi, stabilitatem pro monasterio de Freistorff ratam habet, et in quantum opus est confirmat, praevio consensu R. adm D. de Morimundo, monasterii de Freistorff patris immediati.

62. Cum in monasterio de Caduino missarum ex antiqua fundatione praescriptarum celebrationi non valeat fieri satis, Capitulum generale commisit Vicario generali provinciae ut, habito ad quantitatem redditus annui mensae conventualis respectu, magnum earum numerum ad minorem reducat, in plenaria Ordinis potestate.

63. Ne stabilitas spiritui solitudinis conservando proficua tam facile possit infringi, prohibet generale Capitulum ne extra tempus visitationis monachi e Communis Observantiae monasteriis ubi professi sunt, aut collocati, emittentur et in aliud transmittantur sine consilio et consensu Vicarii generalis.

64. Relatione facta a R. D. abbate de Precibus, in Britannia Vicario generali, de statu monasteriorum suae provinciae, Capitulum generale eidem D. de Precibus et R. D. abbati de Pinu mandando committit ut quamprimum ad monasterium de Buzaio se transferant, ad informandum super contractu quodam pro exsiccatione paludis; super partitione bonorum temporalium, et parvo numero monachorum, ibique visitent, corrigant et faciant quaecumque corrigenda et facienda viderint, in plenaria Ordinis potestate.

65. Item, audito quod D. Chritophorus Cochet, de Bona requie monachus, protervia sua fratrum quietem perturbet, nec ad debitam su-

perioribus obedientiam potuerit adduci, statuit Capitulum generale ut a domo praedicta de Bona requie per decem annos eliminetur, iniunxitque ei sub poena carceris ut quamprimum se transferat in monasterium a Vicario designandum.

66. Vicarii generales provinciarum Turonensis et Bituricensis S. O. in monasteriis de Chalocheio et de Petris curabunt omnimode reponi monachos S. O. in sufficienti numero, habita ratione facultatum.

67. Retulit deinde R. D. de Sulpitio, Vicarius generalis in Delphinatu, statum monasteriorum sibi commissorum, et statuit Capitulum generale inhibi prohibendas priorum divagationes et augendum numerum monachorum.

68. Renovat Capitulum generale prohibitionem iam dudum factam monialibus quibuscumque Ordinis nostri ne habeat quaeque suam peculiarem famulam, sed eis designantur, sumptibus monasterii, tot famulae quot sufficiunt earum necessitatibus.

69. Procuratores saeculares ab abbatissis non assumantur nisi ad nutum Patrum immediatorum aut Vicariorum generalium.

70. Committitur Vicario generali Delphinatus pro tempore existenti, ut sua opera moniales de Vernaison possint induci ad redeundum in suum antiquum et pristinum monasterium, attentis debitis quae solvere nequeunt nisi ex vendita domo ampla quam inhabitant Valentiae.

71. Inhibet districte Capitulum generale prioribus ne per se administrent bona monasteriorum temporalia, iuxta *Breve* Alexandri PP. VII, sed eorum curam demandabunt monacho idoneo procuratori seu cellerario, etiam ex alio monasterio, si opus sit, advocando, accedente consensu Vicarii generalis.

72. Similiter etiam prioribus et procuratoribus monasteriorum sub poena suspensionis prohibet idem Capitulum generale, ne se immisceant saecularium negotiis aut bonorum ad commendatarios, sive alios exteros pertinentium curam gerant ; mandans insuper Visitatoribus ut si quis prior ultra triduum extra monasterium suum sine Vicarii generalis licentia, nisi ob legitimam causam, probatam aut probandam, remaneat, debite etiam per poenam suspensionis puniatur.

73. R. D. de Alna in patria Leodiensi, Vicarius generalis, protulit edictum Seren. Episcopi et Principis Leodiensis, super executione statutorum apostolicorum circa introductionem clausurae monialium etiam Ordinis nostri. Ea esse observanda inviolabiliter Capitulum generale praecipit, iniungendo nullas moniales ad professionem admittandas esse nisi sub voto clausurae perpetuae.

SESSIO DUODECIMA

74. Hora 2a post meridiem eiusdem diei, habito de more Diffinitorio,

et referente R. D. de Charitate statum monasteriorum Austriae, decreta sunt quae sequuntur.

75. In festis duarum missarum, pro missis celebrandis servanda sunt ad amussim nostri *Breviarii* rubricae.

76. Licitum est in praediis seu villis oratoria et altaria fixa erigere.

77. Monachi vagantes per urbes et praecipue Viennae, per Vicarium generalem Austriae coerceantur ; et abbates de debito residentiae in suis monasteriis moneantur.

78. Circa apostatas, fugitivos et incorrigibiles servantur constitutiones Apostolicae de quibus in *Brevi* Alexandri PP. VII habetur.

79. Usus carnium non permittatur nisi diebus in Ordine consuetis, iuxta *Breve* Alexandri PP. VII. Ceteris vero diebus abstinentia a carnibus inviolabiliter servetur, ita ut non nisi cum particularibus ob privatas necessitates possit per superiores dispensari, sed nunquam cum toto conventu in refectorio aut alibi.

80. Bona deperditorum monasteriorum non unientur alteri.

81. Non licet transire ab Ordine nostro ad Ordinem Mendicantium, nisi facultate accepta a SS. D. N. Papa.

82. Post haec R. D. abbas SS. Crucium in Catalonia, deputatus a Congregatione Arragonum et Navarrae, retulit puncta a R. D. Bledzoviensi et vener. D. Laurentio Warkowski, Capituli provincialis deputatis, hisque mature consideratis, sic statuit Capitulum generale.

83. Nomine totius Ordinis apud Sanctam Sedem fiat instantia ut beatificatio servi Dei Vincentii Kadlubeck, episcopi Cracoviensis et monachi Andreoviensis, promoveatur, et ad optatum perducatur exitum.

84. Ad sedandas omnes controversias, quae ob praetensum Regis sereniss. et Reipublicae Poloniae ius nominandi seu praesentandi ad abbatias a tot annis provinciam et Ordinem perturbans, committit Capitulum generale Procuratori generali in Curia pro tempore existenti, ut suo dictamine Emin. et Rmi D. Cardinalis Pamphilii, Ordinis nostri Protectoris, circa concordiam super hoc auctoritate S. Sedis ineundam faciat quaecumque meliora videbuntur et magis proficua pro vendicandis Ordinis iuribus et privilegiis, ac monasteriorum pace procuranda.

85. Cum visitatio monasteriorum Ordinis in Polonia, nomine Capituli generalis a praecedenti Capitulo decreta, suum non potuerit sortiri effectum, variaque occurrerint in multis monasteriis, maxime Premeti et Oloboci, quae iuribus, famae, bonoque regimini, maximum intulere damnum, committit Capitulum generale RR. DD. abbatibus de Plassio, Vicario generali in Bohemia, et de Osseco, districteque eis mandant ut in plenaria Ordinis potestate quamprimum omnia Ordinis nostri in Poloniae regno monasteria, tam virorum quam monialium,

visitent, tam in capite quam in membris, ibique circa fundationes collegiorum et anniversariorum celebrationem faciant quaecumque viderint facienda, ad normam constitutionum Apostolicarum, et Edmundi a Cruce, ac aliarum Ordinis nostri.

86. Statuit Capitulum generale Syndicos omnes provinciarum tamquam inutiles et onerosos esse supprimendos, sicut et de facto eos supprimit, iniungendo Vicariis generalibus ut Syndicorum sic suppressorum munia adimpleant.

87. Capitulum generale committit R. D. abbati de Charitate et vener. Provisori collegii S. Bernardi Parisiensis, ut cum bibliopola Ordinis nostri conveniant de his omnibus quae ad correctionem, meliorem editionem, et copiam librorum nostri divini officii in quibuslibet provinciis minori pretio habendorum pertinent. Et huic officio sine ullis sumptibus vacent.

88. Ne confusioni ullus amplius detur locus, et ius suum unicuique, habita ratione dignitatis et meriti, tribuatur, decrevit Capitulum generale ut priores titulares monasteriorum conventum actu habentium, immediate post abbates sedeant ; alii vero priores titulares monasteriorum in quibus olim fuit conventus, immediate sedeant post conventuales priores.

SESSIO DECIMA TERTIA

89. Die dominica, 24 maii, celebrata solemni missa per R. D. abbatem de Schlierbach, ad instantiam R. D. de Stamedio concessum est ut in suo monasterio fiat singulis annis anniversarium pro D. Philiberto Cornuti.

90. Supplicantî priori titulari de S. Lazaro facta fuit remissio contributionum hucusque a monasterio suo debitarum.

91. Capitulum generale inhaerens decretis Concilii Tridentini, declarat bona quaecumque modo acquisita, sive data, censeri antiquis monasteriorum bonis incorporata, volens ut tam abbates quam abbatissae ea administrent non per se, sed per officiales, de omnibus bonis antiquis et adventitiis, tum ex dotibus, tum aliunde, coram Visitatore et conventu rationem reddituros ; et ad hoc cogantur poenis et censuris in Ordine consuetis.

92. Qui moniales ad professionem est admissurus, prius debet efficacius procurare ut quidquid pro illis per modum eleemosinae vel dotis offeratur, in utilitatem monasterii, de consensu conventus impendatur.

93. Ad supplicationem Provisoris collegii S. Bernardi Parisiensis ut 6600 missis fundationum ob penuriam sacerdotum in eo non celebratis satisfieret, Capitulum generale decrevit ut illae missae a Vica-

riis generalibus per monasteria provinciarum suarum intra Galliam dicendae distribuantur secundum numerum a Provisore mittendum. Et deinceps monachi sacerdotes in monasteriis omnibus et collegiis inscripti ad missas dicendas, etiam dum aberunt, illas per se vel alios dicere tenebuntur.

94. Statuit Capitulum generale teneri Patres immediatos visitare annuatim monasteria in quibus resident Vicarii generales ; si hoc munus suum patres immediati non impleverint, per commissarios suos illa visitent. In quo decreto non comprehenditur Congregatio Super. Germaniae.

95. Suffragia Ordinis conceduntur Augustissimo Caesari, ad preces R. D. de Schlierbach. Excellentissimo Galliarum Cancellario Ill. DD. Marchioni de Châteauneuf, ministro et secretario Status christianiss. Regis, et Domino Besnard de Reizé eiusdem Status consiliario ordinario. — Nobili Ioanni de Monal et nobili Franciscae de Perrucard de Ballon, uxori nobilis de Callé domini de Fongy, ad preces R. D. de Stamedio. — Illustriss. dominae Ludmillae natae Weschnich [d] comitissae de Lobkowitz, ad preces R. D. de Osseco.

SESSIO DECIMA QUARTA

96. Eadem die, pomeridianis horis, statuit Capitulum generale expensas factas a D. Ioanne Garnier, priore de Thoroneto, antehac in Provincia Syndico generali, pro itinere ad Capitulum generale a dicto monasterio esse solvendas. Alias vero occasione interventionis factae nomine Ordinis in lite inter Ill. episcopum et moniales S. Crucis civitatis Aptensis, a dictis monialibus esse refundendas.

97. Ad petitionem R. D. abbatis de Hemmenroda, concedit Capitulum generale ut cultus ab immemoriali tempore, imo a 500 circiter annis, ibidem b. David exhibitus, continuetur, et dies festi illius, ut solitum est, in dicto monasterio de Hemmenroda celebretur.

98. Auditis contractuum examinatoribus, Capitulum generale contractum inter D. Petrum Ponsier, priorem monasterii de Fonte frigido ex una, et D. Petrum Hennuy eiusdem monasterii monachum ex altera partibus, super impetratione in Curia prioratus clericalis principalis S. Eugeniae, reprobat et annullat, mandans propterea D. Hennuy ut desinat a procuranda in saeculari iudicio illius contractus confirmatione, et redeat ad Fontem frigidum, sub poenis et censuris Ordinis.

99. Confirmatur contractus de anno 1691 inter monachos de Valle lucenti ex una, et Noemum Marillon ex altera, sub onere missam solemnem pro requie eius die 3 februarii celebrandi.

---

[d] Evithianae : *Ch*², Catherinae : *D*⁵, Widiaiae : *Boll.*

100. Reprobatur et annullatur contractus initus ab Antonio Cusol, pro tunc priore de Grandi sylva monasterii, cum D. De Chabanes Dela Gahe [e] de 27 septembris anno 1676 [f], quo a monachis illius monasterii in societatem et partagium terrae de Tarrida nuncupata, dictus D. De Chabanes vocatur cum omnibus honoribus et emolumentis.

101. Emptionem domus olim ad monasterium Marientalense Confluentii pertinentis, a monasterio de Hemmenroda factam, approbat Capitulum generale.

102. Contractus venditionis factos a conventu monastreii de Thoroneto civibus des Lorgues iurium quorumdam honorificorum pretio 115 libr. turonen. annuatim solvendarum, confirmatur.

103. Permutatio 252 virgarum terrae cum aliis 505 facta inter R. D abbatem de Ponte frigido et D. Vastart confirmatur.

104. Capitulum generale concedit officialibus collegii S. Bernardi Parisiensis facultatem ineundi contractum permutationis unius iugeris terrae prope Machacum pro censu annuo 62 libr. turonen. et 10 solidorum.

105. Contractus die 1 ianuarii 1683 [g] initus a conventu monasterii de Feneriis cum D. du Funtalar, ex pecunia monacho ibidem professi, reiicitur et annullatur.

106. Similiter etiam reprobatur alius contractus initus ab eodem praedicto conventu quo, erga D. de Prade tenetur pro 50 missis et aliis precibus annuatim habendis, ob pretium 12 librarum.

107. Contractum permutationis de die 12 augusti 1692 intra abbatem et conventum B. M. de Vallibus Cernay ex una, et Excell. D. de Pontchartrain, ministrum Status Regis christianiss. summumque aerarii Praefatum ex altera partibus, visis litteris approbationis R. adm D de Claravalle, patris immediati, Capitulum generale confirmat in plenaria Ordinis potestate.

108. Licentiam vendendi duo praedia non amortisata, a Rmo D. N. die 15 octobris 1696 datam D. priori de Waerschoot, confirmat praesens Capitulum generale, sub oneribus et conditionibus inibi expressis, et eidem D. priori de novo concedit facultatem vendendi aliud simile praedium non amortisatum, sub iisdem conditionibus quibus supra, et ea praesertim ut pecuniae inde provenientes serventur sub tribus clavibus, quarum una apud R. D. abbatem de Baudeloo remanebit. donec aedificandae ecclesiae impendantur.

109. Ludum cartarum et alearum in omnibus Ordinis nostri monasteriis prohibet Capitulum generale, sub poenis in canone contentis.

110. Vitium detestabile proprietatis radicitus amputare cupiens

---

[e] Gabanes de Lagache: *Boll.* [f] 1696: *Sa.* [g] 1663: *Boll. D*[5].

Capitulum generale prohibet sub poena suspensionis, superioribus, cellerariis, provisoribus et procuratoribus ne cuiquam monacho dent, aut dari procurent, aut sinant, pecuniam pro vestiario, sed de omnibus necessariis provideatur in specie seu in natura, neque pro vestiario seu aliis necessariis determinetur aliqua summa pecuniaria.

111. Causa R.D. abbatis de Rauda contra R.D. abbatem Gemelnicensem super iure paternitatis, committitur Vicario generali Silesiae dirimenda iudicio diffinitivo, in plenaria Ordinis potestate.

112. Inobservantias regulares monasterii Lucellensis aegre ferens Capitulum generale, et confirmare cupiens ordinationes in eo factas a R. D. de S. Urbano, Vicario generali, ei districte praecipit ut visitationem ibi incoeptam perficiat quamprimum, ibique reformet et corrigat tam in capite quam in membris ea omnia quae reformanda et corrigenda noverit, cum facultate ab officio delinquentem quemlibet amovendi, in plenaria Ordinis potestate.

113. Monialibus de Rathausen et Eschenbach iam dudum ab Ordine nostro abstractis et directioni R. D. abbatis de S. Urbano a Nuntio Apostolico in Helvetia commissis, conceditur communicatio suffragiorum Ordinis ob singularem earum ad Ordinem affectum, et piam conversationem.

EXCUSATIONES ABSENTIUM

114. Abbates et superiores Siciliae et Congregationis Calabriae et Lucaniae, excusantes se ob paupertatem monasteriorum et locorum distantiam, declarat Capitulum generale contumaces, cum non obediverint decretis ultimi Capituli generalis, de congreganda paulatim ad veniendum ad hoc Capitulum pecunia, et mandat sub aliis poenis in Ordine consuetis, ut deinceps sine ulla excusatione debito suo satisfaciant.

115. Cum ad Capitulum generale detulerit Procurator generalis in Curia, Praesidem et abbates Congregationis Tusciae et Lombardiae de debito suo veniendi ad haec comitia, ipsis rite intimato, litigare; cupiens idem Capitulum generale unitatem Ordinis servare in vinculo pacis, districte praecipiendo mandat Procuratori generali ut litem iam incoeptam omni studio prosequatur, curetque reduci dictos Praesidem et abbates ad praescriptam obedientiam, et alia quibus erga Ordinem tenentur, iuxta Summorum Pontificum constitutiones, concordata et usum hucusque receptum.

116. Similiter Capitulum generale D. Procuratori generali iniungit, ut obtentum diu et recens intimatum contra Reformatores seu Vicarios generales abbates Congregationum Castellae et Lusitaniae monitorium, executioni mandari quamprimum diligenter sollicitet.

SESSIO DECIMA QUINTA

117. Celebrata missa a R. D. abbate de Rauda, generale Capitulum ordinavit ut DD. Durand et Noricié, monachi Morimundi, reddant rationem computuum R. adm D. abbati de Morimundo et conventui.

118. Referente R. D. abbate de Charitate controversiam ratione praetensae paternitatis a R. D. de Heisterbach super monasterium monialium ad Rubum S. Georgii, commissa est R. D. abbati de Hemmenroda, in plenaria Ordinis potestate terminanda.

119. Supplicanti R. D. abbati de Rauda ut anniversarium solemne defunctorum pro fundatoribus sui monasterii in 17 iulii incidens, transferatur in feriam 2 post dedicationem ecclesiae suae, annuit Capitulum generale.

120. Controversiam inter D. Nicolaum Bonnet et D. Petrum Charlot, ratione abbatiae Clariloci ab utroque praetensa, et dicti Charlot diffamationem super certis criminibus, Capitulum generale commisit R. D. de Pietate et R. D. de Charmeia ut inquirant, cognoscant et processum incoeptum continuant et consumment usque ad diffinitivam sententiam inclusive, in plenaria Ordinis potestate, et suspendit praefatum Charlot ab officio et dignitate abbatis usque ad sententiam diffinitivam.

121. Capitulum generale committit in plenaria Ordinis potestate iisdem commissariis visitationem omnium monasteriorum Ordinis nostri in ducatu Lotharingiae et Barri, correctionem et reformationem, in capite et in membris, et praefatis commissariis mandat et praecipit ut diligenter inquirant de electionibus et postulationibus, earumque confirmationibus, aliisque provisionibus hucusque factis in monasteriis nostris praefatarum et aliarum ditionum Ducis Serenissimi Lotharingiae, easque confirment et annullent seu invalidas declarent. Et de hoc scribatur Seren. Duci, aliasque fieri faciant et confirment, si casus exigat.

122. Exponente R. D. de S. Urbano quod Ill. Baro de Fleckenstein monasterium dictum de Marienbronn a longo tempore suppressum in ruinis iacens D. Meron spontanee cesserit et liberaliter donaverit, ut cultus divinus sub ritu Ordinis Cisterciensis ibidem reassumatur, committit Capitulum generale dicto D. de S. Urbano ut inquirat de commodo et incommodo huius donationis, et statuat quod melius iudicaverit.

123. Capitulum generale concedit facultatem R. D. abbati de Hemmenroda tractandi cum Seren. D. Electore Palatino pro recuperandis monasteriis nostri Ordinis in ditionibus illius sitis, eo quo potuerit meliori modo.

124. Occasione relati status monasteriorum Siciliae, statuit Capitulum generale ut *Breve* Apostolicum Alexandri PP. VII servetur ad

amussim, quod sufficiens esse iudicat ad perfectam reformationem in his inducendam. Et si quae difficultas in hac reformatione seu circa alia negotia statum monasteriorum illorum concernentia occurrerit, remittitur ad Procuratorem generalem in Curia.

125. Circa petitionem R. D. abbatis de Veteri monte super paternitate immediata monasteriorum Derneburgensis [h] et Novalis B. M. Virginis vulgo Marienrode, Capitulum generale diffinit immediatam paternitatem monasteriorum illorum devolvi ad Capitulum generale, seu eo non sedente ad Rmum D. N. cuius auctoritate praedictae monasteria visitabit Vicarius generalis, absque praeiudicio patris immediati.

126. Quoad monasteria quaedam a tempore Lutheri suppressa, duxit Capitulum generale supplicandum esse christianiss. Regi quatinus dignetur suo ministro apud Seren. Electorem Brandeburgensem dare in mandatis, ut nomine suo procuret restitutionem illorum monasteriorum sacro Ordini nostro.

127. Declarat praesens generale Capitulum quod professiones monialium, impeditis patribus immediatis, debeant recipi a Vicario generali. Per quod non intendit Capitulum generale patrum immediatorum iuri derogare.

128. Renovat Capitulum generale diffinitionem Dist. XI cap. 1 *Novellarum*, quae sic se habet : Nullus de Ordine Mendicantium de cetero recipiatur ad habitum Ordinis nostri, nisi de mandato Summi Pontificis. Qui vero iam recepti fuerint, prostrati (id est inhabiles ad quaevis officia) maneant, nec vocem habeant in capitulo, nec dignitates sive beneficia sine Sedis Apostolicae licentia, iuxta canonicam sanctionem. Quicumque vero abbas iam receptum exaltaverit vel receperit ad habitum, in futurum ab ingressu ecclesiae sit suspensus, donec exaltatum prostraverit vel expulerit sic receptum ; quin imo recipiens sine mandato vel licentia Domini Papae, seu receptioni consentiens vel procurans, eo ipso sententiam excommunicationis se noverit incurrisse.

129. Post haec retulit R. D. abbas de Valle dulci, Vicarius generalis provinciae comitatus Burgundiae, statum sui vicariatus.

SESSIO DECIMA SEXTA

130. Pomeridianis horis, congregato de more Diffinitorio, R. D. de Hemmenroda retulit statum sui vicariatus Infer. Germaniae, et proposuit Capitulo generali ut ex prioratu titulari de Bottenbroich

---

[h] Ernburgensis : *Ch*², Arneburgensis : *D*⁵, Burnenbur : *L*⁸.

seminarium fieret Coloniae. Super quae Capitulum generale statuit ut dictus R. D. de Hemmenroda informaret de commodo et incommodo, adiunctis sibi aliquot abbatibus, et informationem transmittant Rmo D. N.

131. Tum retulit vener. prior de Claritate statum sui vicariatus provinciae Turonensis et Cenomanensis, et concessit Capitulum generale ut in monasterio monialium de Bono loco in dicta provincia fiat festum s. Benedictae sub ritu duarum missarum maiorum.

132. Ad instantiam R. D. de Hemmenroda conceduntur suffragia Ordinis Emin. et Rmo Electori Ioanni Hugoni ab Oersbeck, archiepiscopo Trevirensi.

133. Item, ad instantiam R. D. abbatis de Hardenhausen Celsissimo et Rmo Principi Hermanno Wernero de Metternich, episcopo Paderbornensi.

134. Vener. priores de Bello prato Belvacensi et de Feneriis retulere statum monasteriorum suae provinciae respectivae, scilicet Picardiae et Arverniae.

135. Controversiam inter RR. DD. de Nizella et de Camberone ratione pecuniae a defuncto Nicolao de Court relictae, remisit Capitulum generale terminandam Vicario generali Hispano-Belgii.

136. Circa receptionem et professionem novitiorum, servetur *Benedictina.*

SESSIO DECIMA SEPTIMA

137. Die 26 maii, celebravit missam in pontificalibus R. D. abbas de Valle dulci. Fratrem Albericum Callin, monachum de Rhuna, per R. D. abbatem suum Capitulo generali delatum uti a vocatione sua et sanctae regulae praeceptis degenerem et incorrigibilem, mandat Capitulum generale plectendum esse a suo abbate poenis contentis in *Brevi* PP. Alexandri VII, et nostris statutis. Et si in contumacia perstiterit eum eiiciendum esse ab Ordine iuxta formam praescriptam in dicto *Brevi* Apostolico.

138. Requirente R. D. Promotore impositionem taxae super Ordinis monasteria pro reparatione aedificiorum collegii S. Bernardi Parisiensis, iuxta supplicationem vener. Provisoris dicti collegii, generale Capitulum imponit taxam 25000 libr. monasteriis Ordinis nostri in Gallia ; quae taxa a Rmo D. N. adiunctis sibi RR. adm quatuor primis abbatibus, vel duobus ex ipsis, fiat omni meliori modo quo viderint expedire, attento statu et proventu monasteriorum.

139. Circa dissidium quod aliquot iam annis erat inter R. D. Visitatorem seu Vicarium generalem Bohemiae ex una parte, et R. D. abbatem Hilariensem ex altera, circa ius praesidentiae sive in elec-

tionibus, sive visitationibus in monasterio Altovadensi, Capitulum generale statuit propter pacis charitatisque custodiam ut alternative iisdem praesidentia concedatur, ita ut (quia vice ultima eam habuit R. D. Vicarius generalis) primo anno R. D. Hilariensis pater abbas eiusdem monasterii Altovadensis directorium habeat, et deinceps alternis vicibus in futurum. Quod si pater abbas absens fuerit, et non nis per commissarium compareret in ordine vicis suae, tunc directorium non habebit commissarius. De cetero, quantum fieri poterit, parcant nimiis sumptibus et expensis ecclesiae viduatae.

140. Declarat Capitulum generale abbates illos qui absque legitima causa a Capitulo generali absentes fuerunt, poenas in bulla Benedicti PP. XII contentas incurrisse, demandatque Vicariis generalibus ut desuper serio inquirant, et nulla rationabili causa fultos ad duplum expensarum condemnent quas facturi essent veniendo ad Capitulum generale et redeundo.

141. Mandat Capitulum generale Procuratori generali in Curia, ut diligenter incumbat in tuendis iuribus et privilegiis Ordinis nostri, et a Sede Apostolica eorumdem confirmationem procuret.

142. Statuit Capitulum generale quod R. D. de Salem, Vicarius generalis Super. Germaniae, et R. D. de Caesarea visitationem quamprimum faciant in monasterio Stambsensi, in plenaria Ordinis potestate, et procedant usque ad depositionem abbatis inclusive, si ita mereatur et res exigat ; ad quam si procedant, adiungant sibi tertium abbatem quem ad hoc idoneum crediderint.

143. Supplicantibus monialibus B. M. Leonaecellae permittit Capitulum generale ut festum S. Iustinae cuius corpus ibi colitur, sub ritu duarum missarum maiorum ibi celebretur.

144. Item, conceditur monialibus S. Crucis pro festo S. Coronatae cuius corpus ibidem habetur.

145. Deinde lecta fuit epistola Ill. ac Rmi archiepiscopi Parisiensis, monasteria de Trappa, de Claretis, necnon monachos et monasteria S. O. recommendans, occasione cuius requisivit Promotor ut priores et confessarii S. O. instituerentur a patribus immediatis de consilio et consensu Visitatorum seu Vicariorum generalium, et ut recursus recta haberetur ad Visitatores. Circa quod Capitulum generale obedire volens *Brevi* reformationis Alexandri PP. VII, quo praecipitur in virtute s. obedientiae Ordinis nostri superioribus ut S. O. non modo protegere ac zelo charitatis complecti, verum etiam diffundere et propagare pro viribus studeant, mandat patribus immediatis ut non instituant priores in monasteriis commendatis et confessores in monasteriis monialium S. O. nisi de consilio et consensu Visitatoris provinciae in qua sunt monasteria. Insuper mandat prioribus et ceteris

personis eiusdem S. O. ut recta ad Visitatores suos recurrant, salvo iure appellationum ad patrem immediatum de Visitatore.

146. Allegans idem D. Promotor memorati Ill. D. archiepiscopi Parisiensis praeclara de Ordine nostro merita, petiit pro eodem communicationem suffragiorum Ordinis. Petitioni annuit Capitulum generale et eum ad dictam communicationem gratanter admittit.

147. Similiter participationem suffragiorum concessit Capitulum generale Ill. D. Mahuet, ministro et secretario Status Seren. Ducis Lotharingiae.

148. Post haec R. D. abbas de Petris reddidit computuum rationem, quos Capitulum generale approbavit ab examinatoribus eorum subscriptos.

149. Ad computus contributionum exactius faciendos mandat Capitulum generale Vicariis generalibus, ut in singulis monasteriis repraesentari sibi faciant apochas et contributionum registra, ut videant quid ex dictis contributionibus Capitulo generali solvendum restet, et quantum in futurum solvere debeant, et proximo Capitulo generali faciant relationem, et contributiones quas exigent a monasteriis provinciae suae annuatim mittent ad cellerarium Cistercii, qui eas reponet in arca sub tribus clavibus, de qua pecunia respondebit monasterium Cistercii Capitulo generali.

150. Referente R. D. de Chalocheio statum collegii Tholosani, subiunxit R. D. Promotor illud collegium primitus ad Capitulum generale pertinuisse, tractu vero temporis ab abbatibus de Grandi sylva usurpatum esse, sed indefessa cura Rmi D. N. moderni, obtento super hoc magni consilii Regis christianiss. arresto, iurisdictioni Capituli generalis restitutum fuisse, cuius causa Rmo D. N. multum debere Ordo noster grate recognoscit.

SESSIO DECIMA OCTAVA

151. Horis pomeridianis, habito Diffinitorio more solito, R. D. abbas de Parisio retulit statum monasteriorum vicariatus Provinciae a D. Blasio Léaulté missum, et facta mentione clausurae monialium, mandat Capitulum generale Vicario generali eiusdem provinciae ut per omnes iuris et iustitiae vias strictam introducat clausuram in monasterio S. Petri de Almanara.

152. Supplicatio D. Nicolai Bonnet ut sibi assignetur habitatio in certo monasterio et pensio a suae professionis monasterio solvenda, exauditur, et a Capitulo generali ipse remittitur ad monasterium Belliloci, cum pensione solvenda a cellerario abbatiae Clariloci usque ed tres menses ibi mansurus.

153. Ad requisitionem R. D. Promotoris de imponenda taxa pro

reparatione aedificiorum collegii Tholosani super monasteria provinciarum vicinarum, mandat Capitulum generale Vicario generali provinciae Tholosanae et dicti collegii Provisori, ut taxas iam alias factas, curent colligi et collectas in praefatum usum pecunias in manus notabilis civis Tholosani a supremo senatu Tholosano deputati consignent.

154. Compilationem aliquot statutorum factam pro felici regimine monasteriorum Ordinis in Bohemia, Moravia et utraque Lusatia, generale Capitulum confirmat, exceptis articulis ad marginem reprobatis, donec compilatio statutorum mox publicanda pro toto Ordine fiat in plenaria Ordinis potestate.

155. Electionem, confirmationem et installationem de persona R. D. Benedicti Litwerig, monasterii Ossecensis professi Ordinis nostri in abbatem eiusdem monasterii, Capitulum generale laudat, approbat et confirmat in plenaria, *etc.*

156. Idem de persona R. D. Petri Richter, monasterii Neocellensis professi, in abbatem eiusdem loci.

157. Idem de persona R. D. Edmundi Rogerii, monasterii Zarensis professi, in abbatem eiusdem monasterii.

158. Idem de R. D. Stanislao Prinsach, monasterii Altovadensis, in abbatem eiusdem loci.

159. Electionem... *etc.* de persona vener. sororis Barbarae Wodieskin monasterii S. Mariae Ordinis nostri professae, in abbatissam eiusdem monasterii, generale Capitulum laudat ... *etc.*

160. Ad idem, de persona vener. sororis Marthae Fanneriae, monasterii Mariae Vallensis professae, in abbatissam eiusdem monasterii.

161. Idem de persona vener. sororis Odiliae Hensdkelin, monasterii Mariae Stemensis professae, in abbatissam eiusdem monasterii.

162. Sedlicense negotium ratione paternitatis immediatae remittitur ad sequens Capitulum.

SESSIO DECIMA NONA

163. Die 27 maii, missa celebrata a R. D. de Marcilliaco in pontificalibus, et habito Diffinitorio RR. DD. de Hemmenroda et de Charitate retulerunt petitiones RR. DD. deputatorum Congregationis Coronae Arragonum et Navarrae, in Diffinitorio, circa quas Capitulum generale dispensat de uno anno circa annos professionis eorum qui eligentur in abbates, causa cognita et approbata in Capitulo provinciali.

164. Omnes missae conventuales applicentur pro intentione generali vel speciali Ordinis.

165. Feria V, VI et sabbato Sancto in capitulo legantur capita regulae secundum ordinem.

166. Festa B. M. V. singulariter concessa pro Hispania, fiant in monasteriis nostris sub ritu duarum missarum maiorum.

167. De officiis sanctorum qui specialiter coluntur in aliquibus monasteriis nostris Coronae Arragonum et Navarrae, statuit Capitulum generale ut in codice separato ponantur illa officia quae non apponent ad calcem *Breviarii*, et quae non recitabunt nisi prius a Rmo D. N. revideantur et approbentur.

168. Capitulum generale mandat Procuratori generali in Curia ut a SS. D. N. quamprimum obtineat privilegium communicationis [i] privilegiorum aliorum Ordinum et Congregationum.

169. Conceditur monasterio de Petra festum s. Innocentii martyris sub ritu duarum missarum maiorum celebrari die 31 augusti.

170. Item, conceditur monasterio monialium La Zaidia in civitate Valentiae, celebrare tam festum s. Barbarae quam s. Hildephonsi, sub eodem ritu.

171. Quoad cultum imaginis Nostrae Dominae Desolatorum eaedem moniales se conformabunt aliis ecclesiis Valentiae.

172. Annuit Capitulum generale petitioni R. D. abbatis de Rauda, ut in suo monasterio festum s. Barbarae sub ritu duarum missarum maiorum celebretur.

173. Ad instantiam R. D. de Osseco conceditur participatio suffragiorum Excell. Domino Ioanni comiti de Clavis, consiliario sac. Caesareae Maiestatis et eius Ill. coniugi Barbarae.

174. Occasione epistolae Ill. et Rmi episcopi Rupellensis scriptae Rmo D. N. super scandalis quae in monasterio de Gratia Dei, in sua dioecesi, a quibusdam monachis patrata sunt, Capitulum generale remittit illud negotium Vicario generali provinciae Pictaviensis, ut cognoscat, reformet et iudicet usque ad sententiam diffinitivam.

175. Prohibet Capitulum generale omnibus religiosis Ordinis ne aliquis monachus alium nominet Dominum, id est *Monsieur*, et idem de monialibus decernitur.

176. Renovantur statuta Ordinis contra calumniatores, diffamatores, scribentes ad episcopos, principes et potentes adversum superiores, recurrentes ad iudices saeculares, sub poenis in iisdem contentis.

177. Statuit Capitulum generale quod ii qui ad iudices saeculares appellaverint et causa ceciderint, mulctentur poenis contentis in canonibus, et nostris statutis contra eos qui ad tribunalia saecularia appellarent, ultra quas poenas subibunt eas quae per sententiam iudicis saecularis decernuntur.

178. Capitulum generale prohibet ne monachi et moniales litteras scribant, nec recipiant, absque licentia superioris.

---

[i] *deest Boll.*

179. Innovans Capitulum generale statuta Ordinis nostri, prohibet ne superiores et monachi admittant ingressum mulierum ad loca regularia.

180. Supplicanti R. D. abbati de Hemmenroda ut dedicatio suae ecclesiae incidens in primam iunii, propter octavas Ascensionis et Pentecotes, transferatur in dominicam tertiam post Pentecosten, annuit Capitulum generale.

SESSIO VIGESIMA

181. Horis pomeridianis lectae sunt a R. D. Promotore litterae patentes Augustissimi Caesaris, clementissime concedentis ut abbatia B. M. de Paszto in Super. Hungaria, cum cunctis eiusdem abbatiae iuribus et immunitatibus, oppidis, villis, possessionibus, aliisque quibusvis pertinentiis Ordini Cisterciensi iure postliminii restituatur, et etiam ut R. D. Andreas Zolnaï, ob egregium in propagatione orthodoxae fidei zelum aliasque eius eximias virtutes a sacra Caesarea Maiestate donatus ea abbatia, expleta probatione novitiatus in monasterio Vellerhardensi in Moravia, dictam abbatiam administret. Hanc autem munificam Caesaream restitutionem et donationem non modo acceptat Capitulum generale, sed et cum summa gratiarum actione sacrae Caesareae Maiestati obligatissimum se recognoscit, et omnibus conditionibus in memoratis litteris expressis annuit, et praefatum D. Andream Zolnaï in abbatem pro monasterio B. M. V. de Paszto, expleto novitiatu et facta professione, instituit.

182. His dictis et peractis, requirente R. D. Promotore, instituti sunt Visitatores seu Vicarii generales, et alii publici ordinis officiarii, videlicet :

In tota Italia et Insulis adiacentibus : D. Stephanus Prinstet cum facultate subdelegandi. — *In Polonia, Prussia et Lithuania :* D. Ioannes abbas Androviensis. — *In Silesia :* R. D. Henricus Victorinus abbas Henricoviensis. — *In Moravia, Bohemia, et Lusatia :* R. D. Andreas abbas Plassensis, cum facultate subdelegandi in casu infirmitatis. — *In utraque Austria et Hungaria :* R. D. Marianus abbas S. Crucis. — *In Carinthia et Carniola :* R. D. Iacobus Rhunensis. — *In Congregatione Super. Germaniae :* R. D. Stephanus abbas de Salem. — *In Infer. Germania :* R. D. Robertus abbas de Hemmenroda, cum facultate subdelegandi. — *In Suevia :* R. D. Rogerius abbas Caesariensis. — *In Franconia :* R. D. Candidus abbas de Ebraco. — *In Helvetia, Brisgoia et Alsatia :* R. D. Ulricus abbas de S. Urbano. — *In Bavaria ;* R. D. Candidus abbas Raitenhaslensis. — *In principatu Leodiensi :* R. D. Emmanuel abbas de Alna. — *In Belgio Hispano :* R. D. Lucas abbas de Dunis. — *In Belgio Gallico :* R. R. Ioseph abbas de Claromarisco. — *In Congregatione Coronae Arragonum et Navarrae :* R. D. Eugenius abbas Leyerensis. — *In ducatu Burgundiae :* D. Petrus Henriot prior titularis de Directa valle. — *In comitatu Burgundiae :* D. Edmundus confessarius monialium de Battanto. — *In Sabaudia :* R. D. Ioannes Antonius abbas de Stamedio, cum facultate subdelegandi. — *In Lotharingia :* R. D. Franciscus abbas de Ponte frigido. — *In Campania :* R. D. Carolus abbas de Valle dulci. — *In Insula Fran-*

ciae : Rmus rogatur a Capitulo generali ut hanc Insulam visitet. — *In Normannia :* R. D. Benedictus abbas de Fulcardimonte. — *In Andegavia, Cenomania et Turonia :* D. Philibertus Donet prior de Claritate. — *In Britannia minori :* R. D. Melchior abbas de Precibus. — *In Pictavia :* R. D. Laurentius abbas de Pinu. — *In Burdegalensi provincia :* D. Guillelmus Bouhier prior de Obazina. — *In provincia Ruthenensi :* D. Ioannes Baptista Moreau prior de Custodia Dei. — *In Tholosana provincia :* D. Hieronymus Guillaume prior de Ardorello. — *In provincia Provinciae :* D. Ludovicus Guillemeau prior de Bonoloco. — *In Delphinatu, Bugesio et Bressia :* D. Philippus Lejuge de Bonavalle Viennensi. — *In Arvernia :* D. Nicolaus de la Barrière prior de Feneriis. — *In Biturgia et Marchia :* D. Iacobus Ardelu prior de Loco regio. — *In provincia Picardiae :* D. Claudius Crescent prior de Bello prato.

183. *In Insula Franciae, Picardia, Campania, S. O. :* R. D. Paulus abbas de Charmeya. — *In Pictaviensi, Burdegalensi et Insulis adiacentibus S. O. :* R. D. Petrus abbas de Columba. — *In Britannia minori, Normannia, Andegavia S. O.* : R. D. Melchior abbas de Precibus. — *Procurator gener. in Curia romana :* D. Stephanus Prinstet. — *Procurator gener. in Gallia :* R. D. Ludovicus abbas de Charitate [j].

SESSIO VIGESIMA PRIMA

184. Die 28 maii, pomeridianis horis, congregato Diffinitorio, lecta sunt acta supra scripta et subsignata [k]. Fr. Nicolaus abbas generalis Cisterciensis, fr. Claudius abb. de Firmitate ; fr. Orontius abb. Pontiniaci Ordinis pater primarius ; fr. Bouchu abb. Claraevallis abb. primarius Ordinis ; fr. Benedictus abb. Morimundi pater dicti Ordinis primarius ; fr.Franciscus abb. S. Sulpitii ; fr. Petrus abb. de Barberio ; fr. Petrus abb. de Columba ; fr. Laurentius abb. de Pinu ; fr. Minault abb. de Valle dulci ; fr. Petrus de Baudeloo ; fr. Stephanus Girardin abb. de Bello becco ; fr. Benedictus abb. Fulcardimonte ; fr. Robertus abb. in Hemmenroda; fr. Claudius abb. de Parisio; fr. Ludovicus abb. de Charitate ; fr. Emmanuel Noville abb. de Alna ; fr. Uldaricus abb. de S. Urbano ; fr. Iosephus Melchior de Serene abb. de Precibus ; fr. Franciscus abbas de Ponte frigido ; fr. Benedictus abb. de Osseco in Bohemia ; fr. Ludovicus abb. de Lubens ex Silesia ; fr. Basilius abb. de Maris stella ex Helvetia ; fr. Ioannes Antonius abb. de Marciliaco ; fr. Hieronymus abb. de Pietate ; fr. J. Vireau abb. de Novo Castro notar. Capituli generalis ; fr. Bernardus abb. de Rauda notar. Capit. gener [l].

---

[j] *Clm³add.* : fr. Petrus Henriot not. Cap. gen. fr. Stephanus Prinstet not. Cap. gen. — Concordat cum copiis Salemio transmissis, ita testatur fr. Engelbertus abbas Alderspacensis et Vicarius generalis. [k] Hic desin. *D⁵L⁸*.

[l] *Ch² add.* : A me fr. P. Benedicto Besançon, religioso professo et sacerdote

185. Soluta ultima feliciter sessione in Diffinitorio ex eo iverunt ad Capitulum Rmus D. N. adm RR. DD. quatuor primi abbates, RR. DD. abbates aliique ad hoc Capitulum convocati, necnon conventus Cistercii. Quibus omnibus consedentibus lecta sunt acta Capituli generalis superscripta. Tum Rmus D. N. concionem habuit ; absolutioneque ab eo facta fundatorum, benefactorum, abbatum, fratrum nostrorum in Domino defunctorum, hymnus *Te Deum laudamus* cantatus est ad sonitum campanarum, processionaliter procedentibus omnibus ad ecclesiam. Quo finito, versibus et oratione ab eodem Rmo D. N. dictis, idem Rmus D. N. omnes dimisit. Sic signatum : fr. J. Vireau abbas Novi Castri, notar. Cap. gener. Fr. Bernardus abbas de Rauda, notar. Cap. gener. Fr. Petrus Henriot, notar. cap. gener. — Fr. Stephanus Prinstet, notar. Cap. gener.

1704

ACTA CAPITULI INTERMEDII
apud Cistercium celebrati die 14 mensis aprilis, anno Domini 1704.

SESSIO PRIMA

1. Cum ex inscrutabili Divinae Providentiae consilio ob grassantem ubique belli horridi furorem, non possint generalia Ordinis nostri comitia statutis haberi temporibus, intermedium Capitulum Rmus D. N. vi *Indictionis* a se legitimae factae, hac die 14 mensis aprilis celebravit.

2. Facta igitur mane ab adm R. D. abbate de Firmitate coram omnibus privata de Sancto Spiritu missa ; et statim congregatis more solito ad sonitum maioris campanae Rdis adm D. de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et de Morimundo ; similiter RR. DD. de Lucella, de Valle dulci et de Pontefrigido monasteriorum abbatibus ; item, vener. DD. Ludovico Guillemeau de Directa valle priore titulari, Petro Henriot de Masuris priore titulari, et Rmi D. N. secretario, Edmundo Perrot, monialium de Battanto confessario, Nicolao de la Barrière priore de Feneriis, dominoque Stephano Prinstet, provinciarum Provinciae, ducatus et comitatus Burgundiae, Arverniae et totius Italiae respective Visitatoribus et Vicariis generalibus; idem Rmus D. N. post hymni *Veni Creator*, versuum et orationis, recitationem, super praesenti argumento facundam et efficacem commo-

---

de Roseriis descriptum anno 1709, aetatis meae 69.— *In fine cod. Na legitur* : fr. Lucas abbas Dunensis, Vic. Cap. gen. 1699.

1704. *Fontes : A^3* : 1-7 ; *Ch^2* : 1-7 ; *L^8* : 1-7.

vendis animis habuit concionem. Eius deinde iussu, duodecimus *Brevis* Alexandri PP. VII articulus, de Capitulo intermedio, lectus est, qui incipit: Et quia, etc. Et ab ipso officiales ordinati sunt videlicet : D. Edmundus Promotor, D. Stephanus Prinstet et D. Nicolaus de la Barrière notarii Capituli.

3. Retulit vero vener. D. Promotor quod cum ad supplicationem vener. D. Provisoris collegii S. Bernardi Parisiensis, Capitulum generale de anno 1699 taxam 25000 libr. pro reparatione eius aedificiorum et Rmo D. N. et RR. adm DD. primis abbatibus ei adiunctis, vel duobus ex ipsis, omni meliori modo monasteriis in Gallia imponendam decrevisset ; et exinde RR. adm DD. de Pontigniaco et de Morimundo deputati, suam quique ratam portionem assignassent, status causae delineationes fabricae, et pactiones a Rmo D. N. approbatae sunt. At cum supra praefatam 25000 ibr. summam, alia 6992 libr. et 10 solid. ex venditione cuiusdam partis fabricae dicti collegii (quae est Bacchalaureorum dormitorium nuncupatur) proveniens ; et ad totalem 31992 libr. et 10 solid. summam ascendens, reparationi veterum, sive constructioni novorum aedificiorum impensa fuerit. Idem vener. Promotor pro parte Ordinis requisivit, ut vener. D. Procurator praedicti collegii S. Bernardi Parisiensis summarum exactioni, et aedificiis construendis praepositus, villicationis suae redderet rationem ; quibus rite perpensis, vener. DD. Ludovicum Guillemeau, Nicolaum Mathieu priorem de Morimundo, Ludovicum Fratrais Cistercii cellerarium et Alexandrum de Hondreville R. adm D. de Claravalle secretarium, in computum dicti D. Procuratoris examinatores praesens Capitulum instituit, eis totius rei ponderandae curam demandando.

SESSIO SECUNDA

4. Die 15 aprilis, matutinis horis, post celebratam ab adm R. D. de Pontiniaco missam de Beata, et congregato, ut moris est, Capitulo, examinatores supradicti computuum Procuratoris collegii, ad Rmi D. N. iussum, requirente sic vener. D. Promotore, comparuerunt ; primusque ordine D. Ludovicis Guillemeau omnium quae in negotio reparationis sive constructionis dictorum aedificiorum gesta sunt, enucleatam fecit relationem ; auditis etiam dictis vener. DD. Promotore et Procuratore collegii, laudat et confirmat praesens Capitulum taxae impositionem ab adm RR. DD. deputatis, necnon venditionem fundi, in quo partim situm erat Bacchalaureorum dormitorium, in seminarii S. Nicolai commodum factam. Attendens autem quod praeter pecunias dictarum impositionis et venditionis, maior ex necessitate in perficiendis aedificiis summa fuerit consumpta, decrevit, quod postquam diu desiderata pax illuxerit, fiat iterum taxa 11333 libr. cum 16 solid. et 3 denar. super monasteriis in Gallia, eodem modo quo prior per commissarios a Rmo D. N. deputandos imponenda. Et ut praedictum collegium, quod aliunde propter temporum calamitates, nimis gravatur oneribus, huiusmodi debitae summae arreragiis valeat facere satis ; censuit et statuit idem Capitulum pensionem annuam ab unoquoque scolari solvi solitam, ad decem usque libras augendam, et sic

exigendam debite a die prima mensis maii proximi, tempus solutionis usque ad publicatam pacem exclusive computando ; concessa ad hunc finem dicto Procuratori collegii omnimoda facultate.

5. Experientia in dies semper magis ac magis comprobata, quod ex praerogativis iam dudum ab Ordine in studentium et magistrorum gratiam, aemulationis causa, concessis, tranquillitas et bonus ordo saepe perturbetur. Volens huic malo praesens et efficax afferre remedium, provisionaliter praecipiendo declarat Capitulum quod ex nunc in omnibus omnino monasteriis Ordinis, excepto Parisiensi collegio, omnes qui laurea doctorali, servatis servandis, sunt insigniti, et deinceps insignientur, huiusmodi praecedentiae praerogativis et aliis honoribus gaudere non valeant, nisi post actum quem resumptam vocant, et tempus quo in sacra facultate theologica Parisiensi doctores magistri de iure et approbata consuetudine, secundum eiusdem statuta, suis solent frui honoribus et praerogativis.

SESSIO TERTIA

6. Eadem die, pomeridianis horis, congregato ut prius Capitulo, ad requisitionem Promotoris, substituti sunt loco officialium a tempore ultimi Capituli generalis defunctorum, et alii nominati sunt, videlicet Visitatores seu Vicarii gnerales : *In provincia Hispani Belgii :* R. D. abbas de Baudeloo. — *In provincia Insulae Franciae, Picardiae et Campaniae monaster. S. O. :* R. D. Iacobus Noël abbas de Charmeia. — *In provincia Delphinatus :* D. Ioannes Iacobus de Marmagne prior de Bonavalle Viennensi. — *In provincia Bituricensi :* S. Stephanus Prinstet prior de Barzella. — *In provincia Normanniae C. O. :* D. Marcus Le Doul [a] prior de Mortuomari. — *In Sabaudia :* R. D. abbas de Stamedio.

7. Denique facta fuit lectio actorum praesentis Capituli intermedii, quae de more approbata fuere et subsignata a Rmo D. N. ceterisque supranominatis RR. adm quatuor primariis abbatibus, Cistercii, die et anno quibus supra [b]. Sic signatum. Fr. Nicolaus abbas generalis Cisterciensis. fr. Petrus abb. de Firmitate. fr. Orontius abb. Pontigniaci, fr. Petrus Bouchu abb. Claraevallis. fr. Nicolaus abb. Morimundi, fr. Antonius [c] abb. Lucellensis. fr. Carolus Mynault abb. de Valle dulci. fr. Franciscus abb. de Ponte frigido. fr. Ludovicus Guillemeau prior de Directa valle, Vicarius gener. provinciae. fr. Edmundus Perrot. fr. P. Henriot prior titularis de Masuris, secret. Rmi D. N. — Concordat cum originali. fr. Steph. Prinstet, not. Cap. fr. Nicolaus de la Barrière, not. Capituli.

---

[a] Douïl : *A*[3]. [b] *Hic desin. L*[8]. [c] *Sequentia propria nomina abbatum non citat A*[3].

1734

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS
sacri Ordinis Cisterciensis, anno Domini 1734 die 24 maii et sequentibus, apud Cistercium, in ducatu Burgundiae celebrandi.

Nos, frater Andochius Pernot, abbas Cistercii, sacrae facultatis Parisiensis doctor theologus, *etc. ut in formula consueta.*

Superna disponente Providentia, in abbatiali Cisterciensis archicoenobii sede, universalique eiusdem sacri Ordinis regimine, meritis licet imparibus, constituti, pro muneris nostri debito rite exequendo, post divini cultus, officiique curam et studium nihil tam cordi habemus, quam primaevis SS. Patrum, aliorumque praedecessorum nostrorum institutis et vestigiis, necnon saluberrimis Capitulorum generalium constitutionibus sedulo intendere ac inhaerere, quibus inter cetera; et maxime *Chartae charitatis* dispositione, frequens dictorum Capitulorum nostrorum celebratio summopere commendatur, ac non immerito praecipitur; vocati enim in una spe vocationis, solliciti omnes esse debemus servare mentis unitatem, ut non tantum unum corpus in Christo sumus, sed etiam unus spiritus.

Verum unitas illa, animorumque consensio, votis omnibus exoptanda, vix coaugmentari potest et coalescere, nisi in vinculo pacis et charitatis, quam utramque a pluribus retro annis intus et foris labefacturi moesti dolentesque advertimus; et foris quidem pacem continuis fere bellorum, aliorumque flagellorum concussionibus turbatam vidimus; intus autem charitatem multorum, temporum iniuria, refrigescentem sensimus; sed cum Dei miseratione ac Principum concordia christianis Europae partibus, in quibus tabernacula nostra pro servitio Altissimi posita sunt, publica tranquillitas restituta vigeat, faveatque pacis amplissimi felicitas, conciliandae animorum nostrorum unitati, simulque restaurandae ubi collabescit, et consolidandae ubi florescit, Ordinis disciplinae Domino aspirante, iunctis viribus allaborandum iudicavimus.

Ut itaque pax illa, quae exsuperat omnem sensum, et fraterna charitas, tam luculenter a SS. Patribus nostris commendata integretur ac reviviscat, nihil satius, nihil efficacius, nihilque opportunius esse duximus, quam longo triginta quatuor annorum spatio tum bellorum tumultibus, tum pestilentiae, terroribus, tum provectioris nostrorum praedecessorum aetatis infirmitatibus, tum nostris demum propriis domesticorum negotiorum necessitatibus interrupta, praepedita vel procrastinata renovare generalia Ordinis comitia, in quibus utraque instaurari possit, ac instaurata roborari; ut volente tandem propitioque Numine, Ordini nostro, qui in charitate

---

1734. *Fontes* : D^5, folia typis impressa quae in publico Divionensi asservantur sub n° *H* 406.

fundatus est, vere dici queat: *In dilectione firmaberis* (Eccli. VII, 39).

Cum igitur illud omnibus optabilissimum pacis dilectionisque bonum inter nos renovari, constabilirique melius nequeat, quam in Capitulis generalibus, in quibus non tantum de observatione s. regulae et statutorum Ordinis, sed insuper de mutua ad invicem fovenda charitate et salute animarum procuranda tractare nos oportet. Eapropter talis Capituli celebrationem apud archicoenobium nostrum Cisterciense, totius Ordinis caput, in ducatu Burgundiae, anno Domini 1734, die 24 mensis maii, seu feria secunda post dominicam quartam Pascha immediate sequentem, vobis omnibus de more indicendam existimavimus, uti praesentium tenore paterna nostra auctoritate indicimus... *etc.* Ne vero ulla ignorantiae ... *etc.* Iniungimus praeterea ... *etc.* Porro praecipimus ... *etc.* Prohibemus autem *etc.* Et quoniam praesentium... *etc.*

Dabantur Parisiis in nostro S. Bernardi collegio, sub nostro secretariique nostri signo manuali et maioris contrasigilli nostri impressione, anno Domini 1733, die vero 6 mensis maii. — *Signatum :* F. Andochius abbas generalis Cisterciensis.

De mandato Rmi D. D. abbatis generalis Cisterciensis. F. Ioann. Bern. Begin, secretarius.

B) REVOCATIO INDICTIONIS CAPITULI GENERALIS sacri Ordinis Cisterciensis, anno Domini 1734, die 24 mensis maii et sequentibus, apud Cistercium in ducatu Burgundiae celebrandi.

Nos, frater Andochius Pernot, abbas Cistercii... *etc. ut in formula consueta,* salutem in Authore salutis.

Universalis nuper felicis per Europam pacis, Principumque christianorum concordiae fiducia, necnon sacrae religionis nostrae, eiusdemque regiminis, nostrique officii cura et studio ducti, generale dicti Ordinis nostri Capitulum die 24 mensis maii et sequentibus anni proxime venturi apud Cistercium, de more celebrandum, indiximus, talisque indictionis instrumenta seu exemplaria per singulas Ordinis Congregationes, provincias et monasteria maiori, qua fieri potuit, diligentia distribui ac rite notificari curavimus. Sed ecce : sinistro temporis fato infestus subito et undique erumpentis belli turbo ac incendium sollicitudini nostrae obsistit, omnes pro dicto Capitulo conatus evertit, eiusque indictionem et conventum necessario revocare et suspendere compellit, uti praesentium tenore, dolentes equidem, revocamus, suspendimus et usque ad restitutam, Dei miseratione, inter christianos Principes pacis et concordiae serenitatem, paterna nostra et sacri Ordinis auctoritate revocatam, suspensamque declaramus.

Ne autem sacri Ordinis nostri disciplina, eiusdemque provinciarum regimen, belli iniuris gravius aliquod detrimentum patiatur, sollicite, quantum in nobis est, praecavere intendimus, omnes et singulos dicti Ordinis alumnos paterne monendo, ac etiam in virtute salutaris obedientiae exhortando, ut Vicariis nostris generalibus, aliisque abbatibus et superioribus suis, in nostris congregationibus, provinciis et monasteriis,

legitime institutis, in Domino subiecti vivere pergant, morum animorumque uniformitatem tenere studeant, et mutua sese charitate, praesertim belli calamitate afflictos confratres, seu religionis et observantiae nostrae consortes, forsan a propriis domibus et coenobiis suis pulsos et exulantes, praevenire, benevole, ubi circumstantia loci et temporis ratio permiserint, inter suos recipere, possibilibusque modis adiuvare et consolari satagant.

Porro, ut praedicto Ordinis provinciarum, cum quibus omnes nobis commercium bello abruptum est, regimini magis consulatur, memoratis Vicariis nostris generalibus, praesentium serie specialem conferimus facultatem et auctoritatem, omnes vicariatus seu provinciae suae abbatum et abbatissarum, superiorumque perpetuorum, quibus de iure aut consuetudine praesidere solent, electiones, toto belli tempore obtingentes, et ab ipsis legitime peractas, in plenaria Ordinis potestate approbandi, valideque confirmandi ; nihilominus tales electiones, restituta pacis tranquillitate, etiam nostrae approbationis diplomate de more roborandas, pro gestorum notitia reservando.

Omnimodam insuper praefatis nostris Vicariis generalibus corporis aut senii infirmitate, hostili periculo, vel nimia locorum distantia praepeditis, capaces Ordinis personas, tum abbatiali dignitate, tum alia quacumque tituli vel officii praerogativa insignitas, sui loco et nomine ad electionum abbatialium praesidentias et regulares, quando necesse fuerit, monasteriorum sibi commissorum visitationes obeundas substituendi ac deputandi potestatem, supradicta Ordinis nostri auctoritate, exceptis tamen solemnium benedictionum abbatialium fonctionibus, indulgemus et concedimus, sicut harum vigore litterarum etiam cuilibet, in evidenti morae periculo, viciniori Ordinis nostri abbati, indultam concessamque volumus.

Ceterum universos sacri Ordinis nostri Reverendos abbates, abbatissas, aliosque superiores vehementer obsecramus, ut in commissis sibi monasteriis per sacras preces et orationes, tam publicas quam privatas, Domino exercituum et Principi pacis, in cuius manibus corda regum sunt, absque intermissione pro christianarum Potestatum concordia, et S. R. E. tranquillitate supplicari faciant, ut sancta desideria, recta consilia et iusta in nobis opera operando, det illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis suis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint sua protectione tranquilla, utque tandem sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Cum vero praesentium originale... *etc.*

Datum in nostro Cistercii archicoenobio, sub nostro secretariique nostri signo manuali, et maioris contrasigilli nostri impressione, anno Domini 1733, die vero 23 mensis decembris. — *Signatum* : F. Andochius, abbas generalis Cisterciensis. *Et inferius* De mandato praefati Reverendissimi Domini D. abbatis generalis, F. Ioannes Bernardus Begin, secretarius.

1738

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS
anno Domini 1738 die 5 mensis maii et sequentibus, apud Cistercium in ducatu Burgundiae celebrandi.

Nos, frater Andochius Pernot, abbas Cistercii,... *etc. ut in forma consueta.* Salutem in Auctore salutis.

Tandem miseratione Divina, extincto bellorum incendio, christianorumque principum concordia feliciter constabilita, iuvat suspensa sinistris imparum eventibus et retardata nimis adimplere vota communibus Ordinis commodis ac necessitatibus unanimi omnium vestrum sententia et consensu providere, pertractare eadem mente unoque consilio ardua et urgentia eiusdem Ordinis negotia, iustitiae leges in concordia disponere atque disciplinam in charitatis et pacis vinculo consolidare. Eapropter *Indictionem* nostram Capituli generalis anno Domini 1733, die sexta maii publicatam, die vero vigesima tertia mensis decembris eiusdem anni revocatam, sub melioribus auspiciis quamprimum renovandam ac restituendam esse duximus, uti praesentium litterarum tenore renovamus ac restituimus, atque paterna nostra et plenaria qua fungimur Ordinis auctoritate, praedicti Capituli generalis, seu comitiorum solemnitatem ad diem quintam mensis maii, quae est feria secunda immediate sequens dominicam quartam post Pascha, anni proxime venturi 1738, apud Cistercium, totius Ordinis caput, solito more celebrandum de novo indicimus et convocamus ; in quo quidem Capitulo generali, auxiliante Deo, praecipue de divini cultus et honoris augmento, de mutuae charitatis firmamento, de sanctae regulae et monasticae disciplinae ob-

---

1738. *Fontes* : B^2 : A, 1-330 ; L^8 *Ta Va* : 1-330 ; D^2 *Sa* : 1-40, 47-55, 57-330 ; D^5 habet quaedam folia sub titulo : *Excerptum actorum Cap. gener. sacri Ord. Cisterc. apud Cistercium celebrati anno D.* 1738, *die* 5 *maii et seq.* : 9-14, 17, 20^b, 22, 24^b, 26 *(partim)*, 34, 35, 39, 50, 53, 55-60, 62-72, 75, 82, 111, 115, 116, 121, 123-127, 138, 142, 143, 157, 158, 163, 164, 166, 167, 178, 179, 185, 186, 201, 203, 222, 224, 227, 228, 230, 238, 239, 251, 255, 262, 283, 301, 302, 313, 314, 316, 317, 318 *(partim)*, 321, 323, 328, 329 ; quae omnia subsignata sunt a Claudio de Clugny, priore B. M. de Monasteriis in Argona, et sigillata sigillo vicariatus ducatus Burgundiae. J^2 citat tantum abbates praesentes Cap. generali. — Libellus quidam impressus s. l. n. d. sub titulo *Décrets du Chap. génér. de* 1738 *dont les Intervenans sont Appelans comme d'abus*, citat sequentia statuta : 22, 25, 35, 63, 237 *(partim)*, 123, 262, 142, 24, 34, 143, 238, 82, 323^a ; T^7 : 1-330 ; T^8 : 2, 4, 7, 8, 9, 15, 20, 21, 23^a, 28, 29, 36, 47, 51^a, 74, 118^a, 129, 135^a, 140^a, 144, 160, 169^a, 184^a, 205^a, 218^a, 237^a, 241, 249^a, 282^a, 296^a, 298, 299, 305^a, 306. — D^1 transl. in gall. linguam pro monialibus : 84-107, 254, 127, 60, 61, 122, 34, 109, 108, 110, 115, 262.

servantia, de uniformitatis conservatione, aliisque salutaribus ordinationibus, iuxta regulares Ordinis et Sanctae Sedis Apostolicae constitutiones, una vobiscum agere, necnon de variis quibusdam maximi momenti rebus Ordinis statum spectantibus, quae mutuo sollicitudinis et auctoritatis praesidio planius ac facilius dirigi diffinirique possunt, deliberare, disponere et decernere constituimus.

Vos autem omnes et singulos paterno affectu monemus et obtestamur, ut officii vestri religionisque memores, tam sancto operi promovendo adesse studeatis, et nihilominus cuilibet vestrum in virtute salutaris obedientiae et sub poenis in constitutione f. r. Benedicti PP. XII expressis, aliisque nostro et Capituli generalis arbitrio infligendis... *etc.* — Ne ulla vero ignorantiae ... *etc.* Iniungimus praeterea ... *etc.* Denique praecipimus ... *etc.* Prohibemus autem ... *etc.* Et quoniam praesentium ... *etc.*

Datum in nostro Cistercii archicoenobio, sub nostro secretariique nostri signo manuali, et maioris contrasigilli nostri impressione anno Domini 1737, die vero 15 mensis maii. *Sic signatum* F. Andochius, abbas generalis Cisterciensis. — *Et infra* de mandato praefati Rmi D. N. abbatis generalis, fr. Ioannes Bernardus Begin secretarius, et sigillatum maiori sigillo eiusdem Rmi D. N.

Concordat, 14 iulii 1737. Fr. A. Pattheet [a].

* * *

Acta Capituli generalis apud Cistercium celebrati anno Domini 1738, die 5 maii et sequentibus.

1. Restituta tandem in omnibus Europae partibus pace, *Indictio* Capituli generalis Cisterciensis Ordinis bellorum tumultu ac iniuria temporum diu retardati, et anno proxime elapso nova *Indictione* a Rmo D. N. denuo convocati, ad exoptatum effectum pervenit, accedente die 4 mensis maii praesentis anni 1738, circa horam 4 serotinam ad archicoenobium Cistercii, caput et matrem Ordinis, innumera abbatum multitudine Rmum D. N. generalem ad maiorem ecclesiam inter devotam religiosorum turmam, pulsantibus campanis, et organis modulantibus, comitante.

SESSIO PRIMA

2. Itaque anno praedicto, die 5 maii, horis matutinis post tertiam et missam de S. Spiritu celebratam in pontificalibus per R. D. abbatem de Neocella, episcopum Zamencem designatum, Rmus D. N. omnes abbates, aliique ad praesens Capitulum convocati convenerunt ad

---

[a] Abbas de Baudelo.

sonum maioris campanae in Capitulum cum venerabili conventu Cistercii, ubi omnes in suis locis genuflexi hymnum *Veni Creator* decantarunt, subiiciente versus et collectas consuetas Rmo D. N.

3. Lectis postea Sereniss. ac Christianiss. Regis litteris ac praevia humanissima oratione[b] ab Ill. et magnifico D.D. de la Briffe, ducatus Burgundiae dignissimo Praefecto, de clementissima Regis voluntate erga Rmum D. N. ac totum Ordinem, Rmus D.N. sedens, et post eum sedentibus pariter omnibus, gravi, paterna, facundaque oratione omnes in Christo congregatos admonuit de renovanda ac constanter conservanda unitate spiritus, quatinus vinculo charitatis arcte uniti eant de virtute in virtutem, et quantum humana et fragilis conditio permittit, ad religiosae perfectionis fastigium ascendere contendant.

4. Post haec recedens Rmus D. N. cum RR. adm DD. abbatibus de Firmitate, de Claravalle et de Morimundo, (R. adm D. abbate de Pontigniaco ob senium absente) e Capitulo ad Diffinitorium accessit idem Rmus D. N. cum praedictis tribus primis abbatibus pro Diffinitoribus eligendis. Cantor Cistercii petita ante discessum Rmi D. N. benedictione, legit sequens Indulgentiarum *Breve* Apostolicum universo Ordini a SS. D. N. benigne concessum.

5. CLEMENS PAPA XII

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. — Cum, sicut accepimus, Capitulum generale monachorum Ordinis Cisterciensis in monasterio Cistercii, Cabilonensis dioecesis monachorum Ordinis huiusmodi quod omnium eiusdem Ordinis monasteriorum et locorum regularium caput et mater existit, die 5 mensis maii benedicente Domino, celebrandum sit, Nos, ut opus tam pium maiori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui ecclesiam praefati monasterii, vel aliquam ex ecclesiis monasteriorum monachorum Ordinis huiusmodi ubique existentium, die praefato ac singulis actualis illius celebrationis diebus devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresim extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum veniam indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus post celebrationem dicti Capituli generalis minime valituris. Volumus autem ut

---

[b] Haec oratio typis demandata fuit, cuius exemplaria aliquando inveniuntur inter acta huius Capituli, v. g. apud B^2. *Discours prononcé par M. de la Briffe, conseiller d'Etat, intendant de Bourgogne, à l'ouverture du Chapitre général de Cisteaux, le* 5 *mai* 1738. *Avec la traduction latine. — A Dijon, chez Arnauld Jean-Baptiste Augé, seul imprimeur du Roi et du Parlement. MDCCXXXVIII*

si pro impetratione, postulatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Utque earumdem praesentium transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fidem adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. — Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 16 decembris 1737, pontificatus nostri anno 8. *Signatum.* F. Carolus Oliverius.

6. Deinde cantor legit articulum de *Antiquis Diffinitionibus :* Quomodo se habeant abbates in Capitulo generali, caput III *Chartae charitatis*, bullam Clementis PP. IV quae incipit *Parvus fons*, et aliqua capita ex sacra regula. Quam lectionem continuavit usque ad reditum Rmi D. N. et dictorum adm RR. DD. abbatum ex Diffinitorio, ubi facto Diffinitorum selectu ad Capitulum reversus Rmus D. N. cum praefatis DD. abbatibus ordinationem sequentem iussit alta voce promulgari per D. Ioannem Bernardum Begin, secretarium suum, videlicet.

7. ORDINATIO CAPITULI GENERALIS

DIFFINITORES : Rmus D. N. abbas **Cisterciensis**, s. th. d., R. D. abbas de Luciscella, R. D. abbas de Novo Castro, s. th. d., R. D. abbas de Grosso bosco, R. D. abbas de S. Urbano ; R. adm D. abbas de **Firmitate**, R. D. abbas de Gratia Dei Bisuntinensi, R. D. abbas de Sedlicio, R. D. abbas de Uterina valle, s. th. d., R. D. abbas de Oliva ; pro R. adm D. abbate de **Pontigniaco** absente R. D. abbas de Langheim, R. D. abbas de S. Fide in Hispania, R. D. abbas de Waldsassen, R. D. abbas de S. Benedicto in Italia ; R. adm D. abbas de **Claravalle**, R. D. abbas de Bello becco, s. th. d., R. D. abas de Septem fontibus, R. D. abbas de Baudeloo, R. D. abbas de Himmerode ; R. adm D. abbas **Morimundo**, R. D. abbas de Alta sylva, R. D. abbas de Porta Gloni, s. th. d., R. D. abbas de S. Cruce in Austria, R. D. abbas de Pelplinio.

CONFESSARII : R. D. abbas de Aureavalle, R. D. abbas de Trappa, R. D. abbas de Fide in Hispania, R. D. abbas de Parisio, R. D. coadiutor de Landa, D. prior de Thoroneto, D. prior de Monasteriis, D. prior de Eleemosina, s. th. d., D. prior de Charitate Bisuntinensi, D. magister novitiorum Cistercii, D. subprior Cistercii.

CONSULTORES : R. D. abbas de Neocella, R. D. abbas de Ebraco, R. D. abbas de Parisio, R. D. abbas de Nizella, R. D. abbas de Pietate, s. th. d., R. D., abbas de Precibus, s. th. d., R. D. abbas de Charmeia,

R. D. coadiutor de Escureyo, R. D. coadiutor de Landa, R. D. diffinitor Congreg. Arragonum et Navarrae.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : R. D. abbas de Villario in Brabantia, R. D. abbas de Valcellis, R. D. abbas de Waldsassio, R. D. abbas de Stamedio, R. D. abbas de Alta sylva , R. D. abbas Walderspacensis, R. D. abbas de Porta Gloni, s. th. d., D. prior Cistercii, D. Provisor collegii S. Bernardi Parisiensis, s. th. d., D. prior de Flarano, D. secretarius R. adm D. abbatis de Claravalle.

AUDITORES COMPUTATIONUM : R. D. de Escureyo, R. D. abbas de Pinu, D. Provisor de Sinanqua, D. prior de Valloliis, s. th. d., D. prior de Oratorio, D. prior de Maceriis, D. prior de Bonavalle Viennensi, D. cellerarius de Firmitate, D. De Musy deputatus de Alta ripa.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : R. D. abbas de Bello prato in Lotharingia, R. D. abbas de Walderspacensis, R. D. abbas de Luba, R. D. abbas de Heisterbaco, D. secretarius Congreg. Germaniae, D. prior de S. Andrea Rothomagensi, s. th. d., D. prior de Monasteriis, D. prior de Oliva, s. th. d., D. prior de Vallibus in Ornesio, s. th. d., D. prior de Fonteneto, s. th. d., D. procurator collegii S. Bernardi Parisiensis, D. procurator de Maceriis.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : R. D. abbas de Aureavalle, R. D. abbas de Trappa, D. Prior de Thoroneto, D. Prior de Eleemosina, s. th. d., D. Procurator de Firmitate.

NOTARII ABBATES : R. D. abbas de Barbereio, R. D. abbas de Maris stella.

PROMOTORES CAUSARUM : R. D. abbas de Valle dulci, s. th. d., R. D. Prior perpetuus de Gratia N. D. s. th. d.

NOTARII AD PEDES : D. Benedictus Schindler secretarius Rmi D. N., Ioannes Bernardus Begin secret. Rmi D. N.

PORTARII DIFFINITORII : D. Franciscus Marivin Provisor collegii S. Bernardi Parisiensis, s. th. d., D. Maximilianus Dardenne prior de Sylvanesio [e].

8. His itaque ordinatis et RR. adm tribus primis abbatibus ceterisque Diffinitoribus, quibus ex officio in Diffinitorio locus competit, a Rmo D. N. rite institutis, et de servanda fidelitate ab ipso admonitis, ipse solus sedens, ceteri autem stantes, tacto pectore, sub fide sacerdotis de fideli commissi sibi muneris executione iuramentum praestiterunt, et praecedente Rmo D. N. omnes secundum suum ordinem a Capitulo exierunt. Et sic soluta fuit prima sessio.

---

[e] *B² addit etiam ordinem servandum in choro* : Stabunt in choro ex parte abbatis (sequuntur nomina) ; stabunt in choro ex parte prioris (item nomina). Omnes numero nonaginta duo.

SESSIO SECUNDA

9. In 2 sessione horis pomeridianis habita, RR. DD. Promotores inhaerendo venerandis Patrum nostrorum vestigiis, requisiverunt ut per Rmum D. N. Praesidem et Capitulum generale determinarentur orationes et preces, quae sic ordinatae sunt.

10. Pro SS. DD. N. Clemente PP. XII ... pro Emin. cardinalibus ... et maxime pro Emin. D. D. Antonio Cardinali De Via, Ordinis Protectore clementissimo ... *etc.*

11. Pro Sereniss. et Augustiss. D. D. Carolo, Dei gratia Romanorum Imperatore. Pro Sereniss. D. D. Ludovico XV Galliarum et Navarrae Rege... Pro Sereniss. D. D. Philippo V, Hispaniarum Rege catholico. Pro Sereniss. D. D. Augusto III Poloniarum Rege Orthodoxo... Pro Sereniss. stippe Ill. Ducum Burgundiae ... *etc.* Pro Emin. D. D. Hercule de Fleury, Regni Galliarum administro, et de universa Europa sacroque Cisterciensi Ordine optime merito. Pro Ducibus ...*etc.*

12. Pro burgensibus ... *etc.*

13. Pro pace et unitate ... *etc.*

14. Postremo pro omnibus religiosis ... *etc.*

15. Et statim ad requisitionem RR. DD. Promotorum lectae sunt diffinitiones Capituli generalis de anno 1699, ad quarum lectionem declaravit Rmus D. N. cartas Capitulorum generalium ac universi Ordinis esse iam asservatas in loco separato a cartis monasterii Cistercii.

16. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, deliberatum est et decretum, collectis suffragiis, quod inhaerendo antiquis diffinitionibus, nemini liceat in audientia Diffinitorii loqui nisi stando, et petita et obtenta licentia a Rmo D. N. Cistercii abbate Praeside.

17. Statutum est in formula excommunicationis die Palmarum promulgari solita, olim insertam hanc clausulam *nisi infra diem Jovis resipiscant*, omittendam et delendam esse.

18. Controversia orta ex lectione statuti in quo dicitur, quod ratio suspicionis debeat probari apud Visitatorem seu Vicarium generalem, remittitur ad aliam sessionem discutienda et iudicanda.

19. R. D. abbas de Himmenrode quaedam negotia proposuit suam provinciam concernente quae Capitulum generale iussit communicari RR. DD. Promotoribus in scripto, ut ea ab ipsis in Diffinitorio proponantur, in altera sessione examinanda.

SESSIO TERTIA

20. Die 6 eiusdem mensis, celebrata missa de s. Ioanne ad Portam Latinam, pontificante R. adm D. abbate de Firmitate, convocato ad sonum maioris campanae Diffinitorio, ad horam 8 matutinam, con-

tinuata est lectio diffinitionum dicti Capituli generalis anni 1699. Quarum lectione absoluta, approbatae sunt et confirmatae ultimi Capituli diffinitiones, exceptis articulis qui limitatione et explicatione indigebant, et a RR. DD. Promotoribus in sequentibus sessionibus proponentur examinandi.

21. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, Capitulum generale diffinit : 1º Renovando decreta Capitulorum generalium de anno 1667 et 1672 prohibitum esse ne fiant a quovis petitiones seu requisitiones nisi per viam et ministerium Promotorum. — 2º Quod agitatis a RR. DD. Promotoribus, ubi opus erit, in utramque partem quaestionibus, post ipsorum requisitionem, Rmus D. N. teneatur suffragia alternatim, id est unius post alterum colligere, et ad pluralitatem suffragiorum concludere ; et si res gravioris momenti et difficilioris discussionis sint, tunc poterunt ad alteram sessionem, vel ad consultores remitti.

22. Circa controversiam remissam in sessione 2, de suspicione probanda apud Visitatorem, visum est Capitulo generali, adhaerendo requisitioni RR. DD. Promotorum renovare decreta Capitulorum generalium praecedentium scilicet de annis 1667 et 1683, quibus prohibetur Patribus immediatis ne commissarios mittant nisi Vicario legitime suspecto, cuius suspicionis causa probabitur a Patribus coram Visitatore, quam si legitimam invenerit dictus Vicarius generalis tum sese revocando partes ad Patrem immediatum remittat. Si vero ipsam illegitimam diiudicaverit, nihilominus, processum instituet, et alia facienda faciet, salvo debito recursu ad Patrem immediatum. Si vero Pater immediatus in certis sibi causis notis Vicarium suspectum habuerit, tunc tenebitur coram Rmo D. N. Cisterciensi suspicionis causas deducere, et ab ipso plenaria qua fungitur auctoritate Capituli generalis dispensationem obtinere valent, exceptis commissionibus datis vel dandis a Rmo D. N. pro monasteriis Poloniae, et aliis extra Galliam sitis pariter exceptis, iuxta diffinitionem Capituli generalis anni 1683, commissionibus datis vel dandis a Rmo D. N. et a R. adm D. abbate de Claravalle pro monasteriis Belgii Gallici.

SESSIO QUARTA

23. Hora 2 post meridiem, ad signum maioris campanae, absente propter infirmitatem R. D. abbate de Septem fontibus, ad requisitionem RR. DD. Promotorum, statutum est quamlibet a RR. DD. Promotoribus propositam quaestionem ita seorsim solvendam esse seu terminandam, ut nemini liceat occasione propositae quaestionis aliam proponere.

24. Requirente R. D. primo Promotore ut a Vicariis generalibus

fierent relationes visitationum ab ipsis factarum in monasteriis suae curae et diligentiae commissis, statim, ut aliis fieret exemplo, Rmus D. N. rationem reddidit de visitationibus per se nuperrime factis. Tum laudata plurimum paterna Rmi D. N. vigilantia occasione debitorum a R. adm D. abbate de Firmitate, nuper defuncto, et ipsius conventu contractorum, prohibet Capitulum generale ne quatuor primi, aliique abbates, abbatissae, superiores et superiorissae mutuo pecunias accipiant, nec etiam sylvas inter bona immobilia, iuxta bullam SS. D. Benedicti PP. XII, comprehendendas, vendere praesumant, absque maioris vel saltem senioris partis respective conventus libero et in scriptis consensu, et Vicariorum seu Patrum immediatorum, facta prius diligenti de commodo et incommodo inquisitione, et Capituli generalis, aut eo non sedente, Rmi D. N. petita et obtenta licentia.[1]

25. Cum vero Cistercium, alma Mater Ordinis nostri, ob varia impedimenta a notabili tempore regulariter visitatum non fuerit, et ipsum tamen, iuxta s. Patris nostri Stephani *Chartam charitatis*, constitutionesque Apostolicas, singulis annis visitari debeat, requisivit Rmus D. N. ut haec Cistercii visitatio, iuxta bullae *Clementinae* et *Chartae charitatis* praescriptum morem ac ritus, a quatuor primis abbatibus singulis annis perficeretur. Sed quia dicta visitatio a quatuor praedictis primis abbatibus insimul et personaliter peragi debet, necessarium visum fuit Rmo D. N. ut quatuor abbatum aut alicuius ex illis defectui seu absentiae provideret. Quapropter in audientia Diffinitorii in locum ipsorum infirmitate aut alio quovis casu impeditorum, nominandos, deputandos, ac substituendos duxit, et sic nunc pro tunc nominatos, deputatos ac substitutos approbat et confirmat praesens Capitulum generale, videlicet Rdo adm D. de Firmitate R. D. de Gratia Dei Bisuntinensi abbatem, Rdo adm D. de Pontiniaco R. D. abbatem. de Uterina Valle, Rdo adm D. de Claravalle R. D. de Charmeia, Rdo adm D. de Morimundo R. D. de Valle dulci, casu quo unus vel alteri praedictorum substitutorum et subrogatorum abbatum deficiat vel impediatur in illius vel illorum loco unus aut alter ex reliquis praenominatis substitutis non impeditis assumetur a Rmo D. N. ad requisitum praefixumque quaternarium numerum omnino complendum. Tandem si quatuor primi Ordinis abbates videlicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo in proxime futuro festo B. Magdalenae seu tempore in bulla Clementis PP. IV praescripto et determinato ad visitandumCistercium non comparuerint, quatuor abbates de Gratia Dei Bisuntinensi, de Uterina valle, de Charmeia et de Valle dulci, aut in eorum defectu alii Ordinis nostri abbates ad hanc Cistercii visitationem praefatorum quatuor primorum absentium loco executioni dandam a Rmo D. N. advocari licite poterunt et assumi.

26. Circa procuram generalem Ordinis apud S. Sedem, requirente

R. D. Promotore, haec sequentia praesens Capitulum generale statuit et vult districte observari. — 1° Omnes Ordinis personae cuiuscumque status et dignitatis existant, ob necessitatem aliquam, etiam cum superiorum suorum consensu ad Urbem accedentes, statim teneantur se sistere Procuratori generali, eumque instructum reddere de licentia et causa sui adventus. Et si aliter fecerint, ab eodem puniantur, in plenaria Ordinis potestate. — 2° Inhaerendo diffinitionibus Capitulorum generalium de annis 1490 et 1491 pro augendis tenuissimis proventibus Procuratoris generalis in Urbe, quicumque novus electus aut promotus ad dignitatem abbatialem in quocumque monasterio aut Ordinis loco (excepta Gallia) cuiuscumque status, gradus, dignitatis, conditionis, sexusve existant (non comprehensis tamen abbatibus et abbatissis triennalibus vel quadriennalibus) statim ac semel post suam electionem aut promotionem solvat eidem Procuratori generali decem ducatos aureos de Camera Apostolica. Qui dicti decem ducati ut facilius securiusque ad Procuratorem generalem perveniant, deponantur a neoelectis aut promotis abbatibus et abbatissis inter manus Vicarii seu commissarii generalis suae respective provinciae, et deinde Vicarius generalis praefatus ducatos cum solitis contributionibus Procuratori generali transmittat. — 3° Amplietur hospitium eiusdem Procuratoris generalis, et ita disponatur ut Romam venientes Ordinis personae in eo commode et religiose degere possint, mediante convenienti pro victu solutione. At pro facienda praefati hospitii ampliatione, vicariatus seu provinciae Bohemiae et Silesiae quorum contributiones proventibus monasteriorum dictarum provinciarum minime proportionatae videntur, iuxta hic annexam taxam in posterum ac annuatim sine defalcatione cambii Procuratori generali apud S. Sedem solvere teneantur, videlicet. — *In Bohemia,* Viri : Sedlicium 3 aureos, Plassium 5 aureos, Ossecum 5 aur., Altovadum 5 aur., Spinea Corona 2 aur., Aula regia 5 aur. — Moniales : Frauwenthal seu Vallis virginum 1 aureum. — *In Moravia,* Viri : Wellehradium 5 aur., Zara seu Fons S. Mariae 5 aur. Moniales : Tischnovium 4 aur., Reginae vetero Brunae 5 aur. — *In Lusatia,* Viri : Neocella 4 aur. — Moniales : Mariae vallis 4 aur.; Mariae stella 5 aur. — *In Silesia,* Viri : Luba 10 aur., Grissovium 10 aur., Henricowium 5 aur., Camentium 4 aur., Rauda 4 aur., Gemelnicum 2 aur.— Moniales : Trebnicium 10 aur.— 4° Prohibetur, quemadmodum iam pridem fuit prohibitum a Capitulo generali de anno 1490, omnibus provinciis, abbatibus, abbatissis, aliisque superioribus ac superiorissis ne quisquam eorum vel earum sub quocumque respectu et causa, in virtute salutaris obedientiae, constituat sibi in Urbe agentes et procuratores, sive saeculares sive regulares ; verum omnia negotia Ordinis ac suorum respective monasteriorum lites per Procuratorem generalem apud S. Sedem promoveant, eiusque fidei ac diligen-

tiae committant ; invitando dictum Procuratorem generalem pro virili tueri et defendere negotia cuiuscumque Congregationis et provinciae. Si tamen urgens ac necessarius daretur locus mittendi Romam ab aliquo monasterio aliquem religiosum, vult et praecipit Capitulum generale ut nihil faciat idem religiosus ac promoveat in negotiis sibi commissis, nisi ex licentia et cum dependentia dicti Procuratoris generalis. — 5° Teneantur omnia et singula utriusque sexus monasteria Ordinis in Congregatione Coronae Arragonum et Navarrae, principatusque Cataloniae, pariter in Belgio Austriaco et Gallico, ac in patria Leodiensi, non de quadriennio in quadriennium, vel de biennio in biennium, sed quolibet anno suas solvere contributiones et dictorum monasteriorum Vicarii generales easdem colligere, et Procuratori generali in Curia sedulo transmittere, ita ut nulli ex praefatis Vicariis in dicta collectione ac transmissione reperiantur negligentes, necnon contributiones Ordinis sinant reliquari, et ita suae respective provinciae monasteria gravari. Quantum ad contributiones annuas vicariatus Belgii Gallici, pro maiori facilitate et commodo easdem transmittendi in posterum percipientur a Procuratore generali in Gallia, et subinde per ipsum promovebuntur ad manus Procuratoris generalis apud S. Sedem. — 6° Decem Hungarici qui antea ad alios usus a Polonia vicariatu applicabantur deinceps facta prius iuxta dictorum decem Hungaricorum in singulis antedicti vicariatus monasteriis repartitione, solutis Procuratoris generalis in Curia contributionibus addantur, ita ut octoginta a vicariatu Poloniae nummorum Romanorum summa sine defalcatione cambii ad praedictum Procuratorem generalem singulis annis transmittatur.

27. Lecta et attenta epistola Emin. D. D. Cardinalis Protectoris, circa urgentem necessitatem providendi in praesenti Capitulo generali meliori regimini ac observantiae Congregationis Calabriae et Lucaniae, ad requisitionem RR. DD. Promotorum factae sunt sequentes diffinitiones : — 1° Nullus Congregationis Calabriae et Lucaniae alumnus cuiuscumque reperiatur dignitatis aut gradus, possit decreta seu provisiones tum in Capitulis provincialibus, tum in comitiis regimentalibus edere circa statum monasteriorum provinciae necnon executioni demandare, nisi prius super eis specialis confirmatio S. Sedis, vel Rmi D. N. (vel Capituli generalis) accesserit. — 2° Nemo recipiatur in monachum nisi totius regiminis approbatione et abbatis loci consensu praehabitis, penitus tamen exclusis vili et illegitima prosapia oriundis. — 3° Monachis sanguine coniunctis usque ad tertium gradum inclusive, in eodem monasterio habitare, ibique officia administrare prohibitum sit. — 4° Monachi professi usque ad susceptionem sacerdotii non valeant collocari in monasteriis ubi professorium in statu bonae observantiae non reperitur, sed maneant sub obedientia et cura magis-

tri seu religiosi a loci abbate constituendi, nec extra monasterium nisi in comitatu et praesentia praedicti magistri exire praesumant. — 5° Officium prioris per quadriennium duret, et in eodem monasterio non valeant confirmationes nisi elapso dicto quadriennio. — 6° Officium prioris et alia monasteriorum officia non solis magistris et professoribus actualibus in monasteriis, ubi studium reperitur institutum, sed et aliis religiosis benemeritis conferantur. — 7° Laurea magistrali s. th. nullus possit condecorari nisi probatae vitae, et consummato in lectionibus theologicis septennio per monasteria provinciae, et alio pariter septennio in monasterio civitatis Consentiae, quod ad hoc expresse designatur, ea tamen lege ut inibi lectores ad minus semel quolibet anno publice defendant conclusiones theologicas, et sic per septennium de universa theologia. — 8° In monasteriis ubi studia fuerint instituta, praeter lectores constituatur a regimine doctus et insignis magister seu religiosus qui exercitiis et colloquiis studiorum gratia fieri consuetis praesit. — 9° In omnibus electionibus abbatum sive fiant per obitum, sive per cessionem aut translationem alterius, neoelectus abbas non possit se ingerere in administrationem sui officii ante obtentam confirmationem a Rmo D. N. nec post dictam confirmationem gerere per se monasterii temporalia, bene vero per religiosos officiales attendendo se habere oculos ad omnia debere, manus autem ad nihil. — 10° Abbatibus gubernii et lectoribus actualibus non sit licitum concionare tempore Quadragesimae et Adventus. — 11° Licentia concionandi in monasteriis, ibique sacramentales confessiones religiosorum et aliorum prout de iure audiendi, per solum abbatem proprii monasterii, tempore sui gubernii inclusive, et non aliter conferatur. — 12° Nullus Congregationis alumnus cuiuscumque gradus aut conditionis existat, possit ad Urbem aut alias regiones et partes accedere, inconsulto proprio abbate et Procuratore generali in Urbe pro tempore existenti, et commoranti, et absque illorum speciali licentia in quocumque casu, etiam sub praetextu invisendi propriam patriam. Qui secus fecerint, incarcerentur, et aliis poenis si expedire visum fuerit, per dictum Procuratorem generalem, in plenaria Ordinis potestate, afficiantur. — 13° Cum non sine gravi scandalo sint exortae plurimae factiones in Congregatione Calabriae et Lucaniae, pro obtinendis eiusdem Congregationis dignitatibus et officiis, et ea de causa Capitulum dictae Congregationis, quod die 26 mensis aprilis proxime praeteriti fuisset celebrandum, a Rmo D. N. suspensum existat, ut super hoc quidquid statuendum expedit in praesentibus comitiis generalibus sedulo examinetur; ideo dicto Rmo D. N. instanter fuit supplicatum ab eisdem comitiis generalibus, quatinus ad praedictis abusibus seu factionibus efficaciter occurrendum, uti de rebus et personis Congregationis Calabriae et Lucaniae sufficienter instructus di-

gnaretur ad saepe dictae Congregationis dignitates et officia personas eiusdem magis idoneas eligere ac deputare, ceterisque omnibus, quae bonum dictae Congregationis regimen spectare possunt, paterna auctoritate providere.

SESSIO QUINTA

28. Die 7 eiusdem mensis maii, celebrata missa de S. Spiritu a R. D. abbate de Sedlicio in Bohemia, ad sonitum maioris campanae, hora 8 matutina convenerunt omnes Diffinitores in diffinitorium, praeter R. adm D. abbatem de Morimundo, qui se ob infirmitatem excusavit. Tunc ad requisitionem R. D. Promotoris rationem visitationum factarum respective retulerunt R. adm D. abbas de Firmitate, R. adm D. abbas de Claravalle, R. D. abbas S. Benedicti in Italia, deputatus Lombardiae, R. D. abbas de Barberio, Vicarius generalis S. O. in provincia Normanniae aliisque adiacentibus, R. D. abbas de Baudelo in Belgio Gallico, vener. prior de Valloliis Vicarius generalis Picardiae, cuius relatio circa monasteria vicariatus dictae provinciae remissa est per Diffinitorium ad consultores.

29. Occasione relationis factae a R. D. abbate de Oliva de statu monasteriorum suae curae commissorum in Polonia, Capitulum generale remisit ad consultores sententiam a dicto R. D. abbate Olivensi factam contra abbatem Ciriciensem, serio et citius examinandam et referendam.

30. R. D. abbas de Porta Gloni post relationem factam status monasteriorum Vasconiae, certos articulos RR. DD. Promotoribus legendos in audientia Diffinitorii tradidit. Qui lecti, simul cum carta visitationis ab illo factae in collegio Tholosano, ex commissione speciali Rmi D. N. remissi sunt per Capitulum generale ad consultores, ut audito eorum consilio firmum quid et inviolabile statuatur a praesenti Capitulo.

31. R. D. abbas de Maris stella, pater immediatus monasteriorum sanctimonialium in Helvetia, facta dictorum monasteriorum relatione, obtulit supplicationem, cuius tres primi articuli ad examinatores contractuum et quartus ad consultores remissi sunt.

32. Cum ad audientiam Capituli generalis pervenerit monasteria in regno Franciae sita multum gravari declaratione quadam regia edicta anno 1731, die 13 mensis ianuarii, audito Procuratore generali, et requirentibus Promotoribus, praesens Capitulum generale humiliter Rmum D. N. deprecatur ut per se, vel per commissarios ab ipso deputandos, revocationem aut saltem benignam huiusce declarationis interpretationem instanter apud christianiss. Regem sollicet aut sollicitari faciat, scribatque nomine totius Capituli Emin. Cardinali D. D. de

Fleury, regni Galliarum administro, Excell. Cancellario ceterisque regiis ministris, ac Procuratori generali magni consilii, ut tali petitioni ac supplicationi favere et annuere non dedignentur.

33. Requirente R. D. Promotore, praesens Capitulum generale reverenter committit Rmo D. N. ut per se vel per commissarios suos expensis monasteriorum in comitatu Burgundiae sitorum, patentium litterarum in favorem ipsorum nuper a Rmo D. N. obtentarum executionem procuret vel procurari faciat, et ubicumque necessarium fuerit adversus intercessionem, intermissionem et oppositionem ab Ill. archiepiscopo Bisuntinensi praedictarum patentium litterarum executioni, praescriptioni et approbationi factam agat et agere faciat, in plenaria Ordinis potestate.

34. Ut obvietur abusui, qui in Galliae monasteria irrepsit occasione alienationum, pactionum, locationum ad vitam et in emphiteosim, commutationum et venditionum sylvarum, Capitulum generale inhaerendo antiquis et modernis constitutionibus et decretis Capitulorum generalium, prohibet ne quis sylvas vendere, alienationes, pactiones, locationes ad vitam, cum abbatibus commendatariis, et in emphitheosim cum aliis, simul et commutationem facere, nec pecunias e sylvarum venditione provenientes monasteriorum reparationibus applicare praesumant absque licentia patris abbatis et Capituli generalis, vel, eo cessante, Rmi D. N. pro tempore existentis. Mandat insuper praesens Capitulum generale universis abbatibus, abbatissis, ceterisque Ordinis praelatis et superioribus, ut praesenti diffinitioni in omnibus sese conforment. Si quis autem aliter fecerit, per Vicarium provinciae in plenaria Ordinis potestate, ab officio et dignitate simul et a divinis suspendatur. Et Rmus D.N. ad praesentis decreti fidelem et adamussim executionem invigilare dignetur, iniungendo Procuratori generali in curia Franciae, ut intercedat et sese intermittat et opponat venditionibus sylvarum, alienationibus et locationibus aliter factis, de sua intercessione, intermissione et oppositione quamprimum Rmo D. N. rationem redditurus.

35. Cum innotuerit praesenti Capitulo lites a quibusdam Ordinis conventibus temere intentari, attendens quod, ex praecepto Christi, si quis nobiscum contendere iudicio et tunicam nostram tollere cupit, teneamur et ei dimittere pallium, praesens Capitulum generale ut nulla in posterum vel rara sit ex parte monasteriorum lis et contentio, districte prohibet ne ulla lis a RR. adm quatuor primis abbatibus, inconsulto Rmo D. N. habeatur et introducatur, nec a quovis Ordinis abbate, priore vel Procuratore absque licentia Vicarii provinciae, qui in rebus privilegia Ordinis communia spectantibus Procuratorem generalem in curia Franciae de statu movendae quaestionis certiorem facere tenebitur. Ut autem promptiora et tutiora in suscipiendis vel

defendendis litibus habeantur consilia, praesens Capitulum generale statuit, diffinit ac humiliter deprecatur Rmum D. N. ut duos aut tres patrones saeculares seu advocatos Parisiis, simul et duos aut tres Procuratores eligere ac designare dignetur, ad quos et non alios, omnes Ordinis abbates, aliique superiores et procuratores pro negotiis suis instruendis consultandis, suscipiendis et defendendis accedere tenebuntur.

SESSIO SEXTA

36. Eadem die, pomeridianis horis, congregato pro more Diffinitorio, adhuc absente et infirmo R. adm D. de Morimundo, requisierunt RR. DD. Promotores ut continuarentur relationes visitationum. Et incoepit R. D. abbas de Himmerode referre statum monasteriorum sibi filialium. Deinde vener. prior de S. Andrea, Vicarius generalis Normanniae ; vener. prior de Fonteneto, Vicarius generalis ducatus Burgundiae ; vener. prior de Thoroneto, Vicarius generalis in provincia Provinciae ; vener. prior de Maceriis, Vicarius generalis S. O. in ducatu Burgundiae et in provincia Bituricensi ; R. D. abbas de Grosso bosco, Vicarius generalis provinciae Pictaviensis ; vener. prior de Bonavalle Viennensi, Vicarius generalis in Arvernia ; vener. prior de Sylvanesio, nuntius et legatus ex parte vener. prioris de Loco Dei Vicarii generalis provinciae Ruthenensis, et vener. prior de Oratorio pariter nuntius et legatus ex parte R. D. abbatis de Chalocheio Vicarii generalis in provincia Andegavensi, R. D. abbas de Trappa qui visitavit monasterium de Barbereio S. O. ex commissione speciali R. adm D. de Claravalle ; vener. prior de Eleemosina, Vicarius generalis in provincia Bituricensi. Et status omnium vicariatuum dictorum RR. DD. abbatum et vener. priorum Vicariorum generalium fuit remissus consultoribus examinandus et referendus.

37. Porrecto supplici libello a R. D. abbate de Luciscella circa ius Patris immediati quod praetendit habere supra monasterium Loci crescentis seu Trium Regum in dioecesi Bisuntinensi et comitatu Burgundiae, necnon Parisiensis in dioecesi Basileensi et provincia Alsatiae, contra R. adm D. de Morimundo, iidem RR. DD. abbates interesse in tali causa habentes, de communi consensu et cum approbatione Capituli generalis elegerunt et acceptarunt in commissarios et iudices R. D. abbatem de Valle dulci et D. priorem perpetuum de Gratia Nostrae Dominae, qui post hinc et inde examinata utriusque partis iura et praetensiones sententiam ferrent diffinitivam subinde pro perpetuis temporibus in plenaria Ordinis auctoritate, si fuerit opportunum, approbandam et confirmandam a Rmo D. N. Si vero dicti commissarii ab utraque parte accepti non possint inter se convenire circa sententiam diffinitive ferendam, tunc pariter in plenaria Ordinis auctoritate, de

consensu partium, sibi collegam associent qui consimilem in commissione habebit facultatem et potestatem.

38. Occasione relationis factae per vener. priorem de Charitate de suo vicariatu comitatus Burgundiae, requisierunt RR. DD. Promotores ut propter rationes ab eo deductas D. prior de Roseriis destitueretur. Sed benigne voluit Capitulum generale necessitatem depositionis prius notificari R. adm D. de Morimundo, infirmo et absenti ; ad quem statim missus est R. D. abbas de Porta Gloni. Diffinitor. Qui reversus retulit R. adm D. Morimundensem spondere quod soluto Capitulo generali ob iam pridem sibi plurimum nota statim destitueret dictum D. priorem de Roseriis. Quo attento decrevit Capitulum generale acceptanda esse promissa R. adm D. Morimundensis, ea tamen lege et conditione ut idem R. adm D. de Morimundo teneretur quamprimum certiorare Rmum D. N. de destitutione dicti prioris de Roseriis.

39. Cum monasterium Cistercii, Alma Mater nostra, unicum sit totius Ordinis caput, praesens Capitulum generale districtissime prohibet ne ullum deinceps Ordinis monasterium, excepto Cistercio, archicoenobium sive verbo sive scripto nuncupetur, iniungendo Vicariis et Procuratoribus generalibus et collegiorum Provisoribus, ut ubicumque talem denominationem repererint, deleri curent, in plenaria Ordinis potestate.

40. R. D. de Pietate, Vicarius generalis S. O. in provinciis Campaniae, Picardiae et Insulae Franciae, retulit statum monasteriorum dictarum provinciarum, et subinde humiliter petiit a Capitulo generali ut cartam visitationis a se et a D. priore perpetuo de Gratia Nostrae Dominae nuperrime in collegio S. Bernardi Parisiensis ex commissione speciali Rmi D. N. factam approbare et confirmare digneretur Capitulum generale. Quae res examinanda remissa est ad consultores.

41. Remittitur ad consultores supplicatio R. D. abbatis et monasterii Gemelnicensis pro reductione fundationis nimis onerosae duarum missarum.

42. Petitio monialium du Betton in Sabaudia pro reductione sex missarum unoquoque mense in earum monasterio celebrandarum, vigore fundationis factae a domina Carola et Bona du Vernay, anno 1691, remittitur ad R. D. abbatem Stamediensem examinanda et terminanda, deinde a Rmo D. N. generali confirmanda.

43. Praedictis monialibus praesens Capitulum generale licentiam et facultatem concedit festa s. Francisci Salesii et s. Amedei in ecclesia sua celebrandi sub ritu sermonis maioris iuxta Breviarium Cisterciense et officia desumpta ex communi SS., prohibens Capitulum generale ne ullum novum officium adhibeant praedictae moniales, nisi praehabito examine R. D. abbatis de Stamedio, qui curabit ut quidquid fuerit desumptum ex aliis Breviariis, ritibus Cisterciensibus accommodetur.

44. Conceditur abbati et monasterio Gemelnicensi licentia celebrandi festum s. Adalberti episcopi et martyris sub ritu MM.

45. Item, conceditur monasterio de Savigniaco licentia festum s. Vitalis eiusdem coenobii fundatoris, sub ritu sermonis maioris cum octavo celebrandi.

46. Abbatissae et conventui monialium ad S. Annam intra urbem Trevirensem gratiose permittitur festum s. Annae patronae principalis celebrare sub ritu sermonis minoris.

SESSIO SEPTIMA

47. Die 8 eiusdem mensis, celebrata de S. Spiritu missa in pontificalibus a R. D. abbate de S. Cruce in Austria, ad signum maioris campanae, de more congregato Diffinitorio, omnes interfuerunt, praeter R. adm D. abbatem de Morimundo et R. D. abbatem de Luciscella infirmos. Facta requisitione a RR. DD. Promotoribus, ut coram Diffinitorio legerentur acta eorum quae hactenus fuerant decreta in praesenti Capitulo generali, lectionem incoepit R. D. abbas de Barbereio, primus notarius, continuavit R. D. abbas de Maris stella, secundus notarius, deinde RR. DD. Promotores usque ad sessionem 5 inclusive. Tum R. D. abbas de Septem fontibus, febricitans, petita et obtenta Rmi D. N. licentia e Diffinitorio egressus est.

48. Circa Congregationem Lombardiae, Capitulum generale statuit servandas esse constitutiones a Sede Apostolica confirmatas, simul et decreta anni 1713.

49. R. D. abbas de Bello becco, Vicarius generalis Insulae Franciae, retulit statum monasterii monialium ad Sylvas, in urbe Parisiorum siti.

50. Committit et deputat Capitulum generale R. D. abbatem de Uterina valle, Procuratorem generalem in Curia, et R. D. priorem perpetuum de Gratia N. D. Procuratorem generalem in curia Franciae, ad novam faciendam collectionem omnium et singulorum privilegiorum Ordinis nostri, seu cuiusvis Congregationis, provinciae, vicariatus et monasteriorum eiusdem, praecipiens omnibus Vicariis seu Commissariis generalibus transmittere quamprimum inter manus Rmi D. N. omnia et singula privilegia, indulta, bullas, brevia, etiamque indulgentias perpetuas omnibus et singulis monasteriis respective suarum provinciarum congregationum et vicariatuum specialiter et benigne concessa.

SESSIO OCTAVA

51. Eadem die, hora prima cum dimidia post meridiem, habitum est Diffinitorium more solito ad signum maioris campanae, ad quod

convenerunt omnes, excepto R. D. abbate de Septem fontibus infirmo. Ad consultores remissa fuit relatio facta per R. D. abbatem de Luciscella de vicariatu generali Alsatiae, Brisgoiae et Helvetiae.

52. Licet sessione 5 remissa fuerit ad consultores a R. D. abbate Olivensi lata contra abbatem Ciriciensem a praedictis consultoribus examinanda et referenda sententia, praesens Capitulum generale certis de causis committit RR. DD. abbatibus de Uterina valle et de S. Urbano, ut revideant et examinent processum instructum et sententiam latam adversus abbatem Ciriciensem, ac praesenti Capitulo referant.

53. Procuratori generali in curia Franciae annui proventus 3000 librarum turonen. assignantur super monasteria Galliae. Et post relationem factam a RR. DD. abbatibus de Bello becco, de Gratia Dei Bisuntinensi et de Porta Gloni a Capitulo generali deputatis ad faciendam seu revidendam dictae summae repartitionem a Capitulo generali approbandam, vult et praecipit dictum generale Capitulum Vicariis generalibus ut omnia et singula monasteria ad taxam sibi respective impositam pro Procuratore generali solvendam, per omnes iuris ac iustitiae vias, in plenaria Ordinis potestate, compellant.

54. Audita supplicatione sanctimonialium de Bono loco dioecesis Genevensis, quatinus sibi licitum foret de dicto monasterio Boni loci seu a suburbio Annecii transferri ad vetus suum monasterium ac ad primam suam fundationem, praesens Capitulum generale committendum statuit, prout de facto committit R. D. abbatem de Stamedio, Vicarium generalem, ad plenam informationem de commodo et incommodo faciendam, ac in plenaria Ordinis auctoritate, statuendum ac determinandum quae opportuna esse compererit, praehabito tamen R. adm D. abbatis de Claravalle, monasterii de Bono loco superioris immediati, consilio et praevio consensu.

55. Capitulum generale renovando decreta Capitulorum generalium de annis 1565 et 1578, mandat et praecipit et districte iniungit officialibus cellerariis, ut mensibus singulis coram superiori locali, in fine vero cuiuslibet anni coram superiore et senioribus domus, reddere non omittant computationes suas a Patribus immediatis et a Vicariis generalibus tempore visitationum suarum approbandas vel improbandas.

56. Inhibetur abbatibus qui villas et domos a monasteriis suis remotas habent, ne in villis diutius conversentur quam in statutis nostris permittitur, nec ancillas suspectae conversationis aut infra 50 annos natas in illis retineant.

57. Ut modestia quae decet religiosos servetur in mensa intra et extra monasterium, prohibet praesens Capitulum generale superioribus omnibus ne sumptuosae in monasteriis parentur epulae, nec, in quantum necessitas non exegerit, extra domum adsint conviviis, nec sit licitum monachis refectionem sumere extra monasterium nisi in

locis duarum leucarum distantia constitutis, sine expressa licentia superiorum localium, quam rarissime concedent.

58. Cum in plerisque monasteriis Ordinis circa hospitum receptionem multi committantur excessus, nec sine magno omnium scandalo et offensione, religiosaeque modestiae detrimento hospitalitas in commessationes et saeculares consuetudines saepe saepius degeneret, visum est Capitulo generali circa hospites recipiendos praescribere frugalitatem quam praescribit *Breve* SS. D. N. Papae Alexandri VII, nº 27 et omni sublato excessu hospites honeste, modeste et religiose excipiuntur.

59. Ut consulatur bono nomini ac famae Ordinis, statuit et decrevit Capitulum generale apostatas et fugitivos ubicumque reperti fuerint a Vicario et Procuratoribus generalibus detinendos esse, et superiorum suorum expensis, ad propria monasteria transmittendos, in quibus statim incarcerabuntur, et iuxta Ordinis statuta punientur.

60. Cum iuxta S. P. N. Benedicti regulam, *Breve* Alexandri PP. VII et decreta praecedentium Capitulorum generalium, administratio bonorum temporalium committenda sit officialibus ad nutum superioris amovibilibus, prohibet praesens Capitulum generale, sub poena suspensionis, ne superiores per seipsos rebus temporalibus gerendis sese immisceant nisi in casu necessitatis et specialis, a Capitulo generali, aut eo non sedente a Rmo D. N. ab illa lege propter gravissimas causas commissa eis fuerit dispensatio, quam scripto obtentam Vicario generali provinciae suae et suo Patri immediato exhibere tenebuntur.

61. Districte prohibetur Patribus immediatis et Visitatoribus, ne durante visitatione apud moniales plus quam bina vice ad interiora monasteriorum ingrediantur, semel videlicet ad examinandam clausuram, cellas et reliqua interioris monasterii aedificia, ac iterum pro publicanda visitationis carta. Quo tempore patrem confessarium et tres aut quatuor seniores religiosas in comites assumere tenebuntur, et in locis monasterii perlustrandis quam minimam moram facere satagant.

62. Quando quidem ex pernicioso superiorum exemplo brevi sequitur inferiorum inordinatio, nec in illis monasteriis diu vigere possit regularis observantia quorum superiores s. regulae contemptores et praevaricatores, ideo Capitulum generale praecipit et mandat Visitatoribus seu provinciarum Vicariis generalibus in virtute salutaris obedientiae, ut superiores monasteriorum sibi subiectorum mundano ac saeculari more viventes, dissipatores, commissi sibi officii negligentes, aliquot monitionibus praemissis suspendant, a Patribus immediatis omnino et citius removendos.

63. Attendens Capitulum generale ac aegre ferens quod monasteria,

praesertim in Gallia, sufficienti et competenti numero monachorum non foecundentur, vult et praecipit ut in quolibet monasterio recipiendorum religiosorum debitus a Vicariis generalibus, iuxta monasterii facultates et proventus, praefiniatur numerus, a quo recedere licitum non sit, nisi obtenta prius Capituli generalis vel Rmi D. N. licentia.

64. Ut excitetur sacerdotum Ordinis nostri zelus, et debitae pro benefactoribus preces exsolvantur, ordinat et praecipit Capitulum generale quod in monasteriis in quibus reperiuntur sex sacerdotes integrae valetudinis, ultra missam conventualem dicatur quotidie missa de B. V. M. et una pro defunctis. In monasteriis vero ubi sunt quatuor vel tres dumtaxat sacerdotes, praeter missam conventualem, una saltem missa privata celebretur. Nihilominus sacerdos quilibet Ordinis nostri ad alias conventus missas non deputatus ter aut quater ad minus in hebdomada celebrare studeat ac teneatur.

65. A Capitulo generali monentur abbates et priores qui hucusque sine ullo religioso socio habitare consueverunt, ut unum saltem religiosum Patribus suis immediatis pro suo et ecclesiae levamine petere et obtinere ultra non differant ; illis autem maxime abbatibus et prioribus qui socios non habent, praesens Capitulum generale districtissime prohibet ne pro interiore domus suae servitio ancillas habere et penes se retinere praesumant.

66. Capitulum generale renovans antiqua et veneranda Ordinis statuta, et sacris Conciliorum decretis adhaerens, prohibet omnibus et singulis Ordinis nostri superioribus, cuiuscumque dignitatis sint, ne feminas quoscumque ad loca regularia seu interiora monasterii admittant vel introducant, sub poena interdicti ipso facto incurrenda, a qua solus Rmus D. N. pro tempore existens poterit absolvere.

67. Ut observetur S. N. Legislatoris regula, iubentis unicuique dari prout opus habet, et superiores pessimo proprietatis vitio non foveant, prohibet Capitulum generale omnibus superioribus et monasteriorum officiariis ne religiosis suis vestiarium numerata pecunia solvant, nec priores conventuales seu claustrales duplex vestiarium exigant aut recipiant, antiqua super hoc decreta renovando et confirmando.

68. Cum impunitas sit maxima peccandi occasio, nec stare possit observantia sine poenarum adversus legum infractores et rebelles inflictione, districte mandatur et praecipitur, ut in quolibet monasterio firmi carceres disponantur aut construantur ad coercendos et includendos rebelles, rerum temporalium dissipatores et dilapidatores, scandalose viventes, fraternamque ac domesticam pacem malis consiliis, perversis litigiis ac machinationibus perturbantes, sublata omni recursus facultate, nisi ad superiores Ordinis. Huius autem decreti executio universis monasteriorum superioribus, sub poena inter-

dicti demandatur adimplenda inter anni spatium ad huius Capituli generalis notificatione computandum.

69. Quia ad praesentis Capituli notitiam pervenit quod tempore vacantium abbatiarum, priores quidam ac monachi defunctorum abbatum suorum armaria et archivum aperire, ac inde litteras, cartas visitationum, scripta maioris momenti, aliasque res ad suam et aliorum notitiam minime pertinentes detrahere et auferre temerario ausi fuerint, idem praesens generale Capitulum statuit, ut mortuo abbate, prior cum duobus senioribus apponat sigillum supra praedicta armaria, archiva et mobilia, non levandum nisi post electionem novi abbatis, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda (cuius absolutio Patri immediato aut Vicario generali reservatur) districtissime prohibendo universis prioribus, officiariis et quibuscumque monachis, ne tempore vacantium monasteriorum contrectare et scrutari quascumque res, litteras, aut quaecumque mobilia et scripta a defunctis abbatibus relicta, nisi prius, ex urgente necessitate, a Patre suo immediato, vel a Vicario generali provinciae accepta licentia, distrahere vel auferre praesumant.

70. In singulis monasteriis commendatis quamprimum fiat canonica partitio omnium bonorum inter conventus et abbates commendatarios, iuxta formam privilegiorum Ordinis, tribunaliumque iurisprudentiam regia auctoritate confirmatam. Quam partitionem contra abbates commendatarios renuentes modis omnibus prosequi teneantur priores claustrales illorum monasteriorum, et ad executionem praesentis statuti compellantur vigilantia Vicariorum generalium in quorum provincia degunt, vel Procuratoris generalis in curia Franciae, quos ad id specialiter in plenaria Ordinis potestate committit praesens Capitulum generale.

71. Cum experientia constet ex pactionibus inter abbates commendatarios et conventus initis, quibus priores claustrales et monachi in se suscipiant veterum reparationum onus quod ad abbates commendatarios attinet, et plurimum gravari conventus, et notabile detrimentum pati, praesens Capitulum generale, sub poenis et censuris in Ordine consuetis districtissime prohibet ne priores claustrales et conventus per omnes iuris ac iustitiae vias procurent ut abbates commendatarii praedictas veteres reparationes facere non omittant. Huius autem decreti executio vigilantiae Vicariorum generalium committitur, in plenaria Ordinis potestate.

72. Ad uniformitatem in Ordine conservandam maxime in iis quae spectant divinum pensum, decretum est quod in monasteriorum nostrorum ecclesiis in quibus habentur organa, Vicarii generales debeant eas missae et officii partes assignare ad quas organa certis per

annum diebus pulsabuntur. In qua assignatione usus in ecclesia Cisterciensi consuetus servabitur.

73. Capitulum generale humillime rogat et deprecatur Rmum D. N. ut iura Ordinis tueatur omni meliori modo et forma, ac nomine Capituli generalis scribere dignetur ad Emin. D. D. Cardinalem de Fleury, regni Galliarum Administrum, clementissimae protectionis illius gratias amplissimas reddendo.

SESSIO NONA

74. Die 9 eiusdem mensis, post missam defunctorum in pontificalibus celebratam per R. D. abbatem de Luba, convenerunt omnes in Diffinitorium ad signum maioris campanae, absente R. D. abbate de Septem fontibus infirmo. Ad requisitionem RR. DD. Promotorum lecta sunt acta 6 et 7 sessionis.

75. Requirente R. D. priore perpetuo de Gratia N. D. et praesentis Capituli Promotore, Capitulum generale declarat omnes priores perpetuos seu titulares, verbo et scripto Reverendos ab omnibus esse vocandos, cum vere sint in Ordine praelati.

76. Conceditur R. D. abbati et conventui de Veteri campo, archidioecesis Coloniensis, celebrari in abbatiali ecclesia sua festum s. Iosephi nutritii D. N. Iesu Christi sub ritu sermonis minoris.

77. R. D. abbate de Populeto, generali Vicario Congregationis Coronae Arragonum et Navarrae supplicante, ut placeat Capitulo generali diffinire ac statuere super litigium praecedentiae antiquitatis iam pridem in Capitulo generali propositum, praesens Capitulum generale R. D. abbatem de S. Fide et R. abbatem de Verola committit in hac parte commissarios, cum facultate sibi tertium associandi, casu quo non conveniant inter se, et rem terminandi in plenaria Ordinis potestate, post acceptam ratihabitionem et confirmationem Rmi D. N. abbatis generalis Ordinis.

78. Vicariatus ad Tractum Rheni non afficitur per decretum praecontentum in sessione 4, pro praecipitur omnibus neoelectis aut promotis solvere Procuratori generali apud S. Sedem decem ducatos auri de Camera, sed in posterum et quolibet anno dictus vicariatus in supplementum solvet, sine defalcatione cambii 56 scuta romana, loco 50 quae hucusque solvit, cum ea conditione quod florenus rhenanus solvendus, prout semper computatus fuit, computabitur pro 6 capitellis, et quod R. D. abbas Vicarius generalis possit cogere omnes ad solutionem contributionum per omnes iuris et iustitiae vias.

79. Quaestiones morales regulares per R. D. Promotorem propositae, ad D. Priorem de S. Andrea, D. priorem de Valloliis, D. priorem

de Campililiis, D. priorem de Oliva, s. th. doctores, remissae sunt examinandae et referendae.

80. Praesens Capitulum generale R. D. abbatis de Bello prato in Lotharingia petitioni ac supplicationi benigne annuendo, praedictum monasterium de Bello prato unit et incorporat inter S. O. monasteria, sub visitatione Vicarii generalis Campaniae S. O.

81. R. D. abbas de Gratia Dei Bisuntinensi, Vicarius generalis in Campania, retulit statum monasteriorum eiusdem provinciae.

82. Audita relatione visitationis collegii Dolani a R. D. abbate de Gratia Dei Bisuntinensi, virtute specialis commissionis Rmi D. N. factae, praesens Capitulum generale attendens quod seminarium illud sit tenuissimum in proventibus, et non possit amplius inservire ad scolarium Ordinis nostri educationem, cupiens insuper ac volens R. D. Ioanni Bernardo Begin Rmi D. N. secretario, et de Ordine benemerito, sui affectus et benevolentiae publicum dare argumentum, statuit praedictum collegium seu seminarium in prioratum perpetuum seu titularem, ad collationem Rmi D. N. erigere, uti praesenti decreto erigit in favorem praedicti R. D. Ioannis Bernardi Begin, et successorum eius, cum omnibus iuribus, praeeminentiis, honoribus, et aliis quibus priores titulares seu perpetui in Ordine nostro frui et gaudere solent, in plenaria Ordinis auctoritate. Verum ut praesens diffinitio plenum habeat effectum, enixe rogat Capitulum generale et obtestatur omnes et singulos perillustres magistratus, nobiles, aliosque viros inclytae urbis Dolanae spectabiles et insignes suis favore ac patrocinio manutenere, defendere ac conservare praefatum R. D. Ioannem Bern. Begin in suo prioratu titulari seu perpetuo sub titulo B. M. de Dola, et qua talem gratiose respicere et habere. Mandando denique omnibus personis regularibus Ordinis nostri eumdem, uti decet, priorem titularem seu perpetuum plurimum colere et venerari.

83. R. D. abbatissae de Casvas, Congregationis Arragonum et Navarrae, petitioni annuens praesens Capitulum generale mandat et praecipit in plenaria Ordinis potestate, ut constitutio s. m. Benedicti XII, aliaque Apostolica et Ordinis decreta in dicto monasterio rigorose serventur, et specialiter ut numerus sanctimonialium choro destinatarum ad 14, conversarum vero ad 6 reducatur. Insuper ut dotes seu pecuniae quas neo-profitentes monasterio donaverint, taliter applicentur ut ex eis competens pro victu et vestitu cuiuslibet profitentis annuus proventus secure haberi et percipi possit, usque dum bona monasterii, Deo benedicente, ita acta fuerint ut numerus sanctimonialium sine incommodo monasterii, petita prius et accepta Capituli generalis vel Rmi D. N. licentia, valeat etiam augeri. Praesens decretum Vicarii generales pro tempore, alii superiores et officiales praefatae Congregationis, necnon abbatissae monasterii de Casbas

ad amussim servent, et servari faciant, sub poena excommunicationis latae sententiae, et suspensionis ab officio, a quibus nullus in casu ex praenominatis personis valeat omnino absolvi, nisi a Capitulo generali vel a Rmo D. N.

84. Omnes sanctimoniales Ordinis cuiusvis regni, patriae, Congregationis et loci, intra sex menses ab intimatione praesentis decreti, eisdem per Vicarium suum generalem debite et serio intimandi, omnino assumant solitam uniformemque nostri Ordinis tesseram seu habitum album, cum singulo scapularique nigro, et cucullam albam seu mantellum eiusdem coloris in choro quolibet die. Quod si dictae moniales renuerint obedire, eas omnes et singulas universus Ordo ex nunc et pro tunc privat voce activa et passiva, suffragiisque Ordinis quamdiu in inobedientia perstiterint. Et in virtute salutaris obedientiae, et sub poena depositionis, omnibus respective Vicariis generalibus iniungit Capitulum generale ut praesens decretum sollicite praenominatis personis et in casu intiment, vel debitis formalitatibus intimari curent ; ac de dicta intimatione certiorent Rmum D. N.

85. Clausura fideliter et districtissime servetur a sanctimonialibus, et in earum monasteriis portae die ac nocte ita obserentur ut nec viris nec saecularibus mulieribus, nec ipsi confessario, Patri immediato, et Vicario generali monasteriorum pateat ingressus, nisi in casu necessitatis. Qua urgente, tunc confessarius, medicus et alii nec ingredi, nec per monasterium divagari praesumant, nisi cum duabus ad id deputatis senioribus monialibus, quae ipsos continuo per monasterium comitari tenebuntur. Nec liceat Vicariis et Patribus immediatis sese et alios ab hac lege dispensare.

86. In monasteris ubi clausura ob defectum aedificiorum huc usque induci non potuit, nulla abbatissa monialibus suis exeundi extra monasterium dare valeat licentiam, sed illam petat et expectet a Patre immediato aut Visitatore provinciae. Nec licitum sit abbatissis et priorissis perpetuis et aliis sine expressa superiorum licentia a suis monasteriis exire.

87. Omnibus abbatissis, superiorissis, monialibus et pensionariis interdicitur, sub quocumque praetextu ad crates manducare et bibere cum extraneis, etiam consanguineis, confessariis, Visitatoribus, Patribus immediatis, et aliis personis cuiuscumque sint sexus et dignitatis ; multo minus intra monasterium non permittant servos mercenarios pernoctare vel ingredi cellas monialium, dormitoria, aliaque loca nisi ex summa necessitate.

88. Casu quo dignosceretur abbatissa bonam eoconomiam non servare aut statum monasterii aliunde deteriorari, penes Patrem immediatum erit dare, auctoritate Ordinis, curam eoconomiae patri confessario, vel alteri religioso, qui nihilominus coram abbatissa et

senioribus conventus quolibet anno rationem reddere tenebitur, postea a Patre immediato, si ad monasterium accesserit, aut a Visitatore approbandam vel improbandam.

89. Sub poenis et censuris in Ordine consuetis, Capitulum generale prohibet omnibus abbatissis, superiorissis, ceterisque monialibus, ne extra Ordinem recurrant ad obtinendam exeundi licentiam sibi a superioribus Ordinis denegatam. Contravenientes in visitationibus ob speciales rationes iuxta sacri Ordinis nostri statuta regulariter corrigantur.

90. Non permittitur abbatissis et aliis superiorissis aedificium ullum in monasteriis suis construere, nisi de consensu Patris immediati aut Visitatoris provinciae.

91. Omnibus monialibus districtissime prohibetur ne confiteantur nisi confessario eis a Patre immediato designato et permisso.

92. In monasteriis sanctimonialium in quibus praeter hortum communem datur amplum intra clausurae limites vivarium vineis ac sylvis refertum, praesens Capitulum generale statuit ac diffinit non licere abbatissis, sub quovis praetextu, viris ac saecularibus mulieribus, et ipsi confessario, et aliis, illius vivarii ingressum, nisi in casu necessitatis permittere ; nec monialibus vicissim licitum esse per praedictum vivarium deambulare, nisi petita prius et obtenta abbatissae licentia ; quam quidem abbatissa in nullo casu concedet uni dumtaxat vel alteri moniali, sed una die hebdomadae, a Vicario generali praescribenda, omnibus monasterii monialibus ; quae ita simul per illud deambulare teneantur ut quae separatae reperientur graviter sint ab abbatissa puniendae. Nec liceat ipsimet abbatissae, sub quovis praetextu, ab illo decreto dispensare.

93. Ut autem inviolabiliter servetur clausura regularis, nulli abbatissae egredi liceat, nisi in casu necessitatis, et nisi pro gravioribus monasterii negotiis, facultate prius petita a Visitatore, qui in ea concedenda difficilis erit, Patremque abbatem de concessa facultate monere tenebitur. Nec etiam Patres abbates talem concedant facultatem inconsulto Visitatore, Visitatoribus et ipsismet Patribus immediatis, in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis in Ordine consuetis, prohibendo ne generales abbatissis, sed singulis vicibus, perpensa prius casus necessitate et negotiorum gravitate, exeundi et aliis permittendi monasterii ingressum facultates concedant.

94. Portae domus monialium, inutiles per Visitatorem iudicatae in proxime futura visitatione, omnino claudantur.

95. Cum ad audientiam Capituli generalis devenit quod turpis lucri causa pensionariae cuiuscumque conditionis et aetatis, in Ordinis dedecus, in multis monialium monasteriis indiscriminatim admittantur, de remedio opportuno providet Capitulum generale et prohibet

ne admittantur nec tolerentur puellae cum annum aetatis 17 attigerint, sed parentibus statim remittantur. Cuius decreti executionem sic promovebunt Vicarii generales ut saltem in posterum non admittantur.

96. Puellae postulatrices ad habitum non admittantur, in quantum fieri poterit, nisi sacramento confirmationis munitae, nec ad professionem novitiae nisi sub voto clausurae perpetuae, et postquam in capitulo coram Visitatore, aut Patre abbate praesente, vitae communitatem promiserint. De cetero *Breve* s. m. Alexandri PP. VII circa receptionem et benedictionem monialium observetur.

97. Abbatissae non habeant agentes saeculares ad pertractanda monasterii negotia, nisi comprobante Visitatore, pariterque acceptos, sine strepitu, ad primum Visitatoris mandatum remittere, et alium substituere non omittant.

98. Conferentiae seu, ut vocant, recreationes non fiant nisi in communi, nec liceat, saltem iunioribus, tunc temporis, quovis quaesito colore, a communitate se separare.

99. Litterae non mittentur, nec recipiantur, nisi per manus abbatissae. Annuae vero monialium cum superiorum licentia pensiones a nulla nisi a celleraria aut bursaria, ad communes monasterii usus expendendae, recipiantur.

100. Moniales in locutoriis modeste se gerant, nec ipsa nisi rarissime frequentent secundum Ordinis leges. Ab ipsis iussu abbatissarum, etiam pro levissima culpa, arceri et privari poterunt.

101. In quolibet monasterio deputetur ab abbatissa monialis bonae conversationis, capacitatis et exempli, quae operariis et operibus praesit ; nec liceat aliis monialibus cum operariis colloqui, nec de operibus curare.

102. Earum confessarii sint de Ordine, summo honore habeantur, communibus monasterii expensis alantur, vestiantur, omniaque ipsis necessaria decentius quam antea administrentur tum aegris quam sanis.

103. Ipsis confessarius extraordinarius bis, ter aut quater ad summum, quolibet anno a superioribus concedatur, de consilio et consensu confessarii ordinarii et non aliter absolute.

104. Nullae alterius Ordinis moniales recipiantur, nisi post iudicium Patris abbatis.

105. In quolibet monasterio recipiendarum monialium debitus a Visitatore, iuxta monasterii facultates et proventus, praefiniatur numerus, a quo recedere licitum non sit, nisi obtenta prius Capituli generalis vel Rmi D. N. licentia.

106. Nulla monialis habeat famulam nisi ex necessitate requirente, et ex dispensatione Vicarii generalis et licentia abbatissae prius obtenta, nec ulla famula vel pensionaria possit pernoctare in cellis monialium.

107. *Rituale* ad usum monialium a Rmo D. N. nuper defuncto com-

positum, et iussu ipsius typis mandatum, inviolabiliter observetur, maxime quoad ceremonias, ritus et observantias. Visitatores in unaquoque domo, tempore primae visitationis, habita loci et monialium numeri ratione, praescribant in charta ab ipsis subscripta, et ad valvas dormitorii apponenda, tempus quo horae matutinae, missa conventualis, aliaque officia erunt celebranda ; nec liceat abbatissis a praescripta celebrandorum officiorum hora dispensare, nisi petita licentia Visitatoris, qui in tali concedenda difficilem se gerat.

108. Post completorium nulla loquatur, sed omnes, aqua benedicta de manu superiorissae recepta,ad dormitorium recta pergant, ibi mansurae usque ad horas matutinas. In hyeme tamen post completorium in commune calefactorium se recipere poterunt usque ad horam a Visitatore in qualibet domo designandam. Ea autem data hora, omnes a calefactorio exire et ad dormitorium recedere tenebuntur, clavesque calefactorii ad superiossam deferantur, ab ipsa non reddendae nisi post horas matutinas, vel in urgenti necessitate.

109. Fiant cellarum communes claves ut facilis eorum pateat ingressus abbatissae et superiorissis inferioribus, quibus forte facultatem ingrediendi concesserit. Et in ostio sit foramen ductili tabula coopertum per quod sola abbatissa aut ea cui vices suas commiserit, possit introspicere et sororum occupationes indagare. Neque ulli moniali sit licitum se ad intra diu noctuque intercludere.

110. Ad conservandam et promovendam fidelem eorum omnium observationem, decreta praesentis Capituli moniales spectantis, a Vicariis generalibus translata vernacule, et ab ipsis subscripta in capitulis quater in anno legantur, singulisque saltem hebdomadis capitulum teneat abbatissa vel priorissa, ibi de Ordine et regularitate loquatur, poenas pro qualitate delicti, in spiritu humilitatis peragendas, charitative imponat, nec altera alteram verbo, aut quovis alio modo defendere praesumat, sub poenis in Ordine consuetis.

111. Ordinationem Rmi D. N. factam pro collegio S. Bernardi Parisiensis, sub die 15 octobris de anno 1729, qua studentium pensiones habita ratione temporis et annonarum auxit, confirmat, approbat et plurimum laudat praesens Capitulum generale, cognoscendo tale ius semper competivisse et pro semper competere Rmo D. N. in plenaria Ordinis auctoritate qua fungitur.

112. Conceditur Congregationi Germaniae unum aut plures religiosos ad lauream doctoralem promovendos eligere ac designare, ea tamen conditione ut priusquam de facta laurea doctorali condecorentur sic electi ac designati, quilibet Vicarius generalis in suo respective vicariatu a Rmo D. N. laureandorum confirmationem petere teneatur, missis insimul ad Rmum D. N. litteris testimonialibus de praedictorum laureandorum sana doctrina et integris moribus.

113. Conceditur monasterio Langheimensi pro semper celebrare festum s. Ioannis Nepomuceni die 16 maii sub ritu duarum missarum maiorum ; lectionibus ceterisque omnibus ad officii dicti sancti pertinentibus de communi unius martyris non pontificis, secundum ritum Cisterciensis *Breviarii* desumptis.

114. Proposita hac quaestione, an religiosus ex Ordine S. Benedicti expresse professso, et amore Ordinis nostri et observantiae regularis, monasterium Langheimense cum debitis praelati sui dimissorialibus ingressus de facto in anno probationis ibidem consistens integrum probationis annum explere teneatur ; et non ad ipsius instantiam forte faciendam R.D. abbas Langheimensis ab aliquo tempore dispensare possit ? Capitulum generale respondit affirmative. Attamen raro esse cum talibus dispensandum, pro pleniori securiorique cognitione et probatione personarum.

115. Prohibet Capitulum generale omnibus Ordinis abbatibus, abbatissis, superioribus, superiorissis aliqua emittere iuramenta in favorem cuiuscumque, etiam proprii Ordinarii, contra iura, libertates et immunitatem sacri Ordinis nostri.

116. Ad quaestionem, quibus diebus et festivitatibus per annum possit ac debeat dici missa de Beata ? Statuit Capitulum generale sedulo servandas esse rubricas.

117. In electione novissime facta anno 1734, circa votantes dubium exortum fuit circa unum professum maioribus ordinibus nondum initiatum, et is de facto cum suo voto exclusus fuit. Hinc quaeritur an hoc ipsum a Capitulo generali approbetur ? Idem respondit minime approbare talem exclusionem, et declarat in posterum professis, licet in sacris ordinibus nondum constitutis, statim a die professionis concedendum esse votum in electionibus, prout observatur in archicoenobio Cistercii.

SESSIO DECIMA

118. Eadem die, hora 1 cum dimidia, pulsato solito more Diffinitorio, convenerunt omnes, excepto R. D. abbate de Septem fontibus infirmo. Ferventer ac confidenter exoptante Seren. Rege Poloniarum Augusto III sancta suffragia, ac devotas Ordinis preces pro se et pro regia sua familia, ac tandem pro ulteriori rerum felici exitu, Capitulum generale statuit eisdem Seren. esse concedendam communicationem omnium suffragiorum, precum, ac meritorum Ordinis, rogando Rmum D. N. generalem quatinus nomine totius Ordinis dignetur dicto Poloniarum Seren. Regi supplicatorias scribere litteras ad iura ac libertates Ordinis regia ac suprema auctoritate manutenenda.

119. Erectionem capellae sub titulo S. Crucis, intra Neocellensis

monasterii septa, in gratiam neoconversorum ac sanctae fidei propagationis, unanimi voce et applausu approbat Capitulum generale.

120. Circa notum sibi pensum recitandi psalterium in choro respective ad moniales de Betton, statuit Capitulum generale ut in posterum trinae, quaternae vel quinae inter se dividere ac per hebdomadam persolvant totum psalterium in choro.

121. Renovatur decretum Capituli generalis anni 1623 et statuitur Vicarios generales posse religiosos suae provinciae de monasterio in monasterium transferre cum in graves culpas incidunt, aut aliis sunt scandalo, vel pacem perturbant, salvo iure Patrum immediatorum, et superiores ad quos mittentur dicti religiosi ipsos admittere et recipere omnino tenebuntur.

122. Ordinat et praecipit Capitulum generale omnibus sive Diffinitoribus, sive Patribus immediatis, priusquam ad professionem monialium solemnitatem procedant, ipsas de libertate vocationis interrogare ac serio examinare, talisque examinis mentionem facere in authentico dictae earumdem professionis instrumento, a partibus debite subscripto inserere.

123. Monentur Patres immediati ut ad legem stabilitatis tantopere a patribus nostris commendatam serio attendentes, religiosos sibi subditos tam frequenter de monasterio in monasterium non transferant. Cum vero occurrit huiusmodi translationum legitima causa, hanc Vicariis generalibus sedulo intiment; alioquin dicti Patres immediati denuntientur ad Capitulum generale, aut eo non sedente, ad Rmum D. N. generalem, cuius erit frequentissimas translationes menti Capitulorum generalium contrarias impedire, in plenaria Ordinis potestate.

124. Renovatur specialiter diffinitio ultimi Capituli generalis qua mandatur Visitatoribus, ut si quis prior ultra triduum extra monasterium suum, sine Vicarii generalis licentia, nisi ob legitimam causam probatam vel probandam, remaneat, debite puniatur et suspendatur.

125. Inhaerendo Capitulo generali de anno 1672 vult omnino praesens Capitulum generale ut omnes abbates in propriis monasteriis resideant, prout de iure, nec ipsis liceat sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, extra monasteria sua sive in urbibus, grangiis aut castellis per duos menses continuos commorari sine licentia petita et obtenta vel a Vicario generali vel a Patre immediato.

126. Cum experientia constet multa persaepe in visitationibus occurrere negotia quae intra spatium trium dierum absolvi non possunt, declarat Capitulum generale iuxta bullam s. m. Benedicti PP. XII visitationis tempus intra tres dies non ita necessario limitari, quin ad plures alios dies, cum opus fuerit, continuari possit et debeat visitatio, nec alio sensu intelligendas iam prius factas de tempore visitationibus impendendo a Capitulis generalibus diffinitiones.

127. Praesens Capitulum generale decernit omnes superiores excommunicationem dominica Palmarum fieri solitam incurrere, qui per se vel per alios religiosos tum minis tum blanditiis impediunt quominus fiant visitationes, Visitatoribusque revelanda revelent, aut iuxta conscientiam revelantes, soluta visitatione, persecutione aliqua contristari attentant et praesumunt.

128. Alienationem factam ab abbate commendatario Frigidi montis nuperrime defuncto, de quodam domo prope Bellovacum suae mensae abbatiali pertinenti, nullam declarat Capitulum generale, districtissime iniungendo priori et conventui de Figido monte pro virili agere contra emptores vel venditores dictae domus.

SESSIO UNDECIMA

129. Hora 8 die 10 maii, post celebrationem missae de s. Petro Tarentasiensi archiepiscopo, a R. D. abbate de Pelplinio factam, ad signum maioris campanae omnes in Diffinitorium convenerunt, et R. D. abbas de Septem fontibus, unus de Diffinitoribus, ad petitionem suam, excusatus est ab officio Diffinitoris, et exire a Cistercio permissus propter gravissimam infirmitatem.

130. Deinde Capitulum generale admisit subrogationem R. D. abbatis de Charmeia a Rmo D. N. factam, ut vices notarii obiret loco R. D. abbatis de Barberio infirmi.

131. Concessum est monasterio monialium de Ponte dominarum, quod in eo celebretur sanctae Genovefae festum et officium huic festo proprium decantetur sub ritu sermonis minoris in perpetuum.

132. Pariter indulsit Capitulum generale monasterio monialium Benedictae vallis ut in eo festum et officium s. Eligii, cuius insignes habentur reliquiae, fiat et decantetur in perpetuum sub ritu sermonis minoris.

133. Similiter ad petitionem R. D. abbatis de Oliva et sub eodem ritu fiat in suo monasterio festum s. Olivae.

134. Sequuntur puncta proposita et resoluta pro provincia Poloniae. — a) Utrum standum sit decretis S. Sedis sub praecepto obligantibus etiam regulares, nulla facta mentione de exemptis quoad festa ? Praesens Capitulum generale inhaerendo antiquis diffinitionibus Capitulorum generalium, resolvit ac statuit, ut festa iam typis anno 1732 Posnaniae mandata in omnibus Poloniae monasteriis observentur, et sine cantu quoad vigilias, uti feriata die in ante solebant, peragantur, nisi aliter abbas in suo monasterio ad hanc devotionem explendam disposuerit ; et portione consueta monachi sint contenti his diebus. Mandat autem praesens Capitulum generale ne ab hinc Vicarius in Poloniae provincia audeat vel praesumat sine expressa

Capituli generalis licentia et consensu totius provinciae de novo introducere festa sub poenis a Capitulo generali decernendis.

b) Per universa Poloniae monasteria conceditur celebratio festi s. Ioannis Nepomuceni sub ritu sermonis minoris. Item, in monasterio Wanchocensi festi s. Iosephi Nutritii Christi Domini, sub eodem ritu. Necnon in monasterio Copriunicensi s. Valentini martyris, propter sanctas eius reliquias in altari reconditas, et sub eodem ritu sermonis minoris.

c) Non liceat regularibus nostris contra Ordinis personas coram saeculari aut alterius persona facere protestationes, sub poenis contra facientes recursum ad incompetens forum. Sed iubet Capitulum generale ut religiosi Ordinis nostri illas protestationes faciant coram Apostolicis notariis eiusdem Ordinis, qui tenebuntur sub gravi animadversione illas admittere.

d) Superiores non denegent inferioribus licentiam ad Vicarios provinciae vel altius Ordinis subsellium scribendi epistolas, illam non intercipiant, nec resigillent aut perlegant. Quod si licentiam scribendi superiores inferioribus denegent, valeant scribere, maxime dato casu quo superior erga inferiorem nimis durum et austerum se praebeat.

e) Statuit Capitulum generale ut supplicetur SS. D. N. a Procuratore generali, quatinus in commendatis Poloniae monasteriis priores triennales cum dependentia a Visitatore provinciae constituantur, et bona mediae partis reddituum vigore concordati pro superiore claustrali assignata dictis respective monasteriis incorporentur, adeoque priori victus et amictus ex communi mensa subministretur, prout antea dum eorum monasteria nondum commendae subiecta erant.

f) Prohibetur sub poena excommunicationis ne priores et conventus monasteriorum commendatorum, ac etiam non commendatorum, subscribant contractus suorum abbatum villas abbatiales elocantium. Pariter et sub eadem poena officii suspensionis, vocisque activae et passivae privationis, etiam ab abbatibus ipso facta incurrenda, districte prohibetur omnibus abbatibus, prioribus et monachis Poloniae, ne abbates recipere nec monachi sub quovis praetextu abbatibus suis pecunias mutuo dare praesumant sine licentia Vicarii seu commissarii generalis. De qua etiam in legitimo casu consessa et ipse commissarius Capitulum generale, et eo non sedente, Rmum D. N. certiorare tenebitur. Mandat insuper Capitulum generale Vicario seu commissario generali Poloniae ut in prima ab ipso instituenda visitatione diligenter inquirat de taliter datis et mutuo acceptis pecuniis, ipsosque abbates per omnes iuris et iustitiae vias, etiam per bonorum mensae abbatialis sub custodiam traditionem, in plenaria Ordinis potestate, compellant ad quamprimum reddendas conventui pecunias ab ipso mutuo acceptas.

g) Monasteria noviter erecta in magno Lithuaniae ducatu, quae nominantur Clarus fons, et Vallis umbrosa, ad mentem fundatorum in claustralis prioratus titulo conserventur, et numerus monachorum redditui congruus foveatur. Quia vero R. D. abbas Wisticensis tamquam Vicarius abbas sine iusto titulo prioratum Clari fontis in praepósituram redegit, et numerum monachorum competentem non fovet, ideo a iurisdictione Clari fontis abstineat, privilegium et diploma erectionis, necnon omnes alios iurium titulos ad Clarum fontem pertinentes in proximo provinciali Capitulo Poloniae secum afferat et reddat. Protectores vero Clari fontis et Vallis umbrosae constituuntur a Capitulo generali RR. DD. abbates de Oliva et de Pelplinio, in plenaria Ordinis potestate.

h) Provisionem mensae conventualis a R. D. abbate Leski Pelplinensi de portione abbatiali auctam, in omnibus clausulis et punctis approbat et ratificat, ac plurimum laudat Capitulum generale dicti R. D. abbatis erga Ordinem zelum et amorem.

i) Concessa Capitulo provinciae Poloniae a Rmo D. N. piae memoriae Edmundo Perrot, generali abbate Cisterciensi, potestas conferendi theologis et professoribus collegii studii provincialis Mogilensis ac scientia claris lauream doctoralem, confirmatur et approbatur, ea tamen lege ut laurea doctorali donati in posterum teneantur approbationem et confirmationem petere a Capitulo generali, et eo non sedente, a Rmo D. N. antequam magisterii iuribus potiantur, et ipsum de sufficienti examine certum facere. Et cum Capitulum generale fuerit rite informatum de sana doctrina eximiisque meritis R. D. Yvonis Roweder, professi de Oliva, et prioris, Poloniaeque provinciae secretarii, qui in Capitulo suo provinciali dignitate doctoratus insignitus fuit, eumdem ob specialem respectum, et attentis precibus et commendationibus RR. DD. de Oliva et de Pelplinio, in tali magisterii doctoratus dignitate approbat et confirmat, volendo ut omnibus privilegiis solitisque de iure in provincia Poloniae doctoribus sacri Ordinis nostri debentur gaudeat, ac in plenaria Ordinis auctoritate prae ceteris potiatur.

j) Insuper a Capitulo generali indulgetur quatinus idem Capitulum Poloniae provinciae religiosis merito singulari distinctis titulum benemeritorum conferre possit, sub eadem tamen conditione qua tenentur doctores, ut supra dictum est. Et huius tituli benemeritorum concessionem a Capitulo Poloniae factam RR. patribus Adalberto Tremniski Andreoviensi, Uldarico Leuwandouski, Wachocensi, prioribus, ac Bartholomaeo Liestaloski confessario monialium, approbat et confirmat.

k) Ad instantiam provinciae Poloniae, partes benigne assumpsit Rmus D. N. compilationem fieri quamprimum curare de omnibus sta-

tutis Capitulorum generalium, quae disciplinam regularem attingere possunt, omissis statutis particularibus, et quae varias afficiunt Ordinis personas.

l) Requirentibus RR. DD. Promotoribus statuit Capitulum generale ut non admittantur ad habitum et professionem conversorum nisi ii qui calleant aliquam utilem et honestam artem, ad quam, iuxta praescriptum superiorum monasterii debeant attendere, nec ab ea distrahantur per iniunctionem aliquorum officiorum quae insimul incompatibilia declarantur, nec unquam ad cellerarii officium conversi assumantur. Ad habitum vero et professionem non admittantur personae nisi vita et moribus commendabiles, nobili seu civili, numquam vero genere vili natae.

m) Abbates et monachi extra provinciam seu regnum Poloniae non mittantur nec discedant, nisi gravis necessitatis causa, et de speciali consensu et licentia Vicarii seu commissarii generalis in scriptis obtenta, et qui dictam licentiam non potuerint exhibere, quocumque pergant, et ubi reperiantur tanquam apostatae puniantur.

n) Ad luctuosam temporum conditionem serio attendens Capitulum generale, ac ulteriori exterminio abbatiarum iamiam in Polonia per commendas introducto praecavere totis viribus cupiens, vult et iniungit omnibus abbatibus in proxime futuro Capitulo provinciae congregandis, ut inter manus Vicarii generalis, et Vicarius generalis inter manus senioris ex abbatibus, publice et in sacra Dei evangelia iurent se nunquam quaesituros, accepturosque retentionem abbatiarum regularium si quisquam eorum ad episcopatum aliquando nominaretur ac promoveretur. Qui vero ex abbatibus actualibus ob infirmitatem dicto Capitulo interesse non potuerint, capitulariter seu coram omnibus suis religiosis ac inter manus suorum respective suorum priorum eodem modo ac supra iurabunt, et de suo iuramento certiorabunt Vicarium generalem provinciae. Abbates autem in futurum eligendi in actu acceptationis dignitatis abbatialis in Capitulo inter manus praesidis amittere teneantur idem iuramentum, legaliter deinde registrandum per manus secretarii seu notarii provinciae vel alterius in casu, alias detrectando ac refragando sit locus novae electioni. Hocce decretum afficiat etiam abbates promotos ad episcopatum in partibus infidelium. Et omnes in casu tenebuntur sequens iuramentum emittere, videlicet : « Ego, N. tacto pectore et in sancta Dei evangelia iuro et promitto si, Divina sic disponente gratia, promotus ero ad dignitatem episcopalem, tam in regno Poloniae, quam in partibus infidelium, nunquam me admissurum, acceptaturum ac etiam quaesiturum apud S. Sedem, neque apud Seren. Regem Poloniae, sive directe, sive indirecte, retentionem abbatiae ex qua ero designatus vel

nominatus ad episcopatum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

o) Tempore visitationis monasteria et abbates a Vicario generali non graventur magno familiae et equorum numero ; nec eiusdem servi sive directe sive indirecte exigant quasi ex debito gratuita dona pecuniaria, sed contenti existant victu modesto, sobrio et hospitalitate religiosa, ac omnes de cetero religiosos debita prosequantur reverentia.

p) Inhaerendo tenori Capituli generalis anni 1667 de die 19 mai, et bullae s. m. Clementis PP. IX anno 1668 de die 8 decembr. renovatur in regno Poloniae prohibitio ne clerici saeculares possint postulari aut eligi in abbates seu coadiutores, sed semper eligantur actu religiosi Ordinis professi. Alias sit electio nulla, et electores poenis in eadem bulla contentis omnino subiaceant.

q) Requirentibus RR. DD. Promotoribus, committuntur in plenaria Ordinis potestate RR. DD. abbates de Oliva et de Premeto, ad effectum sumendi personaliter et insimul, cum debitis formalitatibus et cautelis, opportunas informationes in monasterio Paradisiensi circa personam vel personas quae diplomata originalia fundationis loci deperdita iam a 16 annis et ultra ab archivo Paradisiensi extraxerint, et extra monasterium tradiderint. Deprehensis auctoribus talis extractionis et extraditionis iisdem per dictos RR. DD. commissarios iniungatur infra spatium sex mensium vel unius anni ad summum praefata originalia fundationis Paradisi diplomata in archivo eiusdem monasterii originalis talia qualia ibidem erant prius, reponere. Alioquin si rei reperiantur religiosi, tamquam dilapidatores habeantur, et ceteris ad exemplum voce activa et passiva perpetuo priventur, et bis in heddomada ieiunent in pane et aqua. Si vero abbas loci de hoc convictus fuerit, statim ab abbatiali regimine suspendatur, tali dignitate postea omnino privandus.

r) Parochiae dependentes ab abbatia Paradisiensi et prius a regularibus de iure deserviri solitis, non amplius conferantur presbyteris saecularibus, qui iam occasione dictarum parochiarum in varios processus monasterium implicaverunt, et sic praescindantur praesentia et futura litigia.

SESSIO DUODECIMA

135. Eadem die 10 maii, hora 2 post meridiem, ad signum maioris campanae, omnes Diffinitores convenerunt in Diffinitorium. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, lectae sunt diffinitiones sessionis 8. Super libello supplici R. D. coadiutoris et prioris de Landa, nomine sui conventus, Capitulum generale ordinat provisionaliter ut monasterium Landense primum in Polonia nominetur, et R. D. abbas Lan-

densis in publico assessu priorem locum habeat prae R. D. abbate Andreoviensi, et committit Capitulo provinciali Poloniae ut de titulis utriusque abbatiae informationem faciat, ab ipso deinde remittendam Rmo D. N.

136. Studium provinciale in Mogilensi monasterio in perpetuum confirmatur, sub protectione abbatum de Landa et de Oliva, absque tamen praeiudicio auctoritatis et dispositionis Vicariorum generalium.

137. Requirente R. D. Promotore, praesens Capitulum generale, viso libello supplici R. D. Nicolai Claudii Hust, prioris de Monte stellato, visisque aliis instrumentis authenticis a praedicto priore ad idem Capitulum missis, declarat in plenaria Ordinis auctoritate prioratum de Monte stellato in dioecesi Bisuntinensi vere esse titularem seu perpetuum, et praefato R. D. Claudio Nicolao Hust praedicti beneficii de Monte stellato actuali possessori, eiusque futuris successoribus omnes competere praerogativas et honores quibus priores titulares seu perpetui nostri Ordinis gaudent et gaudere debent.

138. Ad requisitionem RR. DD. Promotorum, Capitulum generale decernit, ut in posterum subpriores in Ordine sedeant primi ex parte abbatis, excepto tamen in collegiis.

139. Capitulum generale, viso libello supplici Franconiae vicariatus Rmo ac Cels. S. R. I. Principi, ecclesiarum cathedralium Bambergensis ac Wiceburgensis episcopo, Franciae orientalis Duci, S. C. Maiestatis consiliario intimo, ac conferentiali DD. Frederico Carolo Comiti de Schönbrun, monasteriorum Ordinis nostri in Franconia protectori clementissimo, ac de Ordine nostro benemerito, communicationem Ordinis suffragiorum, precum, ac bonorum operum concedit. Et insuper Rmus D. N. suscepit partes epistolam eidem in gratiarum actionem scribendi nomine Capituli generalis.

SESSIO DECIMA TERTIA

140. Matutinis horis, die dominica, et 11 mensis maii, celebrata missa solemni in pontificalibus a R. D. abbate de Aureavalle, non est habita sessio, sed tantum post vesperas eiusdem diei, ad signum maioris campanae, et hora 3, omnes convenerunt in Diffinitorium. Requirente R. D. Promotore super libello supplici R. D. abbatis de Baudeloo, Vicarii generalis, Capitulum generale propter testimonia singularis benevolentiae, sollicitudinis et affectus Seren. Mariae Elisabeth, Archiducissae Austriae et Belgii Gubernatricis, in pluribus occasionibus erga Ordinem nostrum data, eamdem praefatam Seren. Elisabeth Austriae Archiducissam, cum inclyta familia Austriaca, in gratitudinis tesseram, meritis et suffragiis Ordinis totius associavit. Et Rmus D. N. promisit epistolam in gratiarum actionem.

141. Capitulum generale, viso libello supplici R. D. Antonii Ros, in s. th. ex numero magistri, bis abbatis, collegii S. P. N. Bernardi Oscensis bis rectoris, actualis Diffinitoris et commissarii deputati ad praesens Capitulum generale pro Congregatione Arragonum et Navarrae, R. D. Nicolao Salas de Bernabo abbati regalis monasterii de S. Fide, Regis Hispaniae a consiliis, etc., ob decorem officii diffinitoris quod in praesenti Capitulo habuit, concessit suffragium perpetuum in Capitulis provincialibus praedictae Congregationis, et casu quo addaptandae sint diffinitiones novae pro dicta Congregatione, inseretur in illis quod semper et quando evenerit ut abbas commissarius dictae Congregationis fuerit nominatus Diffinitor Capituli generalis maneat cum ipsomet suffragio perpetuo in suis comitiis provincialibus. Et hoc decretum Capituli generalis extenditur ad omnes Congregationes. Similiter R. D. Francisco Tabuenca, in s. th. ex numero magistro semel atque iterum ex-abbati sui monasterii regalis de Verola, ex-diffinitori, ex-lectori et ex-cathedratico primario celeberrimo Universitatis Oscensis, Capitulum generale concedit honorem et praerogativas patris provinciae. Eamdem gratiam tribuit R. D. Antonio Ros supradicto.

142. Cum in comitiis intermediis anni 1697, sessione prima, requirente Promotore, forma tenendi Capitulum intermedium et circumstantiae ad ipsum pertinentes ad Capitulum generale proximum remissae fuerint, et nihilominus in ultimo Capitulo generali anni 1699 nihil de hoc negotio propositum fuerit nec diffinitum, praesens Capitulum generale visis decreto Capituli intermedii anni 1697, et articulo *Brevis* Alexandri VII : de celebrando Capitulo intermedio, auditis occasione huiusce Capituli intermedii exortis in Ordine quibusdam dubiis, a RR. DD. Promotoribus expositis, videlicet : — *a*) An Rmus D. N. teneatur praedictum Capitulum intermedium consultare priusquam generales pro bono Ordinis regimine ordinationes edat ? — *b*) Quaenam materiae necessario sint deferendae ad praedictum Capitulum intermedium ? — *c*) An omnes abbates et praesides Congregationum qui de iure ad praedictum Capitulum vocandi sunt, in ipso vocem habeant decisivam ? — Requirentibus Promotoribus, praesens Capitulum generale ius suum unicuique servare, et communi Ordinis bono, utilitati et paci consulere cupiens, vult, ordinat et statuit ut articulus 12 *Brevis* Alexandri VII de Capitulo intermedio, iuxta suam formam et tenorem observetur. — Ad dubia vero proposita a RR. DD. Promotoribus praesens Capitulum generale respondit declarando. — *a*) Rmum D. N. non teneri praedictum Capitulum intermedium consultare priusquam generales pro bono Ordinis regimine ordinationes edat, plenaria qua fungitur Ordinis auctoritate. — *b*) Materias necessario ad Capitulum intermedium deferendas, esse contributiones augendas vel de novo imponendas, ceteraque omnia magni momenti negotia

quae matura deliberatione indigere cognoverit et iudicaverit Rmus D. N. — *c*) Omnes abbates et praesides Congregationum qui huic Capitulo intererunt ius habere in eodem Capitulo suffragium et quidem decisivum ferendi.

143. Circa officialium publicorum institutionem, praesens Capitulum generale statuit servandum esse articulum 13 *Brevis* Alexandri VII, et Capitulum generale anni 1683, sessione 24.

SESSIO DECIMA QUARTA

144. Hora 8, die 12 mensis maii, post solemnem missam de Rogationibus a R. D. abbate de Lucella, Vicario generali in Alsatia, Brisgoia et Helvetia, in pontificablius celebratam, pulsata maiori campana, omnes in Diffinitorium convenerunt more solito, et ad requisitionem RR. DD. Promotorum lectae sunt diffinitiones sessionum 9 et 10.

145. Capitulum generale, viso libello supplici R. Patris Candidi Briger, s. th. d. prioris Campililiensis et secretarii Austriaci vicariatus, concedit ut festum s. Ioannis Nepomuceni quod hodie in Austria est dioecesanum, liceat deinceps publico officio et missa celebrari, sub ritu duarum missarum maiorum.

146. Item, indulgetur monasterio dumtaxat Campililiensi quod in eo festum ss. Fabiani et Sebastiani, pariter ss. Viti, Modesti et Crescentiae, denique s. Barbarae virginis et martyris, sub eodem ritu duarum missarum celebretur, maxime cum frequens populus in amplo monasterii territorio constitutus a labore manuum et opere servili vacet, et in festo s. Fabiani publicas etiam supplicationes et processiones frequentet.

147. Concedit etiam ut in monasterio Hilariae in Austria Superiori festum fiat s. Sebastiani et s. Henrici, sub eodem ritu.

148. Cum in monasterio Campililii corpus s. Iustini martyris publico cultui in ara S. Crucis sit expositum, concedit Capitulum generale ut natalis huius s. Martyris dies officio chori et missae colatur. Pariter ut festum s. Hyacinthi martyris ecclesiae monasterii Campililiensis titularis cuius corpus integrum in ea servatur, deinceps ritu sermonis fiat quolibet anno, die 10 februarii.

149. Capitulum generale statuit quod non debeat fieri distributio seu divisio vicariatus Austriacensis, propter rationes gravissimas.

150. Concedit R. D. abbatissae et monialibus de Casbas in Arragonia ut festum s. Ignatii de Loyola sub ritu XII lect. deinceps celebretur.

151. Viso libello supplici R. D. Leopoldi abbatis de Himmerode, confraternitatem de S. Corde Iesu in monasterio monialium ad S. Annam intra urbem Trevirensem introductam, Capitulum generale ratificat et confirmat, ea tamen conditione ut ista confraternitas ordini

divini officii iuxta ritum Cisterciensem persolvendi non obsit, et ut administratio et directio eiusdem confraternitatis penes monasterii supradicti superiores permaneat.

152. Confirmatur praeterea a Capitulo generali eidem R. D. abbati de Himmerode potestas et dispensatio iam ei concessa a Rmo D. N. anno 1753 die 18 mensis septembris, ad peragendas solemnes monialium suae curae et directioni commissarum vestitiones et sacras earum professiones iuxta ritus consuetos excipiendas per patrem sui monasterii priorem, vel ordinarium loci confessarium, vel alium quemcumque Ordinis sacerdotem professum in aliquo spectabili officio, vel aliqua dignitate constitutum, et a se ad tales actus exercendos capaces recognitos, quotiescumque pro rationabili causa ipsemet impeditus fuerit, R. D. provinciae suae Vicario generali decenter prius requisito, et per seipsum tales actus exercere recusante.

153. Audita relatione de statu monasteriorum et personarum Ordinis professarum in regno Poloniae, a R. D. abbate de Oliva, Vicario generali, coram Diffinitorio facta, Capitulum generale perpendens merita D. Adalberti Tremniski, prioris Andreowiensis, s. th. d., et iam a Rmo D. N. generali, necnon a Sede Apostolica perpetui prioris gratia insigniti, eumdem in hac praerogativa confirmat, declarans gratiam personalem esse ita ut prioratus Andreowiensis non sit reputandus ex natura et pro futuris temporibus perpetuus.

154. Insuper prohibet praesens Capitulum generale, ne ullus monasteriorum prior pro titulo perpetuitatis ad quodcumque subsellium recursum faciat, sub nullitate praerogativae quovis modo obtentae, et sub aliis poenis contra ambiantes in Ordine statutis et praefixis.

155. Ad petitionem R. D. abbatis de Lucella, D. Leoni monasterii de Lucella expresse professo, qui per 20 circiter annos tum ut professor theologiae et philosophiae, tum ut secretarius in vicariatu praefato R. D. abbati commisso continuam et indefessam non minus utiliter quam laudabiliter impendit curam, praerogativae emeriti concessit Capitulum generale.

156. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, in abbatissam monasterii Vallis gratiae praesens Capitulum generale confirmat R. D. Annam Mariam Catharinam Fazeves, mandando ac districte praecipiendo sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, priorissae et monialibus praedicti monasterii ut praefatam R. D. Annam Mariam Catharinam in veram ac legitimam abbatissam habeant et recognoscant, ipsique in omnibus debitam subiectionem praestent. Quod si facere renuerint, deponatur priorissa in plenaria Ordinis potestate, ceterae vero debite puniantur.

157. Renovatur a Capitulo generali statutum qua prohibetur ne superiores et monachi sub quocumque praetextu cum brevibus seu

decurtatis incedant vestibus, sub poenis et censuris in Ordine consuetis.

158. Item, renovatur decretum quo monachis interdicitur venatio sub iisdem poenis.

159. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, praesens Capitulum generale confirmat *Chartam visitationis* quam R. D. abbas de Porta Gloni, Vicarius generalis in provincia Tholosana edidit in actu visitationis suae regularis, in collegio S. Bernardi Tholosano, die 23 martii praesentis anni, ex speciali commissione illi a Rmo D. N. data, utpote continentem decreta et statuta omnibus in eodem collegio degentibus et studentibus multum profutura. — Praeterea pro praefato regimine huius collegii praefati statuitur: — *a*) Standum esse determinationi pensionum factae a Rmo D. N. nec licere D. Provisori ultra illam taxam aliquid exigere. — *b*) Ad Rmum D. N. pertinere institutionem et destitutionem omnium officialium.— *c*) Subpriori dicti collegii a Rmo D. N. instituto omnem competere auctoritatem et iurisdictionem, qua indiget ad coercendos scolares quamdiu Provisor infirmitatibus gravatur, cum consilio tamen D. Provisoris, et omnimoda ab ipso dependentia. — *d*) Reverenter a Capitulo generali supplicatur Rmo D. N. quatinus in collegio Tholosano aliquem de officialibus deputare et committere dignetur ad expendendas et recipiendas omnes pensiones quae in dicto collegio solvantur, ita ut idem singulis mensibus coram vener. Provisore et conventu de receptis et expensis rationem reddere teneatur. — *e*) Praecipit Capitulum generale ac mandat D. Provisori quod iuxta chartam visitationis supradictae, consultet magistros et subpriorem priusquam iuniores ad ordines mittantur. Et idem faciat quando agitur de gradibus adipiscendis ab illis.

SESSIO DECIMA QUINTA

160. Hora 2 post meridiem, ad signum maioris campanae, de more solito omnes convenerunt in Diffinitorium. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, a Capitulo generali declaratus est de Ordine benemeritus D. Marcus Ledoul, s. Facultatis Parisiensis doctor, prior ab annis 42, et Visitator generalis provinciae Normanniae ab annis 35.

161. Ad propositionem Rmi D. N. Capitulum generale toto corde, unanimi consensu et applausu D. Gabrielem Peschel, secretarium R. D de Luba et Balthasarum Straves laurea doctorali insignivit, et eis concessit omnia iura, privilegia et emolumenta pertinentia ad huiusmodi gradum secundum Ordinis morem.

162. Viso libello supplici R. D. abbatis de S. Benedicto in Vepribus, dioecesis Metensis, conceditur a Capitulo generali ob gravissimas causas in eo contentas, translatio sui monasterii in alium convenientiorem

locum determinandum a R. D. abbate de Morimundo, de cuius linea est praefatum monasterium de S. Benedicto.

163. Non sine gravi scandalo et dolore pervenit ad Capitulum generale R. D. Carolum Pancheron abbatem de Claroloco, D. Henricum Duchesne, priorem de Crista, D. Nicolaum Brixium Mamiel priorem de Villario Bethnach, D. Franciscum Blaize superiorem commissarium de Freisdorfio et D. Claudium Aubertot priorem de Insula Barrensi, temerariis ausu et formalitatibus noluisse admittere regularem visitationem R. D. Antonii Girard prioris titularis seu perpetui de Directa valle, commissarii Rmi D. N. ad effectum visitandi omnia et singula monasteria vicariatus Lotharingiae, imo variis iniuriis et probris vexasse et affecisse R. D. dictum commissarium, et ideo omnes supranominatos abbatem et priores claustrales reperiri ipso facto excommunicatos, rebelles, et contemptores constitutionum Apostolicarum et Ordinis. Cui praesumptioni et abusui remedium pro virili afferre desiderans Capitulum generale, praesenti decreto ex nunc privat R. D. Carolum Pancheron abbatem de Claroloco spirituali et temporali administratione sui monasterii, stallo abbatis, omnibusque praeeminentiis et insigniis abbatialibus usque ad debitam resipiscentiam verbo et scripto quam humillime petitam veniam a Rmo D. N. et obtentam ab ipso absolutionem et misericordiam. Pariter D. Henricus Duchesne, prior de Crista, D. Nicolaus Brixius Mamiel, prior de Villario Bethnach, D. Franciscus Blaize superior commissarius de Freisdorfio et D. Claudius Aubertot, prior de Insula Barrensi, excommunicati et rebelles ipso facto deponuntur a suis respective prioratibus claustralibus, privantur ad vitam voce activa et passiva ac declarantur inhabiles ad quaecumque Ordinis nostri officia et dignitates, et remittuntur ad veniam et benignitatem Rmi D. N. cui veniam quam humillime scripto et verbo, coram testibus signandis petent, ut tandem pro modulo resipiscentiae suis loco et tempore Rmus D. N. valeat eos absolvere a censuris in plenaria Ordinis potestate et auctoritate, et ad alios prioratus extra vicariatum Lotharingiae habiles reddere et declarare. Insuper praecipit Capitulum generale monasteriis de Claroloco, de Crista, de Villario Bethnach, de Freisdorfio et de Insula Barrensi quamprimum refundere R. D. Antonio Girard, commissario Rmi D. N. expensas factas et necessario variis formalitatibus procuratas in decursu visitationum eorumdem monasteriorum. Et casu quo praenominata monasteria renuerint solvere, cogantur a Rmo D. N. in plenaria Ordinis potestate ad dictam solutionem per omnes iuris et iustitiae vias.

164. Serio moneatur a Vicario generali provinciae R. D. abbatissa de S. Hoilda, ne deinceps protestationes emittere praesumat contra factas vel faciendas visitationes Rmi D. N. aut commissariorum eiusdem ;

alioquin tamquam censuris Ordinis innodatam sciat se graviter puniendam.

165. Praeterea statuit et decernit Capitulum generale ut monasteria de Claroloco, de Crista, de Freisdorfio, de Villario Bethnach et de Insula Barrensi hoc anno non visitentur per Vicarium generalem aut Patrem immediatum, sed per solum Rmum D. N. vel eius commissarium.

166. Damnat et plurimum reprobat Capitulum generale protestationes factas a D. Langlois priore de Frigidomonte, D. Malfroid priore de Bello prato, dioecesis Bellovacensis, D. De Lard priore de Gardo, contra examen temporalis status suorum respective monasteriorum in actu visitationis ibidem factae a D. Comeau priore de Valloliis et commissario extraordinario Rmi D. N. ad visitanda omnia et singula monasteria vicariatus Picardiae. Vult et praecipit Capitulum generale ut omnes superiores Ordinis non tantum de spirituali sed etiam de temporali suorum respective monasteriorum rationem reddant commissariis deputatis a Rmo D. N. pariterque ut Vicarius generalis in cuius provincia reperiuntur tres praenominati priores, eos serio moneat ne deinceps tales protestationes emittant ; alioquin sciant se tamquam censuris Ordinis contra impedientes visitationes de iure inflictis aut infligendis innodatos gravissime fore puniendos.

167. Itidem, serio moneatur a Vicario generali provinciae R. D. abbatissa de Fervida aqua vulgo Fervaques, in oppido S. Quintini in Picardia, ne in posterum recuset commissariis Rmi D. N. examen administrationis temporalis, et rationarii receptarum et expensarum sui monasterii. Alias in eamdem culpam recidendo tamquam censuris Ordinis innodata severissime puniatur. Cum vero R. D. Denize prior titularis seu perpetuus de Bella aqua, monasterii sanctimonialium de de Fervida aqua confessarius consuluerit ac procuraverit talem rebellionem, seu non dari et exhiberi registrum computationum monasterii de Fervida aqua commissariis Rmi D. N. et iniuriosos ac temerarios in Rmum D. N. generalem sermones proferre et evomere praesumpserit veniam quamprimum humillime verbo et scripto petat a Rmo D. N. et ieiunet per unum mensem integrum in pane et aqua singulis diebus veneris. Et in casu contraventionis rogatur Rmus D. N. dictum R. D. Denize severissime et indilate punire.

168. Requirentibus RR. DD. Promotoribus et audito libello supplici subscripto a decem RR. DD. abbatibus S. O. praesens Capitulum generale inhaerendo decretis Capitulorum generalium annorum 1683 et 1686, declarat : — *a*) Superiores S. O. ius habere comitia particularia celebrandi, iuxta formam a praedictis Capitulis praescriptam. — *b*) Confirmando decretum ultimi Capituli generalis, vult et praecipit ut monachi S. O. recta via pergant ad Visitatorem pro suis negotiis,

salvo iure appellationum. — *c*) Committitur a Capitulo generali RR. DD. abbatibus de Bello becco, de Precibus, de Pietate, de Charmeia, et R. D. priori perpetuo de Gratia D. N. ut collectionem constitutionum, quae iam pridem in singulis praefatae Observantiae monasteriis quotidie leguntur, revideant et examinent, ac revisam et examinatam ad Rmum D. N. transmittant, ut licentia ab eo petita et obtenta, typis mandetur, et omnibus S. O. alumnis proponatur observanda. — *d*) Viso libello supplici ab iisdem RR. DD. abbatibus S. O. subscripto, Capitulum generale benigne dedit actum, quod institutio unius dumtaxat abbatis ex S. O. in Diffinitorem electi in hoc praesenti Capitulo, non poterit praedictae S. O. praeiudicare in posterum. E contra declarat praesens Capitulum generale quod plures possint institui Diffinitores ex praedicta S. O.

SESSIO DECIMA SEXTA

169. Hora 8 diei 13 mensis maii, missa solemni in pontificalibus celebrata a R. D. abbate de S. Benedicto in Italia, ad signum maioris campanae, omnes in Diffinitorium convenerunt. Ad requisitionem RR. DD. Promotorum, praesens Capitulum generale duos Vicarii generalis assistentes in vicariatu Bohemiae supprimit, et praeterea diffinit quod Vicario eiusdem provinciae supradictae mortuo, abbas senior ratione fundationis monasterii vices gerat Vicarii, usque dum eligatur Vicarius et fuerit a Rmo D. N. confirmatus.

170. Permittitur fieri novam collectionem et reformationem statutorum vicariatus Bohemiae in Capitulo provinciali a commissariis deputatis ab illo Capitulo, et a Rmo D. N. antequam typis mandetur, approbandam vel reprobandam ; et usque ad illam collectionem peractam omnia statuta executioni demandentur secundum formam et tenorem, exceptis iis quae iam fuerunt a praesenti Capitulo generali abrogata.

171. Approbantur et confirmantur a Capitulo generali electiones, videlicet R. D. abbatis de Altovado, Candidi Hendrick, de die 26 febr. anno 1722 ; R. D. abbatis de Wellehradio, Iosephi Maly, de die 20 iunii 1724 ; R. D. abbatis de Osseco, Hieronimi Besnetem, de die 4 iulii anno 1726 ; R. D. abbatis de Neocella, Martini Graff, de die 20 martii anno 1727 ; R. D. abbatis S. Coronae, Christiani Guschll, de die 20 decembr. anno 1733 ; et R. D. abbatis de Sedlicio, Ioannis Reischknecht, de die 21 octobr. anno 1731. Necnon electiones venerabilium abbatissarum quarum nomina sequuntur : R. D. abbatissae Mariae stellensis, Cordulae Sommerim, de die 15 febr. 1710. R. D. abbatissae Salae Mariae, Gertrudis Laquesin, de die 10 febr. 1734. R. D. abbatissae Vallis virginum, Aleidis Kaulznearim, de die 31 martii anno

1734. Denique R. D. abb. Mariae vallis, Theresiae Senffttlebin, de die 24 febr. anno 1737.

172. Praesens Capitulum generale, confirmando R. D. abbati Sedlicensi ius paternitatis in monasteria Aulae regiae et Aulae Mariae, declarat ac diffinit servanda esse quoad exercitium iuris paternitatis statuta vicariatus Bohemiae et decreta Capituli provincialis eiusdem vicariatus.

173. Reservatur R. D. Waldsassensi omne ius paternitatis in monasterium Sedlicense, cum iisdem clausulis ac in Bohemia exercendum.

174. Circa ius paternitatis quod competit R. D. abbati de Langhemio in monasterium Plassense, praesens Capitulum generale compositioni quam intendit facere praedictus abbas de Langhemio cum monasterio Plassensi, ita assentit ut si compositio pacifice non fiat, nullum exinde praeiudicium pati valeat abbas de Langhemio.

175. Ad petitionem R. D. Stephani abbatis de Langhemio, nomine totius Congregationis Superioris Germaniae a Capitulo generali statuta huius Congregationis in ultimo Capitulo nationali confecta et a Rmo D. N. generali approbata et confirmata, iterum approbantur et confirmantur, salvis iuribus Procuratoris generalis in Curia.

176. Conceditur ut ritus omnes qui ab antiquo usque nunc in hac Congregatione Super. Germaniae viguerunt et hactenus vigent, a duobus abbatibus praefatae Congregationis colligantur ; deinde Rmo D. N. pro approbatione vel mutatione ubi visum fuerit, transmittantur, ut sint normae et regulae universae Congregationi. Et ad hanc collectionem faciendam deputantur et committuntur a Capitulo generali RR. DD. abbates de Langhemio et de Ebraco.

177. Tertio postulavit praedictus R. D. abbas de Langhemio, ut in actis praesentis Capituli haec clausula apponeretur : Ea quae in hocce Capitulo generali pro omnibus et singulis totius Ordinis provinciis et monasteriis diffinita sunt, sancte observentur, nisi forte laudabilis consuetudo in contrarium vel a S. Sede, vel a Capitulo generali, vel a Rmo D. N. approbata et confirmata habeatur. Quod a praesenti Capitulo generali fuit concessum.

178. Confirmatur a praesenti Capitulo generali condemnatio facta a Rmo D. N. abbate Cisterciensi generali, p. m. Edmundo Perrot, de die 10 mensis decembris anno 1715, cuiusdam libelli gallice inscripti : *Eclaircissements des privilèges de l'ordre de Cisteaux sur la compilation...* etc. A Liège, 1714. Latine : *Elucidationes privilegiorum Ordinis Cisterciencis...* etc. Leodii 1714. Et prohibetur omnibus abbatibus, abbatissis ceterisque superioribus et religiosis Ordinis nostri, cuiuscumque loci et dignitatis sint, ne hunc librum, quovis quaesito colore, sive praetextu, distribuere, laudare et defendere praesumant. Sed praecipit et mandat Capitulum generale ut ab omnibus habeatur tamquam vi-

tiosus, schismaticus et erroneus, et ut talis inter libros prohibitos reservetur. Et ut hoc praesentis Capituli generalis decretum omnibus Cisterciensis Ordinis alumnis innotescat, mandatur omnibus Vicariis generalibus ut illud notificent omnibus respective provinciis et monasteriis utriusque sexus.

179. Iisdem RR. DD. Promotoribus requirentibus, adversus librum gallice inscriptum : *Histoire du pontificat d'Eugène III, dédié à Mgr l'Illustrissime et Rme Evêque de Langres, par Dom De Lane, bibliothécaire de l'abbaye de Clairvaux, ancien professeur de théologie.* A Nancy, chez Pierre Antoine. 1737. Latine : *Historia pontificatus Eugenii PP. III, dicata Ill. ac Rmo episcopo Lingonensi, a domno De Lane bibliothecario Claraevallensis abbatiae, antiquo theologiae professore.* Nancii, apud Petrum Antoine. 1737. Capitulum generale, cum iste liber sine approbatione et permissu Rmi D. N. contra privilegia Ordinis et edicta regia sit editus, praefatum D. De Lane ex nunc suspendit ab officio subprioris spatio trium mensium, et declarat toto vitae suae tempore inhabilem ad officia maiora exercenda ; ipsi D. De Lane districtissime prohibendo sub gravioribus poenis ne aliquem librum in posterum edere et typis committere praesumat sine licentia petita et obtenta a Capitulo generali vel a Rmo D. N.

180. Et ut tollatur ista contra Capitulorum generalium decreta et edicta regia componendi ac imprimendi libido, sub districtissimis poenis prohibetur a Capitulo generali ne ullus liber, sive de Ordine loquatur, sive non, edatur in lucem a persona religiosa Ordinis Cisterciensis, sine licentia eiusdem Capituli generalis, aut Rmi D. N. petita et obtenta.

181. Circa controversiam ortam inter RR. DD. abbates de Luciscella et de S. Urbano, quod ius paternitatis quod R. D. abbas de Luciscella contendit sibi competere in monasterium de S. Urbano, praesens Capitulum generale reverenter committit Rmum D. N. quatinus omnibus instrumentis et documentis, ex utraque parte proferendis, examinatis et perpensis, iudicare, ordinare, et quod aequum sibi visum fuerit, statuere dignetur in plenaria Ordinis potestate.

182. Ad requisitionem RR. DD. Promotorum, privilegia et praerogativae Benemeriti conceduntur D. Klely, priori de Charitate Bisuntinensi.

183. Decernit Capitulum generale ut praerogativae Vicariorum generalium seu Patrum provinciae in Congregatione Coronae Arragonum et Navarrae inviolabiliter conserventur, et vetat ne abbates locales illas, ut fit aliquoties, impedire valeant.

SESSIO DECIMA SEPTIMA

184. Hora 2 post meridiem eiusdem diei, omnes convenerunt in Diffinitorium more solito, ad signum maioris campanae. Capitulum generale attendens ad supplicem libellum R. D. abbatis de Campo principum, ad requisitionem Promotorum statuit anniversariis fundatis posse suppleri per missas privatas.

185. Declarat idem Capitulum generale quod in sacro nostro Ordine seniores professi et non iubilati nullo gaudeant privilegio, sed debeant omnibus regularibus adesse observantiis, excepto casu necessitatis.

186. Nullus superior in Ordine praeveniat scrutinium Visitatoris, sed omnimodam suis religiosis relinquat libertatem ; qua occasione Capitulum generale renovat caput *De forma Visitationis*, et iubet ut in omnibus monasteriis executioni demandetur.

187. Ad petitionem provinciae Bavariae, sicut R. D. abbati de Waldsassio a Rmo D. N. generali de anno 1734 gratiosissime permissa est celebratio festorum B. M. V. quemadmodum in dioecesi Ratisbonensi observari solet, ita etiam in aliis monasteriis eiusdem provinciae sub ritu MM. maiorum celebrare in posterum eadem festa licitum sit, scilicet in mense decembri festum Expectationis partus B. M. V. ; die 23 ianuarii festum Desponsationis eiusdem ; feria sexta post dominicam Passionis festum Septem Dolorum ; dominica infra octavam S. P. N. Stephani festum Commemorationis de Monte Carmelo ; dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. festum S. Nominis Mariae ; die 6 augusti festum Dedicationis B. M. ad Nives ; die 24 septembris festum de Mercede ; dominica prima octobris festum S. Rosarii ; dominica novembris prima vacante festum Patrocinii B. M. V.

188. R. D. Engelbertum abbatem Walderspacensem demisse supplicantem ob paucitatem sacerdotum in suo monasterio nunc existentium, Capitulum generale dispensat quoad missas ex Ordine obligantes, adeo ut missa matutinalis per triennium numquam celebretur, missae quotidianae de Beata et de Requiem in septimana ter solummodo applicetur ad intentionem sacri Ordinis. Finito autem triennio quo interea numerus sacerdotum excrescet, missae quotidianae et solitae ex sacro Ordine et more consueto persolvantur.

189. Item, conceditur praefato abbati Walderspacensi praeter festa toti provinciae Bavariae concessa, ut licitum sit ei celebrare in perpetuum quarta die decembris festum s. Barbarae, sub ritu MM. maiorum.

190. Diffinitum est a Capitulo generali unanimi omnium consensu quod D. Nicolaus Pirot sit vere professus monachus pro abbatia de Freistorffio, et cogatur conventus eiusdem abbatiae de Freistorffio, ut eum agnoscat et recipiat ut talem, per omnes iuris et iustitiae vias, si renuerit.

191. Forma absolutionis quae proposita est huic Capitulo generali ab omnibus Visitatoribus in fine visitatioins conferendae acceptatur, admittitur et est talis, videlicet : Praemissis *Confiteor*, etc. *Misereatur*, etc. *Indulgentiam*, etc. dicatur a Visitatore : Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis aut interdicti, in quantum se extendunt gratiae et privilegia Ordinis nostri mihi concessa, absolvo vos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Item, eadem auctoritate dispenso vobiscum super irregularitatibus, inhabilitationibus et aliis poenis ecclesiasticis scienter vel ignoranter contractis, in quantum possum et valeo. Demum eadem auctoritate concedo vobis plenariam indulgentiam tam ex privilegiis quam ex participatione ab aliis religionibus Ordini nostro concessam, si illius capaces estis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Ite in pace et orate Deum pro me, et dicite psalmum *Miserere*.

192. Ill. ac Rmo D. Scipioni de Begon, episcopo Tullensi, summa cum gratitudine, suffragia Ordinis conceduntur.

193. Capitulum generale viso libello supplici R. D. abbatis, prioris et monachorum de Fiterio in Hispania Congregationis Cisterciensis Arragonum et Navarrae, concedit ut festum s. Raymundi primi abbatis Fiteriensis transferatur ad diem 30 augusti, et celebretur sub ritu sermonis maioris et officio proprio. Item, translatio festi Dedicationis ecclesiae Fiteriensis ad diem 5 octobris permittitur.

194. Conceditur monialibus de Casbas celebratio festi s. Francisci de Borgia sub ritu XII lectionum.

195. Item, monialibus de S. Lucia fit facultas celebrandi festum s. Apollinaris, episcopi et martyris, sub ritu MM. maiorum die sequenti octavam S. P. N. Stephani.

196. Item, monasterio de SS. Crucibus in Catalaunia festum S. Cordis Iesu, sub ritu MM. maiorum permittitur.

197. Item, conceditur celebrari in regali monasterio de Petra prope civitatem Bilbilitanam festum de s. Inigo, sub ritu XII lect.; in regali monasterio Tegerensi festum ss. Virginum et martyrum Hunylonis et Flodiae, quarum corpora ibi servantur, sub ritu sermonis maioris cum octava. Regali monasterio de S. Fide festum s. Fidis sub simili ritu sermonis maioris cum octava et officio proprio.

198. Ad petitionem RR. DD. provinciae Congregationis Arragonum et Navarrae, confirmantur a Capitulo generali exemptiones et praerogativae illis concessae a Capitulo Congregationis et Capitulis Diffinitoriis celebratis in dicta Congregatione, et quibus dicti patres gaudere solent ex praxi et laudabili consuetudine.

199. R. D. abbate de Barberio, Vicario generali Normanniae pro Strictiori Observantia, humiliter supplicante, nomine sanctimonialium de Claretis, et S. Catharinae Andegavensis, mandat Capitulum gene-

rale ut in praefatis monasteriis duo anniversaria singulis annis solemnia pro defunctis decantentur, et inde exonerentur in perpetuum ab omnibus illis missis persolvendis in supradicto libello supplici designatis.

200. Capitulo generali datus est actus R. D. abbati Hilariensi quod petierit ius paternitatis in monasterium de Altovado, et data est ipsi facultas supplicandi Caesareae Maiestati, quatinus ipsi reddatur exercitium iuris paternitatis secundum statuta vicariatus Bohemiae.

201. Circa propositionem factam : An pensio doctoralis quae a commendatario monasterii de Gimonte persolvitur quotannis, debeat cedere in usum Domni Du Lac Tolosani et prioris claustralis de Gimonte ? an vero Domni Marconier professi de Gimonte et doctoris Parisiensis ? Capitulum generale declarat illam pensionem esse persolvendam ratione doctoratus Parisiensis. Et inhaerendo decreto Capituli generalis anni 1686, statuit pensiones doctorales in monasteriis commendatis recipiendas esse a cellerariis ipsorum monasteriorum, et ab iis, cum consilio et consensu superioris localis, ad libros emendos aliave doctoratui convenientia impendendas. Praeterea statuit et addit Capitulum generale libros emptos pecuniis e pensione doctorali provenientibus, aliaque doctoratui convenientia in perpetuum pertinere tamquam propria ad monasterium cuius abbas commendatarius solvit pensionem.

202. Capitulum generale attendens ad supplicem libellum R. D. abbatis de Stamedio, Seren. Regi Sardiniae, Cypri et Ierusalem pro sua singulari benevolentia erga monasteria Ordinis in sua ditione posita, communicationem bonorum operum et suffragiorum Ordinis concedit summa cum gratitudine. Et ab eodem praesenti Capitulo supplicatur reverenter et enixe Rmo D. N. quatinus eidem Seren. Regi Sardiniae, Cypri et Ierusalem humiles gratias agat nomine totius Capituli generalis, eumque exoret ut pro sua pietate ad restaurationem pauperrimi monasterii de Bono loco aliquam partem proventuum mensae abbatialis de Alpibus, nunc vacantis, aut alterius monasterii, per aliquot annos assignare et decernere dignetur.

203. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, declarat praesens Capitulum generale licere Patribus immediatis et Visitatoribus ex Comm. Observ. mittere monachum a monasterio C. O. ad monasterium S. O. in debitis circumstantiis, scilicet in casu delicti et excessus, rebellionis et propter turbatam pacem.

204. Cum horis matutinis in Diffinitorio fuissent approbata et confirmata statuta Congregationis Super. Germaniae, salvis iuribus Procuratoris generalis apud S. Sedem, idem exposuit quod in eo tantum possint salvari sua iura, in quantum quidquid percipitur annuatim pro contributionibus suis, et omnino sine diminutione vel partitione

solvatur. Unde cum 336 floreni ad hunc effectum quolibet anno solvantur a tota dicta Congregatione Super. Germaniae, praecipit Capitulum generale ut in posterum eadem summa dicto Procuratori generali integra solvatur, et ut singuli Vicarii generales Congregationis Super. Germaniae per se seorsim et sine defalcatione cambii suorum respective vicariatuum contributiones bona fide et directe Romam eidem Procuratori generali quolibet anno transmittant.

SESSIO DECIMA OCTAVA

205. Hora 8 die 14, missa de Rogationibus celebrata in pontificalibus a R. D. abbate de S. Fide, omnes convenerunt in Diffinitorium ad signum maioris campanae. Capitulum generale sanctimonialibus Magdenoviensibus ad requisitionem RR. DD. Promotorum, et iuxta libellum supplicem praesentatum a R. D. abbate de Maris stella, Patre ipsarum immediato, benigne concedit ut praefati monasterii moniales proedium quod habent in aliena iurisdictione vendant, et accepto pretio venditionis aliud ab exactionibus liberum in propria iurisdictione emant.

206. Idem Capitulum generale permittit sanctimonialibus Vallis liliorum ut quaedam bona immobilia sita in comitatu acatholicorum Kiburgico dissita nimis, adeoque monasterio minus utilia, cum commodioribus quae in propria monasterii iurisdictione sita sunt, permutare valeant.

207. Supplicanti R. D. abbati de Maris stella conceditur et ipsius monasterio, ut pro avertendis litibus et securiori decimarum collectione, iugera quae habent in iure decimationis suae quibusdam in locis cum aliis decimatoribus contigua et promixta, aequale pro aequali reddendo, permutet.

208. Circa sororem laicam monasterii Vallis dominarum, vulgo Frauenthal, inquietam a pluribus annis et inobedientem, monet Capitulum generale Vicarium generalem ut illam de novo charitative instruat, hortetur, corrigat, puniat, etiam incarcerari faciat in pane et aqua. Quod si emendata non fuerit, Vicarius generalis consilium et iudicium petat Rmi D. N. ut videat quid faciendum, cum emitti non valeat.

209. Ad petitionem R. D. abbatis Gemelnicensis, conceditur a Capitulo generali et datur ei actus declarationis suae, quod nempe contendat monasterium suum non esse filiam monasterii de Rauda, sed esse filiam monasterii Andreoviensis. Et ab eodem Capitulo reverenter supplicatur Rmo D. N. generali ut unum vel duos commissarios deputare dignetur, qui, omnibus auditis et perpensis, controversiam praedictam occasione iuris paternitatis in monasterium Gemelnicense, dirimant in plenaria Ordinis auctoritate.

210. Relatione facta Capitulo generali libelli supplicis nomine monachorum Gemelnicensium ut exonerentur ab officio Conceptionis B. M. V. et Litaniis Lauretanis in quolibet sabbato, et ut minuatur numerus missarum ex fundationibus de annis 1691 et 1711, iuxta *Breve* s. m. Benedicti PP. XIII de anno 1724, quo ad Rmum D.N. generalem remittitur iudicium moderationum et reductionum, factis in Ordine. Generale Capitulum hanc rem terminandum remittit ad Vicarium generalem provinciae Silesiae, eum monens ut si reductionem quamdam in his faciendam iudicet, primò incipiat ab onere officii Conceptionis B. M. V. et Litaniarum Lauretanarum, in plenaria Ordinis auctoritate.

211. Ad requisitionem RR. DD. Promotorum, praesens Capitulum generale confirmat iudicium Rmi D. N. quo R. D. abbatem de Altaripa a iuris paternitatis in monasterium monialium de Maigrogia exercitio suspendit, vultque, ordinat et statuit ut praedictum iudicium sortiatur suum effectum usque ad proxium Capitulum generale, vel aliam Rmi D. N. dispositionem.

212. Idem statuit ut deponantur D. Benedictus Claus, subprior monasterii de Altaripa et D. Philippus Chöller, culinae magister; DD. vero Alexius Beuman, Dominicus Montenac, Bernardus Uffeleger, Albericus Mori, Nicolaus Wonderwecht, Emmanuel Tombé, Hyacinthus Bauman priventur duobus annis voce activa et passiva, petant veniam a Capitulo a R. D. abbate Lucellensi, qui poterit, casu dato verae resipiscentiae, eos absolvere ad excommunicatione, imo relaxare poenas supra inflictas.

213. Insuper mandat Capitulum generale ut remittatur D. Edmundus Languir ad monasterium Salemii expensis Altaeripae intra 15 dies intimationis huius decreti. Et ut moneatur R. D. abbas de Altaripa ut quamprimum revocet D. Nivardum Schallen ab officio confessarii monialium de Filia Dei, et alium ipsius loco substituat idoneum.

214. Deputantur a Capitulo generali RR. DD. abbates de Lucella et de Maris stella ut quamprimum visitationem instituant in monasterio de Altaripa, ibique in solidum statuant, ordinent et corrigant quidquid statuendum, ordinandum et corrigendum invenerint, in plenaria Ordinis potestate.

215. Egresso e Diffinitorio R. D. abbate de S. Cruce in Austria, Capitulum generale, auditis et requirentibus RR. DD. Promotoribus unionem et incorporationem monasterii S. Gothardi cum monasterio de S. Cruce supradicto, a Caesarea Maiestate factam, laudat, admittit et cum summa gratiarum actione acceptat, deprecando Rmum D. N. ut nomine totius Capituli generalis humiles Caesareae Maiestati gratias pro praedicta monasterii S. Gothardi unione et incorporatione monasterio de S. Cruce rependat, declarando omne ius in praedictum mo-

nasterium de S. Gothardo competere tum in spiritualibus tum in temporalibus abbati et conventui de S. Cruce.

216. Capitulum generale audiens supplicem libellum D. Petri Ioannis Mariette, sacri Ordinis Cisterciensis monotypographi, privilegio muniti in forma mandati a Rmo D. N. generali Cisterciensi ipsi concesso, supradictum Petrum Ioannem Mariette confirmat in munere unius et solius typographi Ord. Cisterc. et in concesso ipsi praefato privilegio per exclusionem cuiuscumque alterius typographi, ad instar praedecessorum suorum Mabre-Cramoisy, Frederici Leonard, et Dyonisii Mariette, adeo ut ipsi soli liceat de auctoritate Rmi D.N. generalis Cisterc. typis mandare magna et minora *Breviaria, Diurnalia, Missalia, Psalteria, Gradualia, Antiphonaria, Lectionaria, Preces B. M. V. Processionalia, Martyrologia, Ritualia, Regulam S. Benedicti, Usus, Bullaria, Privilegia, Directoria,* et alios quoscumque libros Ordini peculiares et necessarios. Item, a Capitulo generali districte prohibetur et sub poenis in mandato Rmi D. N. abbatis generalis enuntiatis, ne quis e sacro Ordine Cisterciensi, sive intra regnum Galliae, sive in provinciis Ordinis extra regnum positis, aliis utatur libris quam a dicto typographo editis, et quibus inscriptum fuerit in capite Rmi D. N. generalis *Mandatum.* Praecipit eidem praefato typographo ut luculentis caracteribus, optima charta, et bono atramento hi omnes libri imprimantur, et curet interea ut bibliopolae praecipuarum urbium Europae illis libris sufficienter continuo sint muniti.

217. Sententiam a R. D. Visitatore generali Congregationis Poloniae anno 1737 contra abbatem Ciriciensem latam, et per RR. DD. abbates de Uterina valle et de S. Urbano Diffinitores ad hoc specialiter deputatos, trutinatam, post serium actorum inquisitionis et depositionum contra eumdem factarum examen, et facta ab eisdem praefatorum actorum coram Diffinitorio relatione, Capitulum generale in omnibus punctis et clausulis confirmat, approbat et ratificat, et ad executionem deduci mandat dicti decreti modificationem et omnia alia in casu gerenda potestati Rmi D. N. unice relinquendo.

SESSIO DECIMA NONA

218. Hora 2 post meridiem, ad signum maioris campanae, omnes convenerunt in Diffinitorium, et requirentibus RR. DD. Promotoribus lectae sunt diffinitiones sessionum 11, 12 et 13.

219. Audita relatione actus visitationis monasterii de Valloliis, cuius prior est D. Comeau, s. Facultatis Parisiensis doctor theologus, Vicarius generalis Picardiae, Capitulum generale cum magno dolore ecclesiam huius monasterii penitus, fortuito casu, dirutam cognoscens, supplicat Rmo D. N. quatinus eiusdem Capituli nomine ad Emin.

Cardinalem de Fleury, Galliae regni administrum, scribat, eum humiliter rogando ut dignetur concedere per sex annos proventus mensae abbatialis de Valloliis ad reparandam aut a fundamentis novam ecclesiam reeadificandam.

220. Ad petitionem Congregationis Cisterc. Coronae Arragonum et Navarrae, Capitulum generale : — *a*) Districte praecipit R. D. Vicario generali dictae Congregationis ut intra 4 menses, a die notificationis huiusce decreti, nominet monachos probatae virtutis et notoriae doctrinae,qui tempore determinato et sufficienti adaptent novas diffinitiones. Quas adaptatas iubet Capitulum generale a R. D. Vicario mitti sine mora ad Rmum D. N. ut ab ea probentur, confirmentur aut reprobentur. — *b*) Iniungit praefato R. D. Vicario generali, ut nominet eosdem vel aliis monachos capaces et idoneos, qui quam citius faciant particularia statuta ad regimen monasticum et scolasticum collegii Oscensis, quae observentur a Rectoribus, Magistris, Lectoribus et Scolaribus in collegio pro tempore existentibus, sub poena privationis lecturae et collegiaturae ipso facto incurrenda, non obstante appellatione. Quae statuta confecta mittentur ad Rmum D. N. ut illa sua auctoritate confirmet. — *c*) Prohibetur a Capitulo generali ne fiat in monasteriis monialium fundorum et dotum dissipatio, et statuit ne in posterum absque licentia debita in scriptis expressa, tales redditus, funda et dotes consumere possint, sub poena suspensionis et privationis officii. Si quid tale iam commissum fuerit a monialibus, Capitulum generale committit Vicarium generalem ut eas semel tantum a censuris absolvat quas in tali casu occurrere potuissent. — *d*) Quia in aliquibus monasteriis monialium eiusdem praefatae Congregationis penitus ignorantur Ordinis ceremoniae et cantus Cisterciensis, ex defectu confessariorum Ordinis qui possint illas instruere, maxime in monasterio Patrocinii, vulgo de Tamarite, Capitulum generale prohibet sub poena nullitatis, ne in praefato monasterio aut aliis, admittantur virgines ad habitum suscipiendum, nisi prius habeant confessarium Ordinis, qui teneatur, dum opus fuerit instruere moniales, et curare quod instruantur in his quae ad observantiam Ordinis spectant, sub onere conscientiae, et etiam poenae privationis officii. *e*) Capitulum generale mandat R. D. Procuratori generali in Curia, ut apud Sedem Apostolicam procuret pro Congregatione Arragonum et Navarrae, expensis eiusdem Congregationis, communicationem privilegiorum concessorum expresse et directe Cisterciensibus Castellae, imo et Mendicantibus, eorum tamen quae sunt communicabilia.

221. Confirmatur decretum latum a Rmo D. N. sub die 11 maii anno 1738, quo, rite examinatis et ponderatis rationibus et documentis productis, declaratur ius paternitatis in monasterium Salemii competere abbatiae Luciscellae.

222. Omnia et singula Ordinis nostri monasteria quotannis, circa mensem ianuarii, nomina mortuorum et neoprofessorum suorum mittant Vicariis generalibus, qui de hoc, sicut et etiam quatuor primi abbates, Rmum D. N. vel eius secretarium informent.

223. Indulget Capitulum generale facultatem abbatiae sanctimonialium de Valle rosarum in Brabantia, celebrandi officium de sancta Ida, Ordinis nostri, sub ritu MM. minorum.

224. Renovantur, et in quantum opus est, confirmantur antiquorum Capitulorum diffinitiones quibus conversis nequidem humaniores litteras addiscere permittitur, et ne fiant monachi expresse prohibetur. Quibus inhaerendo Capitulum generale decernit et statuit nullos Ordinis conversos sub quocumque colore aut praetextu in posterum ad monachatum aliosve Ordinis aut religionis gradus et dignitates esse promovendos, sub poena nullitatis.

225. Omnes Ordinis personae iuxta suae Congregationis vicariatus vel provinciae ritus doctorali laurea a Capitulo generali, vel a Rmo D. N condecorandae, post recitationem symboli Nicaeni, iuramentum fidelitatis emittant inter manus sui respective Vicarii generalis seu Praesidis, vel alterius abbatis et superioris Ordinis, quod nunquam contra eiusdem regimen, immunitates et privilegia quidquam sint acturi, facturi vel permissuri. Dictum iuramentum propria manu laureandorum scribatur, ac Rmo D. N. transmittatur. De cetero praenominati inter alios magistros Ordinis, (exceptis tamen doctoribus Parisiensibus) iuxta antiquitatem doctoratus locum habeant ac teneant statim post assecutionem laureae.

226. Omnes Ordinis scolares, et etiam baccalaurei et graduati in collegio Parisiensi degentes commune refectorium, iuxta collegii instituta frequentent, sub disciplina Provisoris pro tempore existentis religiose vivant ; nec liceat ipsis, sub quocumque colore aut praetextu, in hospitiis privatorum abbatum intra septa collegii existentibus habitare, sed tantum in cellis et locis eiusdem collegii regularibus. Qui secus fecerint, eiiciantur a collegio, illuc minime reversuri nisi de expressa Capituli generalis, vel Rmi D. N. gratia et licentia.

227. Pensiones annuae et cum debita facultate superiorum, ad quos spectat, obtenta, non cedantur vel renuntientur a religiosis nostris sine eorumdem superiorum consensu. Alioquin cedentes vel renuntiantes in praeiudicium monasterii et Ordinis severissime puniantur.

228. Religiosi e filiabus monasterii evocati de altari cui inserviunt vivant, et sine pensionis exactione aut solutione monasterii cuius sunt expresse professi, excepto tamen studiorum vel habitualis infirmitatis casu, in quo tunc monasterium proprium moderate solvat pro honesto victu ac vestitu. Qui vero pater abbas praesenti diffinitioni contravenire praesumpserit, a divinis, ipso facto, suspensus declaratur.

229. Inhaerendo diffinitioni Capituli generalis anni 1651, et instrumentis seu chartis visitationis Rmi D. N. p. m. Ioannis Petit, abbatis Cisterc. generalis, de anno 1671, praesens Capitulum generale statuit ut procurator collegii S. Bernardi Parisiensis immediate sequatur baccalaureos primi ordinis, nisi tamen ob specialia merita dicti patris procuratoris, alios respectus ei deberi iudicaverit Rmus D.N. ad quem plenaria directio collegiorum Ordinis inconcusse et privative spectat.

230. Monachi quibus incumbit cura animarum saecularium, et in conventibus commorantes, postulent a superiore licentiam exeundi e monasterio. Habeat tamen superior respectum ad urgentes casus in quibus debentur, nulla interiecta mora, administrari sacramenta.

231. Committitur et demandatur Vicaro generali Vasconiae, ut in plenaria Ordinis auctoritate numerum monachorum in singulis Vasconiae monasteriis determinet, habita tamen ratione determinationis iam pridem factae a R. adm D. Le Masson, abbate Morimundi, ex commissione et mandato Capituli generalis, hoc tamen modo quod ubi ex ordinatione praedicti R. adm D. Abbatis de Morimundo 40 fuere monachi, ibi sint 26 ; ubi vero 24, ibi 16 ; et sic de omnibus monasteriis vicariatus Vasconiae, proportione servata a dicto Vicario generali statuatur. Superiores autem praedicti vicariatus Vasconiae, ad executionem praesentis decreti per omnes iuris et iustitiae vias a Vicario generali compellantur, in plenaria Ordinis auctoritate.

232. Ius iuri addendo, Capitulum generale confirmat iam approbatam a Rmo D. N. electionem R. D. Constantini Ilowieski in coadiutorem Landensem.

233. Ad preces RR. DD. abbatum de Oliva et de Pelplinio, laurea doctoratus, cum omnibus iuribus, praeeminentiis et solitis privilegiis insignitur D. Antonius Orlouski, prior collegii Mogilensis, ac actualis professor theologiae in eodem collegio.

234. Perpensa quadam controversia Congregationis Arragonum et Navarrae alumnorum diversa sentientium animositate, aliisque incommodis, scandalis et perturbationibus inde secutis, exorta inter R. D. abbatem de Populeto, asserentem iuris sui esse monachum suum scolarem, durante vacationum tempore, ad primum monasterium, si sibi benevisum fuerit, revocare ; et Provisorem collegii Oscensis econtra praetendentem ius et iurisdictionem in illum monachum ad se pertinere, sub praetextu quod possit et valeat qualemcumque monachum scolarem, dicto vacationum tempore, sibi in socium deligere ac retinere, etiam invito proprio abbate, praesens Capitulum generale declarat servandum esse cap. XV constitutionis seu bullae s. m. Benedicti PP. XII, de anno 1335.

235. Moniales non habeant confessarios nisi Ordinis nostri, sine speciali licentia Rmi D. N. et quae non habent, non ipsis sit licitum

accipere novitias. Et praesens diffinitio afficiet omnino dictas sanctimoniales post factam eisdem debitam a Vicario generali eiusdem diffinitionis intimationem.

236. Rogatur Rmus D. N. ut recurrat ad auctoritatem S. Sedis et Seren. Regis Hispaniarum Philippi V, ut in favorem Congregationis Arragonum et Navarrae revocetur decretum Apostolicum, quo deputantur metropolitani cum opportunis facultatibus ad visitanda omnia et singula monasteria regularium, maxime cum in praedicta Congregatione Arragonum et Navarrae omnia reperiantur in optima observantia.

SESSIO VIGESIMA

237. Missa solemni in pontificalibus celebrata, die 15 maii, a R. D. abbate de Himmerode, propter almum Ascensionis Domini festum non fuit habita sessio matutina. Hora vero 3 eiusdem diei post meridiem, dato signo maioris campanae, sessioni initium fecit Rmus D. N. qui cum sedendo exposuisset gravissimas suas querelas contra R. adm D. abbatem de Claravalle praesentem, et contra R. adm D. de Pontiniaco absentem, statim cum debita licentia surrexit R. adm D. abbas de Claravalle, qui verbo et scripto dedit sua responsa. Subinde a Diffinitorio (etsi deprecarentur omnes ut remaneret) recessit Rmus D. N. pariter et recessit R. adm D. abbas de Claravalle. Tum R. adm D. abbas de Firmitate, a Rmo D. N. instituto Praeside, querela de qua agebatur a Promotoribus denuo exposita, hinc et inde serio examinata et trutinata, Capitulum generale statuit in R. adm D. abbatem de Claravalle graviter esse animadvertendum ob iniurias Rmo D. N. factas, et praecipit Capitulum generale ut coram omnibus Diffinitoribus dictus R. adm D. abbas de Claravalle, nudo capite ac genibus flexis, veniam a Rmo D. N. peteret, ac deputarentur, iuxta arbitrium Rmi D. N. duo commissarii, qui a R. adm D. abbate de Pontiniaco similem satisfactionem cum debitis formalitatibus acciperent, de omnibus subinde certioraturi Rmum D. N. Hac lata sententia et diffinitione a Capitulo generali, reversi sunt in Diffinitorium Rmus D. N. et R. adm D. abbas de Claravalle, qui postquam sedissent et audivissent lectionem dictae diffinitionis, requisivit R. D. Promotor ut R. adm D. abbas de Claravalle in Diffinitorio pareret saepedictae diffinitioni Capituli generalis. Et de facto R. adm D. abbate de Claravalle in medio Diffinitorio iam nudo capite, et in genua prono, Diffinitores supplicarunt pro gratia et misericordia Rmo D. N. qui descendens a sede sua in paternos amplexus erigens R. adm D. abbatem de Claravalle, ei misericordiam petitam benigne concessit.

238. Praesens Capitulum generale renovat, et quantum opus est, confirmat antiqua Ordinis statuta, quibus prohibetur sub poenis gra-

vissimis in Ordine consuetis, et etiam sub poena excommunicationis et depositionis, omnibus Ordinis personis et superioribus, quacumque dignitate fulgentibus, ne lites circa negotia mere regularia deducant extra Ordinem ad tribunalia saecularia.

239. Declarat Capitulum generale censuras Ordinis eos incurrere qui minis, precibus aut alio quocumque modo in processibus constitutos in Ordine, iurisdictionis gradus perturbant et impediunt quominus a sententiis Vicariorum generalium ad Patres immediatos, vel a sententiis Patrum immediatorum ad Rmum D. N. aut etiam a Rmo D. N. ad Capitulum generale interponantur appellationes.

240. Pro litteris quas dignata est sua sacra Caesarea Maiestas scribere ad praesentia comitia generalia, Capitulum generale rogavit Rmum D. N. ut quamhumillimas Suae Maiestati Caesareae, nomine totius Ordinis, referret gratias. Sequitur tenor praedictarum litterarum sacrae Caesareae Maiestatis.

— Carolus VI, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper augustus, Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque, etc. Rex, Archidux Austriae, etc.

Honorabiles, devoti, fideles, Nobis dilecti, exposuit Nobis humillime honorabilis, devotus, Nobis dilectus, Robertus monasteriorum sacri Ordinis vestri ad S. Crucem in Infer. Austria, et ad S. Gothardum in Hungaria, abbas, se a Vicario generali suo, honorabili, itidem devoto, Nobis dilecto, Chrisostomo, abbate monasterii Campililiorum, Infer. quoque Austriae, nominatum esse ut ipsius loco, utpote senio et sinistra valetudine impediti, futurum proximo mense maii Cistercii generale Capitulum adeat, ibidemque commissa sibi negotia quae in spiritualibus harum ditionum monasteria concernunt, aut ad vicariatus Austriae, Styriae et Hungariae decorem et incrementum cedere possunt, efficaciter proponat monitaque sibi desuper data pie in Domino exequatur. Cum itaque demissae huic intimationi pro eo quo in divum Bernardum eiusque sacrae religionis sectatores ferimur affectu, perbenigne assenserimus, a vobis clementissime desideramus velitis omnia ab antefato abbate Roberto in vel extra Diffinitorium proponenda, auctoritate et officio vestro ita promovere ut vicariatui et ditionum nostrarum sacri Ordinis vestri monasteriis quamoptime consultum intelligamus ; gratiis Caesareis (quibus vobis addicti manemus) annuentiam et observantiam vestram, quotiescumque occasio evenerit, recognituri. — Datum in civitate nostra Viennae, die 1 mensis martii anno 1738, regnorum nostrorum Romani XXVII, Hispanicorum XXXV, Hungarici et Bohemiae itidem XXVII. *Signatum :* Carolus.— *Et inferius* [a] : Mathias Benedictus Tinterwaliler.

241. Requirentibus RR. DD. Promotoribus ut Diffinitorium sta-

[a] Philippus Ludovicus comes a Zenzendorf. Et inferius : Mathias... : *Ta.*

tuere velit quatinus munus Vicarii generalis totius Congregationis Super. Germaniae in posterum non sit semper annexum abbatiae Salemitanae, sed etiam indiscriminatim aliis dictae Congregationibus abbatibus, quos capaciores iudicaverit Rmus D. N. generalis, conferatur, ne haec primaria Congregationis dignitas uni monasterio, postpositis ceteris, quodammodo haereditaria videatur, annuit praesenti requisitioni Capitulum generale, et vult in posterum omnino observari.

242. Renovando decretum Capituli generalis anni 1651, praecipitur Procuratori generali in Curia, ut bullae Sixti IV, et earumdem bullarum confirmationem a Clemente VIII factam, quibus contra statuta Ordinis et in praeiudicium abbatis et monasterii S. Crucis in Austria, ius paternitatis immediatae abbati de Runa in monasterium Campililiorum conceditur, revocari a SS. D. N. procuret. Et rogatur Rmus D. N. nomine totius Ordinis humilem supplicationem Summo Pontifici facere ad huiusce decreti effectum quantocius obtinendum.

243. R. D. abbati Wellehradensi confirmatur ius paternitatis in monasterium Portae coeli in Moravia, et in monasteria de Pasto et de Pelisio in Hungaria. Et nomine totius Ordinis dignetur Rmus D. N. immensas gratiarum actiones Suae Caesareae Maiestati referre pro abbatia Pelisiensi sacro Ordini Cisterciensi restituta.

244. Preces religiosorum de Pasto circa subsidium charitativum remittuntur ad Patrem immediatum.

245. Ad instantiam R. D. abbatis de Sedlicio concedit Capitulum generale ut festum s. Ioannis Nepomuceni sub ritu sermonis maioris die 16 maii celebretur in omnibus monasteriis vicariatus Bohemiae.

246. Magistri seu doctores vel graduati creandi in studio seu collegio particulari monasterii Populetani ex nunc et pro semper non poterunt in Congregatione Arragonum et Navarrae gaudere iuribus, privilegiis et praeeminentiis solitis, sed tantum in monasterio Populeti.

247. Praecipitur omnibus RR. DD. abbatibus Congregationis Arragonum et Navarrae, nominatim R. D. abbati de Populeto, taxam ab antiquo assignatam pro collegio Oscensi quolibet anno solvere, eosque cogat ad talem solutionem R. D. abbas Vicarius generalis pro tempore existens, per omnes iuris et iustitiae vias.

248. Monasteria sanctimonialium de Solismonte in comitatu et dioecesi Namurcensi, ac de Felici prato in Hannonia Gallica, praesens Capitulum generale incorporat vicariatui principatus Leodiensis.

SESSIO VIGESIMA PRIMA

249. Missa celebrata in pontificalibus a R. D. abbate de Baudeloo, die 16 maii, hora 8 convenerunt omnes in Diffinitorium ad sonum maio-

ris campanae. Ad meliorem salutem restitutus R. D. abbas de Barberio primus notarius, et reversus ad Diffinitorium, functus est suo officio notarii. Ad requisitionem RR. DD. Promotororum lectae fuerunt sessiones 14, 15 et 16.

250. Item, requirentibus RR. DD. Promotoribus, ut D. Benedicto Schindler, secretario Rmi D. N. concederentur litterae Benemeriti, Capitulum generale, omnibus cum plausu suffragentibus, ut amplissimae expediantur vult et praecipit.

251. Propter reverentiam debitam almae matri Cistercio et uniformitatem in Ordine servandam, praesens Capitulum generale mandat et praecipit ut festum S. P. N. Roberti, huius dicti archicoenobii fundatoris, quod celebratur sub ritu MM. maiorum, in posterum celebretur sub ritu sermonis minoris per totum Ordinem die 29 mensis aprilis.

252. RR. DD. de Heisterbaco, Vicarii generalis ad Tractum Rheni, et de Himmerode abbatum supplicationi annuendo praesens Capitulum generale vult, ordinat, statuit, et in virtute salutaris obedientiae praecipit ut omnes qui ex dicta provincia non comparuerunt, praedictis abbatibus expensas pro itinere factas refundere teneantur, iuxta aequam et iustam repartitionem a praedicto Vicario et duobus vicinioribus abbatibus in omnia dicti vicariatus monasteria faciendam.

253. Conceditur facultas celebrandi in omnibus monasteriis Sabaudiae festa s. Sudarii et ss. Mauritii et sociorum eius martyrum, sub ritu MM. maiorum.

254. Cum ad audientiam Capituli generalis pervenerit, quod in quibusdam monasteriis moniales certis diebus anni ingentem copiam ciborum supra solitum sibi quasi de iure vindicent, et saecularibus personis hinc et inde distrahant contra paupertatis votum, praesens Capitulum generale tanto abusui obviare cupiens, prohibet ne talis ciborum copia amplius administretur; mandando et districtissime praecipiendo omnibus abbatissis in casu, ut pretium in eiusmodi superflua hucusque impensum in posterum ad alios necessarios monasterii usus impendant.

255. Appellatio D. Francisci Henin, religiosi de Albaripa, a sententia contra ipsum lata a Vicario generali ducatus Burgundiae, reiicitur, et praedicto Francisco Henin perpetuum circa hoc negotium imponitur silentium.

256. Pariter reiicitur appellatio facta a D. Alverni ab ordinatione D. Estiemble, commissarii R. adm D. abbatis de Claravalle, et praedicto Alverni perpetuum imponitur silentium.

257. Deputatur R. D. abbas de Gratia Dei Bisuntinensi ut revideat processum instructum adversus D. Iacobus Villemot, de Monte S. Mariae religiosum, et in plenaria Ordinis potestate circa illum statuat ac diffiniat quidquid statuendum ac diffiniendum esse iudicaverit.

258. Procurator generalis in Curia apud S. Sedem nomine Capituli generalis supplicet quatinus revocetur decretum manutentionis, latum anno 1733 in gratiam quarumdam monialium in patria Leodiensi.

259. Praesens Capitulum generale mandat et praecipit R. D. Vicario generali patriae Leodiensis, ut quamprimum curet restaurari commune dormitorium in monasterio de Herkenrode, et compellat in plenaria Ordinis potestate praedicti monasteri moniales, ut in illo dormitorio iuxta usum Ordinis habitent.

260. Committuntur R. D. abbas Alnensis, Vicarius generalis, et R. D. abbas de Molinis, ut quamprimum accedant ad monasterium Vallis benedictae, prope Leodium, et in illo monasterio, sicut etiam in refugio Leodiensi, computationes et totam rei temporalis administrationem examinent, ibique statuant in Ordinis plenaria potestate quidquid statui, sive temporali sive spirituali, illius monasterii convenientius esse iudicaverint.

261. Attenta contumacia provinciarum Castellae et Lusitaniae, quae ad praesens Capitulum nec venerunt nec se excusaverunt, non sine magno animi doloris sensu compellitur universus Ordo in filios dyscolos saevire, praecedentium Capitulorum generalium annorum 1667, 1672 et 1683 decreta in tali casu confecta renovando ac confirmando, prout de facto renovat, confirmat, renovari et confirmari praesenti decreto intendit, quemadmodum si eidem expresse et individue forent inserta, omnimodam iurisdictionem sibi retinendo et conservando Capitulum generale supra dictas provincias, nonobstante quovis silentio, rebellione et contumacia earumdem.

262. Capitulum generale vult, ordinat et praecipit ut acta praesentis Capituli transumpta, pro more subsignata, per Vicarios generales ad singula quaeque Ordinis monasteria transmittantur, ibidem in capitulo quater in annis cum toto conventu legenda, iniungendo Patribus immediatis et Vicariis generalibus, ut personas sibi commissas ad illorum decretorum executionem compellant, reservatis omnibus statutorum praesentis Capituli dispensationibus, si quae sint obtinendae, soli Capitulo generali, aut eo non sedente Rmo D. N. Insuper declarat praesens Capitulum generale omnes et singulas Ordinis personas in foro conscientiae obligari, etiam ante subsequentis Capituli confirmationem, ad obedientiam praestandam omnibus decretis praesentis Capituli.

263. Monasterium de Marienbron unitur et incorporatur monasterio de Novo Castro, ibique ab abbate ad deserviendum ponetur religiosus ad nutum amovibilis.

264. Conceditur abbatissae et conventui Eufordiae in Thuringia, archidioecesis Maguntinae, ut in monasteriis vicariatus cuius sunt, et etiam in aliis vicinioribus Ordinis nostri monasteriis, charitativum

subsidium petere valeant, praedictique vicariatus abbates invitantur ut ad mentem *Chartae charitatis* praedictis monialibus subvenire non dedignentur.

265. Ad propositas quaestiones ex parte R. D. abbatis Camericensis, praesens Capitulum generale respondet quod praeter anniversarium solemne in octava commemorationis defunctorum, singulis mensibus in monasterio Camericensi celebretur missa privata ad intentionem fundatorum.

266. Circa ius paternitatis et eiusdem iuris exercitium in monasteriis Silesiae, praesens Capitulum generale audita relatione RR. DD. Promotorum, ac publice lecta in Diffinitorio ordinatione facta a Rmo D. N. circa hoc negotium, de die 14 oct. anno 1733, confirmando praedictam Rmi D. N. ordinationem vult, ordinat et praecipit ut dicta ordinatio in omnibus monasteriis provinciae Silesianae observetur iuxta formam et tenorem.

267. Defuncto Silesianae provinciae aut absoluto Vicario generali, futurus Vicarius generalis instituetur sicut antea factum est.

268. Negotium Ciriciensium monachorum pro ferendo suffragio in electione Henricoviensis abbatis, remittitur ad Vicarium generalem provinciae Silesianae, in plenaria Ordinis potestate diffiniendum ac terminandum.

269. R. D. abbati Gemelnicensi conceditur facultas reassumendi officium de s. Adalberto sub ritu XII lectionum.

270. Lectiones per octavam dedicationis dicendae quando illa octava occurrit post festum Omnium Sanctorum in prima *Breviarii* editione inserentur.

271. Ad requisitionem RR. DD. Promotorum, praesens Capitulum generale festum s. Gothardi titularis in abbatia S. Gothardi in Hungaria, sub ritu MM. maiorum, in monasterio autem S. Crucis in Austria, cui illud S. Gothardi incorporatum est, sub ritu III lect. quotannis celebrari permittit.

272. Item, qualibet feria sexta non impedita, excepto Quadragesimae tempore, officii S. Crucis celebratio sub ritu III lect. conceditur monasterio S. Crucis in Austria.

273. Item, eidem supradicto monasterio festum s. Ioannis Nepomuceni sub ritu MM. maiorum ; et festum s. Barbarae, virginis et martyris, sub ritu III lect. deinceps celebrari indulget praesens Capitulum generale.

274. Facta est relatio vicariatus Austriae et admissa.

275. Conceditur actus Congregationi Arragonum et Navarrae quod si habent aliquod ius circa ordinem et locum in Diffinitorio, non intendat Capitulum generale aliquid fieri in praeiudicium eiusdem.

276. Pariter conservatum est ius Praesidis Lombardiae et Tusciae casu quod personaliter interveniret comitiis generalibus Ordinis.

277. Conceditur monasterio monialium de Valle Gautheri in Brisgoia, ut deinceps festum s. Galli celebretur sub ritu MM. maiorum.

278. Item, conceditur eidem monasterio ut RR. Patres Capucinos Friburgi Brisgoiae habeant quater in anno pro confessariis extraordinariis.

279. Conceditur eidem monasterio ut soror conversa maneat in earum dominio Mundhauwen ea lege, ut singulis diebus dominicis et festivis teneatur ad praedictum monasterium accedere.

280. Festum s. Cordulae in monasterio de Luciscella celebretur sub ritu festi MM. maiorum.

281. Festa fori in vicariatu Corinthiae celebrentur iuxta ritum Cisterciensem.

282. Circa facultatem absolvendi ab haeresi recurratur ad S.Sedem. Circa vero lucrum ex mutuo servetur licita praxis cuiusvis respective provinciae ac regionis.

283. Districtissime prohibetur ne ullus monachus pecunias apud se servare possit, sed inter manus deputandi ab abbate deponat. Et dictae pecuniae non possint in favorem particularium, nisi de licentia patris abbatis, impendi.

SESSIO VIGESIMA SECUNDA

284. Hora 2 post meridiem eiusdem diei, pulsante maiori campana, habita fuit sessio et in ea admissae sunt excusationes absentium, videlicet R. adm. D. abbatis de Pontiniaco, RR. DD. abbatum de Chalocheio, de Charitate ad Lezinam, de S. Sulpitio, de S. Salvatore Antuerpiae, de Caesarea, de Marcilliaco, de Altaripa, de Porta coeli, de Salemio, de Fulcardimonte, de Claromarisco, de Bona aqua, de Henricovio, de Rauda, de Gemelnico, de Camencio, de Petris, de Columba, de Arnsburgio, de Bredelaria, de Veteri campo, de Cella principis, de Marienroda, de Dunis, de Laude, de Thennenbach, de Castellione, de Campo Mariano, de Valle clara, de Valle Dei, de Speciosa valle, de Runa, de S. Remigio, de Camberone, de Campililiis, de Hardenhusio de Eberbaco, de Valle S.Lamberti, de Dulci Mariae Valle, de Iardineto, de Claro loco, de Veteri monte, de Casamariis ; itidem, RR. DD. priorum titularium de Waerschoot, de Bella aqua, de Monte stellato, de Leula, et D. prioris claustralis de Loco Dei, pro tunc Vicarii generalis provinciae Ruthenensis.

285. Insuper admisit Capitulum generale excusationes Congregationis Tusciae, sed sine quocumque praeiudicio suae obligationis veniendi ad generalia Ordinis comitia.

286. Eodem modo dictum Capitulum admisit excusationes Congregationis Calabriae et Lucaniae, etiamque provinciae Siciliae, quas per instrumenta et in debita forma constituerunt pro sub respective nuntio et legato ad praesentia comitia generalia R. D. abbatem de Uterina valle, Procuratorem generalem in Curia.

287. Facta post haec requisitione a RR. DD. Promotoribus, concessit generale Capitulum monialibus apud Belnas licentias celebrandi festum s. Antonii, sub eodem ritu quo celebratur in Ordine festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae.

288. Ecclesia seu sacellum B. M. in Samarei ubi duo religiosi de monasterio Alderspacensi pro recipiendis peregrinantium confessionibus sunt destinati, dicto monasterio incorporatur, salvo tamen iure alieno.

289. Fit licentia monasterio Alderspacensi celebrandi festum s. Feliciani martyris, sub ritu MM. maiorum.

290. Alienatio cuiusdam domus sitae in urbe Claromontii, pertinentis ad abbatiam de Bona aqua, dioecesis Lemovicensis, facta die 30 mensis martii anno 1734, contra Ordinis statuta et debitas formalitates, declaratur nulla.

291. Transactio habita Parisiis die 15 maii anno 1736 inter R. D. abbatem et conventum de Valle lucenti ex una parte, ac dominos de Berulle aliosque in dicta transactione inscriptos ex altera parte, et a Rmo D. N. approbata, confirmatur et ratihabetur.

292. Ratihabetur contractus habitus die 22 mensis martii anno 1738, in favorem monasterii de Bolbona, cum ea conditione quod pro alienatione praedi vel praediorum seu fundorum nuncupatorum Du Sacrista solvatur ecclesiae vener. monasterii Bolbonae casula valoris 60 libr. turonen. per modum solutionis nobilis et annuae, et quod pariter solventur eidem monasterio decimae fructuum qui in dictis praedio vel praediis seu fundis Du Sacrista quolibet anno colligentur.

293. Transactio in commodum monasterii de Morimundo facta die 24 ianuar. anno 1723 approbatur et confirmatur.

294. Contractus alienationis cuiusdam territorii 19 circiter iugerum ad dominium monasterii vulgo Nizors pertinentis, et habitus die 20 martii anno 1737 improbatur.

295. Inquirant RR. DD. abbates de Salemio, de Maris stella et de S. Urbano, utrum monasteria Bavariae, sacri Ordinis nostri fuerint propriis abbatum expensis recuperata, et casu quo non fuerint, iudicent in plenaria Ordinis auctoritate quem vel quos abbates tamquam patres immediatos admittere debeant.

296. Requirentibus RR. DD. Promotoribus, instituti sunt Visitatores seu Vicarii generales et alii publici officiarii Ordinis, videlicet: *In Italia*

et Insulis adiacentibus, cum potestate subdelegandi : R. D. Philibertus Quarré abb. de Uterina valle. — *In Congreg. Super. Germaniae*. R. D. Constantinus abb. de Salemio. — *In Franconia :* R. D. Guillelmus Salner abb. de Ebraco. — *In Bavaria :* R. D. Eugenius Schmitt abb. de Waldsassio. — *In Suevia :* R. D. Rogerius abb. Caesareae.— *In Helvetia, Alsatia, et Brisgoia :* R. D. Nicolaus Delphi abb. Luciscellae. — *In Bohemia, Lusatia et Moravia :* R. D. Ioannes Reisknecht, abb. de Sedlicio. — *In utraque Austria et Styria :* R. D. Chrysostomus abb. de Campililiis. — *In Silesia*: R. D. Gerardus abb. de Henricovio. — *In Congreg. Poloniae, Lithuaniae ac Prussiae :* R. D. Franciscus Nicolaus Zaleski abb. de Oliva. — *In Tractu Rheni :* R. D. Engelbertus Schmid abb. de Heisterbach. — *In Congreg. Coronae Arragonum et Navarrae :* R. D. Franciscus Tornagueria abb. de Populeto. — *In Carinthia et Carniola :* R. D. Placidus Maily abb. de Runa. — *In Sabaudia :* R. D. Ioannes Baptista Maniglier abb. de Stamedio. — *In Lotharingia :* R. D. Iacobus Gacier d'Auvillier abb. Novi Castri, vulgo Neubourg. — *In Belgio Germanico :* R. D. Antonius Pattheet abb. de Baudeloo. — *In Belgio Gallico :* R. D. Nicolaus du Beron abb. de Laude. — *In patria Leodiensi :* R. D. Bartholomeus Louant abb. de Alna. — *In Insula Franciae :* R. D. Iosephus Hubertus Carnot prior perpetuus de Gratia N. D. — *In Campania :* R. D. Ioannes Richardus Maillart abb. Vallis dulcis. — *In Normannia :* R. D. Carolus Sauzet Du Mas abb. de Bello becco. — *In Picardia :* D. Antonius Bernardus Comeau prior de Valloliis. — *In Biturgia :* D. Philippus Cochet prior de Eleemosyna. — *In ducatu Burgundiae :* D. Ioannes Claudius de Clugny prior de Monasteriis. — *In comitatu Burgundiae :* R. D. Pontius Jeunet abb. de Gratia Dei Bisuntinensi. — *In Alvernia :* D. Lambertus Rolichon prior de Bona valle Viennensi. — *In Delphinatu :* R. D. Claudius Rigoley abb. de S. Sulpitio. — *In provincia Provinciae :* D. Hugo Brun prior de Thoroneto. — *In provincia Tolosana :* R. D. Franciscus De Gié abb. de Porta Gloni. — *In provincia Burdegalensi :* D. Guillelmus Durand prior de Flarano. — *In provincia Ruthenensi :* D. Guillelmus Vors prior de Bonavalle Ruthenensi. — *In Andegavia, Turonia, et provincia Cenomanensi :* D. Marcus Le Doul prior de S. Andrea. — *In Pictavia :* R. D. Franciscus Claudius Leoutre abb. de Grosso bosco. — *In Britannia pro utraque Observ. :* R. D. Iacobus Nouel abb. de Precibus. — *In Normannia, Perchia, provinc. Cenomann. pro S. O. :* R. D. Nicolaus Lambelin abb. de Barberio. — *In Insula Franciae, Campania, Picardia, Lotharingia, etc. pro S. O.* : R. D. Benedictus Fitzharbert abb. de Pietate Trecensi. — *In Pictavia, Vasconia et provinc. Burdegalensi pro S. O. :* R. D. Ludovicus Le Grand abb. de Pinu. — *In Burgundia, Biturgia, Alvernia, etc. pro S. O. :* D. Stephanus Billardet prior de Maceriis.

297. Procurator gener. in Curia romana : R. D. Philibertus Quarré abb. de Uterina Valle. — Procurator gener. in curia Galliae : R. D. Iosephus Hubertus Carnot prior perpetuus de Gratia N. D.

298. Cum plurima adhuc supersint negotia magni momenti, quae in praesenti Capitulo ob infirmantes plurimos Diffinitores terminari nequeant,

praesens Capitulum generale reverenter committit Rmo D. N. ut secum assumendo RR. adm DD. abbates de Firmitate, de Claravalle, de Morimundo, de Gratia Dei Bisuntin. de Uterina valle et de Grosso bosco, quae supersunt terminanda cum praedictis abbatibus, soluto generali Capitulo, Cistercii vel Divione terminare dignetur. Res autem sic terminatae actis seu registris praesentis Capituli huiusce generalis annectantur, et eiusdem sint roboris et momenti ac si in praesenti Capitulo fuissent determinatae. Notarii vero in tali casu sint secretarii Rmi D. N. et gaudebunt eadem auctoritate et fide qua gaudent notarii abbates sedente Capitulo generali.

SESSIO VIGESIMA TERTIA

299. Die 17 eiusdem mensis maii,post missam solemniter celebratam a R. D. abbate de S.Urbano in Helvetia, congregato ad sonum maioris campanae Diffinitorio, ad requisitionem RR. DD. Promotorum lectae sunt coram Diffinitoribus sessiones praesentis Capituli generalis a 16 usque ad ultimam.

300. Audita relatione computationum Ordinis contributionum, et lecta approbatione RR. DD. Auditorum ad id deputatorum, praesens generale Capitulum approbat, confirmat, ac plurimum laudat dictas computationes. Et cum ex dictis computationibus, per calculum exactissime factum, constet Ordinem, independenter ab arreragiis praedictarum contributionum nondum solutis, debitorem esse almae matri nostrae Cistercio summae 35798 libr. cum 2 assibus, Rmus D. N. benigne remisit Ordini summam 20798 libr. cum 2 assibus. Pro qua munificentia singulares gratiarum actiones, omnibus plaudentibus, Rmo D. N. reddit praesens Capitulum generale, mandando ut 15000 libr. quae debita ab Ordine supersunt solvenda archicoenobio Cistercii refundantur ex futuris contributionibus.

301. Contributiones deinceps singulis annis solvantur Vicariis generalibus, qui singulo saltem triennio receptas contributiones ad cellerarium Cistercii mittere teneantur. Nec praedicti Vicarii monasteria visitando ab ipsis exeant usque dum contributiones ex integro a singulis monasteriis fuerint solutae.Contributiones vero non amplius enumerabuntur nec computabuntur nisi ab anno 1736, reservatis arreragiis quae iuxta antiquam taxam a Vicariis generalibus percipientur et ab ipsis transmittentur in manus eorum quos ad praedicta arreragia recipienda iudicaverit ac designaverit Rmus D. N.

302. Novam repartitionem contributionum Ordinis in Gallia factam a RR. DD. Diffinitoribus et a notariis abbatibus subscriptam et sigillo Diffinitorii munitam, vult omnino observari praesens Capitulum generale, et ab anno 1738 secundum ipsam omnia monasteria in ea contenta in posterum solvant. Insuper iniungitur omnibus et singulis

monasteriis Galliae indilate contributiones concessas Procuratori generali eiusdem regni solvere iuxta repartitionem a commissariis in singula monasteria factam a praesenti Capitulo approbatam,et a Rmo D. N. ceterisque Diffinitoribus subscriptam ac sigillo Diffinitorii munitam.

303. Capitulum generale attentis summa protectione et benevolentia Emin. Cardinalis DD. Herculis de Fleury, administri Galliarum regni, erga sacrum Ordinem nostrum, supplicat Rmo D. N. eidem Emin. quamhumillimas rependere grates, et eidem concedit omnia Ordinis suffragia, tam pro se quam pro inclyta eius familia.

304. Occasione reclamationis R. D. abbatis de Lucella contra praecedentiam R. D. abbatis de Bello becco in Diffinitorio et alibi, praesens Capitulum generale diffinit et statuit dandum esse actum R.D. abbati de Lucella de praedicta reclamatione, et interim R. D. abbas de Bello becco in possessione praecedentiae maneat ; et ad negotium illud diffinitiva sententia terminandum deputantur RR. adm DD. de Claravalle et de Morimundo.

305. Et sic terminatum est Capitulum generale die 17 praesentis mensis maii, matutinis horis, anno Domini 1738, et signatum ab omnibus Diffinitoribus cum ceteris abbatibus. F. Andochius abbas generalis Cisterciensis, praeses et caput Diffinitorii, F. Franciscus abb. Firmitatis. F. Robertus abb. Claraevallis, F. Nicolaus abb. Morimundi. F. Carolus abb. Belli becci. F. Nicolaus abb. Luciscellae. F. Iacobus abb. Novi Castri. F. Leopoldus abb. in Himmerode, F. Eugenius abb. de Waldsassen. F. Stephanus abb. de Langheim, F. Robertus abb. in S. Cruce et S. Gothardo. F. Pontius abb. de Gratia Dei. F. Henric. abb. de Altasylva. F. Franciscus abb. de Porta Gloni. F. Alphonsus abb. de S. Benedicto in Italia, diffin. F. Philibertus abb. de Uterina valle. F. Ioannes abb. de Sedlicio. F. Franciscus Nicolaus abb. Olivae in Polonia. F. Adalbertus abb. Pelplinensis in Prussia. F. Robertus abb. S. Urbani, F. Nicolaus abb. de S. Fide. F. Franciscus Claudius abb. de Grosso bosco. F. Antonius abb. de Baudeloo. F. Nicolaus abb. de Barberio, notarius Cap. gener. F. Albericus abb. Maris stellae, notarius Cap. gener.

306. Demum sine mora, congregato ad sonum maioris campanae toto Capitulo generali, lecta et publicata fuerunt acta eiusdem Capituli generalis per duos notarios ad pedes alternatim, coram omnibus abbatibus et aliis idem Capitulum generale constituentibus, et venerabili conventu Cistercii, in Capitulo Cisterciensi, ad mandatum Rmi D.N. quo facta solita et solemni absolutione et dispensatione, secundum formam indulgentiae s. m. PP. Honorii, et incepto hymno *Te Deum laudamus*, etc. pulsantibus campanis omnes ad ecclesiam processerunt praefatum hymnum decantantes, et dicta collecta *Actiones nostras*

etc. ab eodem Rmo D. N. et accepta ab eo benedicione, discesserunt.

Sic signatum : F. Nicolaus abbas de Barberio notarius Cap. gener.— F. Albericus abbas Maris stellae notarius Cap. gener.

(Locus sigilli Diffinitorii)

* * *

ACTA HABITA DIVIONE
vigore decreti sessionis 22 Capituli generalis 1738.

SESSIO VIGESIMA QUARTA

307. Divione habita in aedibus Cistercii, hora 4 pomeridiana, die 19 maii, anno 1738, vigore decreti sessionis 22 Capituli generalis in Cistercio celebrati die 5 dicti mensis maii et sequentibus eiusdem anni 1738, cuius tenor sequitur et est talis : Cum plurima... *etc. ut supra nº* 298.

308. Capitulum generale attente considerando conquaestiones in causa monasterii monialium du Betton, in Sabaudia, ad Rmum D. N. deductas, committit Vicario generali eiusdem Sabaudiae, ut omni possibili diligentia de dictarum conquaestionum veritate se informet secundum instructionem a praefato Rmo D. N. sibi dandam, ad effectum mediis congruentibus omnes excessus seu abusus, si quos forte in dicto monasterio du Betton repererit, reformandi, corrigendique in plenaria Ordinis potestate.

309. Generale Capitulum intendendo supplicationi abbatissae et monialium du Betton, in Sabaudia, occasione et causa decimarum, iniungit generali Ordinis Procuratori in curia Franciae, quatinus praedictas abbatissam et moniales du Betton quam primum de legibus et iurisprudentia eiusdem curiae circa decimarum negotia instruere non gravetur.

310. Litterae excusatoriae et rationes absentiae a Capitulo generali abbatum de Boneffe in Flandria, de Deicella sive Cella Dei in Germania, de Sittic in Carniola, post dissolutionem Capituli generalis allatae, probantur et acceptantur.

311. A commissariis generalis Capituli sufficienter examinato memoriali ab abbatissa des Olieux iuxta Narbonam, Capitulo generali oblato in causa processus, qui inter ipsam et dominum Faure de Pecherdon in dicta Narbona a longo tempore agitatur, Procuratori generali in curia Franciae iniungitur ut apud suam maiestatem declarationis anno 1684 emanatae, explicationem pro provincia Linguaeoccitanae sollicitare, et si possibile fuerit, favorabilem obtinere non praetermittat. Quantum vero ad permissionem exeundi e suo monasterio

ad usum balneorum, quae ipsi a medicis, utpote unicum infirmitatis suae remedium ordinata seu praescripta sunt, eadem abbatissa dictae permissionis litteras seu instrumentum a suo superiore sibi concessum Rmis DD. Episcopis, seu eorum officialibus in quorum dioecesibus constituta fuerit, si ab ipsis requiratur, exhibere tenebitur.

312. Capitulum generale debite informatum de statu multorum sui Ordinis monialium monasteriorum in temporalibus taliter desolatorum, ut vix aliqua spes aut remedium ad illorum sublevamen et relevationem superesse videatur, plurium abbatissarum et conventuum instantissimis sollicitationibus pie intendendo, Rmo D. N. totius Ordinis capiti ac generali reventer supplicat et committit quatinus dignetur per humillimas remonstrationes suae Maiestati pietatem et clementiam implorare, quatinus suae Maiestati gratiosissime placeret indulgere et concedere decimam partem pecuniarum omnium provenientium ab excisione sylvarum seu venditione lignorum, quae ad Ordinis Cisterciensis monasteria pertinent, eo fine ut deinceps eiusmodi pecuniae seu proventus nonnisi pauperibus dicti Ordinis Cisterciensis monialium monasteriis applicari valeant, quae tali remedio, succursu et subventione ad meliorem statum reduci et promoveri absque dubio poterunt; et insuper suae Maiestati placeat eidem Ordini nostro monasteriorum uniones et incorporationes permittere, iuxta constantem eius morem ac usum, quemadmodum luculenter innumeris exemplis probari ac demonstrari potest.

313. Ad requisitionem Promotorum, generale Capitulum maximis abusibus obviare volens, quibus non pauci utriusque sexus monasteriorum Ordinis superiores aedificia iuxta placitum suum, sub variis praetextibus, magno cum monasteriorum suorum praeiudicio, et absque omni praevia obtenta facultate, tum destruere, tum noviter aedificare praesumunt, statuit, diffinit ac sub depositionis poena inhibet universis praefatis monasteriorum Ordinis superioribus, cuiuscumque gradus et dignitatis existant, ne amodo nisi de Vicariorum generalium approbatione et Patrum immediatorum consensu praevie obtento, quodcumque aedificium destruere vel erigere attentent.

314. Capitulum generale considerando varium et exoticum stylum ac modum quibus non pauci Ordinis alumni in scribendis mortuorum suorum schedulis utuntur, in virtute salutaris obedientiae ordinat et praecipit ut deinceps eiusmodi schedulae iuxta formam et tenorem in *Rituali* Ordinis expressum, simpliciter expediantur.

SESSIO VIGESIMA QUINTA
die 29 maii, hora 8 matutina.

315. Cum monasterium de Aureavalle propter quasdam diffi-

cultates a domino Praeside Luxemburgensi suscitatas, a notabili tempore regulariter visitatum non fuerit, ex eo praesertim quod idem D. Praeses commissarios seu Visitatores et functiones suas in dominiis Caesareis exercendas admittere recuset, Rmo D. N. reverenter supplicatur quatinus Seren. Gubernatori Belgii Austriaci supplices litteras et remonstrationes ut praedictum de Aurevalle monasterium a Vicario generali Campaniae, secundum S. O. et Ordinis nostri statuta, sine impedimento deinceps visitari valeat, scribere non gravetur.

316. Quia ad audientiam Capituli generalis pervenit quod in quibusdam Ordinis et praesertim Galliae monasteriis, abusus quidam irrepserint ex eo quod abbatibus commendatariis portae regularibus locis contiguae concedantur, rebus bene consideratis, praesens Capitulum generale districtissime vetat et prohibet ne amodo huiusmodi portae dictis commendatariis, plerumque ad introducendas feminas, concedantur. Et si absolute concedi debeant, saltem mulieribus omnibus ad interiora monasterii accessus perpetuo interdictus maneat, sub quocumque praetextu etiam sub poena suspensionis a divinis ipso facto contra eos priores qui circa eiusmodi dissimulare, et in praesentis decreti executione negligentes existere deprehensi fuerint.

317. Rmus D.N. una cum RR. generalis Capituli commissariis ad collegium S. Bernardi Parisiense, in temporalibus a longo tempore desolatum, tandem a gravissimis suis debitis liberandum et exonerandum, unanimi zelo et consensu statuit et ordinavit annuam impositionem 5000 libr. decem continuis annis duraturam, quam solvent pro rata et iuxta specificationem hic subiunctam, Rmus D. N. seu monasterium Cistercii et RR. adm quatuor primi abbates seu monasteria ipsorum, videlicet : — Cistercium 1000 libr. ; Firmitas 100 libr. ; Pontiniacum 800 libr. ; Claravallis 2300 libr.; Morimundus 800 libr.— Quae praefatae pecuniarum summae a Rmo D.N. super monasteria suae specialis filiationis, et a quatuor primis abbatibus super monasteria sibi respective in Gallia subdita, in plenaria Ordinis potestate, imponentur, et solventur collegio S. Bernardi Parisiensi quolibet anno de sex mensibus ad sex menses toto decenii tempore, ita ut prima solutio, videlicet 2500 libr. debeat omnino fieri prima die ianuarii anni 1739, et sic quibusvis sex mensibus revolutis ad Procuratorem generalem Ordinis in curia Franciae, et ad D. Provisorem eiusdem Parisiensis collegii secure et integre transmitti. Hi vero duo receptores a Capitulo generali expresse deputati ipsas pecunias in una et eadem arca binis ac diversificatis clavibus firmata sedulo reponent, et inde nonnisi pro extinguendis saepe memorati collegii debitis extrahere et expendere poterunt. Tamen circa taxam imponendam a RR. quatuor primis abbatibus vult Capitulum generale ut pro aequa discretaque in monasteriis re-

partitione facienda quolibet anno dictam repartitionem Rmo D. N. notificent, ut omnibus querelis aut gravaminibus tollatur occasio.

SESSIO VIGESIMA SEXTA
Hora 4 pomeridiana.

318. Cum nihil ad conservandam Ordinis unitatem et morum ac regularis disciplinae observantiam magis utiliusque conducere possit quam communium in diversis eiusdem Ordinis provinciis et vicariatibus novitiatuum institutio, generale Capitulum *Brevis* s. m. Alexandri VII, necnon generalium Capitulorum praesertim de annis 1605, 1618, 1623 decretis et constitutionibus se conformando, praecipit, ordinat et instituit sequentes per Galliam novitiatus seu religionis nostrae Cisterciensis tyrocinia, videlicet: Archicoenobium *Cistercii* pro Vicariatibus Insulae Franciae et provinciae Provinciae, ac pro quinque monasteriis in comitatu Burgundiae, nempe de Charoloco, Aceyo, Monte S. Mariae, Balerna et Bullione. — Monasterium *Firmitatis* pro vicariatibus Delphinatus, Alverniae et Sabaudiae. — Monasterium *Pontiniaci* pro provincia Bituricensi, Marchia et pro provinc. Lemovicensi. — Monasterium *Claraevallis* pro Campania, Picardia et provinc. Atrebatensi. — Monasterium *Morimundi* pro ducatu Burgundiae, Lotharingia et pro septem monasteriis in comitatu Burgundiae videlicet de Charitate, de Theoloco, Bitania, Roseriis, Bella valle Bisuntin. Tribus regibus et Clarofonte. — Monasterium de *Castellariis* pro provinc. Pictaviensi, Britannia et pro provinc. Andegavensi et Turonensi. — Monasterium *Belli becci* pro Normannia et pro monast. in provinc. Cenomanensi sitis. — Monasterium *Grandis sylvae* pro provinc. Tolosana. — Monasterium *Bonaevallis* Ruthenensis pro provinc. Ruthen. et Burdigalensi.

319. Novitatus Strictioris Observantiae. Monasterium *Vallis clarae* pro vicariatu Insulae Franciae, Campaniae, Picardiae et Burgundiae. — Monast. de *Precibus* pro monast. Britanniae. — Monast. *Savigniaci* pro provinc. Normanniae. — Monast. de *Pinu* pro provinc. Pictaviensi, Andegavensi, Turonensi, Cenomanensi, Bituricensi, Burdigalensi, Lemovicensi et Arvernensi.

320. Capitulum generale Vicariis generalibus provinciarum in quibus monasteria pro novitiatibus designata existunt, facultatem concedit novitiorum professiones recipiendi, et casu quo dicti Vicarii generales infirmitate vel alio quocumque impedimento praepediti fuerint (de quo superiores locales monasteriorum in quibus novitiatus instituti sunt certiorare teneantur, idem generale Capitulum praedictam facultatem ad memoratos superiores locales extendit in plenaria Ordinis potestate.

321. Statuit et ordinat insuper Capitulum generale quod noviter professi, finito novitiatus sui anno, adhuc per annum in eodem communis novitiatus monasterio, sub disciplina magistri et superioris localis manebunt, et pro quolibet anno pensionem 450 libr. dicto novitiatus monasterio pro victu et vestitu suo solvere tenebuntur, absque quod dictum monasterium ab ipsis aut a suae professionis monasteriis aliquid ultra hanc 450 libr. summam sub quocumque demum necessitatis, honorarii vel infirmitatis praetextu exigere possit et valeat.

322. Demum etiam mandat et praecipit dictum generale Capitulum, quod *Directorium* aliquod generale a Rmo D. N. revidendum, approbandum vel improbandum, ac deinde pro uniformi novitiorum educatione ad singula novitiatuum Ordinis monasteria mittendum componatur, atque idem fiat pro monasteriis S.O. Talis decreti executionem et *Directorii* institutionem pro dicta S. O. R. D. abbati de Pietate committendo quod postea a Rmo D. N. abbate generali examinabitur, et ex parte, vel ex toto reprobabitur aut confirmabitur, pariterque ad novitiatus communes S. O. transmittetur.

323. Ut vero praesens decretum maiori cum efficacia et certiore cum effectu executionem suam obtineat, et nanciscatur, generale Capitulum omnes et singulos provinciarum Ordinis novitiatus olim institutos, supprimendos et abrogandos censuit, quemadmodum praesentis decreti et diffinitionis vigore supprimit et abrogat, sub poena nullitatis professionum, et depositionis in priores aut superiores eidem contravenientes, aut candidatos suos alio quam ad superius recensita et designata communium novitiatuum monasteria mittere praesumentes. Novitii tamen qui in aliis seu iam pridem institutis novitiatibus in praesentiarum reperiuntur, poterunt in eisdem continuare suum novitiatum ; et pro illis solum fit talis exceptio.

324. Ad quaestiones praesenti Capitulo propositas, videlicet : *a*) An in monasteriis monialium in quibus sunt duo confessarii, missas secundae hebdomadae quae non sunt conventuales ad intentionem Ordinis applicare teneantur ? Praesens generale Capitulum respondet negative. — *b*) An in monasteriis virorum sacerdos intitulatus ad missam post Primam, quae vulgo dicitur missa Primae, teneatur singulis diebus, sive sint MM. sive non, per totam hebdomadam missam ad intentionem Ordinis celebrare ? Praesens Capitulum generale respondet affirmative.

325. Libellum supplicem praesenti Capitulo ex parte vener. Ioannis Baptistae La Fargue, abbatiae de Berdonis religiosi, et Facultatis Tolosanae s. th. doct. oblatum, praesens Capitulum generale recipit, mandans ac praecipiens ut ordinatio Rmi D. N. de die 20 augusti anni 1734, observetur iuxta formam et tenorem,

326. Conceditur Clariss. D. Tauxier, in Parlamento Parisiensi pa-

trono seu advocato, ut pars mansionis quam tenet ex collegio S. Bernardi Parisiensis amplietur, iusta compositione prius facta cum consilio praedicti collegii, et a Rmo D. N. approbanda. Ad informationem vero de commodo et incommodo faciendam praesens Capitulum generale committit R. Procuratorem generalem in curia Franciae.

327. Viso libello supplici praesenti Capitulo oblato ex parte Antonii Berault a 40 et amplius annis collegii S. Bernardi Parisiensis organistae, praesens Capitulum officiarios de Ordine Benemeritos aliqua gratia donari cupiens, mandat et statuit ut domus quam nunc habitat dominus Regnard post recessum vel obitum dicti Regnard praedicto Antonio Berault gratis ad vitam concedatur.

328. Sub poenis iam in simili casu a praesenti Capitulo sessione 16 latis, districtissime prohibetur omnibus et singulis Ordinis nostri personis, quemdam librum furtive et sine approbatione impressum, cui titulus est *Tractatus historicus Capituli generalis*, gallice *Traité historique du Chapitre général*, distribuere ac penes se retinere. Contravenientes sciant se esse gravissime puniendos, et Vicarii generales maxime cum diligentia dicti libri exemplaria in quocumque Ordinis loco repererint, pro possibili, in plenaria Ordinis auctoritate, supprimient.

329. Inauditum Procuratoris filiationis, provinciae, seu Observantiae particularis nomen ferre non valens praesens Capitulum generale, visa institutione Procuratoris filiationis Pontiniacensis a R. adm D. Iosepho Caron, abbate Pontiniaci, nuper defuncto, data D. Benigno Berroin, religioso de Novo Castro, praedictam institutionem cassandam, irritandam et annullandam duxit, uti praesenti decreto cassat, irritat et annullat; mandando in virtute salutaris obedientiae prohibendo omnibus Ordinis religiosis, ne se Procuratores filiationis, provinciae seu observantiae particularis dicere, et omnibus Patribus immediatis seu Vicariis generalibus alicuius Observantiae, ne deinceps tales institutiones, sub poenis in Ordine consuetis, dare praesumant.

330. Et sic terminatae fuerunt sessiones Capituli generalis Divione, in aedibus Cistercii, celebratae, die 20 maii anni 1738. — *Et signatum* F. Andochius abbas generalis Cisterciensis. F. Franciscus abb. Firmitatis. F. Robertus abb. Claraevallis. F. Nicolaus abb. Morimundi. F. Pontius abb. de Gratia Dei. F. Philibertus abb. de Uterina valle. F. Claudius Franciscus abb. de Grosso Bosco. F. Benedictus Schindler, secret. Rmi D. N. abb. gener. Cisterc. et Cap. gener. notarius ad pedes. — F. Ioann. Bern. Begin secret. Rmi D. N. abb gener. Cisterc. et Cap. gener. notarius ad pedes [e].

(locus sigilli Diffinitorii)

[e] *B²L⁸ addunt*: Nos praesignati Cap. gen. notarii ad pedes, etc. universos et singulos Ord. nostri alumnos et professores praesentis Cap. gen. acta visu-

1765

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

Nos, Franciscus Trouvé, abbas Cistercii, sacrae Facultatis Parisiensis doctor theologus, ... *etc.* benedictionem et pacem a Domino nostro Iesu Christo.

Quantum utilitatis et boni ad sacri Ordinis nostri eiusdemque regularis disciplinae conservationem et restaurationem afferat crebra Capitulorum generalium celebratio, luculenter ostendunt ipsa eorumdem natura, scopus et operatio.

---

ros, vel audituros, existimavimus monendos et instruendos, quod in hisce Cap. gen. actis casu omissum fuerit decretum festi S. P. N. Alberici, II abbatis Cistercii, a RR. dicti Cap. gen. Diffinitoribus communibus votis et suffragiis instituti, et singulis deinceps annis ad diem 26 ianuarii sub ritu MM. maiorum in toto Ordine celebrandi. Sic attestamus praesignati Fr. Benedictus Schindler. Fr. Ioann. Bernardus Begin.

Apud Ta vero legitur : Haec acta Cap. gen. Ord. Cister. anno 1738 habita apud Cistercium transcripta fuerunt ex codice eiusdem Cap. gen. pertinente ad R.D. Jeunet, abbatem de Gratia Dei Bisuntin., eiusdem Cap. gen. Diffinitorem et Vicarium generalem monasteriorum Ord. Cisterc. in provincia comitatus Burgundiae.

T[7] *sic testatur*: Praesens transumptum cum suo archetypo de verbo ad verbum concordat ; in cuius rei fidem nos subscripsimus et sigillum Cap. gen. apposuimus. Fr. Bened. Schindler, secret. Rmi D. N. Fr. Ioann. Bernardus Begin, secret. Rmi D. N. et apostolicus.

Codex Leodiensis (Va) autem haec habet : Erat signatum. Concordat cum suo originali, quod attestor Fr. Bartholomeus, abbas Alnensis. Et erat appositum sigillum rubri coloris.

B[2] continet etiam huius Cap. gen. statutorum confirmationem datam a Clemente XII, Romae, 21 martii 1739. — Nota quod codex Stamediensis *(Ta)* praebet insuper 12 pag. sub hoc titulo : Recapitulatio rerum notabilium quae in actis Cap. gen. celebrati anno D. 1738, die 5 maii et sequentibus.

1765. *Fontes* : *Ch*[1] : A, B ; *Mh* : 1-80 ; nota insuper quod apud Divionem, in archivis publicis (series H, 406), quaedam folia sub titulo *Mémoire sur le Chapitre convoqué à Citeaux le* 5 *may* 1765. Sed haec narratio ex fonte infesto emanavit, ut patet iam ex prima paragrapho quae sic legitur.

« *Des arrêts et des ordres supérieurs avoient enfin forcé Monsieur l'abbé de Citeaux de tenir un Chapitre général. Les personnes bien intentionnées croyoient déjà voir l'accomplissement de leurs vœux pour le rétablissement de la discipline régulière ; mais l'opposition toujours persévérante de Monsieur de Citeaux aux décisions d'un Chapitre général, vient de rendre vaine une si pieuse espérance. Ce supérieur après avoir épuisé tous les prétextes pour éluder la convocation de cette assemblée religieuse, a été assez fécond en ressources pour la rendre inutile, et pour en arrêter tous les bons effets. Il n'a pas craint, pour parvenir à ce but, d'enfreindre les maximes les plus inviolables et de renverser les usages les plus constants*... etc. »

Ibi enim pia Patrum universitas in spiritu charitatis et concordiae in ardore zeli et lumine prudentiae in nomine Domini sub capite et Patre communi congregati, animata per eum qui in medio eorum se futurum appromisit per statuta salutaria locis et temporibus contemperata sartam tectamque tenet primaevam patrum observantiam, eius ruinae solerter praecavet, humanitus forte collapsam studiose restituit, evellit et destruit noxia, proficua aedificat, plantat, rigat, Altissimo culturae eorum incrementum largiente.

Nos a longo tempore bonorum horum sacro Ordini nostro procurandorum desiderio ex munere nostro vehementer accensi nulla de re aeque doluimus, quam quod ob varios casus piis huius conventus celebratio multis hucusque annis intermissa fuerit. Nunc vero pace christiano orbi reddita, non ultra differendum censuimus, vel momento temporis quod paterni nostri generalis officii debitum et zelus pro bono et regimine Ordinis nostri, hac in parte a nobis requirunt, quod igitur ad Dei Omnipotentis gloriam et laudem, ad Beatissimae Protectricis nostrae Deiparae honorem, ad animarum salutem et sacri Ordinis nostri incrementum cedat. Nos praesentium tenore paterna nostra generali, seu plenaria totius Ordinis nostri, qua pollemus, auctoritate, proximum Capitulum generale in Cistercio nostro, omnium vestrum matre, principio et origine, die quinta mensis maii quae est dominica *Cantate* anni sequentis 1765 celebrandum determinamus et indicimus; vos omnes et singulos in Christo benigne hortantes et admonentes, et ubi opus fuerit, mandantes expresse et in virtute salutaris obedientiae sub poenis adversus non accedentes ferri solitis, districte praecipientes quatinus legitimo impedimento cessante, de quo tamen nobis et eidem Capitulo nostro generali fidem facere teneamini, praedicta die dominica, in civitate Divionensi, cum modesto, religioso et minime superfluo comitatu, quem praecedentia Capitula nostra generalia praefixerunt, praesentes sitis; inde Cistercium sub vesperas nobiscum profecturi, ut ibidem sequenti die Capitulum nostrum generale inchoare valeamus. In quo, Divino Spiritu nostris mentibus et consiliis aspirante, et omnium nostrum charitate concurrente, decerni queant quae ad Ordinem pristino seu puritatis candori pietatisque fervori, si inde defecisse forte inventus fuerit, reddendum; quae ad disparitatem rituum et observantiarum auferendam et reprimendam abusuum licentiam; quae denique ad morum reformationem, emendationem vitiorum et ad vota nostrae professionis Domino Deo exactius reddenda pertinere; atque ad iurium, privilegiorum ac immunitatum nostrarum conservationem, necnon ad monasteriorum fidelem in temporalibus administrationem necessaria esse iudicabuntur. Quae omnia, ut meliori ordine, expeditiori via et absque confusione ulla proponi et resolvi queant, volumus ut vestrum unusquisque omnium eorum quae in proximo illo Capitulo generali pro bono et necessitate suae domus aut provinciae proponenda habuerit, notas brevissimis et non nisi necessariis verbis conceptas, tempestive et infra festum Purificationis B. M. V. proxime venturum ad nos transmittat.

Singulis porro reverendis Vicariis... *etc.* Mandamus pariter... *etc.* Ordinamus denique... *etc.* Et ne ullum ignorantiae ... *etc.*

Datum Parisiis in collegio nostro S. Bernardi, sub nostro secretariique nostri signo manuali et maioris contrasigilli nostri appensione, anno Domini 1764, die vero 25 mensis septembris. — *Sic signatum.* F. Franciscus abbas generalis Cisterciensis. *et infra* F. Aquilinus Yegre, a secretis.

F. Maillart sen. abbas Vallis dulcis, vicar. gener.

* * *

B) Nos, Franciscus Trouvé, abbas Cistercii, sacrae Facultatis Parisiensis doctor theologus, christianissimi Regis in supremo Burgundiae senatu primus consiliarius natus, universi Ordinis Cisterciensis caput ac superior generalis, eiusdemque Capituli generalis plenaria auctoritate fungentes, omnibus et singulis Ordinis nostri abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, superioribus, superiorissis, ceterisque ad quos hae praesentes pervenerint, Salutem. Cum Sancta Sedes Apostolica intuitu nostri generalis Capituli proximi non totum Ordinem nostrum, sed et universam Ecclesiam Dei benedictionis suae et indulgentiam gratia dignata sit dato ad nos *Brevi* sequentis tenoris.

CLEMENS PP. XIII

Universis Christi fidelibus ... has litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, ut audivimus, Capitulum generale monachorum Ordinis Cisterciensis in ecclesia seu monasterio Cistercii, Cabilonensis dioecesis, die 5 mensis maii, benedicente Domino, celebrandum sit, Nos, ut tam pium opus maiori cum fructu fiat et ad augendam fidelium religionem et animarum salutem, coelestibus thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui praefatam vel aliquam ex ecclesiis monachorum Ordinis Cisterciensis ubicumque existunt, die quo inchoabitur Capitulum generale huiusmodi et singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione et sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderit, plenariam semel ... *etc. ut in anno* 1738.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die 26 februarii 1765, pontificatus nostri anno septimo.

Gratis pro Deo... F. E. Card. Antonellus.

Quapropter ne populum Dei suo hoc thesauro fraudemus, rogamus atque adhortamur vestram quam saluti animarum debetis curam et sollicitudinem, ut huius rei notitiam quantum et quantocius fieri poterit modis quibuscumque opportunis, verbo, scripto vel impresso non tantum ad omnes personas Ordinis nostri, sed et ad universos Christi fideles ad spirituale eorum emolumentum pervenire satagatis pro necessaria eorum instructione, declarantes Capitulum hoc nostrum a quinta maii per dies duodecim duraturum. Datum in archicoenobio nostro Cistercii, sub nostro secretariique nostri signo manuali et contrasigilli nostri impressione, anno Domini 1765, die 23 martii. F. Franciscus abbas generalis Cisterciensis. — F. Alexander Denize secretarius.

* * *

ACTA CAPITULI GENERALIS

SESSIO PRIMA

1. Die 6 post Tertiam celebrata in pontificalibus missa de Spiritu Sancto a R. adm D. abbate de Firmitate, ad sonitum maioris campanae, in capitulo convenerunt cum Cistercii conventu, Rmus D. N., Rdi adm primi quatuor, Rdi abbates, Ordinis officiarii, ceterique ad praesens generale Capitulum vocati; hymnoque *Veni Creator Spiritus* cantato, lecta Regis christianissimi epistola, eius in Ordinem benevolentiae et clementiae testimonium exhibente, elegantem et humanam orationem habuit praemagnifi cus D. Amelot, in Burgundiae ducatu praefectus meritissimus, qua absoluta oratione, aliam gravem habuit et facundam, pietatis et amoris succo conditam Rmus D. N., cui accessit Brevis Apostolici Clementis XIII, *Chartae charitatis* et Bullae Clementis IV lectio.

CLEMENS PAPA XIII

2. Universis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, ut audivimus, *etc. ut supra.*

3. Post haec Rmus N. dixit, ad eius pervenisse notitiam R. adm abbatem de Pontigniaco inter suae benedictionis solemnia Illmo et Rmo D. episcopo Antissiodorensi benedicenti consuetum obedientiae iuramentum, ipsi et Ordini nostro ab omnibus debitum abbatibus non praestitisse. Quo circa significavit dicto Rdo adm D. abbati, ipsum defectum praedicti iuramenti iure suo Diffinitores nominandi cecidisse. Super hoc nihilominus eum abbatum iudicium requisivisse. Respondente vero R. adm D. abbate de Pontigniaco se dictum iuramentum non recusasse; declaravit Rmus D. N. modo dictum iuramentum traderet, nihil obstare quominus in Diffinitorium cum ipso et aliis Rdis adm D. abbatibus se conferret, suos electurus' Diffinitores. Et districte iniunxit praesens Capitulum generale a quibuscumque abbatibus fieri debere iuxta *Rituale* Ordinis et eos confirmari a Rmo D. N.

4. Interea accedens R. D. abbas de Campo principum Rmo D. N. supplicem libellum obtulit, ex eius lectione compertum est ipsum R. D. abbatem requirere ut nihil omnino in Diffinitorio proponeretur diffiniendum quin prius in Capitulo fuisset propositum, notatum et annuntiatum; alioquin expresse derogaretur praedictae bullae Clementis IV, et violaretur ius commune vetans ne quis inauditus et indefensus in quavis causa damnetur. Cui requisitioni a Rmo D. N. propositae acquievit Capitulum generale.

5. Hoc peracto, Rmus D. N. cum Rdis adm D. abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravialle et de Morimundo de Capitulo ad Diffinitorium accessere pro Diffinitoribus eligendis. E Diffinitorio reducibus ad Capitulum, primus secretarius Rmi D. N. promulgavit ordinationem Diffinitorum et omnium Capituli generalis officiariorum factam, quae sic habet.

DIFFINITORES : Illmus D. N. abbas generalis, s. th. d. de **Cistercio**, R. D. abbas de Ebraco, R. D. abbas de Valcellis, R. D. abbas de S. Benedicto in Lotharingia, R. D. abbas de Stamedio ; R. adm abbas de **Firmitate**, R. D. abbas de Ciricio, R. D. abbas de Valle Dei, R. D. abbas de Valle S. Lamberti, R. D. abbas de Aureavalle; R. adm abbas de **Claravalle**, R.D. abbas de Septem fontibus, R.D. abbas de Hemmenroda, R. D. abbas de Marsiliaco, R. D. abbas de Petris ; R. adm abbas de **Pontigniaco**, R. D. abbas de Loco S. M., R. D. abbas de Alna, R. D. abbas de Claromarisco, R. D. abbas de Charmeia ; R. adm abbas de **Morimundo**, R.D. abbas de Landa, R. D. abbas de Freisdorfio, R. D. abbas de Gratia Dei, D. R. abbas de Parisio.

CONFESSARII : Confessores et alii officiales a solo Rmo D. N. ordinati et nominati. RR. DD. abbates de Aureavalle, de Valle clara, de Septem fontibus, de Waldsassio, de Campo principum, de S. Urbano, de Ciricio, de Sambucina, Praeses utriusque Congregationis Calabriae et Lucaniae, R. D. abbas de Osseco, Procurator generalis Arragoniae et Navarrae, R. D. Prior titularis de Montarlot, R. D. Prior titularis de Bella aqua, R. D. Portes, s. th. d., D. Pennot, s. th. d. provisor collegii Tolosani, D. Mansdorff deputatus R. D. abbatis de Alderspaco vicarii generalis.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : RR. DD. abbates de Plassio, de Heisterbaco, de Molinis, de Columba, de Lucella, de Geriponte, D. Prior Cistercii.

CONSULTORES : RR. DD. abbates de Lucella, de Salemio, de Altaripa, de Columba, de Campoliliorum, de Speciosa valle, de Osseco, de Molinis, de Grandiprato, de Heisterbaco, de Sambucina, de S. Salvatore, de Pietate Ramerus, de S. Sulpitio, de Valle dulci, de Valle clara, de Geriponte.

AUDITORES COMPUTATIONUM : RR. DD. abbates de Lucella, de Altaripa, de Salemio, de Speciosa valle, de Ebraco, de S. Salvatore, de Sambucina, de Plassio, de Molinis, de Grandiprato, de Osseco, de Monte forti, de Barberio, de Pietate Ramerus, de Heisterbaco, de Alna, de Columba, de Bella aqua, D. Portes, s. th. d., D. Pennot, s. th. d. procur. coll. Tolosani, D. Artem deputatus R. D. abbatis de Claravalle in Austria vicarii generalis, R. Rein, praep. coll. S. Bernardi Herbipolensis.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : RR. DD. abbates de Lucella, de Waldsassio, de Campo principum, de Plassio, de Ebraco, de Landa, de Heisterbaco, de Campoliliorum, de Molinis, de Grandiprato, de Valle dulci, de Osseco, de Monte forti, D. Rein praep. coll. S. Bernardi Herbipolensis.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : RR. DD. abbates de Plassio, de Grandiprato, de Pietate, de S. Urbano, de S. Salvatore, de Sambucina

de Lucella, de Salemio, de Heisterbaco, de Speciosa valle, de Altaripa.

NOTARII ABBATES : RR. DD. abbates de Plassio, de Monteforti, Procur. gener. in Curia romana.

PROMOTORES CAUSARUM : R. D. abbas de Pinu, R. D. Stephanus de Moyria, prior titularis de Gratia N. D., Procur. gener. in Curia Franciae.

NOTARII AD PEDES : D. Alexander Denise, secret. Rmi D.N. ; D. Aquilinus Jäger, secret. Rmi D. N.

PORTARII DIFFINITORII : D. Raymundus Boulanger, prior regens de Leula ; D. Maximilianus Dardenne, prior de Sylvanesio vicarius generalis Ruthenensis.

His ita a Rmo D. N. ordinatis, necnon Rdis DD. abbatibus primis ceterisque dominis abbatibus Diffinitoribus ab ipso rite institutis, praecedente Rmo D. N. omnes secundum suum ordinem a Capitulo exirerunt, et sic soluta fuit prima sessio.

SESSIO SECUNDA

6. In secunda sessione horis pomeridianis habita convenerunt omnes abbates modo solito ad Capitulum, et ipsis residentibus Rmus D. N., caput Ordinis et praeses Capituli, ipse solus sedens, ceteri autem abbates Diffinitores, necnon notarii Capituli generalis stantes tacto pectore sub fide sacerdotis de fideli sibi commissi muneris executione iuramentum praestiterunt.

His praestitis iuramentis, inhaerendo venerandis patrum nostrorum vestigiis, DD. Promotores requisiverunt, ut per Rmum D. N., praesidem et Capitulum generale determinarentur Orationes ac preces quae sic ordinatae sunt.

ORATIONES

7. Pro Sanctissimo Domino nostro Clemente Papa XIII feliciter regnante, pro Emmis et Rmis S. R. E. Cardinalibus, maxime pro Emmo et Rmo D. Prospero Colonna de Sciara, Ordinis Protectore clementissimo, pro Illmis... etc.

8. Pro serenissimo et augustissimo DD. Francisco Stephano, Dei gratia Romanorum Imperatore, necnon Serma et Augma eius coniuge Maria Theresia, Hungariae et Bohemiae regina, archiducissa Austriae...

Pro Sernmo DD. Ludovico XV Galliarum Rege chrismo et dilecmo.

Pro Sernmo DD. Carolo III Hispaniarum Rege catholico.

Pro Sernmo DD. Augusto IV Poloniarum Rege orthodoxo.

Pro nobilisima stirpe Illmorum ducum Burgundiae inclytae matris nostrae Cistercii praecipuorum fundatorum ... etc.

9. Pro burgensibus ... etc.

10. Pro pace et unitate ... etc.

11. Postremo pro omnibus religiosis, familiaribus, parentibus et benefactoribus Ordinis nostri defunctis ... etc.

12. Denique requisivit R. D. abbas de Pinu primus Promotor, cum assistantia R. D. secundi Promotoris, in medium Capituli progressus, occasione alicuius Diffinitoris ab uno quatuor assumpti, qui sufficientibus licet redditibus gaudens, nullam tamen habet conventualitatem in suo monasterio, ne in perniciosum exemplum vergat tale factum, statuatur in posterum inter Diffinitores numerari non posse praelatos conventualitatem non habentes. Qua de re, Rmo D. N. requirente mentem Capituli, R. adm D. abbas de Firmitate declaravit non debere in Capitulo dari suffragia seu opinari ; Capitulum generale, constitutis semel Diffinitoribus nullam omnino auctoritatem porro habere deliberandi et iudicandi de re quacumque ; auctoritatem totam et plenam Capituli generalis residere in Diffinitorio, quod solum et unicum formaret tribunal, exclusive ad Capitulum generale. Atque ideo se nec posse hic loci dare suum suffragium seu opinari, nec consentire ut de hoc vel ullo alio negotio iudicetur in Capitulo. Reposuit Rmus D. N. Capitulum generale non esse omnino potestate agendi privatum per factam Diffinitorum institutionem, restare sibi semper facultatem de causis iudicandi quas non notaret pro Diffinitorio, seu ad ipsum remitteret, non posse Diffinitorium praetendere exclusivam auctoritatem de omnibus iudicandi. Instante R. adm D. abbate de Firmitate contra leges Ordinis hoc pugnare. Respondit Rmus D. N. spectare hanc rem ad cognitionem Capituli; cum iam hodie mane conclusum esset, nihil statuendum in Diffinitorio prius in Capitulo non notatum ; itaque posse praesens Capitulum suam hac de re sententiam dicere. R. adm D. de Firmitate non acquiescente, sed contra statuta hanc abbatum vocationem esse contendente, ne illo continuo interloquente, Capitulum incoepta iam a senioribus opinatione turbaretur, rogavit R. adm D. de Firmitate Rmus D. N. ne ordinem turbaret opinantium, nec declarationes interrumperet, multo minus hoc impediret, ne suum sensum libere eloquerentur. Fore dein ipsi semper liberum spectare has capitulantium declarationes vel ut suffragia vel ut consilia ; verum R. adm D. de Firmitate continuante interloqui et pluribus aliis Rdis abbatibus ipsum imitantibus, sed non eadem moderatione servata, Rmus D. N. ut exortae huic confusioni finem imponeret, petiit a Capitulo generali an vellet ut proxima sessione RR. DD. Promotores hanc causam proponerent in Capitulo in utramque partem ventilatam, Capitulum generale consensit, nullo reclamante.

13. Quo facto, cum aliquod adhuc temporis restaret, RR. DD. Promototores requisiverunt ut inchoaretur lectio Capituli generalis de 1738. Sed et huic petito se opposuerunt Rdi adm quatuor primi abbates praetendentes debere hoc fieri non in Capitulo sed necessario in Diffinitorio, exorta inde nova contentione, videns Rmus D. N. hanc dissensionem non finiendam, sed augendam esse si continuaretur sessio, finem ei imposuit.

SESSIO TERTIA

14. Die 7ª eiusdem mensis, sacris de Spiritu Sancto solemniis a R. D. abbate Salemitano celebratis, convocato ad sonum maioris campanae Capitulo et sese accingente R. D. abbate de Pinu primo Promotore ad rationum momenta utriusque partis in medium proferenda, prout illi a Capitulo generali iniunctum fuerat sessione ultima, i. e. praecedente seu secunda, surgens R. adm abbas de Firmitate dixit Promotoris partes esse non in Capitulo, sed in Diffinitorio in utramque partem versare quaestiones, cum ad solos Diffinitores pertineat diffinitiones condere.

Super hoc deliberandum duxit Rmus D. N., in decursu autem opinionum R. D. abbas de S. Benedicto censuit prius deducendas a Promotore iuxta mandatum iam acceptum, partium rationes, quam feratur sententia, quo expleto a Promotore votisque collectis ad pluralitatem suffragiorum conclusum est, non alias in Diffinitorio decidendas esse quaestiones, seu diiudicandae remitterentur, et sic terminata est sessio tertia.

SESSIO QUARTA

15. Hora 4ª pomeridiana, ad sonum maioris campanae omnibus pro more capitulariter congregatis abbatibus, Rmus D. N. significavit legenda esse ultimi Capituli generalis decreta, et postea pergendum in Diffinitorium, si ita videretur, simul et paterna sollicitudine quatuor primos aliosque abbates hortatus est, ut spiritu pacis et concordiae imbuti disciplinae regulari restaurandae se totos darent.

16. Iam requirebat Promotor dictorum decretorum lectionem, cum obstitit R. adm D. abbas de Firmitate dicens omnia in Diffinitorio peragenda, cuius solius est cognoscere, deliberare et iudicare de omnibus diffiniendis, sine ullo Capituli generalis influxu, quo circa petiit ut omnes Diffinitores in diffinitorium se reciperent. Cui respondit Rmus D. N. statutum fuisse in prima sessione ad Diffinitorium negotia Ordinis non esse deferenda, nisi prius in Capitulo generali tractata. In praecedenti vero sessione expresse et in terminis diffinitum fuisse, penes Capitulum generale esse quaedam suo iudicio privative reservare ; ius vero Diffinitorii restringi et limitari ad ea quae Capitulum generale deliberationi et iudicio Diffinitorum duxerit permittenda et remittenda.

Persistens autem R. adm abbas de Firmitate asseveravit se recessurum esse a Capitulo, si constanter denegaretur ingressus in Diffinitorium, ubi tantum legenda sint praecedentium Capitulorum decreta, et de facto statim recessit, hac lege Ordinis contempta, vi cuius petere debuisset exeundi licentiam a Rmo D. N. Capituli generalis capite ac praeside. Huius R. adm D. abbatis de Firmitate inordinatum exemplum secuti pariter discesserunt tres alii primarii abbates cum suis Diffinitoribus. Quibus egressis, proposuit Promotor an placeret Capitulo generali se ipsum prorogare et continuare, non obstante praedictorum recessu. Statimque conclamatum est Capitulum generale non ideo destitutum esse ab opere

incoepto, imo perseveraturum in tractandis negotiis Ordinis universi.

17. Tunc requirente Promotore et suffragante Capitulo, decreta est lectio diffinitionum ultimi Capituli generalis, quam dum inciperet D. Denise primus a secretis Rmi D. N., requisierunt Promotores in hunc modum. Rme Domine, praesentis Capituli generalis praeses et caput, summo cum moerore cernimus Rdos adm quatuor primos abbates, necnon plures aliis ipsis adhaerentes abbates, a nobis nulla de causa recessisse, in scandalum et multorum offensionem, cui ut cito et provide occurramus mittendos censemus sex commissarios, qui praedictos abbates ad meliores animos, Ordinisque unitatem revocent, omni quo poterunt efficaciori modo; quod si renuerint reverti, ipsis declarent Capituli generalis intentionem esse non supersedendi Ordinis negotiis et regimini, nihilominus significent, Capitulum summo affici dolore de recessu filiorum, quo pia matris viscera laniantur. Cuius requisitionis actum petierunt RR. dicti Promotores, qui et ipsis concessus est, praehabita deliberatione et mandante Capitulo generali, abbates de Salemio, de Sambucina, de Valcellis, de S. Sulpitio, de S. Salvatore, de Campo liliorum et de Altaripa convenerunt quatuor primos et alios dictos abbates in claustro repertos a parte diffinitorii, eosque nomine Capituli charitative reducere conati sunt, ut munus suum implerent, et sic illaesum maneret in Ordine unitatis vinculum. Cum vero praedicti quatuor abbates et socii exposuerint, aliqua egere mora, ut cum matura deliberatione responsum suum scripto consignarent, abbates de Valcellis et de Campo liliorum reversi sunt ad patres in Capitulo sedentes et eos monituri de petita deliberatione per horam et responso expectato patienter, tandem septem deputati abbates Capitulum ingressi significant sistere ad portam illius R. adm D. abbatem de Morimundo, et alios comites abbates paratos responsum dare Capitulo, si detur ipsis intrare. Patribus consentientibus admissi sunt. Suum responsum legit dictus R. adm D. abbas de Morimundo, cuius tenor sequitur:

Pro responsione ad deputationem factam ex parte Rmi D. N. et abbatum, qui cum illo sistunt in Capitulo, ad Rdos adm primos Patres et Diffinitores, qui exierunt de Capitulo, dicunt se non exiisse, nisi ut irent in diffinitorium, vacaturi sibi commisso operi, et quia Rmus D. N. quasdam res proposuerat discutiendas, quae solum discutiendae et diffiniendae erant in Diffinitorio. Addentes quod ipsimet invitant toto cordis affectu Rmum D. N. et Rdos abbates Diffinitores ex parte sua, ut et ipsi in diffinitorium veniant. Quod si tamen desiderant Rmus D. N. et Rdi Domini qui sunt cum illo abbates, ut Rdi adm primi Patres et Diffinitores redeant in Capitulum, pacis et unitatis causa libenter annuunt, ea tamen lege ut Rmus D. N. velit illos certos facere, quod in sessione habita in Capitulo matutinis horis nullum factum sit decretum, cum omnia definiri debeant in Diffinitorio, et quod in posterum nihil attentabitur contra ipsius Diffinitorii iura, nihilque pariter deliberationi subiicietur in Capitulo contra formam Ordinis consuetam, et crastina sessio incipiet per ingressum ad Diffinitorium. Rogant Rdi adm primi Patres et ceteri Diffinitores abbates, ut responsum velit dare in scriptis, quod quatuor primos adm Rdos Patres et ceteros abbates Diffinitores tranquillos

reddat. Septima maii 1765, horis vespertinis. Subscripti Fr. Gasparus abbas Firmitatis; Fr. Nicolaus abbas Pontigniaci; Fr. Petrus abbas de Morimundo; Fr. abbas de Ciricio; Fr. Dorotheus abbas de Septem fontibus; Fr. Xaverius abbas de Parisio, diff.; Fr. Iosephus abbas de Alna, diff.; Fr. N. abbas de Valle Dei, diff.; Fr. Iosephus abbas de Valle S. Lamberti, diff.; Fr. G. abbas de Hemmenroda, diff.; Fr. abbas Mariae Loci, diff.; Fr. Stephanus abbas de Aureavalle, diff.; Fr. Petrus abbas de Petris, diff.; Fr. abbas de Claromarisco, diff.; Fr. abbas de Charmeya; Fr. Constantinus abbas de Landa, diff.; Fr. abbas de Freisdorfio, diff.; Fr. N. abbas de Gratia Dei, diff.; Fr. N. abbas de Marciliaco, diff. — Super hunc actum petiit Capituli responsum; quod ipsi postridie reddendum esse promissum est.

Discessis autem e Capitulo R. adm abbate de Morimundo et sociis abbatibus, requirentibus Promotoribus commissariorum electionem, qui de responso faciendo consultarent, commissarii electi sunt R. D. abbates de Valcellis, de Sambucina, de Waldsassio, de S. Benedicto qui hac de re mentem suam scripto darent, et sequenti die Capitulo referant. Promotoribus vero actus requisitionis eorum concessus est, qui sessioni finem dedit.

SESSIO QUINTA

18. Die 8a eiusdem mensis, celebrata missa de Spiritu Sancto a R. D. abbate de Campo principum, convocato Capitulo in forma consueta, quatuor praedicti abbates a Capitulo deputati legendam opinionem suam Capitulo obtulerunt circa responsum meditatum in praecedenti sessione; suffragiis collectis Capituli generalis quatuor dictorum abbatum opinione et consilio laudatos et approbatos decrevit consilium eorum in actis Capituli generalis inscribi, et iterato eosdem quatuor abbates deputavit, qui responsum approbatum quatuor Rdis adm primis et adhaerentibus abbatibus significarent, quibus de facto ad ianuam diffinitorii repertis dictum responsum sui et notariorum Capituli subsignatum nominibus remiserunt dicti quatuor deputati. Sequitur tenor:

Rmus D. N. Capituli generalis praeses, ceterique Rdi abbates in Capitulo congregati, Rdis adm Patribus primis aliisque Rdis abbatibus, qui a Capitulo discesserunt hesterna die septima maii sessione praecedente, ad quatuor articulos ab ipsis per R. adm D. de Morimundo, unum de primariis Patribus, Capitulo generali missos respondent.

Ad 1*um* articulum scilicet quod non exierint de Capitulo nisi ut irent ad diffinitorium vacaturi sibi commisso operi, reponimus eosdem sine licentia Rmi D. N. recessisse, quam secundum leges Ordinis debuissent petere, simul et notum facere Capitulo ire se ad diffinitorium. Ad secundam eiusdem articuli partem, scilicet et quia Rmus D. N. quasdam res proposuerat discutiendas, quae solum discutiendae et diffiniendae erant in Diffinitorio, respondet Capitulum generale habere ius sibi reservandi causas, quas iudicaverit sibi retinendas, et alias ad Diffinitorium remittendie diffiniendas.

Ad 2*um* articulum, quod libenter annuunt in Capitulum redire ea lege

ut Rmus D. N. velit illos certos reddere quod in sessione habita matutinis horis nullum factum sit decretum ; reponimus decretum matutinis horis fuisse latum et inconcussum manere.

Ad 3um articulum, scilicet quod imposterum nihil attentabitur contra Diffinitorii iura, nihilque pariter deliberationi subicietur in Capitulo contra formam Ordinis consuetam, respondemus nihil fuisse attentatum neque fore attentandum contra Diffinitorii iura, nihilque a Diffinitoribus diffiniendum, nisi notatum in Capitulo iuxta regulam a *Clementina* praescriptam anno 1265.

Ad 4um articulum quod crastina sessio incipiet per ingressum ad diffinitorium, sentimus Rdos adm quatuor primos Patres ceterosque Rdos abbates Diffinitores, qui a Capitulo recesserunt, ob reverentiam Capitulo debitam teneri ad ipsum regredi, in quo per modicum tempus lectio ultimi Capituli continuabitur ; et surgente et praesente Rmo D. N. capite et generali, omnes Diffinitores diffinitorium ingredientur statim atque Capitulum generale notaverit in Diffinitorio diffinienda.

In Capitulo generali matutinis horis die 8ª maii subscripti Fr. Stanislaus abbas de S. Benedicto ; Fr. Petrus abbas de Valcellis, diff. ; Fr. Chrysostomus Borreni abbas de Sambucina, vic. gener. Congregationis utriusque Calabriae et Lucaniae ; Fr. Wigandus abbas Waldsassensis.

Sententia haec approbata est a Capitulo generali in sessione 5ª die 8ª maii 1765. Ita testamur subscripti scilicet Fr. Fortunatus abbas Plassii, vic. gener. in Bohemia, notarius Cap. gener. ; Fr. Odo abbas Montis fortis Procurator gener. Ordinis et notarius Cap. gener.

R. adm abbas de Firmitate aliorum patrum et abbatum nomine respondit, quod re prius deliberative ponderata responsum darent scriptum ; in expectatione vero responsi eorum, iussit Capitulum generale lectionem actorum ultimi Capituli generalis continuari. Tum Rmus D. N. semper pacis amator se libenti animo cum Rdis adm quatuor primis eorumque Diffinitoribus iturum in Diffinitorium declaravit, si prius in Capitulo concorditer reversi audirent actorum dicti Capituli praecedentis lectionem ad deliberandum et diiudicandum de causis Capitulo generali ad Diffinitorium notandis et remittendis. Haec vero Rmi D. N. declaratio finem imposuit sessioni quintae.

SESSIO SEXTA

19. Horis pomeridianis omnibus in Capitulo congregatis, ad instantiam Rmi D. N. resumpta fuit lectio Capituli generalis praecedentis, ubi in ultima sessione desierat. Paucis lectis, R. adm abbas de Morimundo et tres alii abbates responsis Capituli generalis ipsis mane intimatis, responsum in scriptis dederunt, sibique responderi petierunt. Capitulum vero super hoc deliberandum esse significavit ; recesserunt Rmus D. N. dixit illud responsum in actis Capituli esse inserendum, Capitulum votis collectis concessit ac decrevit deinceps non nisi viva voce illis esse respondendum, sed ad eos deputandos esse pro tertia vice seu monitione quatuor abbates, qui ipsis regressum in Capitulum suaderent, et renuentibus intimarent,

quod perseveranter tractandis Ordinis negotiis vacaret Capitulum generale Responsum est tenoris sequentis.

20. Rdi quatuor Patres et alii Rdi abbates Diffinitores Capituli generalis, antequam iteratam dent responsionem declaratum volunt omnibus abbatibus Congregationum extranearum se non modo non attenturos esse privilegia et leges tum generales tum peculiares eorum regiminis, et statuta ipsarum Congregationum ; sed contra maximam cautionem se adhibituros esse in diiudicandis negotiis abbatum extraneorum, ut ad normam eorum regiminis et statuta ipsarum Congregationum ea diffiniant. Aliunde mirum prorsus esse etiamnum renovari et de industria nubibus involvi quaestionem hanc, utrum scilicet res omnes notandae sint in Capitulo antequam in Diffinitorio diffiniantur. Se mentem suam et assensum expressum huic quaestioni satis dilucide et eidem assensui inviolabiliter adhaesuros esse. Quapropter iidem Rdi adm quatuor primi abbates et alii R. abbates Diffinitores dicunt se nullatenus agnoscere Capitulum generale distinctum a Diffinitorio, in quo nunc suprema Ordinis auctoritas secundum leges ipsius Ordinis residet, itaque protestantur de nullitate contra omnia quae forte facta sunt in Capitulo a suo discessu, et praetensa quaedam decreta a Rmo D. N. facta et contenta in responsione ad nos data his matutinis horis, uti facta contra solemne et publicum promissum Rmi D. N. in et extra Diffinitorium, quam contra omnia quae nunc forte fiunt, aut imposterum fient contra praeiudicium iuris Diffinitorii. His de causis, quatuor dicti primi abbates et alii Diffinitores Capituli generalis invitant atque enixe rogant iterum atque iterum Rmum D. N., ut cum quatuor Diffinitoribus suis accedat ad Diffinitorium, ad cuius valvas clausas stamus illum expectantes. Quod si renuerit venire, cogemur nostro et totius Ordinis iuri in manibus nostris deposito providere. Et subscripsimus die 8 maii 1765. Sic signati Fr. Gasparus de Firmitate ; Fr. Nicolaus de Pontigniaco ; Fr. Petrus abbas Morimundi ; Fr. Florianus abbas de Ciricio, diff. ; Fr. Petrus abbas de Petris, diff. ; Fr. Franciscus abbas de Claravalle ; Fr. Constantinus, abbas de Landa ; F. Xaverius abbas de Parisio, diff. ; Fr. Nicolaus abbas de Marciliaco ; Fr. Stephanus abbas Aureaevallis, diff. ; Fr. Iosephus abbas Vallis S. Lamberti, diff. ; Fr. Iacobus abbas Vallis Dei, diff. ; Fr. Martianus abbas de Charmeia ; Fr. Nicolaus abbas de Gratia Dei Bisuntin. ; Fr. Ignatius abbas de Claromarisco ; Fr. Dorotheus abbas de Septem fontibus ; Fr. Iosephus abbas Alnensis ; Fr. Bernardus abbas Loci Mariae, diff.

Huic decreto cum satisfecerint abbates deputati, de hac re se deliberaturos esse dixerunt quatuor primi abbates, qui iterum miserunt Rdos abbates de Petris et tres alios abbates, qui Capitulo generali declararunt R. adm D. de Firmitate affirmare se cum licentia Rmi D. N. e Capitulo exiisse, ut peteret diffinitorium.

Rmus D. N. et omne generale Capitulum declararunt nullatenus audivisse R. adm D. abbatem de Firmitate hanc petiisse licentiam, sed recedendo solummodo dixisse, sua petitione non exaudita, nihil aliud sibi agendum esse quam a Capitulo recedere, et aliis Capituli patribus et Diffinitoribus quae voluerint agenda reliquerit, his dictis recessisse, et cum ipso alios Diffinitores, qui paulo supra.

21. Et quoniam quatuor primi Patrum deputati promissum insinuassent sui in Capitulum regressus, Rmus D. N. asseruit, in casu quo starent promissis, paratum esse cum illis et aliis Diffinitoribus in diffinitorium se conferre, post brevem nihilominus Capituli praecedentis actorum lectionem. Paulo post iidem a primis abbatibus deputati denuo significaturi venerunt in Capitulum, eos cum suis abbatibus Diffinitoribus paratos esse Rmum D. N. convenire, ut eumdem in diffinitorium comitarentur, ea tamen facta praevia declaratione se nullam aliam, quam Diffinitorii auctoritate, cui subiiciantur admittere. Generale Capitulum hac declaratione in deliberatione ad pluralitatem suffragiorum missa, et unanimi voce repulsa, statuit suas sessiones prosequi. Rmus autem D. N. iterum protestatus est se nullo primis Patribus promisso adstrinxisse super decretum illud, quo statuit Capitulum generale sibi ius competere, quasdam causas Ordinisque negotia iudicio reservare, si expedire censuerit. Et quod etiam statuit Diffinitorium non nisi de causis ad se remissis a Capitulo diiudicare posse ; tantum abeat, addidit Rmus D. N. ut contra dictum decretum se aliquo obligaverit promisso ; quinimo protestatur et fatetur, nec se fecisse, nec se nullatenus iuribus Capituli generalis derogare posse. Lectioni Capituli generalis praecedentis continuo vacavit Capitulum generale, et sic sessioni sextae metas posuit.

SESSIO SEPTIMA

22. Die 9ª post summum sacrum a R. D. abbate de S. Urbano pontificaliter celebratum, ad sonum maioris campanae, congregatis Rdis DD. abbatibus cum Rmo D. N. numero 28 in Capitulo continuata est lectio Capituli generalis ultimi, qua post aliquod tempus interrupta ad requisitionem RR.DD. Promotorum, unanimi sensu facta sunt decreta sequentia.

23. Praesens Capitulum generale temperando tempus statutis nostris praescriptum, diffinit et statuit ut ubi sex dumtaxat aderunt religiosi, vel pauciores, surgant quarta post mediam noctem hora.

24. Praecipit etiam ut iuxta *Breve* Alexandri VII, art. 18 et 19, choro non intersint sine cucullis et insuper per mediam horam matutinis meditationi, et post Completorium recollectioni vacent, et exercitiis spiritualibus per decem dies semel in anno.

25. Ut nulli pateat abusui circa infirmos, quorum curam ante omnia habendam regula praecipit, observetur ad amussim capitulum illud scilicet 36 regulae. Quapropter inhaerendo Capitulo generali de 1609, illiusque decretum renovando et confirmando, praesens Capitulum generale districte mandat et in plenaria Ordinis potestate praecipit, ut si qui, quod Deus avertat, valde infirmos praesertim in extremis agentes, abbates aut fratres reliquerint orationibus, exhortationibus, aliisque pietatis et charitatis auxiliis destitutos, vel absque tempestiva sacramentorum perceptione eos expirare culpabiliter passi fuerint, et interim rapiendae morientium supellectili intenderint, poenae furum

per omnia subiiciantur, et restitutis ablatis e monasteriis his expellantur, illis non nisi per Capitulum generale seu Rmum D. N. restituendis, et ad omne officium inhabiles sint.

26. Circa refectionem quam corpori debemus eiusque religiosam decentiam quam status noster requirit, ordinat Capitulum generale :

a) Ut ne suum animae pabulum desit, ad mensam regularem semper habeatur continua lectio, et regulare silentium stricte observetur.

b) Ne quis extra refectiones ordinarias sive in infirmitorio sive ubicumque sine licentia superiorum, neque privatim cum fratribus, neque cum saecularibus edere aut bibere praesumat, sub poena levis culpae, vel alia graviori iuxta excessus modum a superiore imponenda.

c) Ut officiales monasterii non in cameris ratione officii sibi concessis, sed in communi refectorio, vel ad mensam abbatialem, si ita iussum fuerit, refectionem sumant.

27. Ne spirituale superiorum officium temporalium cura impediat, insistendo *Brevi* Alexandri VII et renovando decretum Capituli generalis de 1605, prohibet praesens Capitulum generale ne priores vel superiores, bursarii, cellerarii vel procuratoris officium exerceant ; ubi tamen alius capax non fuerit, cum consensu Patris immediati et dispensatione Rmi D. N. id fieri potest.

28. Cum tronus et sedes Dei sint templa nostra et altaria, ne debitus illis decor et splendor desit tanto digno incolae, praesens Capitulum generale decreto Capituli generalis de 1609 inhaerendo, illudque confirmando praecipit, ut abbates, priores et conventus curent ecclesias, sacristias et sacella, ut par est, decorari et omni necessario supellectili decenter instrui. Quod si facere neglexerint, a Vicariis generalibus, necnon a Patribus immediatis, ad id cogantur, qui pro certiori huius nostrae obligationis executione certam et sufficientem summam, si necessarium iudicaverint, ex redditibus monasterii huic usui destinent et determinent.

29. Religiosus extra monasterii claustra in maioribus praecipue urbibus degens, quanto periculo subsit expendens Capitulum generale, districtissime praecipit conformiter ad decretum Capituli generalis de 1605, ut priores, officiales et monachi ad urbem Parisiensem pro negotiis suorum monasteriorum missi, Procuratori generali dicti Ordinis nostri intra duos dies ab eorum adventu computandos se praesentare teneantur, rationem agendorum daturi, et in casu quo collegium non inhabitent, quod tamen sine expressa in scriptis obtenta ab eodem Procuratore generali licentia, nulli liceat, domicilium suum indicaturi, per dictum Procuratorem generalem ad Vicarium provinciae vel ad Patrem immediatum deferantur ab alterutro puniendi, cuius rei rationem reddere Rmo D. N. tenebuntur Procuratores generales,

et collegiorum Provisores. Quod idem intelligi vult Capitulum generale de urbe Tolosana, ut dicta licentia a D. Provisore sit petenda.

30. Circa rem in qua nimia non potest adhiberi cura, nec suo desit muneri Capitulum generale, antiqua omnia et recentiora statuta nominatim illud Capituli generalis ultimi approbando, confirmando et renovando, severissime prohibet omnibus et singulis Ordinis nostri personis cuiuscumque dignitatis sint, ne feminas quascumque ad loca regularia seu interiora monasterii admittant vel introducant, sub poena suspensionis et interdicti ipso facto incurrenda, a qua solum Capitulum generale, et eo non sedente, Rmus D. N. pro tempore existens absolvere possint, nisi in casu necessitatis. Huius decreti executioni ut invigilent Vicariis generalibus districte iniungitur. Quod si facere neglexerint, tamquam fautores huius scandali habeantur.

31. Licet in correctionibus in Ordine consuetis, etiam in incarceratione nihil reprehendendum hactenus invenerit humanitas et religio, tamen ut nota sit omnibus charitas Ordinis etiam erga scandalose delinquentes, iubet Capitulum generale in quolibet monasterio, firmos equidem sed sanos tamen carceres construi, in quibus incarcerato libros spirituales subministrabit superior, aliquod opus iniunget, necnon seniores deputabit, qui eum consolentur et ita hortentur, ut ipsi salutaris et medicinalis sit incarceratio.

Quibus diffinitis, reassumpta per aliquod tempus lectura Capituli generalis, soluta est sessio.

SESSIO OCTAVA

32. Eadem die, hora 3ª post meridiem, collectis in Capitulo ad signum maioris campanae 27 Rdis DD. abbatibus et 3 Rdis DD. prioribus titularibus, Rdo D. de Salemio, qui iam e matutina sessione cum licentia Rmi D. N. ob infirmitatem exierat, adhuc absente, lectae sunt ad iussum Rmi D. N. litterae duae Augustissimae Dominae Imperatricis, serenissimae Reginae Hungariae et Bohemiae, archiducissae Austriae quarum tenor est hic :

Maria Theresia, Divina favente Clementia, Romanorum Imperatrix, Germaniae, Hungariae et Bohemiae... regina, archiducissa Austriae, Reverende, devote, sincere nobis dilecte. Percipientes ex venerabilibus, fidelibus nobis in Christo Fortunato Hartmann, abbate Plassiensi, et Caietano Brecacina, abbate Ossegensi, generale Capitulum pro proxime quinto venturi mensis maii Cistercium indictum, ibidemque etiam inter alia provinciarum nostrarum Ordinis negotia spiritualia pertractare debere, iisdem abbatibus non modo ad comparandum in eo benignissimum nostrum assensum tribuere, sed et ad securius iter suum promovendum litteras salvipassus nostras clementissime elargiri dignatae fuimus, et siquidem ipsis certiorem reditum, favorabilemque expeditionem optemus vos hisce clementer requirimus, quatinus illi ibidem tam ex se, quam in ipso Diffi-

nitorio quae ad decorem et incrementum Ordinis suae provinciae cedere possunt, officiorum vestrorum congrua exhibitione et auctoritate assistere non intermittatis. Idipsum vicissim gratia nostra Caesarea regia, qua erga Sacrum Ordinem ferimur, recogniturae. — Viennae die 4 mensis ianuarii 1765. — Subscriptum : Maria Theresia. Et inferius : Rudolphus comes a Chotek. Tobias Philippus a Geblen. Reverendo devoto, sincere dilecto Francisco Trouvé abbati Cistercii, Christianissimi Galliarum Regis consiliario, universi Cisterciensis Ordinis capiti ac superiori generali.

33. Maria Theresia, ... *etc. ut supra.* Exposuit nobis humillime sacri Ordinis vestri Vicarius generalis honorabilis, devotus fidelis nobis Rmus abbas monasterii in Zwettel in inferiori Austria se honorabilem itidem devotum, fidelem, nobis dilectum Dominicum abbatem Campi liliorum, inferioris quoque Austriae, denominasse, ut ipsius loco una cum P. secretario Vicariatus Austriaci generale Capitulum pro quinto proxime venturi mensis maii Cistercium indictum adeat, percipientes etiam ibidem inter alia provinciarum quoque nostrarum Ordinis negotia spiritualia pertractari, eidem abbati non modo ad comparandum in eo benignissimum nostrum assensum tribuere, sed et ad securius iter suum promovendum litteras salvipassus nostras, clementissime elargiri dignabamur ; et siquidem praefato abbati una cum P. secretario certiorem reditum favorabilemque expeditionem optemus vos hisce clementer requirimus, quatinus illi ibidem tam ex se quam in ipso Diffinitorio, quae ad decorem et incrementum Ordinis suae provinciae cedere possunt officiorum vestrorum congrua exhibitione et auctoritate assistere velitis. Idipsum vicissim gratia nostra Caesarea regia, qua erga S. Ordinem ferimur, recogniturae. Dabantur in civitate nostra Viennae die 2 febr. 1765, regno nostro 20. Subscriptum : Maria Theresia. Et inferius : Rudolphus comes a Chotek. Laurentius Iosephus de Barqué. — Reverendo, devoto, sincere Nobis dilecto Francisco Trouvé abbati ... *etc. ut supra.*

Omnibus auditis, communi Capituli generalis acclamatione, rogatus est Rmus D. N. ut suo et Capituli generalis nomine amplissimae redderentur gratres Augustissimae Reginae pro tam impenso in Ordinem nostrum favore simulque petitum, ut hae litterae huius gratiae munimentum futurae posteris actis Capituli inserentur.

34. Tunc progressum est ad continuandam Capituli generalis de 1738 lectionem, qua iussa discontinuari ad requisitionem R. D. 2 Promotoris, statuta sunt a Capitulo generali communi approbatione sequentia.

35. Ad tollendas occasiones tum vitii proprietatis, tum iustarum religiosorum quaerelarum praesens Capitulum generale, inhaerendo, renovando et confirmando decretum Capituli generalis de 1605, ordinat et statuit ut patres abbates et vicarii generales provinciarum curent ne necessaria religiosis denegentur, ad quod determinent in omnibus monasteriis certam summam, habita ratione pretii rerum in quacumque provincia, iuxta quam superiores duriores vestiarium monachis administrabunt non in pecunia, sed in rerum natura et specie, et tempore per eosdem abbates immediatos et vicarios generales in suis visi-

tationibus constituendo et determinando ; quod si officiales in pecunia religiosis vestiarium expenderint, amoveantur ab officio.

36. Circa necessariam aedificiorum renovationem, renovatur et confirmatur decretum Capituli generalis de 1609 ut abbates regulares, priores et conventus, in iis faciendis negligentes, adeo compellantur a vicariis provinciarum et patribus immediatis per sequestrationem fructuum, reddituum et proventuum, invocatis Procuratoribus generalibus Ordinis, adiunctione et brachii saecularis auxilio.

37. Ad petitionem R. D. abbatis de S. Salvatore, nomine Congregationis Coronae Arragonum et Navarrae ordinatur, ut ubi ex antiqua desuetudine missae quotidianae de B. M. V. et pro defunctis leguntur equidem, sed non applicantur ad intentionem Ordinis in illis monasteriis, quilibet religiosus teneatur sedecim missas per annum ad intentionem Ordinis.

38. Praefatio de SS. Trinitate omnibus Dominicis, propria carentibus praefatione, dicetur ex decreto S. D. N. Clementis XIII.

39. Salutationi angelicae ter in die ad triplicem pulsum campanae dici solitae, toto tempore Paschali semper addatur *Regina coeli* cum collecta.

40. Festum b. Vincentii Kadlubek de Rosis, ex episcopo Cracoviensi monachi Andreoviensis, nostri Ordinis, sub ritu sermonis minoris in monasteriis nostri Ordinis in Polonia, in monasteriis vero Bohemiae et Lusatiae sub ritu XII lectionum, praesens Capitulum generale concedit, ut celebretur officium ; ubi non erit proprium assumatur de communi Pontificis.

41. Permittitur abbati de Valle Dei celebrare in suo monasterio festum Desponsationis B. M. V. sub ritu duarum missarum.

42. Requirentibus Promotoribus, praesens Capitulum generale electionem abbatis R. D. de Reiffenstein confirmat, cum iuramentum obedientiae Ordini et Rmo D. N. ediderit et praestiterit, ipsumque habet excusatum a demoratione Capituli generalis.

43. Cum ex imperitia aut imprudentia confessariorum gravia oriri mala compertum sit, generale Capitulum serio monendos superiores statuit, ut non approbent, nisi bene meritos, doctos, prudentes, de animarum salute sollicitos et silentii tenaces. Monialium vero confessarii sint praeterea graves moribus et aetate, exclusis iunioribus sacerdotibus.

44. Ordinationes collegii nostri Parisiensis lectas et approbatas praesens Capitulum generale annexas voluit actis Capituli generalis, et extensas ad collegia Tolosanum et Herbipolense, mutatis mutandis.

45. Ad petitionem D. abbatis de Campoliliorum, suo et R. D. abbatis de Runa, vicarii generalis Carinthiae, Carniolae, nomine, praesentes dati sunt commissarii RR. DD. abbates de Plassio et Osseco, qui

examinent et Capitulo referant quae sint fundamenta monasteriorum de Runa et de S. Cruce Austriae circa paternitates in monasteria Campililiorum et S. Gotthardi ab utroque praetensas, circa quam Capitulum generale de 1738 quaedam statuta ediderat.

46. Sex RR. DD. abbates, qui nec huic nec matutinae sessioni interfuere, scilicet RR. DD. abbates de Barberio, de Charitate, de Valle clara, de Claro loco, et Chalocheio, de Porta gloni, etsi ob suam hanc a sessionibus Capituli sine licentia Rmo D. N. absentiam, ab omnibus RR. DD. abbatibus animadversione digni habiti sint, praeelegit Rmus D. N. et Capitulum generale ut charitatem Ordinis et non rigorem sentiant.

47. Diffinitum est ab officialibus monasteriorum non satisfieri debito dicendi officia defunctorum ordinaria, legendo per annum aliquot missas.

48. Rogavit Rmum D. N. praesens Capitulum generale ut monere dignaretur serio et instanter monotypographum Ordinis D. David, ut libros Ordinis imprimat accurrata diligentia tam quoad chartae et attramenti bonitatem, tum notarum et textus ipsius exactam sine mendis impressionem; ut etiam in principalibus Europae urbibus suos habeat correspondentes librarios, et impressionem curet regulae sancti Benedicti in latino idiomate et Passionis D. N. Iesu Christi cum notis cantus Gregoriani, quorum omnium necessitatem primus agnoscens Rmus D. N. in se suscepit effecturum.

49. Puncta quaedam circa peculium et pretiosiorem tam vestitum quam supellectilem religiosorum, a Rdis D. Austriae Vicariatus abbatibus et etiam Congregationis Superioris Germaniae et Congregationis Arragonum et Navarrae in suis Capitulis provincialibus pro regionum suarum consuetudine et opportunitate determinanda. Universis autem praecipitur religiosis Ordinis, ut sint in habitu simplici, modesto, oblongo, etiam extra monasteria, etiam in itinere. Superioribus vero iniungitur, ne occasionem ullam aut dent, aut permittant per quam vitium proprietatis possit subrepere.

50. Declarat praesens Capitulum generale abbates cum conventu feria quarta quoad esum carnium dispensare non posse, nisi ex incidente fortuito necessitate; vel si rationes adsint subsistentes cum dispensatione Capituli generalis, vel Rmi D. N. Religiosos vero in officiis extra monasterium positos indigere licentia sui superioris, ut possint feriis quartis per Adventum et Septuagesimam carnibus vesci. Quibus determinatis et decisis, sessione a Rmo D. N. finiri iussa, discessum est.

SESSIO NONA

51. Die 10 maii hora circa 8ª matutina, egressi e sacro conventuali

solemniter a R. D. abbate de Plassio, vicario generali Bohemiae, celebrato, ad sonitum maioris campanae convenerunt in Capitulum 27 abbates cum 3 prioribus titularibus, R. D. Salemitano absente cum licentia petita a Rmo D. N., ubi sessioni initium datum est per lectionem supplicem a R. D. abbate et conventu Camentii in Silesia Capitulo generali praesentatam, in qua praeter alia subsidium charitativum a Patribus petierunt. Occasione huius petitionis, R. D. abbates de Plassio et de Osseco idem subsidium vel summam saltem mutuo dandam nullo vel modico foenore postularunt pro Sedlizenzi, cui utrique petitioni ita annuit Capitulum generale ut rogaverit Rmum D. N. ut suo et Capituli generalis nomine scribi faciat ad omnes Ordinis provincias praecipue tamen ad illas, in quibus haec monasteria sita sunt, litteras charitativi subsidii petitorias, quod libentissime in se suscepit Rmus D. N.

52. Cetera vero puncta supplicae Camensis arbitrio Rmi D. N. post Capitulum generale relicta sunt decidenda.

53. Dein lectis per R. D. primum Promotorem excusationibus absentium, quibus benigne susceptis decretum est, ut ii qui suas non miserunt Capitulo generali, illas mitterent postea Rmo D. N.

54. Renovatum quippe fuit decretum in superioribus Capitulis generalibus, et praecipue in postremo latum contra Congregationum Castellae et Lusitaniae pertinaciam.

55. Post quae continuata et finita est lectio Capituli generalis de 1738. R. D. abbati de S. Salvatore deputato Congregationum Arragonum et Navarrae data est a Capitulo generali confraternitas cum et in omni Ordine nostro Rmo DD. episcopo Ilerdensi.

56. Data quoque est facultas monialibus Patrocinii B. M. V. in Villa de Tamarite in regno Arragonum celebrandi festum sanctae Orniteriae Virginis et martyris sub ritu duarum missarum, quod iam antea in eadem ecclesia ab aliqua confraternitate sub illius nomine fundata celebratur.

57. Data est pariter monasteriis S. Salvatoris et B. M. V. de Oliva in dioecesi Pampilonensi licentia typis mandandi pro usu eorumdem officia quorumdam sanctorum, quorum cultus in illis monasteriis viget, aut ab immemoriali, aut cum permissione Capituli alicuius generalis vel Rmi D. Cistercii. Reliqua eius petita ad R. D. Vicarium generalem Congregationis remissa sunt ordinanda.

58. Declaravit Capitulum generale R. D. abbatem de Heisterbaco tamquam Vicarium generalem, facultatem habere sui Vicariatus tam virorum quam monialium omnia scilicet monasteria cuicumque patri immediato subiecta, etiam Himmenrodium matrem Heisterbaci suo tempore per statuta praescripto visitandi, idque ex usu et continua praxi Ordinis, adeoque ei iniungit in plenaria Ordinis potestate ut ea

monasteria quae ante Capitulum generale visitare non potuit, post illud visitet.

59. Monasteriis quoque monialium in Vicariatu Inferioris Germaniae, ob gravissimas inconvenientias, districtissime praecipitur ut ad vendendum saecularibus vinum extrant domum quamdam ad portam exteriorem monasteriorum, nec in casu infirmitatis aut necessitatis petentibus denegent vinum, ad scandalum saecularium.

60. Religiosis eiusdem Vicariatus severissime interdicantur capilli prolixi et crispati more saecularium, usus quoque capillitiorum, sed illis praecipitur coronam et tonsuram regularem assumere. Quorum duorum decretorum executor constituitur R. D. Vicarius generalis illius Vicariatus.

61. Declarat quoque praesens Capitulum generale more aliis Capitulis generalibus consueto, teneri reliquos Rdos D. abbates Vicariatus Inferioris Germaniae, qui in Capitulis generalibus non comparuerunt, refundere R. D. Vicario generali sumptus itineris pro rata.

62. Ad petitionem RR. DD. Deputatorum ex Bohemia nomine totius sui Vicariatus factam, ab universo Capitulo generali cum gaudio et acclamatione in familiares totius Ordinis et suffragiorum participes assumpti sunt Serenissima Electoratus Saxoniae familia, Celsissimi quoque Principes Rmus D. Archiepiscopus Pragensis et Rmus D. Episcopus Olomucensis.

63. Duo Vicarii generales Bohemiae assistentes, a Capitulo generali de 1738 sessione 16 suppressi, circumstantiis nunc exigentibus aliud, resumuntur, et pristinis in Vicariatu Bohemiae, ut ante, iuribus gaudeant.

64. Propositis 3 ex Vicariatu Bohemiae religiosis laurea doctorali et totidem praerogativa Benemeritorum insigniendis, annuit Capitulum generale petitioni, et rei executionem relinquit Rmo D. N. post solutionem Capituli generalis.

65. Monasterio quoque de Neocella, permissa est facultas celebrandi festum sancti Bernardi sub ritu duarum missarum maior. 12 iunii ; et monasterio de S. Corona festum sancti Leonardi sub ritu XII lectionum die 6 novembris.

66. Quibus peractis perlectae sunt in Capitulo, cunctis audientibus, et revisae sessiones primae quatuor praesentis Capituli generalis. Post quae Rdi DD. Promotores petierunt inscribi registris epistolam quam legerunt huius tenoris.

Monsieur Notre Révérendissime !

Pour respondre à la lettre qu'il vous a plu m'écrire, j'aurai l'honneur de vous dire, quant au premier chef que j'aurais pu dans la belle saison faire les visites de cette province de Normandie ; mais que la saison où nous sommes jointe aux trop mauvais chemins ne me permet pas de l'entre-

prendre. Quant à l'état des contributions, je ne pense vous en fournir aucun, n'ayant rien reçu depuis celuy que je vous ai envoyé, n'ayant fait aucune visite depuis, en ayant reconnu l'inutilité par l'inobservation de tous les reglements que peut y faire. Et je ne suis pas le seul qui par le motif a pris le mûr party. Je fais des vœux pour votre conservation et je suis avec profond respect, Monsieur Notre Révérendissime, de l'abbaye de Beaubec, le 25 février 1675, votre très humble et très obéissant serviteur fr. C. abbé de Beaubec. — Et sur l'enveloppe est écrit : A Monsieur, notre Révérendissime abbé général de Cisteaux à Cisteaux.

Quo a Capitulo generali concesso, sessio est conclusa.

SESSIO DECIMA

67. Ad sonitum maioris campanae, hora tertia cum dimidia, vespertinis horis, convenerunt in Capitulum Rmus D. N. cum 28 abbatibus et 3 prioribus titularibus. Requirente D. Promotore ut confirmaretur actus quo abbas et conventus Portae coeli patrem suum immediatum agnoscant R. D. abbatem de Salemio, hoc praesens Capitulum generale dictum actum confirmavit et confirmat, perpetuo silentio partibus imposito et in actis suis inseri iussit tenoris sequentis.

In nomine Domini. Amen. — Notum sit omnibus et singulis, quorum hoc nosse intererit, quod Rmus et Excellmus D. D. Anselmus II, regii, imperialis, exempti et consistorii monasterii Salemitani abbas, utriusque sacrae Caesareo Regiae et Apostolicae Maiestatis consiliarius actualis intimus, Portam coeli vulgo Thennenbach, nullius in dioecesi Constantiensi, anno 1760, die 26 iunii, iure paternitatis immediatae intenderit visitare, Rmus et Amplmus abbas de Thennenbach hoc ius impugnaverit omnemque actum praedicti iuris renuerit, eademque in pugna usque ad obitum suum perrexerit ; cum vero praefatus Rmus et Amplmus D. Salamitanus die 5 martii anni 1765, cum commissione speciali ab Illmo et Rmo D. abbate generali Cistercii, absque ullo iurium utrimque praetensorum praeiudicio, sibi data ad dictum monasterium Portam coeli quae, per obitum R. D. Benedicti I, 3ª ianuarii 1765 vita functi, sese patre luxit destituta, praeses electionis abbatialis futurus advenisset et multa nobis ad unum omnibus praesentibus paternitatis Salemitanae documenta praeter alia originalia ipsum etiam primum originale illaesum traditionis Lucellensis, qua Porta coeli Salemitanis abbatibus in filiam data fuerat,exhibuisset, liberrimum simul nobis relinquens, ut capto maturae deliberationis consilio capitulariter statueremus, an Salemium pro patre agnoscere, ipsumque Excelmum D. abbatem praesentem, qua patrem electioni praesidere, an in lite coepta pergere, et altefatum Exclmum Rmum ut Illmi D. Generalis pro hac vice commissarium habere vellemus, ac cum interea temporis sexto nempe martii anni currentis Excellmus Salemitanus litteras Cistercio datas accepisset ; iterum iterumque significantes Illmo D. N. generali gratissimum fore, si ipsa electionis faciendae occasione, haec de paternitate controversia componeretur, ac in Capitulum generale non decidenda, sed confirmanda traderetur, id tandem 7ª martii dicti anni tum aequitatis tum pacis accelerandae studio coepimus et statuimus eumdem

antefatum Excellmum Salemitanum capitulariter congregati accessimus, conclusum capitulare cum gaudio aperuimus patrem immediatum amantissimum salutavimus, illumque simul ut tamquam pater immediatus electioni futurae, die crastina, ab ipso Excellmo designata praesidere dignaretur, humillime invitavimus, factamque iamiam declarationem nostram ex corde repetivimus, quod abolitis et aeternae oblivioni traditis omnibus iniuriam redolentibus Excellmum D. D. Anselmum, omnesque eius successores canonice intrantes, ut veros patres immediatos Portae coeli perpetuis futuris temporibus agnoscere, et ut veri filii obedire promittamus, humiliter petentes, ut post impetratam hoc super transacto Capituli generalis confirmationem, visitationes ordinariae a Rmo D. Salemitano singulis sexenniis, tricennio visitationi Vicarii generalis provinciae pro tempore existentis, reservato iuxta *Chartam charitatis*, ut sumptibus monasteriorum, quantum fieri posset, non gravantibus fierent. Quam insinuationem a nobis factam cum Excellmus D. Salemitanus non absque magna gratia et bonitate prorsus singulari ratam, religiosisque mentibus dignam dilaudans gratam habuisset, ac spopondisset non tantum se horum confirmationem a Capitulo generali faciendam procuraturum, sed etiam visitationes non nisi paternas iuxta *Chartam charitatis*, charitate animorumque coordinationem spirantes, easque sumptibus moderatis peracturum, ita ut quindecim tantummodo ducatos, praeter discretiones ; in electionibus vero ducatos viginti, pariter non computatis discretionibus, mutuo consensu constituerit.

Post item alias multas tenerrimae dilectionis contestationes ac sincerationes, se nullam sumptuum occasione visitationis quam anno 1760 in monasterio nostro intenderat factorum refusionem postulaturum, suo Deo ter optimo maximo laudes, nobis vero pacem et optatum controversiae finem dedimus.

Ubi notandum adhuc ea quae paulo ante de ducatis respective 15 et 20 scripta sunt mutuo consensu sic esse intelligenda : ut praeter ac supra illos aureos etiam discretiones congruas Porta coeli velit facere, ut Rmus D. pater immediatus cum se insinuat Friburgo Thennebacum, et hinc illuc suis equis perducere, itemque eidem Rmo D. Patri immediato in adventu suo prandio aut coena in propria domo inservire.

Acta sunt haec omnia in monasterio nostro de Porta coeli, anno Domini 1765, diebus 6 et 7 martii, subscripta vera nostris nominibus, maiorique conventus nostri sigillo corroborata ibidem die 10 eiusdem mensis et anni. Subscriptum Fr. Maurus neoelectus abbas ; Fr. Victorinus Landwehr, pro tempore prior ; Fr. Edmundus Hahlin pro tempore supprior ; Fr. Leopoldus Storp ; Fr. Constantinus Bucher ; Fr. Ferdinandus Troll ; Fr. Augustinus Wild ; Fr. Antonius Schwab ; Fr. Benedictus Glunk ; Fr. Bernardus Staedlin ; Fr. Aloysius Ibel ; Fr. Carolus Caspar ; Fr. Marquardus Kreiter ; Fr. Nivardus Borst ; Fr. Balthasarus Schmid ; Fr. Ioann. Baptista Knobloch ; Fr. Iudas Thaddeus Herb ; Fr. Iosephus Bader ; Fr. Ioachimus Lang; Fr. Franciscus Salesius Briffon. Imposito hac de causa perpetuo silentio. Locus sigilli.

Sequuntur sigillationes duorum notariorum. (Adsunt sigilla).

Rmus D. N. commisit R. D. de Salemio ut abbatialem benedictionem conferret R. D. neoelecto abbati Portae coeli, sine praeiudicio R. D. Vicarii generalis.

68. Ad requisitionem R. D. abbatis de Campo principum, unanimi voto conceditur communio suffragiorum Ordinis totius serenissimae familiae Bavariae ; item serenissimo et Rmo D. episcopo Frisingensi et Ratisbonensi.

69. Conceditur R. D. abbati de Campo principum celebrari festum sancti Floriani et sanctae Edignae virginis, filiae Henrici regis Galliae, sub ritu duarum missarum.

70. Ad petitionem RR. DD. Deputatorum, Congregationis Arragonum et Navarrae conceditur R. D. abbati Labacensi, ex vicario Congregationis, praerogativa et privilegia patrum provinciae, excepto duplici vestiario et dieta in Capitulo provinciali.

71. Capitulum generale confirmat acta Capituli praecedentis de 1738, exceptis punctis quae reiecit magnum Consilium a Rege super quae recursus habeatur et deputentur abbates.

72. Circa Congregationem Calabriae, Capitulum generale remittit iudicio Rmi D. N.

73. Procuratores et abbates deputati apud S. Sedem : Rdi DD. abbates de Monteforti, procurator generalis in Curia, et de Sambucina. Pro Bruxellis, R. D. abbas de Molinis. Ad Regem christianissimum committit Rdos DD. abbates de Salemio et de Campo principum, et R. D. Procuratorem generalem in curia Galliae.

74. Vult Capitulum generale ut responsiones ad Summum Pontificem ad serenissimos Reges et principes, a Rmo D. N. nomine totius Capituli scribantur.

75. Computationum et visitationum relationes praesens generale Capitulum generale remittit pro Gallia ad comitia intermedia, pro extraneis vero regionibus ad proxime futurum eorum respective Capitulum nationale, sicut alia petita quae ad Rmum D. N. remissa sunt in praesenti Capitulo, ea tamen lege ut diffinitiones referantur ad proxime futurum generale Capitulum, vel Rmum D. N., ut approbentur vel infirmentur in plenaria Ordinis auctoritate, quam habet innatam.

76. Nominationem et institutionem officiorum publicorum nunc vacantium, Capitulum generale remittit ad Rmum D. N., ad quam pertinet de iure positivo, activum et exclusivum eligendi, nominandi et instituendi dictos officiales publicos iuxta Ordinis statuta et decreta, *Breveque* Alexandri VII. Pariter remittit ad ipsum ordinationem communium novitiatuum. Denuo confirmat iam emanatum decretum, nempe quod Diffinitorium nihil decidere possit, quin prius in Capitulo fuerit notatum, Capitulumque generale habere ius sibi reservandi cau-

sas, quas iudicaverit sibi reservandas, et alias ad Diffinitorium remittendi diffiniendas.

77. Finaliter praesens Capitulum declarat se finitum, terminatum et solutum. Deinde acta praesentis Capituli lecta sunt et intelligibili voce...

Datum in capitulo Cistercii die 10 mensis maii anni 1765. Fr. Franciscus abbas generalis Cistercii ; Fr. Gregorius abbas Lucellensis ; Fr. Hieronymus abbas de Ebraco, per Sup. Germaniam Vic. gener. ; Fr. Anselmus abbas Salemii ; Fr. Stanislaus abbas de S. Benedicto ; Fr. Martinus abbas de S. Sulpitio ; Fr. Petrus abbas de Valcellis ; Fr. Wigandus abbas Waldsassensis ; Fr. Ioannes Iacobus abbas de Stamedio ; Fr. Dominicus abbas Campililiorum, Austriae et Styriae commissarius ; Fr. Hermannus abbas de Heisterbaco, per Infer. Germaniam Vicar. gener. ; Fr. Caietanus abbas Osseci in Bohemia ; Fr. Franciscus Aalbesa abbas S. Salvatoris Leyrensis ; Fr. Ioannes Chrysostomus, s. th. d. abbas de Sambucina, praeses utriusque Calabriae et Lucaniae ; Fr. Augustinus abbas de S. Urbano ; Fr. Augustinus abbas de Speciosa valle ; Fr. Bernardus abbas de Altaripa, m [anu] p[ropria] ; Fr. Bruno abbas de Molinis ; Fr. Stephanus abbas de Grandiprato ; Fr. Nicolaus abbas de Valle Dei ; Fr. Ioannes abbas de Geriponte ; Fr. Petrus abbas de Columba ; Fr. Martinus abbas de Campo principum in Bavaria ; Fr. Ludovicus abbas de Pinu ; Fr. Gasparus abbas de Maris stella in Helvetia ; Fr. Ioannes Baptista prior titularis de Directa valle ; Fr. Boulanger prior titularis de Leula ; Fr. Stephanus Iosephus Maria Moyria prior titularis de Gratia Nostrae Dominae et Procurator generalis in Curia Franciae ; Fr. Fortunatus abbas Plassii, Vicar. gener. in Bohemia ; Fr. Odo abbas Montisfortis, Procur. gener. apud S. Sedem necnon Vicar. gener. per universam Italiam.

R. D. abbas de Pietate Dei Ramerus, uti omnibus sessionibus et deliberationibus praesens, et in cunctis deliberationibus votum et suffragium ediderit, et pluries invitatus subscribere recusavit praesens Capitulum generale, quod nos infrascripti notarii abbates Capituli generalis testamur, die et anno quo supra. Et sic terminatum est Capitulum generale. Sic signatum ; Fr. Fortunatus abbas Plassii, vic. gener. in Bohemia, Moravia et Lusatia, notarius Capituli generalis m[anu] p [ropria]. Fr. Odo abbas Montisfortis procur. gener. apud S. Sedem et per univers. Italiam et insulas adiacentes commissarius et gener. vicar. Notarius Capit. gener. m. p.

78. Die 11 maii matutinis horis, congregato ad sonum maioris campanae Capitulo generali, lecta et publicata fuerunt acta eiusdem Capituli generalis per duos notarios ad pedes alternatim coram Rdis DD. abbatibus et aliis idem Capitulum generale constituentibus et ad illud

deputatis, totoque venerabili conventu Cistercii in Capitulo Cistercii, ad mandatum Rmi D. N. A quo facta solemni et solita absolutione et dispensatione secundum formam indulgentiae s. m. Honorii Papae, et incepto hymno *Te Deum laudamus*, pulsantibus campanis omnes ad ecclesiam processerunt praefatum hymnum decantantes, et dicta collecta *Actiones nostras* ab eodem Rmo nostro, et accepta ab eo benedictione, discesserunt. Sic signati: Fr. Fortunatus abbas Plassii, vic. gener. Bohemiae, Movariae, Lusatiae, not. gen. Capit.; Fr. Odo abbas Montisfortis procur. gen. Ord. Cist. apud S. Sedem et per univ. Italiam et insulas adiacentes commissarius et vic. gen. Not. Capit. gen.

Ego infrascriptus fr. Alexander Denise, secretarius Rmi D. N. abbatis generalis Cistercii, necnon notarius ad pedes Capituli generalis testor, quod praesens transumptum Capituli generalis de anno 1765 est suo originali omnimodo conforme, quod penes me habeo, deprompto ex archivis archicoenobii Cistercii, quorum fidem manu propria subscripsi et sigillum maius Capituli generalis apposui. — Actum Cistercii die 6a mensis iunii anno 1765.

(sigillum inscript. Cap. gen.
sub imag. B. V. sub extenso pallio
exhibens abbates)

Fr. Denise
not. ad pedes Cap. gen.

79. Nota. Insperatus plane erat exitus iste Capituli generalis quatuor primis patribus et eorum adhaerentibus, unde Romam, Parisios, mox suos commissarios destinaverunt Rmus porro et Excellmus D. N. Salemitamus, ut hic supra videre est; deputatus Parisiis per bimestre pervigil institit, illorumque technas elusit, ut ibi nihil proficientes ad supremum Burgundiae Senatum confugerint. Salemii reversus Rmus D. paulo post, scilicet 12 octobr. eodem anno 1765 ab Illmo D. N. generali Cistercii Divionem vocatus est, ubi diu noctuque orationi ac labori vixdum superabili insistens indefessa diligentia, opitulante Domino Divaque Virgine Matre sacri Ordinis nostri, sequentem pro Illmo D. N. generali contra primos filios victoriam obtinuit.

80. Sententia Supremi Senatus Divionensis lata 18 martii 1766 in causa Ordinis Cisterciensis.

Curia Supremi in Burgundia Senatus, non attenta interventione abbatis de Landa et aliorum abbatum abbatibus de Firmitate, Pontigniaco, Claravalle et Morimundo adhaerentium (quos inter primus et ad finem usque litis assistens erat R. D. Bernardus de Lenzburg, abbas Altae ripae in Helvetia). Habita vero ratione interventionis abbatis de Salem et aliorum abbatum abbati generali Cistercii adhaerentium dicit, iudicat: nullum esse abusum sive in decreto sessionis 3ae Capituli generalis de 1765, mense maio celebrati, quod quidem decretum concernit potestatem Capituli generalis Cisterciensis Ordinis (Huius decreti tenor est: ad plurali-

tatem suffragiorum conclusum est, non alias in diffinitorio decidendas esse quaestiones, quam quae prius a Capitulo notarentur diffiniendae, seu diiudicandae notarentur. Cap. gen. 1765 ; sess. 8). Sive in decreto illius confirmativo facto sessione ultima. (Istius tenor est iste : denuo confirmat iam emanatum decretum, nempe quod Diffinitorium nihil decidere possit, quin primo in Capitulo fuerit notatum. Capitulum generale habere ius reservandi causas, quas iudicaverit sibi reservandas, et alias ad Diffinitorium remittendi. Cap. gener. sess. 10 in fine) Sive in aliis eiusdem Capituli decretis, iis exceptis de quibus infra dicetur. Ius vero dicendo, iudicando de appellatione velut ab abusu facta per patres seu principalem advocatorum Bernardi (i. e. per quatuor primos Ordinis abbates de Firmitate, Pontigniaco, Claravalle et Morimundo, quorum Advocatus perorans erat D. Bernard) et Virelii (i. e. abbates quidam Galli, omnesque Poloni illis quatuor primariis adhaerentes pro quibus perorabat D. Virelius) contra decretum quod concernit nominationem et institutionem officialium publicorum et designationem communium novitiatuum (Decretum hoc tale est : Nominationem et institutionem officiorum publicorum nunc vacantium Capitulum generale remittit ad Rmum D. N., ad quem pertinet ius positivum, activum et exclusivum eligendi, nominandi et instituendi dictos officiales publicos iuxta Ordinis statuta et decreta, privilegia Alexandri VII. Pariter remittit ad ipsum ordinationem communium novitiatuum. Ibidem, sess. 10 ad finem). Procuratori generali dat actum, publicum testimonium, eiusmodi appellationis velut ab abusu de eodem decreto ab ipso interiectae, ac pronuntiat praedictum decretum esse abusivum. Pari modo ei Procuratori nostro generali Regis conceditur actus, publicum testimonium appellationis velut ab abusu per ipsum emissae contra decretum, quod spectat confirmationem actorum Capituli generalis anno 1738 celebrati et pronuntiat eadem Curia : illud decretum esse abusivum (Capitulum generale confirmat actum Capituli generalis praecedentis de 1738, exceptis punctis, quae reiecit Magnum Consilium a Rege super quae recursus habeatur ; ibidem sess. 10), quatinus in eo statuitur habendum esse recursum contra dispositiones sententiae a Magno Consilio Regis latae anno 1761 die 14 martii.

Dat etiam Curia Procuratori generali Regis actum appellationis velut ab abusu per ipsum factae contra 2um decretum sessionis 3^{ae} Capituli generalis 1738 celebrati et super eamdem appellationem iudicando. Dicit illud decretum esse abusivum quatinus prohibet ne in posterum ulla petitio vel requisitio fiat, nisi per ministerium, vocemque Promotorum (Decretum hoc his conceptum est verbis : Requirentibus Rdis D. Promotoribus... *(sic desin. ms)*

1768

Acta Capituli generalis sacri Ordinis Cisterciensis apud Cistercium celebrati anno Domini 1768, die 2 mensis maii et sequentibus.

1. Die 1 mensis maii anni 1768 a Divione discesserunt Rmus D. N. abbas generalis, simulque et per ordinem omnes ceteri abbates Ordinis, praesens Capitulum generale composituri, et circa horam quintam serotinam ad archicoenobium Cistercii, caput et matrem Ordinis devenerunt accedentesque ad maiorem ecclesiam inter devotam religiosorum Cisterciensium turmam processionaliter congregatorum, pulsantibus campanis, organisque modulantibus, ad adorationem sacri altaris Rmum D. N. generalem comitati sunt; factaque oratione singuli singula sua petierunt habitacula.

2. Die secunda maii, horis matutinis post tertiam et missam de Sancto Spiritu in pontificalibus celebratam per R. D. adm abbatem de Pontiniaco, unum ex quatuor primariis abbatibus, Rmus D. N. generalis omnes abbates, aliique ad praesens Capitulum generale iure debito congregati, convenerunt ad sonum maioris campanae in Capitulum. Tunc venerabilis Cistercii conventus ubi omnes in suis locis genuflexi, praesentibus DD. de Roquelaure, Silvanectensi episcopo, Regis a sanctiori consilio, consiliario ordinario, et eleemosinario primario, et magnifico DD. Amelot Requestarum magistro et ducatus Burgundiae dignissimo praefecto, regiis commissariis, hymnum *Veni Creator* decantaverunt, subsequentibus versibus et collectis consuetis a Rmo D. N. generali subministratis.

3. Postea lectione facta christianissimi Regis epistolae ad omnes abbates, superiores, et Ordinis Cisterciensis religiosos capitulariter Cistercio congregatos; et ad eosdem alterius epistolae ex parte Excellentissimi DD. de Saint-Florentin eius ministri, lectis etiam litteris perquam gratissimis et affectuosissimis eiusdem DD. de St.-Florentin ad Rmum D. N. peculiariter directis, necnon lectis litteris christianissimi Regis ad praefatos DD. Ill. Silvanectensem et magnificum D. Burgundiae Praefectum dignissimum, in hac parte, commissarios regios, directis.

4. Deinde alta et intelligibili voce a secretario D. Praefecti perlectum fuit sanctioris Consilii arrestum datum Versalliis die 22 mensis aprilis praesentis anni, praehabita oratione a praefato Ill. DD. Silvanectensi episcopo. Mox Rmus D. N. generalis,Capituli generalis praeses necessarius, patheticam paternamque orationem habuit ad pacem, concordiam, tran-

---

1768. *Fontes* : J^3 : 42, 118, 119, 123, 124 ; P^{13} : 1-142, *in hoc fonte habentur insuper quaedam folia sub titulo* : Observations sur le Chapitre général de Cisteaux indiqué pour le mois de may prochain (1768).

quillitatemque Ordini nostro fovendam, firmiterque restaurandam et stabiliendam.

5. His peractis, quaedam puncta idiomate gallico digesta ab Ill. DD. Silvanectensi episcopo, Capitulo generali ibidem congregato, et vi supradicti arresti, fuerunt proposita, et lectioni mandata super quae a singulis Capituli generalis membris pacifice et bona fide in suo sensu responsa danda erunt, quorum responsorum nomina auctorum in schedulis subsignatis ab unoquoque et eorum contra insuper sigillo munitis sub tuta clausura ad manus Regis et ipsis DD. commissariis directe mittenda erunt.

6. Tandem nulla facta deliberatione, solutus fuit hic primus omnium Capitulantium consessus, et e Capitulo omnes discesserunt, promovente prius Ill. DD. Silvanectensi episcopo ad sequentes eius Capituli generalis conventus non progrediendum usque ad quaestiones nomine regio prolatas et in scriptis communicandi unicuique causa porrectas responsa sua singuli parata habeant in scriptis pariter demandata, et quantocius congregato more solito Capitulo generali, ab universis Capitularibus in manus suas exporta et tradenda.

7. Die tertia eiusdem mensis supradicta puncta, propter RR. DD. abbates extraneos a gallico in versionem latinam translata, et a praefato post haec Ill. DD. Silvanectensi episcopo et magnifico DD. praefecto regiis commissariis signo manuali subscripta in approbationem, ipsismet Rdis abbatibus extraneis fuerunt pariter immannata et responsa eorum ad haec puncta pariter expostulata.

8. A supradicta die maii usque ad decimam sequentem eiusdem mensis nulla habita fuit Capituli generalis congregatio, nec missa de Spiritu Sancto, ut moris est, durante ipso, celebrata fuit.

9. Die decima eiusdem mensis, hora circiter sexta et media matutina, missa de Spiritu Sancto in pontificalibus celebrata a R. D. abbate de Speciosa valle, pulsante maiori campana, omnes ad Capitulum devenerunt, ubi brevi habita oratione a DD. Silvanectensi episcopo, primum interrogavit et expetiit: Num omnes generale Capitulum constituentes inibi essent congregati? et in numero quot? Responso dato quod omnes aderant, a singulis seorsim expostulavit responsoriales rationes ad omnia puncta ab ipso die secunda praeterita nomine regio proposita, et primum a Rmo D. N. abbate generali capite, praeside, in scriptis mandatae ipsi traditae sunt cum schedula clausa sub signo manuali signata, et suo pariter sigillo desuper consignata. Quod et idem fecerunt singuli per ordinem hinc extranei hinc Galli generale Capitulum componentes et facientes.

10. His traditis ut supra responsis, numeratae sunt omnes schedulae, et attentive numeratis, et in uno collatis sub duplici camine clausae fuerunt et sub sigillis supradictorum DD. Regis commissariorum et Rmi D. N. generalis sic consignatae in praesentia totius Capituli generalis remissae et traditae sunt Ill. Silvanectensi episcopo, qui has ad christianissimam Maiestatem nostram pervenire curavit.

11. Quibus expletis, singula singulorum praedicta responsa sine ordine successive incoeperunt legere primo Illustrissimi D. Silvanectensis episcopi D. secretarius et non perlecto totaliter, magnifici DD. ducatus Burgundiae

Praefecti D. secretarius aliud perlegit, et sic ad turnum et successive. Circa horam 11 matutinam sine ulla deliberatione, omnes e Capitulo discesserunt.

12. Hora circiter 3 post meridiem eiusdem diei, ad sonum maioris campanae, omnes ad Capitulum devenerunt, et ibi praesentibus DD. commissariis regiis, continuata fuit sine ulla intermissione ad praedicta puncta responsorum lectio usque ad horam sextam proxime sequentem. Nulla facta deliberatione, pariter omnes e Capitulo discesserunt.

13. Die 11 eiusdem mensis, hora circiter 7, celebrata fuit in pontificalibus missa de Spiritu Sancto a R. D. abbate de Langhemio, et post missam ad sonum maioris campanae, omnes Capitulum convenerunt, ubi praesente solo magnifico DD. ducatus Burgundiae praefecto commissario regio, usque ad horam 11 ante meridiem sine intermissione continuata fuit lectio ad supradicta puncta responsorialium rationum ; praedicta hora pulsante, nulla adhuc emissa deliberatione, omnes a Capitulo discesserunt.

14. Hora serotina circiter 2, ad sonum maioris campanae una cum Ill. DD. Silvanectensi episcopo regis commissario, absente magnifico Burgundiae ducatus praefecto, omnes Capitulum ingressi sunt, praedictas responsoriales rationes iterumque legendi causa, sine ulla intermissione usque ad horam inclusive sextam. Et nulla pariter facta deliberatione, omnes e Capitulo discesserunt.

15. Die 12 eiusdem mensis, in Ascensione Dominica, circa horam 7 matutinam, celebrata fuit in pontificalibus missa de festo a R. D. abbate de Osseco, et post missam pulsante maiori campana, omnes cum dictis commissariis regiis Capitulum adierunt responsoriales rationes iterum perlegendi causa usque ad horam 11 ante meridiem, qua pulsante, omnes sine ulla deliberatione egressi sunt.

16. Hora 2, post Vesperas decantatas, ad sonum maioris campanae convenerunt omnes una cum praedictis DD. commissariis regiis, Capitulum ubi usque ad horam 6 lectae iterum fuerunt ad praedicta puncta responsoriales rationes, et nulla habita deliberatione a Capitulo discesserunt omnes.

17. Die 13 mensis eiusdem, hora circiter 7 matutina, celebrata fuit in pontificalibus missa de Spiritu Sancto a R. D. de Henrichovio. Qua finita, pulsante maiori campana, more solito, iterum omnes Capitulares cum DD. commissariis regiis ad Capitulum accesserunt, ubi tandem responsorialium rationum lectionem compleverunt et perfecerunt DD. Commissariorum regiorum secretarii.

18. Finita hac lectione, et brevi habita oratione ab Ill. DD. Silvanectensi episcopo, praesente magnifico DD. ducatus Burgundiae Praefecto, aliud a regio sanctiori Consilio emanatum prompsit arrestum, quod alta et intelligibili voce lectum fuit praesentibus Capitularibus a D. secretario DD. ducatus Burgundiae Praefecti et quod praefatum arrestum inscribi in registris Capituli generalis Ill. DD. Silvanectensis episcopus a Rmo D. N. generali et praeside expostulavit, cui mandato, nullis e Capitulo renitentibus submissive obtemperavit, in scriptis demandata est ; sequitur tenor praefati arresti.

Extrait des registres du Conseil d'État du Roy.

Le Roy s'étant fait représenter l'arrest rendu ce jourdhui en son Conseil par lequel Sa Majesté auroit ordonné que tous les membres qui doivent assister au Chapitre dudit Ordre seront tenus de donner par écrit leurs avis sur les questions sur lesquelles ledit avis leur sera demandé par le Sr. de Roquelaure, évêque de Senlis, conseiller d'État ordinaire et premier aumônier de Sa Majesté et le Sr. Amelot, Maistre des Requestes, Intendant et Commissaire de parti dans la province de Bourgogne, que Sa Majesté a commis pour assister de sa part audit chapitre, et Sa Majesté étant informée que les conseils qui l'ont déterminé à demander les avis pourroient troubler non seulement la tranquillité dudit Ordre, mais celle dudit chapitre, Sa Majesté auroit jugé nécessaire après avoir pris les mesures que sa sagesse lui a dicté pour parvenir au rétablissement dudit Ordre, d'empêcher encore qu'il ne s'élève dans ledit chapitre de nouvelles divisions capables de nuire aux vues que Sa Majesté s'est proposées pour le bien général de l'Ordre, et pour lui faire eprouver de plus en plus les effets de sa protection. A quoi voulant pourvoir, ouï le rapport et tout considéré, le Roy étant en son Conseil a ordonné et ordonne qu'il ne pourra rien être délibéré, fait ou proposé au prochain chapitre général dudit Ordre sur aucuns des objets sur lesquels aucuns membres dudit Chapitre aura été demandé par les Srs. Commissaires nommés par Sa Majesté. Ordonne en outre Sa Majesté qu'aucun membre dudit chapitre n'en pourra abandonner les séances ni ledit chapitre être dissous et séparé sans la permission desdits Srs. Commissaires ; veut et entend au surplus Sa Majesté que tout ce qui pourra nuire ou préjudicier au droit et prétention respectives des parties lesquelles lui demanderont réserve ou entier, et sera le présent arrest inscrit sur les registres dudit chapitre et exécuté nonobstant opposition quelconque. Enjoint Sa Majesté auxdits Sieurs Commissaires de tenir la main à son exécution. Fait au Conseil d'État du Roy Sa Majesté y étant, tenu à Versailles le 22 avril 1768. Signé : Philippeaux.

19. A Rmo D. N. generali deinde expostulavit DD. Silvanectensis episcopus, ut certiorem ipsum redderet de sessione in sessionem usque ad finem Capituli generalis de omnibus quae in ipso fuerint proposita, tractata et deliberata, et expeditionem in forma authentica de omnibus Capituli generalis actibus, ipsi ante suum ex Cistercio discessum extradandam. Quod utrumque promisit Rmus D. N. generalis.

20. Postea e Capitulo recesserunt Ill. DD. episcopus Silvanectensis et magnificus ducatus Burgundiae Praefectus, et tunc inceperunt Capituli generalis sessiones.

SESSIO PRIMA

21. Hora 10 matutina eiusdem diei, cantore ad Capitulum accedente, data prius a Rmo D. N. generali benedictione, legit articulum de *Antiquis Diffinitionibus* : Quomodo se habeant abbates in Capitulo generali ; cap. 3. *Chartae charitatis*, bullam Clementis PP. IV quae incipit *Parvus fons* modum Capitula generalia celebrandi praescribentem. Qua finita

lectione, Rmus D. N. generalis 1° in notarium Capituli generalis R. D. abbatem de Columba; 2° in promotores eiusdem Capituli R. D. abbatem de Pinu et R. D. abbatem de Alta ripa, qui et notarius et praedicti promotores in suis respective locis unusquisque successive iuxta formam consuetam suum emisit iuramentum.

22. Iuramentis positis, singuli eorum ad sua in Capitulo notata loca accesserunt et sederunt. Quibus peractis, ab uno e secretariis Rmi D. N. generalis lectioni demandatum fuit *Breve* Apostolicum Clementis PP. XIII de die 20 mensis ianuarii anni praesentis ad Rmum D. N. generalem directe transmissum, ipsi universo Ordini Cisterciensi ratione celebrationis futurae ipsius Capituli generalis benedictionem suam Apostolicam impertiendo.

23. Pariter lectioni demandata fuit ab altero Rmi D. N. generalis secretario epistola DD. Mariae Reginae Romanorum Imperatricis vidua, Hungariae et Bohemiae reginae, archiducissae Austriae, etc. ad Rmum D. N. generalem directa, in qua gratiosissime exponit quod sub petitione R. D. Fortunati Hartman abbatis Plassensis, Ordinis Cisterciensis per Bohemiam et Moraviam Vicarii generalis, licentiam adeundi hocce praesens Capitulum generale, concesserit R. D. Brecacina abbati Ossenci et R. D. Philippizuri abbati Wellerhadiensi, quosque commendatos exhibet in omnibus negotiis quae ad decorem et incrementum Ordinis suae provinciae cedere possunt. Data haec epistola die 28 mensis decembris mox elapsi.

24. Deinde inhaerendo venerandis Patrum nostrorum vestigiis, requisierunt R. D. Promotores ut per Capitulum determinarentur orationes et preces quae sic ordinatae sunt. — Pro SS. D. N. Clemente XIII Summo Pontifice. Pro Emin. Ecclesiae cardinalibus, et specialiter pro Emin. D. Negroni cardinali sacri Ordinis nostri Protectore. Pro Emin. *etc.*

Pro Seren. et Augusto Iosepho II, Dei gratia Romanorum Imperatore ... *etc.* Pro Seren. DD. Ludovico XV Galliarum et Navarrae Rege ... *etc.* Pro Seren. Carolo III Hispaniarum Rege catholico. Pro seren. DD. Stanislao Augusto IV Rege orthodoxo. Pro Seren. DD. Carolo Emmanuele III Sardiniae Rege necnon Sabaudiae duce. Pro nobilissima stirpe ... Ducum Burgundiae ... *etc.*

Pro burgensibus ... *etc.*

Pro omnibus religiosis ... *etc.*

25. Tandemque requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, habita prius ab ipso brevi quidem sed quam energica et pathetica oratione pro restaurandis reparandisque in Ordine nostro pace, concordia et tranquillitate, statutum fuit et ordinatum per Capitulum generale ut usque dum solvatur et finiatur singulis diebus in missarum celebratione a singulis dicatur quam devotissime collecta pro concordia paceque obtinenda in Ordine restituenda. Et sic soluta fuit haec prima sessio.

SESSIO SECUNDA

26. Hora 4 post meridiem, ad sonum maioris campanae, convenit Capi-

tulum generale; eo sedente, requisivit R. D. Promotor quatinus legeretur processus verbalis actorum a die 1 mensis praesentis ad hanc usque, a notario Capituli digestus et redactus, re in deliberatione missa, Capitulum generale unanimiter censuit legendum esse.

27. Hanc lectionem perfecit notarius Capituli usque ad inscriptionem in praesentibus registris arresti regii de die 22 aprilis mox elapsi, qua lectione perfecta, iterum requisivit R. D. Promotor quatinus Capitulum generale videret et deliberaret, si quid haberet animadvertendum in perlecto processu verbali a Capitulo generali, unanimiter conclusum est nil in eo esse mutandum vel addendum.

28. Tunc idem R. D. Promotor requisivit ut, secundum antiquam consuetudinem nostram, legantur acta praecedentis Capituli generalis confirmandi vel infirmandi causa, sub reverentia debita arresto senatus Divionensis simul et iudicio Regis nostri christianissimi interventu, salvoque iure litigantium, sed cum non obstantibus illis clausulis. Quod abbates noluerunt agi de confirmatione ad pluralitatem votorum. Conclusum est legendas esse diffinitiones praedicti praecedentis Capituli generalis.

29. Sed cum plurimi dixerint hanc lectionem fore contrariam obedientiae debitae praefato arresto superius inscripto, aliis in contrarium sentientibus, re in deliberatione missa, ne aliis discordiae ansa praeberetur, tunc unus inter opinantes dixerit solvendum esse Capitulum generale, licentiam petendam a Commissariis regiis discedendi, et ne nimium quidem dubium oriri possit erga Capituli submissam obedientiam Regi debitam, Capitulum generale sancivit pro hac vice ab ipsa abstinendum esse.

30. Humillimae supplicationi et petitioni monasterii B. M. V. de Grissovio in Silesia, annuens Capitulum generale licentiam et facultatem ei concedit diem s. Floriano martyri sacram, quae 4 est mensis maii sub ritu MM. maiorum celebrandi.

31. Pariter licentiam concedit et facultatem dicto monasterio de Grissovio sub ritu praedicto celebrandi diem festivam s. Barbarae virginis et martyris.

32. Petitioni supplicationique a R. D. Guillelmo abbate Lubensi nomine totius provinciae Silesianae factae, annuens praesens Capitulum generale licentiam et facultatem concedit ut in sua sola provincia praedicta Silesiana singulis annis sub ritu XII lectionum celebretur festum s. Vincentii Kadlubek.

33. Requirente D. Promotore nomine provinciae Silesianae quatinus contributiones a monasterio praefato provinciae R. D. Procuratori generali in Curia solvendae, ob rationes ab illis subministratas minuerentur et ad antiquam taxam redigerentur. Capitulum generale commisit D. Procuratorem generalem in Curia ut super hocce negotium tractandum habeat cum R. D. abbatibus Silesianis in hocce Capitulo adstantibus, postea referendum Capitulo generali.

34. Requirente eodem R. D. Promotore de Alta ripa nomine R. D.

abbatis de Salemio, quatinus novum s. Benedicti Legislatoris nostri officium a Capitulo generali, tam pro suo monasterio quam pro suis filiabus approbetur, Capitulum generale commisit R. D. abbatem de S. Urbano et R. D. Procuratorem in Curia quatinus supradictum officium serio examinent, examinique facto referant Capitulo generali num sit consentaneum uniformitati in Ordine observandae, concedere facultatem tale recitandi officium.

35. Plurimorum monasteriorum in regionibus extraneis positorum a R. D. abbate de Alta ripa promotore perlecti fuerunt status et rationum computus, sed eos status et computus examinandos remisit praesens Capitulum generale praedicto R. D. abbati de Alta ripa promotori, ut postea iudicium suum referat ipsomet Capitulo generali. Et haec soluta fuit Capituli generalis sessio.

SESSIO TERTIA

36. Hora 7 matutina, in pontificalibus celebrata missa de S. Spiritu a R. D. abbate de S. Urbano, ad sonum maioris campanae omnes Capitulum accesserunt, die 14 eiusdem mensis.

37. Relatione facta a R. D. abbate de Alta ripa Promotore, status monasteriorum provinciae Silesianae tam monachorum quam monialium, et monasterii Circensis in Hungaria plurimum a Capitulo generali laudatus fuit et approbatus.

38. Conceditur licentia et facultas monasterio Raudensi in Silesia celebrandi festum s. Floriani martyris, sub ritu MM. maiorum cum officio.

39. R. D. Promotor secundus rationem reddens de statu monasterii de Hemmenroda in archiepiscopatu Trevirensi, et octo monasteriorum monialum sibi subiectorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, praesens Capitulum generale plurimum laudavit et approbavit.

40. Requirente R. D. Promotore ut legerentur status monasteriorum Congregationis Cisterciensis Coronae Arragonum, Cataloniae et Navarrae, tam in spiritualibus quam in temporalibus, praesens Capitulum generale utique laudavit et approbavit.

41. Facta supradicta requisitione et finita, Rmus D. N. generalis, similiter et quatuor RR. adm DD. abbates de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et de Morimundo e Capitulo ad Diffinitorium accesserunt, pro Diffinitoribus eligendis. Ad Capitulum e Diffinitorio reversis, Rmi D. N. generalis primus secretarius ordinationem Diffinitorum omniumque Capituli generalis officiariorum factam promulgavit, cuius tenor sequitur.

42. Ordinatio capituli Generalis

Diffinitores : Rmus. D. N. generalis [de **Cistercio**] R. D. abbas

de Valcellis, R. D. abbas de Trappa, R. D. abbas de Wellehradio, R. D. abbas de Rauda. R. adm D. abbas de **Firmitate**, R. D. abbas de Chalocheio, R. D. abbas de S. Urbano, R. D. abbas de Henrichovio, R. D. abbas de Castellione. R. adm D. abbas de **Pontigniaco**, R. D. abbas de Langhemio, R. D. abbas de Grosso bosco, R. D. abbas de Pietate ; R. D. abbas de Marcilliaco. R. adm D. abbas de **Claravalle**, R. D. abbas de S. Fide, R. D. abbas de Fulcardimonte, R. D. abbas de Charitate, R. D. abbas de Barberio. R. adm D. abbas de **Morimundo**, R. D. abbas de Osseco, R. D. abbas de Gratia Dei Bisuntinensis, R. D. abbas de Freistorffio, R. D. abbas de Parisio.

CONFESSARII ET ALII OFFICIALES SEQUENTES *a Rmo D. N. generali ordinati et nominati :* R. D. abbas de Trappa, R. D. abbas de Septem fontibus, R. D. abbas de Pietate, R. D. abbas de S. Fide, R. D. abbas de Rauda, R. D. abbas de Langhemio, R. D. prior de Directa valle, R. D. prior de Bella aqua, R. D. prior de Monte stellato, D. Virot collegii S. Bernardi Parisiensis Provisor s. th. d., D. prior Cistercii.

CONSULTORES : R. D. abbas de Bello becco, R. D. abbas de Wellehradio, R. D. abbas de Rauda, R. D. de Tennebacho, R. D. abbas de Langhemio, R. D. abbas de Maris stella, R. D. abbas de S. Fide, R. D. abbas de S. Urbano, R. D. de S. Benedicto, R. D. abbas de S. Sulpitio, R. D. abbas d'Erneburgo, R. D. abbas de Ducellana valle, R. D. abbas de Valle dulci, R. D. abbas de Septem fontibus.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : R. D. abbas de Claroloco, R. D. abbas de Speciosa valle, R. D. abbas de Petris, R. D. abbas de Grosso bosco, D. prior Cistercii.

AUDITORES COMPUTATIONUM : R. D. abbas de S. Benedicto, R. D. abbas de Speciosa valle, R. D. abbas d'Erneburgo, R. D. abbas de Campo principum, R. D. abbas de Petris, R. D. abbas de Septem fontibus, R. D. abbas de Castellione, R. D. abbas de Charmeia, R. D. abbas de Ieriponte.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : R. D. abbas de Rauda, R. D. abbas de Wellehradio, R. D. abbas de Langhemio, R. D. abbas de Tennenbacho, R. D. abbas de Maris stella, R. D. abbas de Chalocheio, R. D. abbas de Petris, R. D. abbas de Castellione, R. D. abbas de Valle dulci, R. D. prior de Gratia Nostrae Dominae.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : R. D. abbas de Maris stella, R. D. abbas d'Erneburgo, R. D. abbas de Speciosa valle, R. D. abbas de Charmeia, R. D. abbas de S. Sulpitio, R. D. abbas de Valle dulci.

NOTARII ABBATES DIFFINITORII : R. D. abbas de Columba, R. D. abbas de Monte forti.

PROMOTORES CAUSARUM : R. D. abbas de Altaripa, R. D. abbas de Pinu.

NOTARII AD PEDES : D. Alexander Denize, Rmi D. N. generalis secre-

tarius ; D. Ignatius Dreux, s. f. p. doc. th. Rmi D. N. generalis secretarius.

PORTARII DIFFINITORII : R. D. prior de Leula s. th. d., D. de Sambu Provisor de Sinanqua.

43. Lecta hac ordinatione, tum Rmus D. N. generalis, tum R. D. quatuor abbates primarii, ceterique abbates Diffinitores selecti singuli, inchoante Rmo D. N. generali, solitum praestiterunt iuramentum.

44. Requirente R.D. abbate de Altaripa Promotore, ut admitteretur appellatio D. Camille quondam cellerarii Sanctarum Crucium in Arragonia, contra quem lata fuit sententia a R. D. Vicario generali Congregationis Aragonum et Navarrae, pro male habita bonorum et reddituum dicti monasterii administratione, recursus iudicium revendicante Rmo D. N. generali, sed ad Capitulum generale remittente, res in deliberationem missa fuit. Maior capitulantium pars in sententiam devenerat ut admitteretur appellatio D. Camille et R. D. abbas de Berolla committeretur ad iudicandum appellationem in plenaria Ordinis potestate. Sed cum R. D. abbas de Grosso bosco in sua opinione dixerit hanc causam non posse a Capitulo iudicari quia ad famam spectat, et ideo Diffinitorio remittenda, cum sit de numero earum quae de iure ad Diffinitorium pertinent. Hac proposita opinione, maior capitulantium pars iterum in sua sententia permansit, iudicans non de infamia iudicandum esse, sed de appellatione. Tunc Rmus D. N. generalis petiit a Capitulo generali an non pro pace et concordia servanda expediret rem ad Diffinitorium remitti. Iterum maior capitulantium pars censuit decretum fieri debere. Ideo praesens generale Capitulum admittendo appellationem D. Camille commisit abbatem de Berolla in Aragonia, ut secundum iuris vias ipsius appellationis in plenaria Ordinis potestate obiecta diffinitive iudicet et litem dirimat ; et si praefatus D. Camille inventus fuerit reus, eum dictus commissarius condemnet ad pecuniae dilapidatae restitutionem.

SESSIO QUARTA

45. Hora 4 post meridiem eiusdem diei, requirente iterum R. D. Promotore, in supplicatione R. D. abbatis de Salemio circa officium novum de s. Benedicto ab ipso petitum, Capitulum generale dat et concedit facultatem recitandi praedictum novum officium pro monasterio Salemitano et filiabus eius tantum.

46. Quantum ad contributiones a provincia Silesiana R. D. Procuratori in Curia romana solvendas esse statuit praesens Capitulum generale in posterum ut antiquitus ad 25 solummodo aureos,sine diminutione tamen seu cambii defalcatione.

47. Facultas celebrandi festum de Patrocinio B. M. V. in monasterio

monialium Ordinis Cisterciensis Del Patrocinio in Villada Lacus in Aragonia conceditur, in dominicam tertiam novembris vel alia intra eumdem mensem a Vicario generali Congregationis Aragonae assignanda, et liceat monialibus praedicti monasterii dictum officium recitare et celebrare sub ritu sermonis maioris cum octava, sicut officium Conceptionis B. M. V., nomine Conceptionis mutato in Protectionem, cum collecta propria et hucusque usitata.

48. Dispensatio postulata seu facultas petita a religiosis viris monasterii De Labax, in principatu Cataloniae in Hispania, circa missam matutinalem propter exiguam monachorum congregationem ipsis a Capitulo generali concessa est, et remittitur iuxta interpretationem in *Rituali* Cisterciensi libr. II, cap. 6 coaptam.

49. Circa deliberationem a Capitulo generali petitam super obligationem vel sub gravi vel sub levi peccato missarum de Beata et pro defunctis a Congregatione Aragoniae, remissa est commissio ad RR. DD consultores.

50. Remissio anniversariorum et missarum fundatorum in monasterio de Benifaza in Aragonia ad has missas quotidianas, vel reductio earumdem per Vicarium generalem eiusdem Congregationis, pariter ad RR. DD. Consultores examinanda et decernenda, a Capitulo generali remittitur.

51. Ad praedictos RR. DD. Consultores remittit etiam Capitulum generale ut negotium confirmationis omniumque privilegiorum corroborationis, exemptionum et praerogativarum quibus patres provinciae, qui Vicarii generalis Congregationis Aragoniae munere functi sunt, potiantur ex praxi et consuetudine quacumque.

52. Declarat de Ordine Benemeritum praesens Capitulum generale R. D. Michaelem Veygas, doctorem theologum antea de Populeto abbatem, cum omnibus privilegiis et favoribus in Ordine consuetis.

53. Requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore, ut petita et quaestiones remissae Promotoribus ex parte R. D. abbatis de Speciosa valle notentur pro Diffinitorio; sic notata ipsa declaravit praesens Capitulum generale.

54. R. D. abbate de Pinu Promotore requirente, ut notentur pro Diffinitorio sequentes quaestiones ab ipso propositae quarum tenor sic habetur : 1) pro reparationibus annuis, 2) pro templorum decoramine, 3) circa sacristias, 4) pro vestitu monachorum, 5) de litteris commendatitiis, 6) de clausura monialium, 7) de ingressu mulierum in domos virorum, 8) de hospitalitate, 9) de uniformitate in habitu servanda, 10) de peculio proprio, 11) de ratione reddenda circa monasteriorum statum vicariatus Pictaviensis. — Has omnes quaestiones a dicto R. D. Promotore propositas diffinit annotandas, notatas declarat praesens Capitulum generale.

55. Finita illa ex parte R. D. Promotoris requisitione, tunc assurgens Rmus D. N. generalis Capitulo ad Diffinitorium se contulit, cum quatuor RR. primariis patribus, ceterisque Diffinitoribus, e Capitulo discesserunt omnes.

56. Rmo D. N. generali ceterisque Diffinitoribus per ordinem in Diffinitorio sedentibus et requirente R. D. abbate de Pinu Promotore: Nos abbas Cistercii ceterique Diffinitores ordinamus et statuimus, adhaerendo *Brevi* Alexandri VII, renovandum, confirmandumque decretum anni 1609 quod abbates regulares, priores et conventus qui remissi fuerint in reparationibus aedificiorum faciendis, ad eas faciendas a Vicariis provinciarum compellantur et a Patribus immediatis per poenas et censuras contentas in art. 5 *Brevis* Alexandri VII.

57. Requirente R. D. Promotore, Capitulo generali anni 1609 adhaerendo illudque confirmando, praecipimus ut abbates, priores et conventus curent ecclesias et sacella, ut par est, decorari et omni necessario supellectili decenter instrui. Quod si facere neglexerit, a Vicariis generalibus necnon a Patribus immediatis ad id compellantur per poenas et censuras Ordinis.

58. Requirente eodem R. D. Promotore, adhaerendo Capitulo anni 1605, statuimus quod certi iique sufficientes redditus ad onera sacristiae supportanda per Vicarios generales et Patres immediatos destinentur et determinentur, in his solis monasteriis in quibus Visitatores, Patres immediati et Vicarii generales super hoc punctum superiores minus sollicitos aut regligentes invenerint.

59. Requirente eodem R. D. Promotore, inhaerendo art. 23 *Brevis* Alexandri VII et renovando, necnon confirmando decretum Capituli geralis anni 1605, ordinamus et statuimus quod Patres immediati et Vicarii provinciarum visitando curent ut quod religiosis necessarium non denegetur, et si quos superiores duriores monachis necessarium non administrantes invenerint, determinent summam certam, habita ratione pretii rerum in quacumque provincia, iuxta quam summam praefati superiores vestiarium monachis administrare tenebuntur, non in pecunia sed in rerum natura et specie, ac tempore per eosdem abbates et Vicarios in suis visitationibus constituenda et determinanda. Quod si officiales in pecunia religiosos vestiarium impenderint, ab officiis removeantur, ea tamen lege quod si quidam monachus vestiarium integraliter non acceperit, residuum in pecunia sub quocumque praetextu repetere non valeat nec praesumat, et si quid repetere praesumpserit tamquam proprietarius graviter puniatur, sic et superiores necnon officiarii eorum petitioni annuentes.

60. Requirente R. D. eodem Promotore, adhaerendo art. *Brevis* Alexandri VII et decreto Capituli generalis anni 1672, praecipimus:

nullus religiosus a superioribus ad aliquem mittatur extra provinciam sine commendatitiis litteris.

61. Requirente eodem R. D. Promotore, adhaerendo Concilii Tridentini decretis et singulariter art. 39 *Brevis* Alexandri VII anni 1666, statuimus ut in monasteriis monialium in quibus secundum decreta Ecclesiae et statuta Ordinis stabilita est clausura, ea omnino et stricte servetur.

62. Requirente eodem R. D. Promotore, antiqua omnia et recentia decreta Capitulorum generalium renovando ac confirmando et approbando, prohibemus omnibus et singulis Ordinis nostri personis, cuiuscumque dignitatis sint, ne feminas quascumque ad loca regularia et interiora monasterii maxime intra monachorum claustra, chorum, refectorium, dormitorium, capitulum et hortum proximiorem claustris admittant vel introducant, sub poenis suspensionis et interdicti ipso facto incurrendis.

63. Requirente R. D. Promotore abbate de Altaripa, super libello supplici R. D. abbatis de Speciosa valle continente quatuor petita et undecim quaestiones in Capitulo generali notata pro Diffinitorio, quibus in eodem per dictum abbatem Promotorem perlectis, RR. DD. abbates de Osseco et de Langhemio deputati sunt in commissarios pro examine et relatione ad Diffinitorium.

SESSIO QUINTA

64. Die 15 quae est dominica infra Domini Ascensionem, celebrata in pontificalibus missa de Spiritu Sancto a R. D. abbate de S. Fide hora circiter 9 matutina, ad sonum maioris campanae, omnes Capitulum convenerunt.

65. Requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore, vicariatui Bohemiae, Moraviae et utriusque Lusatiae annuit Capitulum generale 1) ut pro festis SS. Patrum nostrorum Roberti et Alberici, concederentur indulgentiae plenariae a Summo Pontifice impetrandae. 2) Pariter Capitulum generale petitioni vener. D. abbatissae de Valle S. Mariae licentiam et facultatem concedit celebrandi festa videlicet s. Ioannis Baptistae sub ritu sermonis maioris cum octava solemni et s. Mauritii sub ritu XII lectionum. 3) R. D. Procopio Brun, professi Plassii in Bohemia et actuali priori, concessit praesens Capitulum generale titulum de Benemerito Ordinis cum omnibus consuetis praerogativis.

66. Requirente eodem R. D. abbate Promotore, pro R. D. abbate de Henrichovio in Silesia et Zirico in Hungaria, concedit Capitulum generale R. D. abbati de Henrichovio et Zirico 1) facultatem celebrandi in eius monasterio de Henrichovio sub ritu MM. maiorum festum commemorationis s. Barbarae, 2) celebrandi quoque in eodem monasterio de Henrichovio sub ritu MM. maiorum festum s. Floriani martyris in

diem 4 mensis maii incidentis, 3) tandem in monasteriis de Henrichovio et Zirico facultatem concedit Capitulum generale celebrandi festum s. Rochi confessoris sub ritu XII lectionum, in plenaria Ordinis potestate.

67. Requirente de novo R. D. abbate de Altaripa Promotore ut gratam, ratam, confirmatamque haberet praesens Capitulum generale transactionem de die 23 maii anni Domini 1767 mox elapsi initam inter devotum monasterium Circense in Hungaria ex una parte, et Ill. DD. episcopum Vesprimensem ex altera parte, ad iurisdictionem spiritualem in subditos parochiarum ab eodem monasterio Circensi erectarum, cuius lectio de verbo ad verbum in Capitulo generali congregato a supradicto Promotore facta fuit, in qua conventione amicabiliter inita nullum repertum fuit punctum sacri Ordinis nostri exemptioni praeiudicio, quin imo supradicto monasterio Circensi quamplurimum proficuum, praesens generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate dictam transactionem unanimiter laudat et approbat, gratamque habet ratam ac confirmatam.

68. Requirente iterum R. D. eodem Promotore, ut notentur pro Diffinitorio quaedam negotia ex parte Congregationis Poloniae, quae sunt ex natura sua in longaevam intricatamque discussionem venienda pro dicto monasterio, foret omnium capitulantium consensus notandus, et de facto notatum declarat praesens Capitulum generale.

69. Requirente R. D. abbate de Pinu Promotore a Capitulo generali, ut pro Diffinitorio notentur plurimae quaestiones ab ipso propositae pro bono regimine in Ordine observandae quorum tenor sic sequitur : 1) de ieiuniis, 2) de residentia superiorum, 3) de egressu monachorum e monasterio, 4) de colloquiis, conversationibus ad crates in monasteriis monialium, 5) de dispensatione petita ab una Ordinis abbatissa circa debitum pro defunctis, 6) de confessariis, 7) de praecedentia in visitationibus et de exercitio iurisdictionis Vicariorum Ordinis etiam non abbatum.

70. Auditis his omnibus quaestionibus, statuit praesens Capitulum generale unanimi fere consensu ut pro Diffinitorio notentur, quibus notatis a notario Capituli, e Capitulo ad Diffinitorium perrexerunt Rmus D. N. generalis, quatuor primarii abbates, ceterique Diffinitores ; simul e Capitulo abierunt omnes generale Capitulum constituentes et componentes.

71. Requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore, ut libellus pro provincia Cisterciensi Poloniae diversos continens articulos longo et scrupuloso egentes examine committeretur commissariis. Quocirca, Nos, abbas Cisterciensis ceterique Diffinitores, deputamus abbates de Marcilliaco, de Trappa, de Valcellis et de Rauda ut examinent et referant.

72. Requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, adhaerendo beati patris nostri Benedicti Legislatoris intentioni et ordinationi, renovandoque decreta a praecedentibus Capitulis generalibus sancita circa modum hospitalitatis exercendae, circa frugalitatem, modestiam et humilitatem in hospitum susceptione, prohibemus quemlibet excessum circa qualitatem et quantitatem ciborum, mobiliumque magnificentiam, enixeque modestiam religiosam commendamus.

73. Requirente eodem R. D. Promotore, adhaerendo decreto Capituli anni 1683, sessionibus 9 et 13, necnon art. 28 *Brevis* Alexandri VII, statuimus ut religiosi omnes Ordinis nostri, modestis, decentibus quae religiosos decent vestibus incedant et in omnibus et per omnia similibus et uniformibus nunquam decurtatis neque sericis utantur, sed semper cum roba oblonga, caputio et scapulari, cum pallio vel clamide longa et lata induantur.

74. Requirente eodem R. D. Promotore, haerendo decretis Sacri Concilii Tridentini, et art. 22 *Brevis* Alexandri VII, statuimus 1) ut superiores teneantur sub poena suspensionis ab officio vitium proprietatis, si forte irrepserit, eradicare a monasteriis in quibus praesunt; 2) adhaerentes Capitulo generali anni 1683 prohibemus ne priores duplum vestiarium sumant sed de massa communi necessaria, habita ratione locorum, suppeditentur; 3) iniungimus ut pecuniae a parentibus concessae religiosis a cellerario vel bursario recipiantur. 4) Adhaerendo Capitulo generali 1686, ordinariae pensiones doctoribus attributae a cellerario recipiantur et pro emendis ab iisdem doctoribus designandis aliisque rebus doctoribus convenientibus, de superioris localis licentia, impendantur.

75. Relationem fecit R. D. Promotor abbas de Pinu circa statum Pictaviensis vicariatus, quam eo maiori oblectamento audivimus quo maiori ac vigilantiori sollicitudine monasteriis sibi commissis prodesse studuerit, quo factum est ut inter commendabiles huius provinciae superiores emineant D. prior de Bonoloco et D. Bastide prior de Fesia.

76. Requirente eodem R. D. Promotore, inhaerendo regulae S. P. N. Benedicti, *Brevi* Alexandri VII et Capitulis nostris generalibus et singulariter Capitulo generali anni 1691, ordinamus ut superiores et monachi singulis diebus mercurii et veneris a Pentecoste ad Exaltationem S. Crucis et deinceps usque ad sanctum Pascha, diebus quibus in monasteriis comm. Observantiae a carnibus abstinemus, in monasteriis vero Strict. Observ. a 14 septembris usque ad Pascha singulis diebus ieiunent; in utraque tamen observantia iuxta antiquum Ordinis morem strictius ieiunium diebus mercurii et veneris ordinamus, denique ut in monasteriis Comm. Observ. abstineant ab usu carnium diebus quibus prohibentur per praefatum *Breve* ita ut superiores non

nisi cum particularibus ob certas causas et necessitates possint dispensare, sed nunquam cum toto conventu in refectorio et alibi.

77. Requirente eodem R. D. Promotore, prohibemus omnibus monachis extra septa monasteriorum egredi absque licentia petita et obtenta a superioribus ; qui aliter praesumpserint graviter puniantur.

78. Ad requisitionem eiusdem R. D. Promotoris, renovamus et executioni demandari iubemus decretum Capituli generalis anni 1683, sessione 3, quo prohibetur sub gravissimis poenis ne abbatissae, priorissae, moniales et conversae in monasteriis suis comedant cum quibuscumque personis, etiam cum confessariis ad crates.

79. Post requisitionem eiusdem R.D. Promotoris, statuimus quod in monasterio monialium de Pantemonte in urbe Parisiensi, confessarius dispensare possit a psalteriis Lambertinis ob causas infirmitatis aut debilis valetudinis, de consensu tamen Patris immediati vel Vicarii generalis, iniungendo monialibus praefati Panthemontis preces, sacram communionem vel alia opera sancta.

80. Requirente eodem R. D. Promotore, statuimus ut superiores pro confessionibus excipiendis non approbent nisi viros discretos et capaces. Similiter non deputent in confessores monialium nisi viros morigenos, instructos et in aetate provectos, magna circa iuniores discretione, nec mittantur nisi virtus videatur supplere aetati.

81. Requirente R. D. Promotore, iniungimus ut art. 5. *Brevis* Alexandri VII adamussim servetur, pariter statuimus, adhaerendo Capitulo generali anni 1667, Visitatores non abbates in ullo loco etiam tempore visitationis suae monasteriorum Abbates praecedere posse.

SESSIO SEXTA

82. Hora circiter 4 post meridiem eiusdem diei, ad sonum maioris campanae, omnibus in Capitulo congregatis, requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore, admissae sunt videlicet absentium excusationes RR. DD. abbatum de Campo Mariano, de Stamedio in Tiroli, *(locus vacuus)* in Westphalia, de Sitticio in ditionibus Austriacis, de Loco Sanctae Mariae ad Tractum Rheni, de Camberona in Belgio Austriaco, de Valle Dei, de Campo liliorum in Austria, de Dissella [Ducellana] in Bavaria, de Marienroda ad Tractum Rheni, de Claravalle in Austria, de Veteri campo in Westphalia, de S. Corona in Bohemia, de Valle *(locus vacuus)* in Bavaria, de Caesarea in Suevia, de S. Cruce in Austria, de S. Gothardo in Hungaria, de Zara in Bohemia, de Monte pomario in Austria, de Valle clara in Campania, de Chefferlesia (?) in Thuringia, R. D. Praesidis provinciae Romanae, de Victoria in Carinthia, de Hilaria, de S. Ambrosio, de Bildhusa in Franconia, de S. Salvatore Antuerpiae, de Ardehusio, de Bredelaria, de Hemmenroda ad

Tractum Rheni, de Heberbacho ad Tractum Rheni, de Neustadio in Austria, de Schlierbacho in Austria, de R[aitenhaselaco] in Bavaria, de Cella angelorum in Austria, de Aldersbacho in Bavaria, et R. D. prioris de Roseriis in Campania, quaeque legitimae et acceptabiles praefatae fuerint a RR. DD. excusationum receptoribus, et sic illas admittit praesens Capitulum generale.

83. Requirente R. D. Promotore, ut electiones RR. DD. abbatum vicariatus Bohemiae a Capitulo generali confirmentur et in actis eius inserantur, Capitulum censuit eas esse confirmandas et in actis eius inserendas, et sic sequitur nominum eorum tenor : R. D. Fortunatus Hartman abbas Plassensis, R. D. Caietenus Brecacina abbas de Osseco, R. D. Philippizuri abbas de Wellehradio, R. D. Dubourg abbas de Nova cella, R. D. Hermanus Kurlz abbas de Alto vado, R. D. Godefridus Bilanski abbas de S. Corona, R. D. Desiderius Nerès abbas de Aula regia, V. D. Sapientia Loggin abbatissa de Porta coeli, V. D. Anastasia Rösterin abbatissa de Mariae valle,V.D. Clara Trautmannin abbatissa de Maris stella, V. D. Candida Adhorin abbatissa de Valle Virginum, V. D. Antonia Ulrioin abbatissa de Sala Mariae.

84. Ad requisitionem R. D. Promotoris, confirmandas esse et pariter in actibus inserendas declarat praesens Capitulum generale electiones RR. DD. abbatum Silesiae quorum nomina sic sequuntur : R. D. Guillelmus Stainel Vicarius generalis, abbas de Luba, R. D. Senner abbas de Rauda, R. D. Abundus abbas de Camentio, R. D. Eugenius Tryst abbas de Gemelnico, R. D. Constantinus Haschek abbas de Henrichovio, R. D. Hermandus Placibus Sarring abbas de Grissovio, V. D. Bernarda Packinsiki abbatissa de Trebnicio.

85. Requirente R. D. Promotore, an placeat Capitulo generali ut legantur nomina personarum regularium sacri Ordinis Cisterciensis quae per Moraviam, Bohemiam, utramque Lusatiam in singulis utriusque sexus coenobiis Deo militantibus anno Domini 1768. Capitulo generali placet summatim solummodo esse legenda ; quod factum est a R. D. Promotore.

86. Requirente eodem R. D. Promotore, annuente Capitulo generali, lectioni demandatus fuit status monasterii Heisterbacensis in Tractu Rheni.

87. Perlecto deplorabili statu tam in spiritualibus quam in temporalibus monasterii fundati noviter de Ducellana valle ; requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore, vi *Chartae charitatis* statuit praesens Capitulum generale concedendas esse R. D. abbati de Ducellana valle litteras charitativi subsidii per totam solummodo Germaniam.

88. Requirente R. D. Promotore, lectione facta cuiusdam libelli ex parte R. D. abbatis de Ducellana valle propositi quamplurium abusus

continentis, statuit praesens generale Capitulum ut usque dum per commissarium eo loco meliori modo informari poterit, de his omnibus quae habentur in praedicto de Ducellana valle monasterio, servatis tamen quinimo observatis antiquis Ordinis usibus, tollantur abusus, serveturque Ordinis conformitas districte praecipiens Capitulum generale, ut tam ipsemet R. D. abbas de Ducellana valle quam eius monasterii religiosi in posterum, in virtute salutaris obedientiae sacro Ordini nostro debitae, et etiam sub poenis in Ordine consuetis se in omnibus cerimoniis iuxta *Rituale* nostrum Cisterciense esse conforment.

89. Requisitioni R. D. Promotoris annuens, praesens Capitulum generale censuit litteras charitativi subsidii in omnibus monasteriis utriusque sexus Congregationis Superioris Germaniae concedendas V. D. abbatissae de Iucunda valle.

90. Requirente R. D. Promotore ut legatur status monasterii B. M. V. vulgo Warbenich ; lectione facta, statuit praesens Capitulum generale ut si qui sint inibi reformandi abusus vel defectus corrigendi, per Visitatorem vel per Patrem immediatum corrigentur et reformentur.

91. Requirente eodem R. D. Promotore, pro lite pendente rationes iuris paternitatis inter monasterium Raudense et monasterium Gemelnicense, statuit praesens Capitulum generale unanimi fere consensu, ut R. D. abbas Raudensis et Gemelnicensis sibi iudices duos abbates commissarios pro componenda lite dicta ex utraque parte eligant, et casu quo praedicti quatuor abbates deputati propter sententiarum diversitatem litem componere non possent, de altero quinto abbate commissario praedicti quatuor abbates deputati inter se conveniant, ut diffinitive in plenaria Ordinis potestate lis tandem componatur et finiatur.

92. Requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, ut pro Diffinitorio notentur quaedam puncta ab ipso proposita quorum tenor sic sequitur : 1) de communione iuniorum religiosorum, 2) de bibliothecis, 3) de ludo, 4) de venatione, 5) de necessitate sacrum celebrandi, 6) de orationibus superiorum pro confratribus suis, 7) de permissione sacra celebrandi iter habentibus concedenda, 8) de nominatione redactorum.

93. Praesens Capitulum generale, et puncta annotata pro Diffinitorio, facta hac ultime requisitione, Rmus D. N. generalis, quatuor primi abbates, ceterique Diffinitores e Capitulo ad Diffinitorium se contulerunt, omnesque e Capitulo egressi sunt.

94. Ad requisitionem R. D. abbatis de Pinu Promotoris, Nos, abbas generalis ceterique Diffinitores, inhaerendo cap. 3, lib. XIII *Ritualis* nostri Ordinis Cisterciensis statuimus et ordinavimus ut iuniores monachi diebus in praefato *Rituali* [notatis] ad sacram sinaxim accedant

et caveant a tanti beneficii participatione ne abstineant absque consensu et licentia superioris, qui in re tanti momenti maximam discretionem adhibere debet.

95. Requirente eodem R. D. Promotore, omnibus superioribus monasteriorum iniungimus ut curent in bibliotheca religiosis libros necessarios et utiles non deesse, quorum lectioni religiosi vacare possint, et si superiores se in hac parte negligentes exhibuerint, Vicarii generales per poenas Ordinis ipsos compellant ad praefatos libros emendos et in bibliotheca reponendos, habita semper ratione monasterii facultatum.

96. Redactionem Ordinis nostri constitutionum, instanter expostulante eodem R. D. Promotore, commissarios et redactores nominavimus et nominamus abbates de Chalocheio, de Valle clara, de Pinu, de Altaripa et de Trappa.

SESSIO SEPTIMA

97. Die 16 mensis maii, hora circiter 7 matutina, celebrata in pontificalibus missa de Spiritu Sancto a R. D. abbate de Campo principum, ad sonum maioris campanae, ad Capitulum devenerunt omnes, ubi requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore ut RR. DD. Consultores de negotiis a Capitulo generali sibi commissis rationem redderent et exponerent. Tunc assurgens R. D. abbas de S. Benedicto unus e Consultoribus nomine aliorum, commune iudicium Consultorum aperuit Capitulo generali super omnia puncta ipsis commissa.

98. Ad 1) Super obligationem celebrandi hebdomadas de Beata et de Defunctis, an sit sub peccato gravi aut levi, responsum fuit a Consultoribus : Obligationem esse sub peccato gravi, attamen omissionem missae de Beata aut Defunctis pro una vice, abstracto omni contemptu, non posse esse sub peccato gravi, sed attente cavere debere superiores ne istae missae unquam omittentur. Iudicium RR. DD. Consultorum super hoc punctum laudat et approbat, ratumque habet Capitulum generale.

99. Ad 2) Pro reductione anniversariorum et missarum quarum onere iam a temporibus antiquis se aggravari asserunt monachi monasterii de Benifasa Congregationis Hispaniae, R D. idem abbas de S. Benedicto mentem RR. DD. Consultorum super hanc quaestionem aperuit, retulitque Capitulo generali se nescire profitentes et etiam dubitare utrum facultas reductionis anniversariorum et missarum competat Capitulo generali ; sed supponendo quod possit Capitulum generale talem facere reductionem, Consultores existimant tria prius esse requirenda, a) quae sint anniversaria, et missae quibus se gravari asserunt praedicti monasterii monachi ? b) quae et quot sint bona concessa in substitutione istorum anniversariorum et missarum quibus

fruuntur ? c) quot sint monachi sacerdotes in dicto monasterio ? unde conclusorum RR. DD. Consultores iudicium remittendum esse Rmo D. N. generali pro qua elucidanda quaestione ab ipsis monachis illi mittenda erunt memorialia. Re in deliberationem missa, ex capitulantibus alii sic, alii vero sic sentierunt et post magnam discussionem Rmus D. N. generalis suam aperiens mentem exposuit quod consultius ipsi videretur si mitterentur ex parte R. D. Vicarii generalis in Aragonia memorialia quaelibet necessaria hocce negotium spectantia ad Procuratorem generalem Ordinis in Curia ipsa, ut consultatum et inde quid consultum fuerit proximo futuro Capitulo generali referat. Hanc sententiam sequendam esse unanimi consensu declaravit Capitulum generale.

100. Ad 3) Tandem erat solvenda quaestio a RR.DD. Consultoribus pariter examinata et quidem relata, sed ob brevitatem temporis ad sequentem proxime sessionem remisit! Rmus D. N. generalis, qui cum RR. adm quatuor primariis abbatibus, ceterisque Diffinitoribus e Capitulo ad Diffinitorium se contulit, et e Capitulo pariter exierunt ceteri Capituli abbates.

101. Audita relatione R. D. abbatum de Langhemio et de Osseco, commissariorum deputatorum super querimonias R. D. abbatis de Speciosa valle contra R.D. abbatem Caesareensem ipsius Patrem immediatum, Nos, abbas Cistercii ceterique Diffinitores, committimus in plenaria Ordinis potestate R. D. abbati Plassensi per Superiorem Germaniam Vicario generali, ut causam inter praefatum R. D. abbatem de Caesarea ut Patrem immediatum et praedictum R. D. abbatem de Speciosa valle controversiam auditis partibus disiudicet et determinet; simul inhibemus R. D. abbati de Caesarea ne, lite pendente, sese in quaedam Patris immediati officia in praedicto monasterio de Speciosa valle, minus vero in praesentem causam ingerat et ipsius iurisdictio in praefatum monasterium de Speciosa valle suspensa declaratur usque ad finem litis.

102. Ad requisitionem R. D. abbatis de Pinu Promotoris, inhaerendo decretis Capitulorum generalium anni 1601 et 1699, et ipsa renovando et confirmando, statuimus ut superiores maxima diligentia invigilent ne ludorum abusus in monasteriis nostris introducatur.

SESSIO OCTAVA

103. Hora 4 post meridiem eiusdem diei, requirente R. D. Promotore scilicet abbate de Pinu, omnibus in Capitulo ad sonum maioris campanae congregatis, ut novae abbatum absentium excusationes admittantur. Hac requisitione facta ex legitimis ipsarum excusationum relativis motivis has dictas excusationes animo benevolenti admittit

praesens Capitulum generale. RR. DD. abbatum absentium sic sequitur series : R. D. abbas de Lucella Vicarius generalis, R. D. abbas de Villario in Brabantia, R. D. abbas de Nizellis, R. D. abbas de Loz in Belgio Gallico, R. D. abbas de Salemio in Suevia, R. D. abbas de Valle S. Lamberti in patria Leodiensi, R. D. prior titularis S. Lazari, de Firmitate Milonis.

104. Iterum requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, ut electiones R. D. abbatum et abbatissarum, quorum tenor habendus est inferius, confirmentur, praesens Capitulum generale adhaerendo praedictae requisitioni illas laudat et confirmat. Electionem videlicet R. D. Augustini Muller abbatis de S. Urbano, R. D. Bernardi Lenzbourg abbatis de Altaripa, R. D. Gaspardi Burrieuv abbatis de Maris stella, V. D. Mariae Agathae abbatissae de Valle dominarum, V. D. Mariae Antoniae Jacobok abbatissae de Feldbachio, V. D. Mariae Iosephae abbatissae de Magdeno, V. D. Mariae Bernardae abbatissae de Klerein, V. D. Mariae Reginae de Reynold abbatissae monasterii B. M. V. de Filia Dei prope Rotundum Montem, V. D. Mariae Barbarae abbatissae de Tennikon, V. D. Mariae Annae abbatissae de Wurmsbach, V. D. Bernardinae Teaterman de Connise abbatissae monasterii B. M. V. de Magraugia prope Friburgum.

105. Requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore, ut litterae commendatitiae pro charitativo subsidio in favorem monasterii monialium apud Vesuntios situm, Ordinis Cisterciensis, quod vocatur vulgo Battan, concedantur, praesens Capitulum generale pro certo agnoscens illius dicti monasterii paupertatem litteras commendatitias per totam solummodo Galliam concedendas esse declaravit et concedit.

106. Requirente eodem R. D. Promotore, quatinus charta visitationis devotissimi monasterii Ebracensis facta et confecta a R. D. Caietano abbate de Osseco, regni Bohemiae praelato et R. D. Philippizuri monasteriorum B. M.V. de Wellehradio in Moravia, necnon de Pastro et Pelissio in Hungaria abbate, in virtute commissionis Rmi D. N. a Capitulo confirmetur et approbetur, statuit praesens Capitulum generale dictam illam Chartam visitationis computuum Auditoribus remittendam esse, ut examine facto sententiam suam subinde referant Capitulo generali.

107. Ad requisitionem R. D. Promotoris, concedit praesens Capitulum generale abbati de Campo principum licentiam et facultatem celebrandi in suo monasterio sub ritu MM. maiorum festum s. Clementis martyris, cuius inibi sunt reliquiae insignes.

108. Requirente iterum R. D. Promotore pro eodem monasterio de Campo principum, ratione iuris paternitatis in monasterium Waldsassense, praesens Capitulum generale inhaerendo praefatae requisitioni, salvo tamen iure alieno, renovat decretum Capituli generalis

de anno 1699, abbas de Campo principum gaudeat in Waldsassium iure id est primae Waldsassensis fundationis locum et iura omnia teneat.

109. Ad requisitionem R. D. Promotoris, praesens Capitulum generale concedit R. D. abbati monasterii d'Ernsburgensi litteras charitativi subsidii ab ipso petitas et supplicatas cum facultate etiam, si melius iudicaverit, praedictum suum monasterium mutuo aliquo sub mediocri censu sublevandi.

110. Concedit insuper praesens Capitulum generale praedicto D. abbati d'Ernsburgensi facultatem assumendi duplicem titulum nomine suo postulatum et supplicatum, abbatis scilicet de Dernsburgo et de Amelungsborna, sicut et habuerunt antecessores sui.

111. Iterum supplicante eodem R. D. abbate quatinus litterae gratiarum actoriae, recommendatoriae celsissimo episcopo et principe Childesino vel per praesens Capitulum generale vel per Rmum D. N. generalem scribantur, statutum fuit hasce litteras scribendas fore nomine totius Capituli generalis ab ipsomet Rmo D. N. generali.

112. Finita hac ultima requisitione e Capitulo ad Diffinitorium Rmus D. N. et RR. adm quatuor primarii abbates, ceterique Diffinitores abbates progressi sunt, et omnes e Capitulo recesserunt.

113. Requirente R. D. Promotore abbate de Altaripa, ut commissarii deputati in negotiis provinciae Poloniae referent et aperirent suum sensum, Nos, abbas Cistercii generalis ceterique Diffinitores, audita relatione, ordinavimus : 1) Ut Procurator generalis in Curia communicet suum memoriale Procuratori provinciae Poloniae ut suadeat responsa et remittitur futuro Capitulo generali. — 2) Remittimus ad futurum Capitulum generale petitionem provinciae Poloniae contra R. D. Eustachium Gruszizki abbatem dictum Mariae vallis. — 3) Nominamus in commissarium abbatem de Oliva ut quantocius accedat ad monasterium Vallis umbrosae, ut causam et processum R. D. Bernardi Kobbs professi dicti monasterii examinet et iuxta allegata et probata, audito dicto R. D. Bernardo, causam in plenaria Ordinis potestate celeriter dirimat, et interim mitius tractetur ; in casu vero infirmitatis vel alterius moralis impossibilitatis alium abbatem designet, qui tamen iudex in causa non fuerit, subdelegata eidem sibi communicata potestate Ordinis. — 4) Reiicimus petitionem dictae provinciae Poloniae, nec liceat illi proprium et specialem Procuratorem generalem Romae constituere, sed utatur opere Procuratoris generalis in Curia, posset tamen deputare aliquem impensis provinciae in casu litis contra eumdem, absque damno tamen Procuratoris generalis Ordinis. — 5) Ad eumdem R. D. abbatem de Oliva remittimus instantiam communitatis monasterii Vallis umbrosae circa restitutionem R. D. Adalberti Gladziszuski in suo prioratu perpetuo et iudicet in plenaria Ordinis potestate. Et in casu impedimenti alium abbatem deputet, subdelegata

pariter eidem communicata potestate et auctoritate Ordinis. — 6) Concedimus R. D. Ioanni Azzqstunoski abbati Coronoviensi facultatem vendendi ligna de sylvis suis ut collecta pecunia ad reaedificationem praedicti sui monasterii impendatur et non ad alios usus. — 7) Commendamus Rmo . D. N. generali quatinus pro sua benignitate dignetur confirmare in doctores theologiae D. Kilianum Krigger et Nicolaum Sojuki monachos nostrae provinciae Poloniae. — 8) Quoad modum et formam creandi et instituendi Vicarium generalem in provincia Poloniae, remittimus ad proximum futurum Capitulum generale. — 9) Rogetur Rmus D. N. generalis quatinus litteras commendatitias scribat tam suo quam istius Capituli generalis nomine Eminentissimo D. D. Negroni S. R. E. Cardinali et Ordinis nostri Protectori clementissimi, in favorem monasteriorum nostrorum in regno Poloniae.

SESSIO NONA

114. Die 17 eiusdem mensis, hora circiter 7, in pontificalibus celebrata fuit missa de S. Spiritu a R. D. abbate de Maris stella vulgo Wettingen, et ipsa decantata, ad sonum maioris campanae, omnibus in Capitulo congregatis, requisivit R. D. abbas de Altaripa Promotor quatinus RR. DD. computuum Auditores mentem suam Capitulo generali referent super chartam visitationis monasterii Ebracensis, ipsis examinandi causa remissam, tunc assurgens R. D. abbas de S. Benedicto, nomine tam suo quam aliorum Auditorum computuum, declaravit praedictam chartam a Capitulo generali esse approbandam et confirmandam utpote cum sit in omnibus suis punctis quammaxime laudabilem, consequenter ipsam approbavit et confirmavit Capitulum generale praesens.

115. Requirente eodem Promotore, tertia quaestio quae spectat Congregationes Aragoniae et quae in 7 sessione propter brevitatem temporis non potuit terminari, illam ad futurum Capitulum generale propter memorialia quae hodie suppeditari non possunt, remittit praesens generale Capitulum.

116. Requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, quod relatum fuerit ipsi in officio de s. Benedicto pro Salemio, licet examini iam subdito a quibusdam R. D. abbatibus plurimas factas fuisse observationes, et proinde iterum requisivit ut praedictum officium de novo examinetur a R.D. abbatibus commissariis ad id deputatis, nominenturque cum ipsis duo alii commissarii, videlicet R. D. prior titularis de Leula doctor Tolosanus et R. D. Virot collegii S. Bernardi Provisor, s. fac. Par. d. th., qui de novo dictum officium de s. Benedicto cum R. D. iam deputatis commissariis attente examinent ; auditis etiam observatio-

nibus a quibusdam factis vel faciendis, mentem suam postea Capitulo generali delaturi. Hoc approbavit et approbat Capitulum generale.

117. Requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, quatinus pro faciliori novitiorum receptione augeatur numerus communium novitiatuum institutorum, tam pro communi quam pro Strictiori Observantia, praesens Capitulum generale annuens requisitioni praedictae, propositam ordinationem a dicto Promotore legendam esse censuit et statuit ; cuius tenor sic habetur.

118. *Novitiatuum institutiones et ordinationes comm. observ.*

Pro monasteriis vicariatus Burgundiae ducatus et pro monasteriis de Aceio, de Monte S.Mariae, de Bullione, de Caroloco et de Balerna in comitatu Burgundiae : Cistercium. — Pro monasteriis vicariatus Insulae Franciae et pro monasteriis Sabaudiae : Pontiniacum. — Pro monasteriis vicariatus Campaniae : Claravallis. — Pro monasteriis vicariatus Lotharingiae, et pro monasteriis de Gratia Dei, de Roseriis, de Charitate Bisuntinensi, de Claro fonte, de Tribus regibus seu de Loco crescenti, de Bithania, de Bella valle et de Theoloco in comitatu Burgundiae : Morimundum. — Pro Normanniae vicariatu : Votum. — Pro vicariatu Delphinatus : S. Sulpitius. — Pro Turonensis, Andegavensis et Cenomanensis provinciae vicariatu : Oratorium. — Pro vicariatu Picardiae : Carus campus. — Pro vicariatu Alverniae : Mons petrosus. — Pro vicariatu Bituricensi : Pratea. — Pro vicariatu Pictaviensi : de Castellariis. — Pro monasteriis Britanniae : Buzaium. — Pro vicariatu Burdigalensi : de Dalone monasterium. — Pro vicariatu provinciae Provinciae : Thoronetum. — Pro vicariatu provinciae Tolosanae : Bolbona. — Pro vicariatu Ruthenensi : Bona vallis.

119. *Strictior observ.* — Pro monasteriis de Villa nova et de Veteri villa : monasterium de Precibus. — Pro monasteriis de S. Mauritio, de Begario, de Sylva Mellonis, de Bosquein, de S. Albino, de Melleario, de Langoneto et de Landavalle : Begarium. — Monasteria Burgundiae, Alverniae et provinciae Bituricensis suos possunt recipere novitios ac erudire. — Pro vicariatu Campaniae et Lotharingiae : de Cheminione. — Pro vicariatu Insulae Franciae et Picardiae : Vallis clara. — Pro vicariatu Pictaviensis provinciae : de Pinu. — Pro vicariatu Normanniae, Cenomannensis provinciae, etc. : Saviniacum.

120. Propter reparanda vel de novo aedificia reaedificanda, R. D. adm abbas de Firmitate postulavit ut pro hac vice a novitiatu communi dispensaretur, salvo suo iure.

121. Hanc praesentem novitiatuum communium institutionem laudat et approbat, confirmatque praesens Capitulum generale.

122. Requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, quatinus de Vicariis generalibus, aliisque Ordinis officialibus publicis tum de novo instituendis tum confirmandis provideatur, praesens Capitulum generale decrevit de iis officiariis esse providendum, et porrecta ab eodem Promotore dictorum officialium ordinatione, requisivit num placeret Capitulo generali dictam ordinationem lectioni demandare ; praefatae requisitioni annuens Capitu-

lum generale sic lecta et instituta fuit praedicta ordinatio cuius tenor sic habetur.

123. *Nominationes et institutiones vicariorum generalium.* — Pro communi observantia.— *Pro Normannia :* D. Grisot prior de Bono portu. — *Pro Turonensi, Andegavensi et Cenomanensi provinciis :* D. Le Clerc prior de Eleemosina continuatur et confirmatur. — *Pro Alvernia :* D. Maubert prior de Campis bonis. — *Pro Bituricensi provincia :* D. de la Blanche prior de Barzellis. — *Pro provincia Pictaviensi :* R. D. Coupdelance abbas de Grosso bosco.— *Pro Britannia :* D. Le Loup prior de Buzaio continuatur et confirmatur. — *Pro Burdigalensi provincia :* R. D. abbas de Columba. — *Pro provincia Provinciae :* D. Dusollier prior de Thoroneto. — *Pro provincia Tolosana :* D. Pennot s. fac. Par. d. th. collegii S. Bernardi commendandus Provisor hoc munus pro infirmitatibus suis sustinere non valens, eius loco suppetitur D. Pelegrin doct. Tolosanus et in praefato collegio professor regens. — *Pro Ruthenensi provincia :* D. Dardenne prior de Silvanesio continuatur. — *Pro Lotharingia :* D. Tavernier prior de Insula. — *Pro comitatu Burgundiae :* R. D. de Leschaud abbas de Gratia Dei Bisuntinensi. — *Pro Campania :* D. Vautier prior de Igniaco. — *Pro Insula Franciae :* R. D. de Moyria prior titularis de Gratia Nostrae Dominae et Procurator generalis in Gallia continuatur. — *Pro Belgio Gallico :* R. D. Ruffin abbas de Valcellis. — *Pro Delphinatu :* R. D. Auran abbas de S. Sulpitio. — *Pro ducatu Burgundiae :* R. D. Prieur abbas de Marcilliaco. — *Pro Picardia :* R. D. Chaiget abbas de Benedona prior conventualis et titularis de S. Clara vulgo de Gaudio.

124. Pro strictiori observantia. *Pro Britannia, videlicet pro monasteriis de Villa nova et de Veteri villa :* R. D. de Meaux abbas de Precibus. — *Pro monasteriis de S. Mauritio, de Sylva Mellonis, de Bosquein, de S. Albino, de Melleario, de Langoneto, et de Landavalle :* D. Le Saulnier prior de Begario. — *Pro Burgundiae provincia Bituricensi :* R. D. Mignault abbas de Petris. — *Pro Lotharingia et Campania :* R. D. Boisset abbas de Castellione. — *Pro Normannia, provincia Cenomanensi, etc. :* D. Payart prior de Persenia. — *Pro Insula Franciae :* D. de Fontenelle prior de Regalimonte. — *Pro provincia Pictaviensi, Burdigalensi, etc.* R. D. Rousseau abbas de Pinu continuatur. — *Pro Sabaudia :* R. D. abbas de Stamedio. — *Pro patria Leodiensi :* R. D. abbas de Alna. — *Pro Belgio Austriaco* . ad placitum Sener. principis Caroli : R. D. abbas de Villario, vel R. D. abbas de Molinis. — *Pro Tractu Rheni :* R. D. abbas de Heisterbacho.

125. Ceteri Ordinis publici officiales, in suis respective officiis continuantur, tam intra quam extra Galliam. — Hanc praedictam publicorum officialium ordinationem et institutionem laudat, approbat, confirmatque praesens Capitulum generale.

126. Requirente insuper R. D. abbate de Pinu Promotore, pro Diffinitorio notata est forma praescribenda pro registris et schedulis tam receptionum quam votorum emissionum omnium novitiorum et novitiarum Ordinis ; his notatis, e Capitulo ad Diffinitorium sese contule-

runt Rmus D. N. generalis, quatuor primarii abbates, ceterique Diffinitores abbates, et e Capitulo omnes egressi sunt.

127. Requirente eodem R.D. Promotore abbate de Pinu: Nos, abbas Cistercii ceterique Diffinitores, inhaerendo Capitulis nostris generalibus et *Brevi* Alexandri VII praecipimus ut omnes abbates ac superiores Ordinis nostri in suis monasteriis resideant nec a residentia a constitutionibus et statutis nostris praescripta possint sese dispensare, nisi in causa necessitatis, vel pro utilitate Ordinis aut suorum monasteriorum. Si qui vero pertinaciter deviaverint, teneantur Vicarii generales de infractione pertinaci Patres immediatos monere aut Rmum D. N. generalem.

128. Ad requisitionem R.D. Promotoris, prohibemus omnibus Ordinis nostri universi personis venationem a sacris canonibus vetitam, et praevaricatores cum vigilanti rigore puniantur, cum venatio clericis interdicta maxime ab ipsa se abstinere debent monachi et religiosi.

129. Requirente eodem Promotore, inhaerendo decreto Capituli generalis anni 1601, iniungimus et ordinamus omnibus sacerdotibus Ordinis, quatinus in unaqueque hebdomada duabus saltem vel tribus vicibus sacrosanctum missae sacrificium, fontem omnium bonorum, rite celebrent, nisi legitime impediti petitamque obtinuerint a confessariis licentiam a communi regula et lege recedendi.

130. Requisitione facta a R. D. Promotore, renovando decreta Capituli generalis anni 1699, iniungimus omnibus Ordinis nostri abbatibus ac superioribus per piissima divinae misericordiae viscera sacrosanctum missae sacrificium pro ovibus, confratribus, offerant, ut sic omnes coelestis gratiae thesauri in eas infundantur, et si qui negligentes fuerint, in virtute sanctae regularis obedientiae cogantur.

131. Requirente R. D. abbate de Pinu Promotore, inhaerendo decreto anni 1699 prohibemus omnibus Ordinis superioribus ac sacristis ne ubique sacerdotibus aut religiosis ignotis concedatur licentia celebrandi missam in nostris ecclesiis, quin habeant litteras testimoniales ac commendatitias a suis respective superioribus datas et concessas.

132. Ad eiusdem R. D. Promotoris requisitionem, ordinamus 1) ut secundum Ordinis nostri statuta teneantur registra receptionis et professionis novitiorum et novitiarum, in quibus fiat expressa mentio nominis, cognominis, loci in quo nati sunt, diei mensis et anni in quibus vestiuntur et profitentur, pariter registrentur nomina, cognomina, conditio ac domicilium patrum ac matrum. — 2) Iniungimus ut formula votorum super altare ponatur, non in membrana sed in papiro, cum data diei, mensis et anni litteraliter id est caracteribus communibus sine abbreviatione, non notis arithmeticis araborum vel romanorum scribant et subsignent profitentes.

133. Inhaerendo decreto Capituli generalis anni 1601, decernimus

quantum ad professionem fratrum nostrorum conversorum, qui votum suum obedientiae emittunt usque ad mortem, in capitulo, sint in praesentia ad minus duorum testium, cum superiore et novitio converso subscribendorum in registris professionum.

SESSIO DECIMA

134. Hora circiter 4 eiusdem diei, ad sonum maioris campanae, omnes ad Capitulum devenerunt, ubi requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore et exponente, quod cum pro parte Congregationum Castellae et Legionis, necnon Lusitaniae nullus abbas in Capitulo generali comparuerit, nec litteras excusatorias miserit, renovanda esse censuit Capitulorum generalium decreta quibus contumaces declarantur, reservata tamen Capituli generalis in easdem Congregationes auctoritate Ordinis tempore opportuno exercenda, praesens generale Capitulum adhaerendo praedictae requisitioni et renovando praedicta Capitulorum generalium decreta, committit Procuratorem generalem in Curia ut quo meliori poterit modo, apud Summum Pontificem totus sit et incumbat ut praedictae Congregationes ad sinum Ordinis reducantur et aduniantur.

135. Requirente insuper R. D. abbate Pinu, nomine RR. DD. quatuor primariorum Patrum, ut iniunctum et intimatum R. D. abbati ... *(locus vacuus)* de Campo in Germania ne amplius in posterum assumat et vindicet sibi titulum primarii patris immediati, solis R. D. quatuor primariis abbatibus debitum, praesens Capitulum generale, ne iudicetur quisquam inauditis suis rationibus, ad futurum generale Capitulum remittit hanc quaestionem diiudicandam, statuit interim solos reverendos abbates de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle et de Morimundo nominandos, vocandosque quatuor primarios Ordinis Patres.

136. Assurgens postea, petita prius a Rmo D. N. generali licentia, R. adm. D. abbas de Firmitate nomine quatuor primariorum Patrum adstantium, lectioni demandavit ipsemet stans in loco suo protestationem, cuius de verbo ad verbum sequitur tenor : Nos, quatuor primarii Patres Ordinis Cisterciensis adstantes, amore pacis directi ab tamquam fideles christianissimi Regis subditi, eique omnimoda obedientia ex animo devincti, in hunc coetum convenimus certiores facti ab Ill. episcopo Silvanectensi, Regis a sanctioribus consiliis, primoque eleemosinario, necnon amplissimo viro DD. Amelot Burgundiae Praefecto, regiis ad nostrum Capitulum generale commissariis, hanc Regis christianissimi voluntatem, ut omnia in praesenti Capitulo peragerentur pacifice, cui quidem sacrae Regis voluntati obtemperare, cum religioni duximus tum ex aequissima Maiestatis benignitate speravimus id nobis culpae non vertendum et iuribus nostris, ea qua par est religione servata, vinculo charitatis consule-

remus. Hac freti fiducia, vobis Rme abbas generalis, Reverendique abbates, enixe postulamus quatinus liceat nobis exponere huic coetui, ad id nos conscientia et necessitate adiacentibus, nos protestari 1° contra litteras *Indictionis* praesentis Capituli generalis, et praesertim contra tenorem secundi, tertii et quarti paragraphorum. Secundi : quia haec leguntur in secundo scilicet « aptius nullibi quam in medio omnium vestrum consensu in concilio Ordinis nostri suo modo oecumenico in inclitissimo abbatum senatu, eximium novae reformationis sapientissimaeque legislationis opus condi et elaborari potest nec rimari citiori et expeditiori via. Si quae sint institutae novationes blandientes pravaeque consuetudines ». In 3 autem paragrapho « aptius eo fine eoque animo ducti conciliorum nostrorum generalium solemnitatem ... in nostro Cistercio omnium vestrarum ecclesiarum matre et magistra ». — In 4 paragrapho : « Porro cum res operosae nimis et arduae his sint terminandae, ut quae circa generalem Ordinis reformationem regulandam, et iurium, exemptionumque nostrarum, primaevaeque Ordinis existentiae ceterarum vindicandam possessionem, necnon circa speciales pro singulorum vicariatuum causis diffinitiones edendas, bonumque singulorum monasteriorum tum privatum tum commune, meliori modo consulendum summe momentosa sint agitanda negotia, quibus quidem maiora a saeculo audita non fuerunt et forsan concipi nequeunt et urgentiora. » Cuius protestationis nostrae media quando et coram quibus pertinebit, de iure proferre intendimus.

2° Contra praetensum a Rmo D. N. generali ius nominandi exclusive officiales Capituli generalis, sicut de facto eos nominavit in praesenti Capitulo, et contra clausulam *solo* insertam in ordinatione officialium praetensi Capituli generalis ultimi ; ideo autem abstinemus ab omni protestatione contra denegatam unicuique nostrum, tum in praetenso Capitulo generali ultimo, tum in praesenti, a Rmo D. N. abbate generali facultatem adducendi secum duos notarios, necnon et contra ceteras novitates quas in praesenti Capitulo idem Rmus D. abbas generalis introduxit adversus sive iuribus nostris (*sic*), sive auctoritati exclusivae legislativi Diffinitorii solius ac supremi in Capitulis nostris generalibus tribunalis, quia cum iurium nostrorum sponsorem augustissimum praestare se pro sua clementia dignatus est aequissimus ac boni amantis, securiores in regio pectore conquiescentibus quam si iura haec privata nostra protestatione tueremur. Hac igitur stante sincera animi nostri in pacem et Ordinis nostri bonum propensione protestamur tantum quod nostra praesentia, nostrum silentium et quidquid a nobis propter inhaerentem medullis nostris obtemperantiam voto ac desiderio christianissimi et dilectissimi Regis actum fuit, non potest praeiudicium inferre nostrae appellationis ad eumdem christianissimum Regem contra sancitum senatus Divionensis de anno 1766, aut aliis quibuscumque iuribus, praetensionibus, actionibus, vel his quocumque modo derogare, imo in quantum opus foret, de novo easdem appellationem et actiones qualescumque aut instantias instituemus, atque a vobis R. D. abbas generalis, RR. DD. abbates humillime supplicamus ut nobis praesentis declarationis et protestationis detur actus secundum formam iuris, et tabulis Capituli de verbo ad verbum, prout exprimitur in hac cha-

ta, per notarios inseratur. Sic signatum : fr. Claudius Gaspardus abbas Firmitatis ; fr. Nicolaus abbas Pontiniaci ; fr. Franciscus Le Bloy abbas Claraevallis ; fr. Petrus abbas Morimundi.

137. Requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore, quatinus ad praedictam protestationem responsum mitteretur in crastinam et differretur ; Capitulum generale unanimi fere consensu statuit et decrevit responsum in crastinam mittendum fore et differendum.

138. Requirente iterum R. D. eodem Promotore ut approbarentur vel infirmarentur computationes collegii S. Bernardi Parisiensis, relatione facta a RR. DD. abbatibus computationum Auditoribus ; Capitulum generale ad pluralitatem votorum attente numeratorum approbavit redditionem factam computationum collegii praedicti.

SESSIO UNDECIMA

139. Die 18 eiusdem mensis, hora circiter 8 matutina, celebrata in pontificalibus missa de Spiritu Sancto a R. D. abbate de Wellehradio, ad sonum maioris campanae, omnes ad Capitulum devenerunt ubi sedentibus omnibus, requirente R. D. abbate de Altaripa Promotore pro negotio D. Camille ut addatur commissarius secundus a D. Patre Camille electus abbati de Berolla iam deputato pro componendo tali negotio, praesens Capitulum generale adhaerendo praedictae requisitioni statuit licitum esse D. Patri Camille sibi novum eligere commissarium qui cum R. D. abbate de Berolla litem in plenaria Ordinis potestate iudicabunt, et casu quo inter se non conveniant praedicti commissarii, sibi tertium assumere poterunt, qui cum ipsis in virtute eiusdem Ordinis potestate litem componant et dirimant.

140. Quantum ad officium s. Benedicti pro monasterio Salemitano, remittit Capitulum generale ad Rmum D. N. generalem ut de novo examinetur ab ipso.

141. Datur actus protestationis quae fuit inserta in actibus huiusce Capituli, salvis omnium iuribus.

142. His omnibus peractis terminatum est Capitulum generale die 18 praesentis mensis maii, matutinis horis, anno Domini 1768 de licentia illustrissimorum DD. Commissariorum in hocce praesentium et astantium Capitulo. — fr. Franciscus abbas generalis Cisterciensis ; fr. Claudius Gaspardus abbas de Firmitate ; fr. Nicolaus abbas Pontiniaci ; fr. Petrus abbas de Morimundo ; fr. Franciscus abbas de Claravalle ; fr. Paulus abbas de Bello becco ; fr. Ludovicus abbas de Fulcardimonte ; fr. Stanislaus abbas de S. Benedicto in Vepribus ; fr. Iosephus abbas de Chalocheio ; fr. Petrus abbas de Valcellis ; fr. Iosephus Sevin abbas de Freistorfio ; fr. Caietanus abbas de Osseco in Bohemia ; fr. Philippizuri abbas de Wellehradio in Moravia ; fr. Dorotheus abbas de Septem fontibus ; fr. Malachias abbas de Langhe-

mio in Franconia ; fr. Nicolaus abbas de S. Fide in Aragonia ; fr. de Leschaud abbas de Gratia Dei ; fr. Malachias abbas de Claroloco ; fr. Theodorus abbas de Trappa ; fr. Martinus abbas de S. Sulpitio ; fr. Xaverius abbas de Parisio ; fr. Petrus abbas de Petris ; fr. Augustinus abbas de Speciosa valle ; fr. Benedictus abbas de Pietate ; fr. Edmundus abbas de Valle dulci ; fr. Augustinus abbas de S. Urbano in Helvetia ; fr. Maurus abbas de Tennebacho in Brisgoia ; fr. Bernardus abbas de Altaripa ; fr. Constantinus abbas de Henrichovio in Silesia, ... Cirico in Hungaria ; fr. Augustinus abbas de Rauda ; fr. Nicolaus abbas de Marcilliaco ; fr. Franciscus Iosephus abbas de Novo Castro.

1771

De generali Capitulo huiusce anni, quod a die 1ª septembris usque ad 6ªm octobris celebratum fuit, multa scripta sunt, quae in hoc nostro volumine edere non possumus, utpote ad scopum nostrum fere nihil conferunt. Haec enim scripta potius sunt relationes seu narrationes, vel, ut aiunt, processus verbales de omnibus actitatis illis diebus, quam textus statutorum more antiquo sancitorum. Imprimis venit citandus textus *Constitutionum* qui, in hoc Capit. gen. animadversionibus patrum subiiciendus erat : *Codex statutorum et constitutionum Ord. Cist...* in Archivo nationali, Parisiis, sub signo F⁷, 4344, qui fuit impressus ann. 1775 sub titulo *Décrets délibérés...* Vide supra notata in *Serie fontium*, pg. XXV. — In eodem Archivo nationali, sub signo L, 747, nº 54 reperitur, *Procès verbal du chapitre général tenu en l'abbaye de Citeaux en* 1771, conscriptus a commissariis regiis. — Item, ibidem, nº 43 praecedentis processus aliquod epitome. — Item, ibidem, nº 49 : *Détail historique concernant le chapitre général de l'ordre de Cisteaux, tenu à Cisteaux le* 2 *septembre* 1771. — Item, ibidem. nº 154, A ; 155, B Litterae quatuor primorum abbatum patrum sub forma protestationis.

Quaedam alia typis edita sunt, nempe : *Arrêt du Conseil d'État du roi, concernant les délibérations du chapitre de l'ordre de Cîteaux, dont l'assemblée sera tenue au lieu et en la manière accoutumée, le* 2 *sepembre* 1771. *Du* 4 *avril* 1771. — *Arrêt du Conseil d'État du roi, concernant l'ordre de Cîteaux. Du* 19 *octobre* 1771. — *Mémoire à consulter sur les principaux chefs du régime de l'ordre de Cîteaux, où l'on discute les réponses fournies, de la part de M. l'abbé général, contre les observations faites, pour les quatre premiers Pères, sur les rédactions des statuts et constitutions de leur ordre,* Paris, impr. de Demonville, 1775, in-4º.

Aliunde vero conscripta fuerunt etiam a Capituli secretario vel secretariis : *Acta tempore Capituli generalis Cistercii, a die* 2 *septembris* 1771 *celebrati,* quorum exemplar habetur in pluribus monasteriis, v. g. Augiae Maioris. Insuper de hac materia legi possunt in periodico *Cistercienser-*

Chronik, t. X, ann. 1898, p. 114, 143, 173, quorumdam abbatum *litterae ad D. Ducem d'Aiguillon, ad Regem Christianissimum*, simul et *Relatio de opere sex dierum in Fontainebleau*, publicatae ex authenticis documentis in abbatia Stambiensi servatis.

Ex his omnibus, sive manuscriptis, sive iam editis, quae saepe inter se contradicunt, quid ad nostrum scopum ? Illas tantum partes depromere censuimus et infra imprimi curavimus, quae nomina Praelatorum aliorumque qui huic Capitulo interfuere nobis praebent, simul et materiam inibi tractandam, iuxta voluntatem et iussum Regis Christianissimi.

A) ORDINATIO CAPITULI GENERALIS (ex ms. abbatiae Augiae Maioris)

DIFFINITORES : Ill. D. P. generalis de **Cistercio**, RR. DD. abbates de Salemio, de Lubens, de Valcellis, de Pinu. — R. adm D. de **Firmitate**, RR. DD. de Bellobecco, de Trappa, de Populeto, de Hardhusen. — R. adm D. de **Pontigniaco**, RR. DD. abbates de Laude, de Claroloco, de Marcilliaco, de Pietate. — R. adm D. de **Claravalle**, RR. DD. abbates de Heisterbacho, de Castillione, de Precibus, de Petris. — R. adm D. de **Morimundo**, RR. DD. abbates de Escureio, de Parisio, de Freistorfio, de Gratia Dei.

CONFESSARII : RR. DD. abbates de Trappa, de Langhemio, de Populeto, de Maris stella ; D. prior de Directavalle, de Monte stellato, Cistercii, de Buzaio, de Bonavalle, de Eleemosina, de Igniaco, D. secretarius de Bohemia.

CONSULTORES : RR. DD. abbates de Lucella, de Caesarea, de S. Urbano, de Maris stella, de S. Corona, de Campo principum, de Zara, de Langhemio, de Grissovio, de S. Sulpitio, de Colomba, de Valle dulci, de Vernevillario.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : RR. DD. abbates de Claroloco, de Charmeia, de Stamedio, de Speciosa valle, de Derneburgo ; D. prior Cistercii, D. secretarius Bohemiae.

AUDITORES COMPUTATIONUM : RR. DD. abbates de Stamedio, de Columba, de Derneburgo, de Fontana ; D. prior de Gratia Dominae nostrae, D. prior de Bonavalle.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : RR. DD. abbates de Caesarea, de Maris stella, de Bildhusio, de Thennebacho, de Derneburgo, de Columba, de S. Sulpitio, de Valle dulci, de Fontana.

CONTRACTUUM EXAMINATORES : RR. DD. abbates de Lucella, de Caesarea, de Zara, de Langhemio, de Columba ; D. prior de Gratia Dominae nostrae.

NOTARII PRO DIFFINITORIO : RR. DD. abbates de Columba, de Monteforti.

PROMOTORES CAUSARUM : RR. DD. abbates de S. Benedicto, de Altaripa.

NOTARIUS CAPITULI : R. D. abbas de Benedona.

NOTARII AD PEDES : prior de Leula et loco infirmi P. Stadler D. prior de Mariae valle.

PORTARII DIFFINITORII : R. D. prior de Sernay, D. prior de Barzellis.

* * *

B) *Materia tractanda* (ex eodem codice ms)

Extractum epistolae 41 abbatum seu vocalium ad christianissimum Regem... Quod in generali, quod actu tenemus, Capitulo, de supradictis redactionibus (i. e. constitutionum pro ord. cisterc.) per omnia Capituli praedicti membra deliberatio fieret, praesente D. episcopo Sylvanectensi, quatinus approbatae per totum Capitulum generale deliberationes nostrae deferrentur Maiestati Vestrae, quae illas ad Summum Pontificem approbandas in competenti casu et confirmandas dirigere, atque postmodum litteris suis patentibus munire dignaretur et corroborare.

C) *Designatio personarum capitulo generali 1771 praesentium* (ex eodem codice ms. in fine)

Nota. Cifris notati stabant pro disciplina Ordinis et patre generali, reliqui cum primariis.

Ill. et Rmus D. Armandus Ioannes de Roquelaure, episcopus Sylvanectensis, Regis Christianissimi commissarius.

Ill. D. N. D. Amelot, ducatus Burgundiae intendens seu praefectus, similiter Regis commissarius.

1) Ill. et Rmus DD. Franciscus Trouvé, abbas generalis Cistercii, caput et superior totius Ordinis nostri.

a) R. adm Iosephus Canablin, abbas de Firmitate.
b) R. adm D. Nicolaus Chaulat, abbas de Pontigniaco.
c) R. adm Franciscus Le Blois, abbas de Claravalle.
d) R. adm D. Petrus Tirion, abbas de Morimundo.

RR. DD. Abbates exteri

2) R. D. Anselmus Schwab, de Salemio in Suevia.
3) R. D. Coelestimus Angelspurger, de Caesarea in Suevia.
4) R. D. Otho Logk, de Saara in Bohemia.
5) R. D. Godefridus Bilanski, de S. Corona in Bohemia.
6) R. D. Lucas Springer, de Luba in Silesia.
7) R. D. Placidus Mundfering, de Grissovia in Silesia.
8) R. D. Malachias Limmer, de Langhemio in Franconia.
9) R. D. Edmundus Martin, de Bildhusa.
10) R. D. Augustinus Brunquell, de Schoental.
11) R. D. Martinus Hazi, de Campo principum in Bavaria.
12) R. D. Gregorius Girardin, de Lucella in Alsatia, vicarius generalis.
13) R. D. Franciscus Speth, de Novo castro.
e) R. D. Bonifacius Bourst, de Parisio.
14) R. D. Maurus Berryer, de Porta coeli in Brisgoia.
15) R. D. Sebastianus Steinegger, de Maris stella in Helvetia.
16) R. D. Bernardus de Lenzbourg, de Altaripa in Helvetia.

17) R. D. Benedictus Pfiffer, de S. Urbano in Helvetai.
18) R. D. Bernardus Welcher, de Hardehusen in Westphalia.
19) R. D. Edmundus Sieden, de Derneburgo, in Inf. Saxonia.
f) R. D. Andreas Kruchen, de Heisterbacho in Tractu Rheni inf.
20) R. D. Ambrosius Hofmann, de Valle dusselana in Palat. inf.
21) R. D. Ioannes Beltri, de Populeto in Hispania, vicarius generalis.
22) R. D. Iosephus Roges, de Stamedio in Sabaudia.
g) R. D. Melchior Guronski, de Obra in Polonia.

RR. DD. abbates Galliae

23) R. D. Petrus Ruffin, de Valcellis in Flandria, vicarius generalis.
24) R. D. Ludovicus Rousseau, de Pinu in Pictavia, vicarius generalis.
25) R. D. Paulus D'Ortigues, de Bellobecco in Normannia.
26) R. D. Nicolaus de Servance, de Valle dulci in Campania.
27) R. D. Petrus de Bion, de Columba, in Pictavia, vicarius generalis.
28) R. D. Ioann. Martinus de Saint-Aurant, de S. Sulpitio in Beugesia, vic. generalis.
29) R. D. Simon Louvet, de Charmeia in Campania.
30) R. D. Stephanus Alliot, de S. Benedicto in Lotharingia.
h) R. D. Franciscus Le Breton, de Laudibus in Flandria gallica.
i) R. D. Theodorus Chambon, ex la Trappa in Perchio.
k) R. D. Alexius Tyrand, de Claromarisco in Artiria.
l) R. D. Iosephus Boisset, de Castellione in Verdunia.
m) R. D. Iacobus Mignot, de Petris in Burbonia.
n) R. D. Renatus Leschaud, de Gratia Dei Bisuntinensi.
o) R. D. Petrus de Meaux, de Precibus in Britannia.
p) R. D. Mauritius Prieur, de Marcilliaco in Burgundia.
q) R. D. Benedictus D'Artois, de Pietate in Campania.
r) R. D. Philippus de Chaisron, de Barberio in Normannia.
s) R. D. Georgius Habourg de Claroloco in Lotharingia.
t) R. D. Claudius Suchet de Ecureio.
u) R. D. Iosephus Conteaut, de Chalocheio in Andegavia.
w) R. D. Remigius de Turique, de Freisdorfio in Lotharingia.
x) R. D. [Sevin] resignatus de Freisdorfio.

RR. DD. Abbates in partibus

31) R. D. Eustachius Gruszeski de Mariae valle, de Claratumba Cracoviae in Polonia.
32) R. D. Nicolaus Windel, de Vernevillario in Bipontino.
33) R. D. Odo Godart, de Monte forti in Anglia, procur. gener. Romae.
34) R. D. Alexander De l'Espine, de Fontanis in Anglia.
35) R. D. Petrus Chaiget, de Benedona in Anglia.
36) R. D. Ioann. Baptista Mirandot, de Geriponte in Hibernia.

Priores titulares vocales.

37) D. Claudius Fontenet, de Directa valle in Lotharingia.
y) D. Petrus Morat, de Montarlot in comitatu Burgundiae.

38) D. Stephanus de Moyria, de Gratia Dominae nostrae in Campania, vicar. gener.

39) D. Alexander Denize, de Leula in comitatu Ruscinonensi.

z) D. Iosephus Désir, de Bella aqua in Campania.

40) D. Ludovicus Philibert, de Mazuris in Campania.

D. Renatus Gritlot, de Roseriis.

Priores et vicarii generales non tamen vocales in Capitulo generali.

D. Petrus Bellegrin, provisor coll. de Tolosa.

D. Ambrosius Maubert, de Campis bonis in Alvernia.

D. Antonius Leclerc, de Eleemosina seu Parvo Cistercio in Turon. provincia.

D. Petrus Le Loup, de Buzaio in Britannia.

D. Yvo Saulier, de Begardo in Britannia reform.

D. Bernardus de la Blanche, de Barzellis in Britannia.

D. Ludovicus du Solier, de Sinaqua in provinc. Provinciae.

D. Iacobus Vautier, de Igniaco in Campania.

D. Claudius Tavernier, prior de Insula in Lotharingia.

DD. secretarii illustrissimi D. P. generalis Cistercii.

D. Alexander Denize, vid. nº 39, vicar. gener. in Campania, et loco D. Alphonsi Stadler infirmi D. Hippolytus Dreux, prior de Valle magna, professus Novi castri.

DD. secretarii RR. DD. abbatum.

D. Franciscus Michel, de Firmitate. — D. Iosephus Rifflart, de Pontigniaco. — D. Renatus Gritlot, de Claravalle. — D. Ludovicus Guérin, de Morimundo. — D. Ludovicus Gritlei, de S. Sulpitio. — D. Apollinaris Eustacho, de Valcellis. — D. Ludovicus Quinquerc, de Lucella. — D. Eberhardus Schneider, de Salemio. — D. Simon Rimelle, de Caesarea. — D. Dionysius Rolter, de Langhemio.— D. Maximilianus Schoenberg, de Campo principum. — D. Dionysius Duvez, de Dusselana valle. — D. Franciscus Novel, de Populeto. — D. Angelus Stahl, de Speciosa valle. — D. Felix Gos, de Novo castro. — D. Godefridus Wimmer, de S. Corona. — D. Clemens Frimmel, de Grissovia. — D. Ioannes Kugler, de Luba. — D. Iacobus Strasfeld, de Derneburgo. — D. Abdreas Stellingwerft, de Hardehusio. — D. Petrus Lederle, de Bildhusa. — D. Ioannes Baptista Bischon, de Stamedio. — D. Mauritius Balthasar, de S. Urbano. — D. Iosephus Widerkerl ,de Maris stella. — D. Franciscus Salesius Boison, de Porta cœli seu Tennebacho. — D. Mauritius Elbel, de Osseco, secret. provinc. Bohemiae. — D. Otho Steinbach, de Zaara, necdum sacerdos, aet. 22. — D. Ambosius Iansen, de Heisterbacho.

N. B. Numerus praescriptorum de S. Ordine nostro RR. DD. abbatum, priorum et secretariorum, non computato vener. conventu archicoenobii Cistercii, in summam ascendit 104. De his erant vocales, seu vocem seu suffragium in Capitulo generali habentes 65, non vocales vero 39.

D) Procès verbal du chapitre général tenu en l'abbaye de Citeaux en 1771

(ex Archivo nationali, Parisiis, L. 747, nº 54; hic tria prima folia tantum lectori praebemus).

L'an mil sept cent soixante et onze, le dimanche premier septembre, nous Jean-Armand de Roquelaure, évêque de Senlis, premier aumônier du roi et conseiller d'État ordinaire, et Antoine-Jean Amelot de Chaillou, conseiller du Roi en ses conseils, maître des requêtes ordinaire de son hôtel, intendant de justice, police et finance, et commissaire départi pour l'exécution des ordres de Sa Majesté dans les provinces de Bourgogne, Bresse, Buget et Gex; en vertu des ordres du Roi à nous adressés le dix neuf août dernier, pour assister en qualité de commissaires de Sa Majesté, au chapitre général de l'ordre de Cîteaux, convoqué en l'abbaye de Cîteaux, conformément à l'arrêt du Conseil du quatre avril dernier, ayant avec nous pour secrétaires Maître Guillaume-François Bertou, prêtre, chanoine de l'église cathédrale de Senlis, et le Sieur Louis Robinet, avocat en Parlement, premier secrétaire de l'Intendance de Bourgogne, lesquels ont fait serment en nos mains de tenir secrètes les délibérations du chapitre général, nous nous sommes rendus en laditte abbaye de Cîteaux, où étant arrivés vers les quatre heures du soir, nous avons été reçus par les prieur et religieux composant la communauté de Cîteaux, lesquels nous attendoient à la porte de l'église, et y étant entrés, nous avons été conduits dans le chœur, nous y avons fait notre prière, chacun sur un prie-Dieu garni de tapis et de carreaux préparés à cet effet. Nous nous sommes ensuite rendus dans notre appartement suivi du prieur et de plusieurs religieux de la communauté. Quelque temps après, monsieur l'Abbé général de Cîteaux suivi immédiatement des quatre premiers pères de l'ordre de Cîteaux, et des autres membres du chapitre sont arrivés de Dijon, où suivant l'usage ils s'étoient rassemblés. Ils se sont d'abord rendus à l'église, et ensuite M. l'Abbé de Cîteaux, les quatre premiers pères et plusieurs autres abbés sont venus, en habit de chœur nous faire visite dans notre appartement, et du tout nous avons dressé notre présent Procès-verbal, que nous avons signé avec nos secrétaires. — Ainsi signé: Jean-Armand, évêque de Senlis; Amelot; l'abbé Bertou et Robinet.

* * *

Le lundi deuxième septembre au dit an, à six heures du matin, nous évêque de Senlis en rochet et camail, et nous Intendant en robe et cravate, nous nous sommes rendus en l'église de laditte abbaye, et après y avoir entendu la messe du Saint-Esprit célébrée pontificalement par

M. l'abbé de Morimond, l'un des quatre premiers pères, nous avons été conduits dans la salle capitulaire où nous avons trouvé assemblés Dom Trouvé abbé général de l'ordre de Cîteaux, Dom Canablin abbé de la Ferté, Dom Chaulate abbé de Pontigny, Dom Le Bloy abbé de Clairvaux, Dom Thirion abbé de Morimund, Dom Lenzbourg, abbé d'Hauterive en Suisse, Dom Pfiffer abbé de Saint-Urbain en Suisse, Dom Steinegger abbé de Wettingen en Suisse, Dom Angelspurger abbé de Césarée en Souabe, Dom Rogés abbé de Tamié en Savoye, Dom Springer abbé de Luba en Silésie, Dom Schwab abbé de Salem en Souabe, Dom Sieden abbé d'Erneburg en Basse Saxe, Dom Brunquell abbé de Schontal en Franconie, Dom Welcher abbé d'Hardusen en Basse Saxe, Dom Limmer abbé de Langheim en Franconie, Dom Martin abbé de Bildhusen en Franconie, Dom Ofman abbé d'Ussertal dans le Palatinat, Dom Beltri abbé de Poblet en Espagne, Dom Lock abbé de Zara en Bohême, Dom Hasi abbé de Furstenfeld en Bavière, Dom Kruchen abbé d'Heisterbach en Westphalie, Dom Guronski abbé d'Obra en Pologne, Dom Girardin abbé de Lucelle en Alsace, Dom Berryer abbé de Tennenbach en Brisgaw, Dom Mundfering abbé de Grissau en Silésie, Dom Speth abbé de Neubourg en Alsace, Dom Rousseau abbé du Pin, Dom de Saint-Aurant abbé de Saint-Sulpice, Dom Alliot abbé de Saint-Benoît, Dom Bion abbé de la Colombe, Dom Ruffin abbé de Vauxelles, Dom D'Ortigues abbé de Beaubec, Dom Servans abbé de Vaux-la-Douce, Dom Louvet abbé de la Charmoye, Dom Mignot abbé des Pierres, Dom Prieur abbé de Marcilly, Dom D'Artois abbé de la Piété, Dom Bourst abbé de Pairis, Dom Le Breton abbé de Los, Dom Tyran abbé de Clairmarais, Dom Chaisron abbé de Barbery, Dom Chambon abbé de la Trappe, Dom Contaud abbé de Chaloché, Dom de Meaux abbé de Prières, Dom Boisset abbé de Châtillon, Dom de Leschaud abbé de la Grâce Dieu, Dom Habourg abbé de Clairlieu, Dom Suchet abbé d'Escurey, Dom de Turique abbé de Freistorff, Dom Sevin ancien abbé de Freistorff, Dom Mirandot abbé de Jériponte, Dom Windel abbé de Wernainvillers, Dom Delespine abbé de Fontaines, Dom Chaiget abbé de Bénédonne, Dom Godart abbé de Montfort, Dom Gruszeski abbé de Sainte-Marie en Prusse, lesquels six derniers abbés sont abbés *in partibus*. Dom Morat prieur titulaire de Montarlot, Dom Journerat (?) prieur titulaire de Belleau, Dom de Fontenet prieur titulaire de Droiteval, Dom de Moria prieur titulaire de la Grâce Notre-Dame, Dom Philibert prieur des Mazures, Dom Denize prieur titulaire de Leule et Dom Dreux prieur de Vallemagne, ces deux derniers secrétaires de M. l'abbé de Cîteaux, connus dans l'ordre sous le nom de *Notarii ad pedes* ; et en outre les prieur, religieux profès et novices composant la communauté de Cîteaux. Nous avons fait remettre par M. l'abbé Bertou à M. l'abbé de Cîteaux la lettre du Roi portant

notification de notre présente commission en date du dix neuf août dernier, et adressée aux *Abbés, Prieurs et Religieux qui doivent composer le chapitre général de l'ordre de Cîteaux*, de laquelle lecture a été faite par un des secrétaires de M. l'abbé de Cîteaux. Nous avons également fait lire par nos secrétaires les lettres du Roi du dix neuf août dernier, en vertu desquelles nous procédons. Ensuite nous, évêque de Senlis, avons prononcé un discours dans lequel après avoir assuré les membres du chapitre des bontés et de la protection du Roi, nous les avons invités à s'en rendre dignes en n'apportant dans leurs délibérations que des vues pacifiques et tendantes au plus grand avantage de l'ordre. M. l'abbé de Cîteaux nous a répondu que son ordre et lui espéroient mériter que Sa Majesté daignat leur continuer sa protection. Il a lu un discours latin adressé aux abbés, prieurs et religieux qui étoient présens. Il a fait lire un *Bref* de notre saint Père le Pape, ainsi que des lettres de l'Impératrice reine de Hongrie et de Sa Majesté prussienne au sujet des abbés de leurs États qui se trouvent au présent chapitre. Un religieux de la communauté de Cîteaux s'est avancé pour lire, suivant l'usage, la *Charte de charité* et la bulle appelée *Clémentine*. Mais nous avons cru devoir suspendre cette lecture, et prévenir M. l'abbé de Cîteaux de faire retirer de l'assemblée tous ceux qui n'étoient pas membres du chapitre. Eux retirés et ne restant dans l'assemblée que les abbés, les prieurs titulaires et les deux secrétaires ou Notaires *ad pedes* ci-dessus dénommés, nous avons fait faire par le Sieur Robinet la lecture des deux arrêts du Conseil du sept avril mil sept cent soixante et dix, et quatre avril mil sept cent soixante et onze, desquels les expéditions originales demeureront annexées au présent procès-verbal. Nous avons ordonné l'enregistrement des deux arrêts sur les registres du chapitre. Nous avons fait remettre à l'un des Notaires *ad pedes*, le cahier de la nouvelle rédaction des Constitutions, et afin que tous les membres du chapitre en ayant une première connoissance qui les mette en état d'y réfléchir, et de donner plus sûrement leur avis, lorsque nous serons dans le cas de le leur demander, nous avons cru devoir ordonner la lecture de laditte rédaction. Cette lecture a été commencée et continuée jusqu'à la section 5e de la première partie ; après quoi la séance ayant été levée, nous nous sommes retirés, et du tout nous avons dressé le présent procès-verbal que nous avons signés avec nos secrétaires. Ainsi signé : Jean-Armand évêque de Senlis ; Amelot ; l'abbé Bertou et Robinet.

Le dit jour deux septembre au dit an, sur les trois heures après midi, nous nous sommes rendus au chapitre, où la lecture de la nouvelle rédaction des Constitutions a été continuée jusqu'au paragraphe 5 de l'article 4 de la deuxième partie ; après quoi la séance a été levée, et nous avons du tout dressé le présent procès verbal, que nous avons signé avec nos secrétaires. — Ainsi signé... *etc. etc. etc.*

1783

De Capitulo generali hoc anno apud Cistercium celebrato, plura documenta iam edita fuerunt a D. Hugone Séjalon in libro cui titulus *Nomasticon Cisterciense*... Solesmis, 1892. Haec omnia iterum hic inserere nobis videtur superfluum. Illorum documentorum titulos tantum statim citamus.

* * *

I ARRÊT DU CONSEIL D'ÉTAT DU ROY
contenant règlement por la rédaction des Constitutions de l'Ordre de Cîteaux. pg. 677-699.

II. MÉMOIRE DU ROY
pour servir d'instruction aux Sieurs de la Michodière, Abbé de Radonvilliers, et Vidaud de la Tour, Conseillers d'État ; Tolozan, Maître des Requêtes et Intendant du Commerce ; et Feydeau de Brou, aussi Maître des Requêtes et Intendant de Justice, Police et Finances, lesquels assisteront au nom de Sa Majesté au Chapitre général de l'Ordre de Cîteaux, le 9 du mois de septembre prochain. pg. 700-704.

III. Pièces annexées au Procès-verbal par les Commissaires du Roi du Chapitre général de 1783, tenu en vertu de l'arrêt précédent, contenant des représentations faites au Roi par divers membres du Chapitre, au sujet de plusieurs articles du même arrêt, par lesquels ils s'estimaient lésés dans leurs droits, pg. 704-726.

1784

ACTA CAPITULI INTERMEDII

quod anno Domini 1784, diebus 15 et sequentibus mensis novembris Cistercii celebratum est.

SESSIO PRIMA

1. Die decima quinta mensis novembris hora sesqui octava matutina, a Reverendissimo D. N. abbate Cistercii, totius Ordinis generalis, condicta,

1784. *Fons* : *J*[4] ; edit. ex alio ms in *Cist. Chronik*, t. XXXVI (1924), pg. 211.

idem Rmus D. et Rdi admodum primarii Ordinis patres domini abbates Firmitatis, Claraevallis et Morimundi (absentibus, aegrotationis causa, Rdo adm D. abbate Pontiniaci, ex iisdem quatuor primariis Ordinis uno, nonnullisque visitatoribus tum abbatibus, tum prioribus qui litteras excusationum miserunt), cum Rdis dominis abbatibus Vallis clarae, Marcilliaci, Escurei, Castellionis, Columbae et Pinus, necnon venerabilibus prioribus visitatoribus in aede sacra privatae missae interfuerunt.

2. Peracto sacro, Rmus D. N., tres Rdi adm domini primarii patres, ceterique Rdi abbates supradicti suffragii ius habentes, capitulum minus sessionibus destinatum subierunt, ubi post solitas preces, breviter peroravit Rmus D. N. de consensu animorum et amore boni quod in religioso coetu maxime deliberationum finis esse debet.

3. Inde cum Rmus D. N. petiisset ut Capitulo ederentur rationes visitationum ab ultimo Capitulo generali peractarum, Rdus D. abbas Castellionis statum reposuit monasteriorum strictioris observantiae in provinciis Campaniae et Lotharingiae ; qua relatione laudata et approbata sessioni finem fecit Rmus D. N.

SESSIO SECUNDA

4. Eadem die, hora post meridiem quarta, omnibus in eodem loco congregatis, a Rmo D. N. interrogatus Rdus abbas Castellionis numquid proponendum habuit, surrexit ac dixit plurimi Ordinem nostrum interesse ferri decretum quo superiores cuncti cogantur candidatos admittere donec compleatur monachorum numerus, iuxta cuiusque monasterii facultates.

5. Habita deliberatione, una voce statutum est patres immediatos, vicariosque generales omnibus et singulis, nemine excepto, monasteriorum superioribus edicturos, ut nulla interposita mora idoneos quot eis desunt monachi novitios excipiant, habita facultatum ratione ; adeoque qui superiores praesenti decreto parere distulerint aut renuerint, ad id via iuris compellantur, sive a patribus immediatis, sive a visitatoribus, quorum erit huiusce decreti exemplar ad eos transmittere. Tunc Rdus abbas Vallis clarae rationem orsus est visitationum quas egit in monasteriis S. O. per Insulam Franciae et Picardiam. Ex cuius animadversionibus, re mature ponderata, statutum est ut superiores maiores et visitatores diligenter ac strenue caveant ne quid in capillis aut vestitu, monachi affectent quod novitatem vel mundanum quid arguat, sed habitu toto simplices ac modesti tonsura semper apparente, in omnibus et super omnia statutis Ordinis debitum praestent obsequium. Peractam deinde eiusdem abbatis relationem Capitulum laudavit, probavitque. Suam continuo Rdus abbas Escurei edidit pro monasteriis observantiae communis in Insula Franciae, qua laudata pariter et approbata, finem habuit sessio.

SESSIO TERTIA

6. Die decima sexta statim a missa conventus, circa horam nonam matutinam convenerunt omnes praeter Rdum adm D. abbatem Firmitatis adversa valetudine praepeditum. Cumque Rdus abbas Marcilliaci de statu

retulisset monasteriorum suae provinciae, necnon reverendorum abbatum Columbae et Pinus quorum quisque pariter visitationis suae rationem edidit, in obeundis muniis diligentiam Rmus D. N., Capituli nomine, laudavit. Porrecti deinde in medium libelli supplices variorum conventuum, dilatoque ad aliud tempus petitionum examine, sessionem clausit Rmus D. N.

SESSIO QUARTA

7. Hora eiusdem diei circiter sesqui quarta postmeridiana, postquam omnes, excepto Rdo adm abbate Firmitatis ob eamdem causam absente, convenerunt, vocatus adfuit venerabilis dominus Courtin, prior Voti et in provincia Normanniae pro C. O. visitator, qui quidem edita suarum visitationum relatione, meritis laudibus, Capituli nomine, Rmo D. N. cumulatus abiit.

8. Ad petitionem eiusdem Rmi D. N., an Rdorum abbatum aliquis proponere quaedam vellet, Rdus abbas Castellionis paucis exposuit factam in ultimo generali Capitulo subsidiorum distributionem legitimis conquestionibus ansam dedisse utpote minus aequam ; non abs re fore ut Capitulum praesens aliquos delegaret qui novam et aequiorem conficerent. Collectis hac de re suffragiis, Rmus D. N. declaravit eamdem omnium mentem esse, proposuitque ad id opus exsequendum Rdos abbates Vallis clarae et Castellionis. Annuens Capitulum eis praecipit ut quantocius commisso muneri vacarent, adeoque traderentur ipsis declarationes rerum cuiusque monasterii ultimo generali Capitulo prolatae, necnon subsidii totius nota quarum ope ordinatam a se distributionem Rmo D. N. mitterent, ut ab eo visitatorum quisque schedam accipiat subsidii particularis ab unoquoque suae provinciae monasterio exigendi.

9. Tum Rdus idem abbas Castellionis Capitulo deliberandum proposuit de utriusque Observantiae in unam coalitione procuranda, quam in ultimo generali Capitulo astantibus ibidem S. O. Rdis abbatibus iam proposuerunt amplissimi Christianissimae Majestatis delegati, rogavitque ut sibi, reverendoque abbati Vallis clarae liceret in manibus Rmi D. N. deponere quae confecerant instrumenta, unde patet monasteria suae provinciae huic coalitioni adhaerere, qui quidem Rmus D. N. pro sua solita prudentia mediis opportunioribus rem optatam promoveat et de benigno Christianissimi Regis assensu, a Sanctissimo D. N. Papa apostolicum diploma talis unionis flagitet in proximo generali Capitulo promulgandum, eiusque tabulis inscribendum. Annuit Capitulum, Rmoque D. N. credita suis manibus instrumenta libenter accipienti, votisque communibus morem gerenti, supplicavit ut a ceteris S.O. visitatoribus quamprimum reposceret instrumenta quibus aliorum monasteriorum optatae unioni constat adhaesio, omni deinde studio rem prosecuturum, unde prisca renascatur Ordinis Cisterciensis unitas.

10. Statim Rdi abbates Columbae et Pinus declaraverunt se suosque conventus toto corde huic unioni consensum dare ; nec ultra sessio processit.

SESSIO QUINTA

11. Mane diei decimae septimae, absoluta missa conventuali, circa nonam horam, Capitulum omnibus ingressis, praeter Rdum adm D. abbatem Firmitatis adhuc impeditum, recitata sunt acta hucusque in praesenti Capitulo, nulloque reclamante, comprobata.

12. Lecti deinde supplices libelli variorum monasteriorum nomine, a vicariis generalibus porrecti, videlicet priorum et conventuum Regalismontis, Barbellorum, Vallis lucentis, Rupium, Sancti Andreae in Gofferno, ac S. Benedicti in Vepribus petentium ut sibi liceat a sanctiore Regis consilio flagitare copiam caedendi vel iugeres aliquos quartae silvarum non caeduarum partis reservatae, vel totam eamdem.

13. Item prioris et conventus Mortui maris facultatem petentium ad annos viginti novem locandi aedificia villae vulgo dictae Bessuel, in parochia Mortui maris, et ex abbatiali mensa pendentia. Quibus libellis, perpensa earum causa, pecuniarumque legitima destinatione, cum accedat patrum immediatorum consensus, de vicariorum generalium consilio, Capitulum annuit.

14. Libellos vero duos quorum altero prior et conventus Palatii licentiam mille libras mutuo sumendi, altero prior et conventus Sancti Benedicti in Vepribus octoginta millium librarum mutuationem rogant, ac RR. adm dominorum abbatum Pontiniaci Morimundique patrum immediatorum iudicio stare censuit Capitulum.

15. Referente postea R. adm abbate Claraevallis, R. dominum abbatissam et conventum Reclinatorii de sua filiatione optare sibi copiam fieri centum mille libras mutuo sumendi ad novam dormitorii exstructionem, quam cum ipse R. adm abbas, ex relatione Rdi abbatis Valcellarum in Belgio gallico vicarii generalis, necessarium ducat, Capitulum generale permisit Rdae abbatissae eiusque conventui, mandans ut legibus regni alias sese conformare non omittant.

16. Cum autem R. adm abbas Claraevallis Capitulo exposuisset Rdum abbatem Stamedii, per Sabaudiam vicarium generalem, austera nimis et strictiori quam profitetur observantia proxima in chartis visitationum praecipere, unde plurimae huius provinciae communis observantiae monasteriorum conquaestiones editae sunt, eiusdem Rdi abbatis Stamediensis mentem esse sibi prout vicario generali competere ius monachos e monasterio in aliud transferendi, necnon aliquem delegandi cui vicariatus sui partes committeret; re mature ponderata, decretum est Rmo D. N. supplicandum ut Rdum abbatem Stamedii litteris moneat, ne communis observantiae legitimis usibus adversas inter visitandum edictiones edat, nec monachos unquam e monasteriis transferat, nisi cum urget necessitas, quo quidem in casu, eiusmodi translationes ad tempus tantum valent, donec accedat mandatum patris immediati, cui liberum est monachos vel in domibus a vicario generali designatis relinquere, vel ad alias quascumque transferre, revocet insuper in eiusdem Rdi abbatis memoriam vicarios generales nemini suas vices posse committere. Id muneris in se suscipienti Rmo D. N. grates maximas Capitulum rependit.

SESSIO SEXTA

17. Eiusdem diei hora quarta vespertina, solitum locum adierunt omnes, adhuc absente Rdo adm D. abbate Firmitatis, nondum valetudine accepta. Recitata continuo, id poscente Rmo D. N., acta praesentis Capituli omnium suffragiis comprobata sunt; sic finita est sessio.

SESSIO SEPTIMA

18. Die decima octava a sessione matutina cessatum est, ut tempus daretur conficiendo indici expensarum praesentis Capituli. Hora vero secunda vespertina, congregatis omnibus, cum adesset Rdus adm D. abbas Firmitatis, Rmus D. N. acta denuo recitari iussit quibus omnes iterum adhaeserunt, necnon prolato indici expensarum praesentis Capituli ad quinque millia supra septingenta quadraginta duas libras, cuius quidem summae accessionem fieri statutum est ad novam subsidiorum distributionem.

19. Tunc Rmus idem D. N. quaesivit an aliquid ab aliquo proponendum maneret, cunctisque nihil superesse asserentibus, conclusum est Capitulum, cuius actis omnes subscripserunt anno, mense et diebus supradictis.

1786

A) INDICTIO CAPITULI GENERALIS

Nos, frater Franciscus Trouvé, abbas Cistercii, *etc. ut in aliis Indictionibus*, Salutem, spiritumque sapientiae et intellectus.

Ineffabili Summi Dei Providentia, per universas Europae partes, regnante — et utinam regnatura de die in diem — optatissima ac felicissima pace, paternae sollicitudinis nostrae praecipuum semper erit invigilare omnibus quae Ordini nostro Cisterciensi, tam in capite quam in membris, proficere possunt, nihil ad hoc utilius nobis videtur quam frequens Capitulorum nostrorum generalium convocatio.

Quapropter, ut ad maiorem Dei gloriam, Beatissimae semper Virginis Deiparae honorem, animarum salutem, sacri Ordinis nostri incrementum, utilitatemque publicam omnia cedant, Capitulum generale anno currente millesimo septingentesimo octogesimo sexto, die octava Maii, quae incidit in feriam secundam Dominicae tertiae post Pascha, in nostro Cistercii archicoenobio, unicuique vestrum, tenore praesentium

1786. *Fons. Aq.*

paterna nostra generali, seu totius Ordinis plenaria auctoritate, celebrandum indicimus, ordinamus, ac decernimus ; in quo Capitulo, antiquorum patrum nostrorum more, eorumque zelo pacis, pariter unionis, concordiae, charitatis et prudentiae succensi et animati, de agendis, statuendis et ordinandis Ordinis nostri negotiis, iuxta regulares constitutiones nostras, vobiscum tractare proponimus ac deliberare.

Vos itaque omnes et singulos, paterno affectu, hortamur, ut officii vestri, fideique nobis et Ordini praestitae memores, amotis quibuslibet obstaculis, adesse studeatis, districte praecipientes in virtute salutaris obedientiae nobis debitae, quatinus legitimo cessante impedimento nobis et Capitulo generali intimando, religioso simul et decente instructi comitatu a nostris praefixo statutis, Cistercium, ad Capitulum generale, intra praedictam diem, ibidem celebrandum conveniatis, ut ea ipsa die mane primam nostram sessionem tenere valeamus.

Iniungimus autem singulis patribus immediatis et vicariis generalibus ac commissariis a nobis deputandis, ut monasteriorum utriusque sexus ipsis immediate subiectorum, eorumque visitationi concreditorum, statum tum spiritualem tum temporalem trutinent et expendant, eumque a superioribus localibus subsignatum exigant et excipiant, Capitulum nostrum generale desuper informaturi.

Ordinamus demum, ut singulis utriusque sexus monasteriis, praedicta die octava et sequentibus, quibus idem Capitulum celebrabitur, missae votivae de Spiritu Sancto, ut moris est, dicantur ; et pia Deo vota, tam privata quam publica, offerantur, ut divina nos omnes in Dei nomine tunc congregatos gratia praeveniet et adiuvet, in statuendis iis quae et Altissimo placita fuerint, simul et universo Ordini nostro salutaria.

Cum autem harum praesentium originale ad singulos deferri et transmitti nequeat, volumus ut eius transumptis et impressis, ab aliquo reverendorum Congregationum praesidum, et vicariorum generalium vel a procuratore nostro generali in Urbe, aut ab alterutro secretariorum nostrorum subscriptis, et nostro eorumve sigillo munitis, eadem fides, quae ipsarum originali, adhibeatur.

Datum in archicoenobio nostro Cisterciensi, sub nostro, secretariorumque nostrorum signo manuali, et maioris contrasigilli impressione, anno Domini millesimo septingentesimo octogesimo sexto, die vero quarta mensis Ianuarii.

Sic signatum : F. Franciscus, abbas generalis Cisterciensis.

Contrasignatum : F. Petrus Antonius Chaiget, secretarius.

F. Leodegarius Gilly, secretarius.

Locus sigilli.

B) Ordinatio capituli

Diffinitores : Rmus D. N. abbas generalis, s. th. d. ; Rdus adm D. abbas de Firmitate ; Rdus adm D. abbas de Claravalle, s. th. d. ; Rdus adm D. abbas de Morimundo ; R. D. abbas de Valleclara ; R. D. de Sancto Sulpitio ; R. D. de Fulcardimonte ; R. D. de Castillione ; R. D. de Alna ; R. D. de Stamedio ; R. D. de Petris ; R. D. de Pietate ; R. D. de Valle dulci ; R. D. de Caritate ; R. D. de Claroloco ; R. D. de Belloprato ; R. D. de Freistorf ; R. D. de Ecureyo ; R. D. de Marsilliaco ; R. D. de Pinu ; R. D. de Portagloni ; R. D. de Valcellis ; R. D. de Grossobosco ; R. D. de Riveto.

Confessarii : R. D. abbas de Valleclara ; R. D. abbas de Castillione ; R. D. abbas de Stamedio ; D. prior de Cistercio ; D. provisor collegii S. Bernardi Parisiensis ; D. prior de Campisbonis.

Consultores : R. D. abbas de S. Sulpitio ; R. D. abbas de Grossobosco ; R. D. abbas de Alna ; R. D. abbas de Pietate ; R. D. abbas de Ecureyo ; R. D. abbas de Valcellis ; R. D. abbas de Valledulci ; D. prior de Campisbonis ; D. provisor collegii S. Bernardi Parisiensis.

Magistri caeremonarium : R. D. abbas de Stamedio ; R. D. abbas de S. Sulpitio ; D. prior Cistercii ; D. prior de Campisbonis ; D. provisor collegii S. Bernardi Parisiensis.

Auditores computationum : R. D. abbas de Petris ; R. D. abbas de Valle dulci ; R. D. abbas de Valleclara ; D. prior de Campisbonis ; D. prior de Reliquiis ; D. cellerarius Cistercii ; D. procurator collegii S. Bernardi Parisiensis ; D. Dolard, secretarius R. D. abbatis de Claravalle.

Contractuum examinatores : R. D. abbas de Valcellis ; R. D. abbas de Ecureyo ; R. D. abbas de Grossobosco ; R. D. abbas de Portagloni ; R. D. abbas de S. Sulpitio ; D. prior Cistercii ; D. provisor collegii S. Bernardi Parisiensis ; D. prior de Monte Stellato.

Receptores excusationum : R. D. abbas de Valleclara ; R. D. abbas de Castillione ; R. D. abbas de Portagloni ; R. D. abbas de Ecureyo ; R. D. abbas de Grossobosco ; D. prior de Gaudio ; D. prior de Leula ; D. prior de Bella Aqua ; D. prior de S. Lazaro.

Notarius capituli generalis : R. D. abbas de Castillione.

Notarii diffinitorii : R. D. abbas de Valcellis ; R. D. abbas de S. Sulpitio.

Promotores causarum : R. D. abbas de Portagloni ; R. D. abbas de Grossobosco.

Notarii ad pedes : D. de Saint-Paul, secret. Rmi D. N., D. Gilly, secret. Rmi D. N. pro extraneis.

Portarii : D. prior de Reliquiis ; D. Combette, secret. Rdi adm D. abbatis Morimundi.

* * *

C) ORATIONES

Pro Sanctissimo Domino Nostro Pio VI Summo Pontifice.

Pro Eminentissimis Ecclesiae Cardinalibus, et maxime pro Eminentissimo domino Cardinali sacri Ordinis nostri Protectore.

Pro Illmis et Rmis in Christo Patribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis ac pro Rmo D. N. ceterisque admodum Rdis D. Abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, sacerdotibus, clericis et omnibus personis ecclesiasticis, dicantur tres missae, una de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Sanctissima Maria Virgine, a singulis sacerdotibus Ordinis universi.

Pro Serenissimo et Augustissimo Romanorum Imperatore Iosepho II.

Pro Serenissimo D. D. Ludovico XVI, Galliarum et Navarrae Rege Christianissimo.

Pro Augustissima Regina nostra.

Pro Serenissimo Delphino nostro et pretiosissima stirpe regia.

Pro Catholico Hispaniarum Rege.

Pro Poloniarum Rege Orthodoxo.

Pro Serenissimo Rege Sardiniae, necnon Sabaudiae Duce.

Pro nobilissima stirpe Illmorum Ducum Burgundiae, inclytae matris nostrae Cistercii praecipuorum fundatorum.

Et generaliter pro omnibus aliis Regibus, Reginis, rebusque publicis, in quorum ditionibus altaria nostra felicissime sunt posita, dicantur tres missae, una de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Sanctissima Virgine, a singulis sacerdotibus universi Ordinis.

Duas has partes (A /B /) tantum depromere possumus in libro cui titulus *Nomasticon Cisterciense* ... Solesmis, 1892, in quo D. Hugo Séjalon publicavit ex ms Aquabellae, pp. 614-647 *Acta capituli generalis S. O. cisterciensis, quod Cistercii celebratum est anno Domini 1786, die octava mensis maii et sequentibus.*

Quae Acta subsignata sunt ut sequitur : F. Franciscus, abbas generalis Cisterciensis ; F. Ant. L., abbas de Firmitate ; F. Ludovicus abbas Claraevallis ; F. Antonius abbas Morimundi ; F. Habourg abbas de Claroloco ; F. Bricard de Valleclara abbas, vicarius ; etc.

* * *

In eadem sua editione D. Séjalon addidit insuper :

D) Mémoire du roi pour servir d'instruction particulière aux Sieurs Vidaud de la Tour, Conseiller d'État, et Amelot de Chaillou, Maître des Requêtes ordinaire de l'Hôtel de sa Majesté, et Intendant de Jus-

tice, Police et Finances en sa province de Bourgogne, lesquels assisteront au chapitre général de l'ordre de Citeaux. pg. 727-729.

E) Procès-Verbal du chapitre général de Citeaux tenu en 1786 *subsignatum :* Vidaud, Amelot et Dutertre de Veteuil pg. 729 757.

F) Suit la teneur des représentations faites au Roy et à nos Seigneurs de son Conseil par les abbés premiers Pères et les abbés et prieurs de l'Ordre de Cîteaux qui ont assisté au Chapitre, *subsignatum :* Fr. Ant. Louis, l'un des premiers Pères de l'Ordre abbé de la Ferté ; fr. L. M. Rocourt, abbé de Clairvaux, l'un des premiers Pères de l'Ordre ; fr. Antoine, abbé de Morimond, l'un des premiers Pères de l'Ordre ; fr. H. abbé de Clairlieu ; fr. de Turicque, abbé de Freistofff ; fr. de Laurencin, abbé de Foucarmont, Père immédiat de l'Ordre et vicaire général de l'Ordre ; fr. Prieur, abbé de Marcilly, vicaire général ; fr. Hyacinthe, abbé de Bouillas, vicaire général ; fr. de Moyria, abbé d'Ecurey, vicaire et procureur genéral de l'Ordre ; fr. A. Peuvron, abbas de Valcellis, vicarius generalis ; fr. G. Bricard, abbé de Vaucler, père immédiat dans l'Ordre, vicaire général ; fr. Claude, abbé de Saint-Sulpice, père-immédiat et vicaire général dans l'Ordre ; fr. Fr. abbé de Vauxladouce ; fr. de Cressac, abbé du Pin, vicaire général ; fr. de Thomas d'Orves, abbé du Rivet ; fr. Kirkelte, abbé de la Charité-sur-Lézine ; fr. Benoit Dartois, abbé de la Piété ; fr. Bernard, abbé de Beaupré ; fr. Gérard, abbé d'Aulne, vicaire général ; fr. Bernard, abbé de Tamié, vicaire général ; fr. Alexis, abbé de Grosbos, vicaire général ; fr. Chaiget, prieur titulaire de la Joie-Sainte-Claire ; fr. de Fontenay, prieur titulaire de Droitteval ; fr. Lamy, prieur titulaire de Saint-Lazare ; fr. de Gros, prieur titulaire de Notre-Dame de Leule ; fr. Désir, prieur titulaire de Belleau ; fr. Jobart, abbé de Chatillon, notaire du Chapitre général pg. 757-758.

G) Discours de M. Vidaud de la Tour, à la clôture du chapitre général pg. 759-760.

1787

ACTA CAPITULI INTERMEDII

quod anno Domini millesimo septingentesimo octogesimo septimo, diebus decima quinta et sequentibus mensis novembris, celebratum est.

1787. *Fons : Pr.*

SESSIO PRIMA

1. Die 15 mensis novembris, hora 10 matutina a Rmo D.N. abbate Cistercii, totius Ordinis generali, condicta, idem Rmus D. N. et adm primarius Ordinis pater D. abbas de Firmitate (absentibus ex primariis Ordinis patribus RR. adm DD. abbatibus de Pontigniaco, Claravalle et Morimundo, nonnullisque visitatoribus tum abbatibus, tum prioribus, qui litteras excusationum miserunt), cum Rdis abbatibus de Petris et de Ecureio in aede sacra missae conventuali interfuere.

2. Peracto sacro, idem Rmus D.N. et adm R.D.Abbas de Firmitate, cum Rdis abbatibus de Petris et de Ecureio suffragii ius habentibus, capitulum minus sessionibus destinatum subierunt, ubi post solitas preces, Rmus D. N brevi et facundo sermone finem religiosi huius coetus deliberationumque suarum exposuit, prae primis utilitatem tam publicam quam privatam.

3. Inde Rdus abbas de Ecureio in notarium Capituli intermedii nominatus est, quique promotoris functiones egit.

4. Et statim praesens Capitulum in deliberationem proponere duxit utilitatem publicam et Ordinis ; hinc Rmus D. N. petiit a Rdo abbate de Petris, si vellet, rationem redderet collegii Sancti Bernardi, utpote pro hac parte ab ultimo Capitulo generali commissario nominato ; nam idem Capitulum generale utilitati publicae omnem afferens attentionem, et studio possibili incumbens, non solum sed ante omne necessarium iudicavit, ad tam desideratum finem ac propositum assequendum, ut id omni Ordini adolescentes formentur, qui fructu et honore institutum in se suscipere valeant, quod Ordo noster instituere intendit. Qua de causa, Capitulum generale commissionem fecit Rdo D. abbate de Petris visitandi collegium Sancti Bernardi Parisiorum, primum collegium Ordinis, et maxime idoneum ad hunc effectum.

5. Audita expositione R. D. abbatis de Petris concludentis quod quam valde urgens et necessarium sit, ut augeantur redditus huius collegii per restructionem et aedificationem tam commodam, quam solidam domuum et miserabilium casarum ab ecclesia usque ad clathros Macelli vitulorum (vulgo Marché aux veaux) quatinus nominatum collegium ponatur in statum ut alere queat maiorem numerum studiosorum.

6. Capitulum intermedium attentionem ferens observationibus et prospectui R. D. abbatis de Petris deliberavit desuper et statuit unanimi voce, imprimis convenire, ut officiales collegii auctoritate nitantur mutuo accipere modo magis proficuo centum millia librarum gallicarum, cuiusque mutui sponsor fiat Ordo, quique census annuos numeret usque ad integram huius summae solutionem istis conditionibus :

1) ut praedicti officiales quolibet anno accipiant de reaedificatis et locatis his domibus summam aliquam congruam indictam ad delendum debitum principale ;

2) ut rationem reddant hi ipsi officiales de collecta hac summa Rmo D.N., Capitulo generali et commissariis forsitan ab ipsis deputandis, eo insuper expresso mandato ut in omnibus se conforment, ratione huius mutui suscipiendi, dispositionibus et legibus regni.

7. Postea idem Capitulum intermedium mandavit superioribus, vicariis generalibus et in omnibus et singulis monasteriis, nulla interposita mora, novitii recipiantur habita facultatum ratione et ut studiis invigilent, et attentionem habeant mittere in collegium Sancti Bernardi et ad alia collegia publica suos professos, quos habiles et capaces invenerunt. Et soluta sessio est.

SESSIO SECUNDA

8. Eadem die, hora post meridiem quarta, omnibus congregatis, Rmus D. petiit ut Capitulo ederentur rationes visitationum. R. D. abbas de Ecureio exposuit statum monasteriorum vicariatus communis observantiae in Insula Franciae ; eiusdem abbatis relationem Capitulum laudavit probavitque ; qui idem R. D. abbas rationem attulit visitationum monasteriorum Lotharingiae. Suas continuo ediderunt R. D. abbas de Petris pro monasteriis strictioris observantiae in Biturigo, et venerabilis prior de Campis bonis pro monasteriis communis observantiae in provincia Avinionensi. Rmus D. N. generalis, Capituli nomine, laudavit eorum zelum et diligentiam in obeundis muniis.

9. Habita deinde deliberatione, et animadversionibus praedictorum vicariorum generalium mature ponderatis, de abusu qui ex tolerantia capillorum ubique introducitur, ita quidem ut inde oriantur incommoda, quinimo scandala plurima et intolerabilia.

10. Praesens Capitulum non sine dolore audivit abusum e tolerantia et permissione facta de capillis ferendis, et quod ratione infirmitatis quorumdam concessum est, in vanitatem, in indecentiam, in ruinam modestiae religiosae, et in perniciem multorum religiosorum devenisse. Principiis obvenire intendens, statuit et mandavit ut meminerint religiosi sui status humilitatis et decentiae, nec patiantur in eis capilli crispati et pulverisati in albis, ita ut non possint amplius uti parvis suis togis et operire caput sine depravatione et scissione suarum vestium; ut invigilent superiores et visitatores ad reformationem talis abusus, et puniant infractores plus mundanos quam religiosos, maxime per denegationem recreationis vacationisque cuiuslibet, et egressionis extra monasterium. Et soluta sessio est.

SESSIO TERTIA

11. Die decima sexta, statim a missa conventus, circa horam nonam matutinalem, convenerunt omnes ; porrexit dein R. D. abbas de Ecureio varios libellos supplices plurium conventuum, et eorum petitiones omnes administrationem spectantes quarum prima de Bella pertica, quae sibi proponit parvulam excidere sylvae partem, sub pretio 12000 libr. reparandi et reaedificandi causa eiusdem abbatiae muri, necnon primariae ianuae et parvi stabuli destructi. Cui supplicationi annuit iamiam R. D. abbas de Claravalle immediatus pater ; cui etiam consensit vicarius generalis secundum suam inquisitionem.

12. Abbatia de Ecureio petit permissionem illigandi locationi emphiteuticae molendinum de Rochecour annuali ac perpetuo pretio 300 libr.

aequivalenti summae hucusque exceptae, onere tamen omnium reparationum vix non quotidianarum, quae persaepissime superabant et absorbebant redditum, propter frequentissimas Matronae fluminis inundationes. Cui alienationi R. adm abbas de Morimundo, pater immediatus, et vicarius generalis illius provinciae consensere.

13. Abbatia de Vallibus in Ornesia regione postulat, ut sibi licitum sit partem sylvae caedere ad constructioni necessariae duarum villarum subveniendum, volens etiam partem terrae octogesimorum iugorum patentem fructui adducere, quae nullum antea afferebat commodum. Hanc petitionem R. adm D. abbas de Morimundo, ut pater immediatus, et R. D. vicarius generalis provinciae iamiam concesserunt, unde communi voce istam approbavit et permisit. Simul et cum praecedentibus, et ita ut omnem suum effectum secundum formam et inquisitionem habeant.

14. Attendens Capitulum intermedium ad supplicem libellum R. adm D. abbatis de Pontigniaco, invitat R. D. illum abbatem ut scribat monasteriis suae filiationis quae sunt maioris proventus, ut velint subsidium dare pro sustentatione habitus et victus duorum religiosorum commorantium in Caroliloco eiusdem filiationis, et invitat Capitulum superiores horumce monasteriorum maioris proventus, ut sustentent illos religiosos maxime in virtute *Chartae charitatis*, primae legis Ordinis quae tam commendat tale subsidium, pro hac vice tantum, tali subsidio applicando monasterio Caroliloci, et usquedum restaurabitur hocce monasterium. Et soluta est sessio.

SESSIO QUARTA

15. Hora eiusdem diei circiter sesqui quarta pomeridiana, postquam omnes affuerunt, relationem fecit R. D. de Ecureio, procurator generalis in curia Franciae, summae commissionis illi commissae una cum domino provisori collegii Parisiensis, ut conveniant circa novam librorum liturgicorum editionem Ordini deficientem, adiiciens idem R. D. abbas laudes domini Lamberti Ordinis typographi, antequam editioni huic incumbant, petere ac velle ut monasteria subscribant secundum exemplaria cuique necessaria.

16. Capitulum permisit R. D. abbati de Ecureio in hac parte commissario omnibus et singulis vicariis generalibus litteras mittere et mandare eiusdem Capituli nomine et auctoritate, ut in decursu suarum visitationum examinent quamexacte penuriam librorum in qua versantur monasteria Ordinis, utque exemplariorum indigitent numerum unicuique necessarium, quodque praedictis referant commissariis iussa praebere poterit ad accelerandam praefatam editionem a plurimis annis aeque necessariam.

SESSIO QUINTA

17. Mane die decima septima, circa horam nonam omnes convenerunt. Rmus D. generalis proposuit dominum de Gros priorem de Valloliis in vicarium generalem Picardiae, communis observantiae, quemque Capitulum nominavit et promovit.

18. Recitata continuo, id poscente Rmo D.N., acta praesentis Capituli omnium suffragiiis comprobata sunt, necnon et prolatus index expensarum de trecentis quinquaginta octo libris et quatuor assibus, cuiusque summae accessionem fieri ad subsidiorum distributionem statutum est.

19. Tunc Rmus D. N. quaesivit an aliquid ab aliquo proponendum maneret, cunctisque nihil superesse asserentibus, conclusum est Capitulum, cuius actus omnes subscripserunt anno, mense et diebus supradictis. — Collatum cum originali concordat. f. Valette, secretarius.

INDEX

INDICES NOMINUM ET RERUM IN FINE TOTIUS OPERIS PRODIBVNT.



IMPRIMERIE J. DUCULOT, GEMBLOUX (*Imprimé en Belgique*).